Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex Libris
Universitatis
Albertensis

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 12/4

Justi Lipsi Variæ Lectionum

42,6

Biblioteca de Loyola
Sala .....
Estante .....
Plúteo .....

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVSTI LIPSI

OPERA OMNIA

QVÆ

AD CRITICAM


PROPRIE SPECTANT:

Iam nouiter ab ipso aucta, correcta, digesta.

Quorum omnium Index & Ordo post Præfationem.

esta todo esto no conforme al expurg.° de 1707.

Por comission del 1.er Offº
Jhs
Fran.co de Vague.



ANTVERPIÆ,
EX-OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
CIↃ. IↃC.

Ex del Cl.o P.e Nal de Loyola y mi Cruz.

Cum Priuilegijs Cæsareo ac Regio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD LECTOREM.

ECCE tibi, Lector, Criticos meos omnes libellos: quos ſparſos anteà collegimus, & compoſuimus tibi in hunc faſcem. Viſa enim res & commoditas tua ita poſcere, vt quidquid à nobis huiuſce argumẽti eſſet; promptum ſemel haberes, & in vnâ manu, ſub vno oculorum ictu. Etſi enim facie & formâ ſtili, quidam ex his inter ſe diſcrepent: tamen fine omnes ferè conueniunt, & argumento. Finis ijs, illuſtrare, emendare: argumentum, genus omne veterum ſcriptorum. Quod ſtudium ſcio eſſe qui eleuent, aut carpant. verbo tamen potius, quàm ex animo: quia reuera nemo æſtimare litteras & ſcriptores veteres ſeriò poteſt: qui non ſimul æſtimet iſta. Quæ enim ſanitas aut puritas ijs abſque his Notis, imò quæ vita? Æuum auorum cogitent, & æuum noſtrum. illo ſqualor & horrida barbaries vixerunt: hoc Typographia nata, bona ſanè ſtudiorum nutrix, ſed audax ſæpe, lucri-cupida, & quæ non minus verè corruptrix librorũ audiet, quàm propagatrix. Quod autem remedium aduerſus vtrumque, niſi Cenſoria iſta, vt ita loquar, ſpongia; ſiue ad veteres illas labes eluendas, ſiue ad has nouas? Nam quod quidam facile hoc & pronum cuiuis putant:

vereor vt imperitè aut ſuperbè errent. & cliui profectò in hac ſcriptorum viâ non pauci, quos ſupercilioſi iſti numquam ſuperent, niſi adiuti & alleuati à nobis. Sed videlicet ita humanum ingenium eſt, facilia putare quæ iam facta: nec de ſalebris cogitare, vbi via ſit ſtrata. Chriſtophori Columbi dictum & factum adpoſitè iis ingeram, illius qui nouum orbem retexit primus. Cùm enim ea res in magnâ gloriâ & ſimul inuidiâ eſſet: euênit, vt in conuiuio quopiam Hiſpani proceres hanc laudem eius delibatum irent & imminutum. Quippe rem pronam eam fuiſſe, nauigationem ſine diſcrimine, appulſus faciles; denique vnum aliquem ex ſeſe potuiſſe eaſdem illas terras gentesque reperire, ſine Itali hominis vllo niſu. Columbus (aderat enim) cùm tacitus diu audiſſet, ſurrexit, & velut aliud agens ouum adtulit à gallinâ. in menſa repoſuit. &, Heus ſodales, inquit, quis veſtrûm ille ſollers, qui hoc ouum rectum mihi deſtituat, & in caput? Muſſare illi, circumſpicere: negare ad extremum omnes id fieri. Ille clementer, Imò fiet, inquit: & ſimul ouum leuiter à capite tuſum & quaſſatum, depoſuit erectum. Enimuerò hîc riſus, & pænè irriſus. pro ſe quiſque, rem facilem nugatoriamq. eſſe, dicere. Attamen, ait ille renidens, quis veſtrûm hoc facile ante me indicem potuit? Talis inuentio noui orbis eſt: quem inueniendum ante me nemo, omnes

omnes inueniant inuentum. Hoc, inquam, aptè dixerim de emendationibus noſtris & coniecturis: quas ſpernunt multi repertas, ſudent multùm in reperiendis. Nec tamen ego operam iſtam nimis etiam vendito (ad maiora quædam & altiora voco iuuentutem, & ad Sapientiæ ipſum collem:) ſed vtilem tantùm clamo, & inter neceſſarios doctrinæ apparatus. Tu quidem Lector, ſiquid adiutum te hac induſtriâ noſtrâ in vadis aliquot locorum tranſmittendis ſenties, ſi caligantes oculos tuos illuſtratos alibi ingenij noſtri face: gratum memoremque te præbeas hactenus, vt duobus verbis vſurpes, LIPSIVS inuênit. Hoc enim à te cum Thalete ſapiente illo non ineptè peto. qui Mandraitum Prienenſem cùm noua quædam & ſubtilia de cælo ac ſole docuiſſet, offerente illo mercedem quam & quantam vellet: Hoc pro omni mercede eſto, inquit, vt quoties apud alios ea proferes, Thaletem non celes auctorem. Quæ enim alia nobis merces ex ſtudio iſto? quod reuera fructuoſum tibi potius, Lector, quàm glorioſum nobis. Peto amplius, vt ſi coniecturæ non omnes rectæ, veraces, Apollineæ, veniam benignè indulgeas. certus, vix aliquid in hoc diuinatorio genere eſſe certi, cùm recedimus à libris. Et tamen acumina illaipſa ſæpe, quamquam falſa, delectant: ideoque in prioribus & iuuenilibus noſtris libris talia quædam conſultò re-

liquimus, nec caſtigauimus omnia ad rigidam Veri normam. Videat non nemo alucinationes noſtras, ſi volet,& rideat: ſciatque in tot miſſis iaculis non omnia directò peruenire ad ſcopum. Talia præſertim in *Varijs* noſtris ſunt: quas editas & additas hîc fateor pęnè pręter meam mentem. Deliteſcere enim eas volebam, imò perire: aliter Typographus peruicit & amici. Iam in *Epiſtolicis* meis aut alibi, ſiquæ laudes ſunt ſupra meritum aut verum: poſtulo ne vt teſtimonia ea accipias, néue me iudicij vanum cenſeas,ſed amoris fortaſſe largum. Cur enim non amplificare nobis atque exaugere quædam in amicis liceat, veterum nouorumque exemplo? Illud tantùm non excuſo, quod quoſdam verè improbos nimis amicè compello, & candorem aliquem lucemque famæ circumdo animis tam nigris. Sed fefellêre me: nec latentia illa vitia adoleſcens intueri prorſus potui, iudicij acie adhuc infirmâ. Ignotis adhæſi: notos fugi,fugiamque. nec placebit mihi quiſquam,cui non Pietas & vera Virtus. Quæ te ament, mi bone Lector, & tu illas.

SVE-

SVETONIVS
DE VAL. PROBO.

Multa exemplaria contracta EMENDARE ac DISTINGVERE, & ANNOTARE curauit, ſoli huic, nec vlli præterea, Grammatices parti deditus.

Ordo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ordo horum librorum.

VARIARVM LECTIONVM Libri tres.
ANTIQVARVM LECTIONVM Libri quinque.
EPISTOLICARVM QVAESTIONVM Libri quinque.
ELECTORVM Libri duo.
IN VALER. MAXIMVM NOTAE.
ANIMADVERSIONES IN SENECAE TRAGOEDIAS.
IVDICIVM DE CONSOLATIONE CICERONIS.
SATYRA MAENIPPAEA Somnium.

IVSTI LIPSI

VARIARVM LECTIONVM

LIBRI III.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILLVSTRISSIMO ET AMPLISSIMO D. ANTONIO PERRENOTO GRANVELLANO, S. R. E. CARDINALI, MACHLINIÆ ARCHIEPISCOPO,

Iustus Lipsius S. D.

PRAESTANTIVM ciuium, Cardinalis Ampliſſime, & qui excellentiùs gerere ſe in repub. voluerunt, duo ferè genera ſunt. Vnum eorum qui ingenij ac conſilij ſui luce patriæ profuerunt, quorum ſumma ſemper in Senatu & apud bonos fuit auctoritas: alterum eorum qui nõ tam ingenio, quàm armis & bello operam reip. nauarunt; qui & ipſi apud bonos grati fuerunt, ſed vulgi tamen laude & populari gloria maximè floruerunt. Vtraq. res, ſi verum quærimus, magni viri & præſtantis ciuis eſt: ſed prioris illius generis vt maior quædam dignitas, ita maior ſemper in quaque rep. paucitas fuit. Nam quocumq. animum & cogitationem conuerto, multos ſanè & pænè dicam innumerabiles, qui bello & armis patriæ fines vel propagarint, vel defenderint, inuenio. At qui conſilio, auctoritate, prudentia regere ac gubernare remp. contra popularem impetum conſtanter & ſapienter poſſent, paucos equidem ex omni memoria memini legere. Apud Romanos quidem, ne ad externa eamus, claros imperatores & rerum geſtarum magnitudine illuſtres quamuis multos commemorare nullius negotij ſit, Camillos, Curios, Scipiones,

piones, Paullos, Fabios, Marcellos, Marios, Cæſares, Põpeios, innumeros alios. qui verò cõſilio ac ſapientia rempubl. fortiter defenderint, qui ſeditioſis ciuibus, qui perniciosis legibus, aliisq. quæ labefactare ſtatum reipub. poſſent, omni contentione reſtiterint; verè dicam, pro dignitate tanti Imperij pauci ſemper inuenti ſunt. Nam præter M. illum Scaurum, dictum principem Senatus, Q. Catulum, L. Scęuolam, Catones, Q. Metellum, Ciceronem noſtrũ, quos in hoc prudentium & optimatium genere debeamus ponere, non facilè præterea ex omni antiquitate commemorare poſſim. Cuius rei rationẽ ſi quærimus, duæ meo iudicio paucitatis huius cauſſæ ſunt vel ſolæ vel præcipuæ. Primùm enim, vt ego ratiocinor, cùm haud paulò popularior & ad gloriam facilior eſſet illa militaris, quàm hæc rectè conſulendi ratio, bellica quidem laude excelluerunt multi; prudentiæ verò in republ. gerenda famam pauci conſequi vel voluerunt, vel, vt verius dicam, potuerũt. Maior enim res eſt, quàm homines ſuſpicentur, & præſtantioris cuiuſdã ingenij, ſummis de rebus ſententiam pari fide & prudentia poſſe dicere; cognitas habere omnis reipubl. partes; morẽ maiorum, leges, iudicia, vectigalia, commoda reipub. cõſtanter defendere, omnem in partẽ animo excubare, proſpicere futura, meminiſſe præterita, nullo metu, nulla ſpe à reipub. vtilitate & ab illa honeſtatis regula demoueri. Ergo non omnes erant eo ingenio & prudentia à natura conſtituti, qui ſalubri conſilio prodeſſe patriæ, & hæc tanta munia ſuſtinere poſſent. Deinde etiam, quam ego ſecundam cauſſam ſtatuo, inter eoſipſos qui ea prudentia erant vt poſſent, pauci inueniebantur ea caritate erga remp. qui vellent hanc tam arduam & plenam periculorum viam ingredi. Nam, vt verè dicam, qui hanc in rep. Optimatium ſectam ſequuntur, ſententiasq. ſuas omnis non

non ad popularem rationem, ſed ad patriæ vtilitatem dirigunt, multa eis ſanè & magna ab imperita multitudine propoſita ſunt pericula; multi aduerſarij, multæ inſidiæ ſubeundæ ſunt. Quod & in iis amplißimis viris, quos paulo antè commemoraui, intellegere licet; quorum alij per vim in exſilium à cõcitata multitudine pulſi, alij iudicio dãnati, alij aliis ignominiis & inſidiis appetiti ſunt: & in quibuſdã memoria etiam noſtra vidimus, qui cùm omnis curas & cogitationes ſuas in reip. ſalute defixiſſẽt, eam tamen caſuum acerbitatẽ indignè ſubierunt, quam commemorare ſine dolore aut lacrymis non poſſim. Videlicet malus dignitatis aut virtutis iudex eſt populus: & non rarò quorum meritis in rempub. & populum ipſum ſingularibus nulla gratia, nulla merces digna ne cogitari quidẽ poſſet, populo diſceptatore, pro mercede pœnam, pro laude ignominiam, pro gratia indignationem acceperunt. Vt equidem perſæpe in mentem mihi veniat admirari, quemquam repertum eſſe ea caritate in patriam, qui nullo aut paruo præmio prouocatus, & cõtrà tot periculis propoſitis, ad hanc tam lubricam & ancipitẽ reip. adminiſtrationem ſingulari quodã animi robore ſit delatus. Et cogor nonnunquam, Illuſtriſſime Perrenote, patieris enim vt quod de te ſentio, liberè dicam, cum admiratione quadam virtutum tuarum in te intueri, quem inter paucos memoria noſtra habemus, quem cum veteribus illis Optimatibus & reip. moderatoribus non tantùm prudentia & cõſtantia; ſed etiam ſimilitudine quadam caſuum poſſimus cõiungere. Nimirum vt reliquæ prioris illius ætatis virtutes miſero noſtro ſæculo ferè omnes exaruerunt, ſic in primis patriæ caritas, & reipub. cura penes paucos & tui ſimiles manſit. in qua tu cum immortali tua laude verſaris; & ita verſaris, vt non cum noſtri ſæculi hominibus, ſed cum antiquitate ipſa com-

parandus videaris. Nam & tu ea prudentia natus es, quam in paucis, non dicam vidimus, sed vel legimus, vel audiuimus, & eo semper animo erga remp. fuisti, vt posthabitis periculis, neglecta etiam propria salute tua, nihil tibi, nisi de patriæ commodis cogitandum putaris. Non dabitur hoc à me auribus tuis; sed profectò quis non intellegit vnum esse te, cuius consilio, fide, prudentia, his viginti annis patria nostra maximè sit vsa? Qui à Rege nostro optimo, & post hominum memoriam sapientissimo in societatem intimi consilij assumptus, omnibus deliberationibus eius non interfuisti solùm, sed etiam præfuisti? Nulla res grauis gesta sine te, nihil laudabile nisi per te: nulla legatio dignior, quam nõ obieris: nulla pax, cui non prefueris: nulla fœdera, quæ non sanciueris. Magna hæc & præclara laus est, vnum aliquem è multis ea præstantia virtutis & magnitudine animi esse, qui tot negotia, & tantam molem rerum sustinere solus, & tanquam gubernator in naui, sic in hoc reip. cursu tractare gubernacula, & clauum rectum tenere possit. Magna, inquam, & diuina laus, & quam haud scio an pauci memoria nostra consecuti sint: & eò tua illustrior quàm ceterorum, quòd cùm nescio quo fato tuo multos semper partim inimicos, partim inuidos in hac reip. administratione nactus esses; nullæ tamẽ vmquam minæ, nulla vis, nullæ insidiæ demouere te ab instituto & à caritate patriæ potuerunt. Habet hoc omnino præstans & excellens virtus, vt nescio quomodo facilè aut inuidos inueniat aut inimicos, quos qui pro repub. contemnere aut neglegere potest, is verè vir, & is patriæ amans ciuis iudicandus est. Quod quidem præclarè feciſti adhuc, & facis cottidie, nec quidquam est tibi tanti, quod demouere te à repub. & à salutari sententia possit. Vt equidẽ non aliter iudicare possim, quàm diuino quodã munere excellentem

lentem istam virtutem tuam difficillimis temporibus datam atque oblatam afflictę reipub. esse. Itaque quamquam virtus ipsa sibi satis magnum pręmium est, nec ornamenta vlla aliunde desiderat; tamen pro his rebus & singularibus in rempub. meritis tuis & Pontifex maximus Cardinaliciam dignitatẽ vltrò nec quidquam tale cogitanti tibi obtulit, & clemẽtissimus Rex noster præter alia multa quæ honorificè de te statuit, etiam Machlinienſi Archiepiscopatu ornauit. Quæ dignitates quamuis magnę sint, vt sunt, tamẽ dubium profectò est, vtrùm te magis ornent, an tu illas. Nec verò intra domesticos parietes minor in priuata tua vita integritas est, quàm in repub. dignitas & splendor. Domi singularis modestia, foris comitas, in aduersis magnitudo animi, in prosperis moderatio, ad hæc erga omnis humanitas & facilitas tua faciunt, vt omnes te non tamquam hominem aliquem de nostro cœtu, sed tamquam deum quendam de cælo delapsum intueantur & admirentur. Sed inter has præclaras & eximias virtutes tuas maximè tamen quasi è sublimi quadam specula se ostendit & extollit benignitas illa tua & innata tibi erga litterarum studiosos animi propensio, quæ ita in te elucet, vt videatur te ad hanc vnam virtutem natura genuisse, voluntas exercuisse, fortuna seruasse. Primus enim tu in illo dignitatis gradu constitutus, in his regionibus sopita litterarũ studia benignitate tua excitasti, liberalitate promouisti, & princeps tu nobis, & studiosis omnibus ad bene de litteris sperandum quasi signum aliquod sustulisti. Atque vt illa felix ingeniorum & doctrinæ omnis parens Italia suos Medices, Farnesios, Estenses, Cæsarinos tulit, præstantes viros & fato quodam natos rei litterariæ iuuandæ, sic profectò te regiones nostræ vel vnum, vel inter paucos habent, qui nostrorum hominum ingenia ad

hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc ſtudia amplectenda benignitate tua excitare & poſſes, & maximè velles. Quæ cauſſa, fateor, ſola me impulit, vt hos Variarum lectionum libros, impolitum opus, & eruditis auribus tuis minimè dignum; ſed primos tamen ſtudiorum & adoleſcentiæ meæ fructus ſub tui præclari nominis commendatione in manus hominum & poſteritatis famam peruenire maximè vellem. In quibus ſi quis aut accuratum illud iudicium, aut conſtantem vbique diligentiam deſiderat, is parum iudicare mihi videtur, quid vel ab hac ætate mea poſtulandum, vel vt id addam, à regione noſtra expectandum ſit. Nam & nos quidem ea adhuc adoleſcentia ſumus, quam fortaſſe aliorum magis ſcripta & iudicia legere, quàm de aliis iudicare conueniat: & in ea porrò regione educati, quæ vti iamprimum aſpicere & agnoſcere antiquitatis memoriam, & illa ſtudia quæ ab humanitate nomen habent, cœpit; ita paucos litterarum iſtarum vel fautores adhuc habet, vel monitores. Sed hoc quantumcumque eſt quod præſtiti, quod ſentio quàm ſit exiguum, nec volo nec poſſum id verbis amplius facere, quàm re ipſa eſt; & id omne tuo inprimis, Illuſtriſſime Perrenote, & aliorum iudicio permitto. Id quidem ſi conſequar, vt limatis tuis & politis ſenſibus diligentiæ meæ ratio probetur: primos hos ſanè adoleſcentiæ meæ labores magno & nimio præmio compenſatos iudicabo, & erit cauſſa cur vnà cum ætatis progreſſu ad maiora quædam & præſtantiora te duce ac patrono perueniam. Vale, Louanij. Kal. Iuniis, Anno ∞. Iɔ. LXVI.

AD

AD LECTOREM.

QVATTVOR *iſti libelli initio fuerant: ego ſecundum ſubduxi, qui de Conuiuio eiúſque ritibus erat. quia poſteà pleniùs in Antiquis ea ſum exſecutus. Sed & de* PRONVNCIATIONE, *quod ibi iniectum, in proprio ſuo libro iam dedi. Quid ergo opus iſta reponere? imò nec reliquis fortaſſe valdè opus aut vſus (tenuia enim omnia fateor, nec magnæ rei) niſi quòd iuuet fortaſſe aliquem tirocinium hoc, vt ſic dicam, ingenij noſtri videre, & quæ ſcripſimus in primis illis floreſcentis ætatis annis. Vix nouemdecennes eramus, cùm* VARIAS *iſtas dedimus, & viam ſtilo ac famæ ſtrauimus: quam vtinam felici ac recto pede ſim emenſus! Conati ſumus, & videbis cum annis & iudicio aliquid accreuiſſe: & paullatim iuiſſe poſteà ad illam duplicem Scientiæ ac Prudentiæ, imò & Sapientiæ metam. Ad hæc ſiquid ſcripta mea conducent, benè eſt: voueo quidem, & te ad illa, bone Lector, ſeriò excito & hortor. Antuerpiæ in Typographeio* PLANTINIANO, *poſtrid. Non. Jun.* ∞. Iɔ. XCIX.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

CAP. I. M. Ciceronis libr. II. De Oratore locus quidam obscurior explicatus.

CAP. II. Propertij è libro tertio versus de coniectura emendatus.

CAP. III. M. Ciceronis locum oratione pro Cn. Plancio è Demosthene videri expressum.

CAP. IIII. Terentij Varronis in Satyris locus emendatus.

CAP. V. Quis ille Lesbius sit, in quem Catulli epigramma exstat.

CAP. VI. Ciceronis locus libro tertio Accusationis emendatus.

CAP. VII. Q. Asconium in interpretatione loci cuiusdam lib. I. in Verrem in historia lapsum videri.

CAP. VIII. C. Salustij ex oratione De Rep. ordinanda ad Cæsarem locus de opinione emendatus.

CAP. IX. M. Varronis locus Bimarco Satyra apud Nonium emendatus, & de ipso titulo Sat. quæsitum.

CAP. X. Conatus loci cuiusdam apud Propertium emendandi.

CAP. XI. Valerij & Macrobij de Diphilo tragœdo error notatus.

CAP. XII. M. Ciceronis locus oratione pro Marcello expressus de Isocrate.

CAP. XIII. M. Catonis censorij locus apud Agellium emendatus.

CAP. XIIII. Potissum, antiquum verbum in Lucilio, Ennio, Lucretio restitutum.

CAP. XV. De Ciceronis loco Epistolis ad Atticum coniectura.

CAP. XVI. Sex. Propertium tres modò libros Elegiarum scripsisse videri.

CAP. XVII. M. Terentij Varronis in Satyris locus purgatus, & de titulo Satyræ quæsitum.

CAP. XVIII. M. Ciceronis locus oratione in L. Pisonem correctus, & explicatus.

CAP. XIX. Propertium errorem Herculis, & scelus Polymnestoris pro ipso Hercule & Polymnestore dixisse.

CAP. XX. E Cicerone glossemata duo sublata.

CAP. XXI. Tibulli locus in Epigrammatis contra Turnebum explicatus.

CAP. XXII. Ciceronem eadem ratione C. Verris edictum quoddam reprehendisse, qua ante eum Timocratis legem Demosthenes.

CAP. XXIII. In Cicerone & Varrone Græcæ voces duæ restitutæ.

LIBRI SECVNDI.

CAP. I. Tibulli versus libro tertio à multis tentati, explicati.

CAP. II. M. Terentij Varronis lib. IV. De Vita populi Romani locus partim emendatus, partim explicatus.

CAP. III. Oratione prima Ciceronis in Catilinam, in numero erratum videri.

CAP. IIII. De Propertij loco libro primo coniectura verisimilis.

CAP. V. Indicatus Ciceronis locus in Verrem, quem à Demosthene mutuatus videtur.

CAP. VI. De Terentij loco in Eunucho coniectura quædam.

CAP. VII. In Ciceronis Oratore ad Brutum locus auxilio veteris libri restitutus.

CAP. VIII. Propertij carmen quoddam restitutum.

CAP. IX. M. Varronis Satyræ cuiusdam titulus explicatus, & locus emendatus.

CAP. X. Ciceronis locus in Hortensio, qui videatur è Platone expressus.

CAP. XI. M. Ciceronis locus libro secundo De legibus emendatus.

CAP. XII. C. Lucilij loci duo apud Nonium correcti, Tibullus item & Propertius restituti.

CAP. XIII. Quid sit apud Ciceronem lib. I. in Verrem, digitum tollere.

CAP. XIIII. M. Catonis libri cuiusdam titulus restitutus.

CAP. XV. De Ciceronis locis duobus in Epistolis ad Atticum coniectura.

CAP. XVI. Quam caussam damnationis Cicero in P. Rutilij iudicio dixerit, eandem etiam Demosthenem in Euæonis condemnatione posuisse.

CAP. XVII. Ciceronem à Cornelio Tacito leniter & ieiunè videri reprehensum.

CAP. XVIII. Propertij elegiam quandam videri disiungendam, quæ coniunctim legatur.

CAP. XIX. De Ciceronis loco libro quinto in Verrem coniectura.

CAP. XX. Ciceronis locus oratione pro C. Rabirio perduellionis reo, qui partim videatur ab Aeschine, partim à Demosthene.

CAP. XXI. De Varronis loco in Satyris coniectura.

CAP. XXII. Propertium valdè propriè verbo, Defendendi, & voce, Fastus, & Ciceronem verbo, Perseuerandi, vsos.

CAP. XXIII. De Ciceronis loco Diuinatione in Verrem accuratiùs quæsitum.

CAP. XXIIII. Varronis locus in Satyris emendatus.

CAP. XXV. In Propertio versus duo, qui alieno loco transpositi erant, in propriam sedem restituti.

CAP. XXVI. Malè vulgò videri Cæsellium Vindicem appellari, quem Cæcilium dici oportuit.

CAP. XXVII. Ciceronis locus oratione pro Milone desumptus à Demosthene.

CAP. XXVIII. Afranij & Pacuuij loci, alter apud Agellium, alter apud Nonium emendati.

LIBRI TERTII.

CAP. I. M. Ciceronis locus pro L. Flacco partim emendatus, partim interpretatus.

CAP. II. Propertij libro tertio de coniectura locus purgatus.

CAP. III. M. Terentij Varronis in Satyris locus emendatus.

CAP. IIII. Ciceronis locus actione prima in Verrem depromptus à Demosthene.

CAP. V. Catulli Epigrammata in Vettium & Cominium, in quos scripta videantur.

CAP. VI. De Ciceronis loco pro Roscio Amerino diligentius disceptatum.

CAP. VII. In Propertio dignum quiddam obseruatione annotatum.

CAP. VIIII. M. Varronis locus deprauatissimus ex parte restitutus.

CAP. IX. Terentij locus qui videatur de Alexide expressus.

CAP. X. Q. Asconium, & Valerium Maximum de P. Rupilio à Cicerone dissentire videri.

CAP. XI. M. Catonis loci duo, alter apud Agellium, alter apud Priscianum emendati.

CAP. XII. Duum locorum Propertij correctio.

CAP. XIII. Ratio quædam loquendi minimè vulgata in Cæsare, & Virgilio obseruata.

CAP. XIIII. De Ciceronis loco quodam in Bruto disceptatum.

CAP. XV. Ex oratione ea quæ Ciceroni in Sallustium inscribitur, locus emendatus.

CAP. XVI. Indicatus Ciceronis locus in Verrem qui videatur esse ab Aeschine.

CAP. XVII. De Propertij locis duobus coniectura.

CAP. XVIII. De Ciceronis loco in Pisonem coniectura tenuis.

CAP. XIX. Videri veteres nomi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

na quædam aliter scripsisse, & pronuntiasse quàm hodie scribimus, in eamque rem Varronis locus explicatus.

CAP. XX. Plutarchum & Appianum in Ciceronis historia leuiter errasse videri.

CAP. XXI. M. Varronis librorum aliquot tituli restituti.

CAP. XXII. M. Ciceronis locus Inuectiuarum libro quarto & libro primo emendatus.

CAP. XXIII. De Sex. Propertij cognomine disceptatum, & ibidem de patre eius quæsitum.

CAP. XXIIII. Ciceronis loci duo, quos mutuatus videtur ab Isocrate.

CAP. XXV. M. Varronis libro tertio De Vita populi Rom. loci duo emendati.

CAP. XXVI. Ciceronis vulgata lectio contra D. Lambinum, & A. Patricium defensa.

CAP. XXVII. In Festo loca aliquot emendata.

CAP. XXVIII. M. Ciceronis locus oratione pro Cluentio Auito, qui videatur integer è Demosthene expressus.

CAP. XXIX. De scribendi ratione in verbis quibusdam breuiter disceptatum.

CAP. XXX. De Ciceronis loco in Epistolis ad Atticum coniectura.

IVSTI

IVSTI LIPSI

VARIARVM LECTIONVM LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

M. Ciceronis libro secundo De Oratore, locus quidam obscurior explicatus.

PLENA est elegantissimæ doctrinæ C. Iulij illa apud Ciceronem de iocis & facetiis accurata disputatio, & in qua legenda liberalis animus ingenua quadam voluptate delinitus possit vt in amœno deuersorio conquiescere. Sed, verè vt dicam, vellem quanta in disputatione eruditio est, tanta in exemplis ipsis esset facilitas, quæ ita vel ambigua, vel acuta, vel denique antiquitate ipsa obscura sunt, vt minimè equidem mirer, viris eruditissimis, & ceteroqui acie mentis occultissima quæque perspicientibus, in his explicãdis quasdam offusas esse quasi tenebras. Nolo homines eruditos nominans offendere, quos nisi honoris caussa compellare non soleo, tantùm interpretationem meam obscurioris cuiusdam loci proponam, non præiudicaturus aliorum sententiis, sed quid mei iudicij sit breuiter expositurus. Ciceronis verba in disputatione illa de Iocis, Dialogo secundo De Oratore hæc sunt.

Ridiculè etiam illud L. Porcius Nasica censori Catoni cùm ille, Ex tui animi sententia, Tu vxorem habes? Non herclè, inquit, ex animi mei sententia.

Proposui locum quomodo eum legendum, & interpungendum iudico, nunc iocisti ius & facetiæ ratio quæ sit, paulo altiùs ex antiquitate repetendum mihi videtur. Illud satis constat, Censores cùm lustrum conderent, cumprimis curam rei vxoriæ veteri instituto apud Romanos habuisse. & cùm propagatio subolis ad imperij vel dignitatem, vel æternitatem maximè pertineret, diligenter cauisse, nequis ciuis Romanus cælebs & sine vxore esset. Cicero De Legibus Censorum officia describens: *Populi, inquit, æuitates, suboles, familias, pecuniásque censento, cælibes esse prohibento.* Et idem in libris De Republica: *Nec verò mulieribus præfectus præponatur, qui apud Græcos creari solet, sed sit Censor qui viros doceat moderari vxoribus.* Illud fortassis ignotius, solitos esse Censores, alioſq; magistratus in iureiurãdo exigendo hæc verba præmittere, *Ex animi tui*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sententia. Id est, Responde ad id quod rogabo ex animi tui sententia, ita vti sentis, néue me sciens fallas. ac deinde addebant, *Tu equum habes?* aut, *Tu vxorem habes?* Quod idem in omni solemni iuramento seruatum. Auctor Cicero in Academicis. *Quam rationem,* ait, *etiam maiorum nostrorum comprobat diligentia, qui primum iurare* EX SVI ANIMI SENTENTIA *quemque voluerunt.* Et Petronius Arbiter indicat: *Eumolpus tabulas fœderis signat, queis hæc formula erat. Ex tui animi sententia. vt tu Triphena, neque iniuriam tibi factam querêris* &c. Ex his iam nunc facilis nobis erit, vt opinor, loci huius interpretatio. Cùm enim Censor Cato in lustro condendo à nescio quo Nasica nimis faceto homine solemnibus verbis de more petiisset, *Ex animi tui sententia.* dic videlicet, aut iura, *Tu vxorem habes?* Ille alter intempestiue dicax, & ioci occasionem vndequaque captans, respondit, *Non herclè ex animi mei sententia.* Ita videlicet solemnibus illis verbis respondens quasi censor non rogasset vtrùm vxorem haberet, sed vtrùm morigeram, bonam, & ex animi sui voluntate vxorem haberet. Petebat quidem igitur Censor, vt iurans ex animi sui sententia, diceret vtrùm celebs esset, aut vtrùm haberet vxorem: cùm ecce ille ridiculè & præter exspectationem verba in alium sensum detorquens, negat se habere vxorem talem, qualem ex animi sui voluntate vellet habere. Quis autem fuerit L. Nasica iste incertum: Censorẽ verò cui id contigerit, M. Catonem illum Censorium fuisse existimo. Quod autem in vulgatis legitur, *Non herclè ex animi tui sententia:* quasi in Censorem ipsum Nasica cauillatus sit, eumque vt promiorem in vxorem suam arguere voluerit, id & contra libros omneis veteres esse, viri eruditi testati sunt, neque profectò acutiorem aliquam sententiam aut iocum habet. vt omittam parum credibile esse, ciuem aliquem tam scurrili ioco, vel potius conuicio seueritatem Censoriam ausum esse lacessere. Refertur autem idem hic iocus etiam apud Agellium, sed ita, vt in vulgatis Ciceronis, corrupte. Ergo etiam ille ad hoc exemplum corrigendus est. Non dissimilis iocus Domitij Afri apud Quinctilianum lib. VI. *Cùm Sulpicius Longus, qui ipse fœdissimus esset, eum contra quem iudicio liberali aderat ne faciem quidem liberi hominis habere dixisset: ei respondens Domitius Afer, Et tu, inquit, ex animi sententia Longe: qui malam faciem habet, liber non est?* Rogo autem si cui forte hæc Ciceronis interpretatio mea vel quæsita longius, vel acutior quàm pro re videbitur, is locum totum vnà cum interpretatione mea diligentiùs consideret, ego audacter præsto iturum eum in sententiam meam.

CAPVT II.

Propertij è libro tertio versus de coniectura emendatus.

M. ANTONII Mureti, quem ego virum natum his studiis iuuandis honoris caussa nomino, labore & commentatione negandum non est aliquot loca Propertij & emendatiora legi, & minore negotio posse intellegi. Sed tamen siue ille rei difficultate deterritus, quod in tanto

tanto ingenio difficulter existimo, seu veriùs à negotiis aliis districtus curam hanc deponere coactus est, pro rei magnitudine quam susceperat, & pauca quædam præstitit, & in his insignia maximè loca præterniit. Veruntamen quo candore in litteris omnes esse debemus, gratiam industriæ eius habeo quod egit, ignosco occupationibus quod omisit. Ego autem cùm nescio quomodo secundùm Ciceronem, poëtæ huius doctrinà & elegantia adhuc delectatus sim, libẽter & nunc locum quendam Propertij à Mureto ne tentatum quidem, emendabo, & posterius his ipsis libris, quoties occasio dabitur, idem sæpius sum facturus. Libro tertio Elegia quædam est ad Tullum, vt apparet, nobilem hominem in Græcia, Asia, & exteris regionibus procul à patria peregrinantem, quem cùm in Italiam ad penates & parẽtes reuocare conaretur, elegãtibus versibus Italiam laudat, & nihil in orbe toto esse ostendit, quod cum Vrbis miraculis & diuitiis possit cõferri. Inter alia autẽ leguntur ibi hi versus,

Et quà Gygæi viſenda eſt ora Cayſtri,
Et quà ſeptenas temperat vnda vias.

Qui prior quidem versus, merito an immerito, mihi semper suspectus fuit, neque assequi protectò adhuc possum, quid Propertio in mentem venerit, Caystrum Lydiæ fluuium Gygæum vocare. An ne à Gygæo lacu, qui in eadem regione est, Caystrum Gygæum dixit? Video id placere doctis, neque si hanc scripturam retinemus, facilè aliquid melius in hanc rem inuenerimus; durum tamen meo iudicio & quodammodo ineptum sit, fluuium à vicino aliquo lacu denominare, & tum denique probarem, si reperirem simile exemplum. Ego leuiter aliquando ex scripturæ vestigiis suspicatus sum, *Cygnæi*, à poëta hoc loco scriptum fuisse, quod verbum illud hîc mirè conueniret, & à vulgata scriptura minimùm discederet. Sed tantùm, vt dixi, suspicatus sum. Nunc autem postquam contigit mihi aliquando Beroaldi viri, vt illius ætatis captus erat, & diligentis & eruditi, in hunc poëtam Commentarios videre, qui testatur in vetustissimo libro scriptum exstare, *Si quane olorigeri*, non iam suspicor, sed planè habeo affirmare, hanc quam posui, veram & germanam esse huius loci lectionem. Nam id quod in veteri libro est, *Olorigeri*, apertè ex huius vocis, *Cygnæi*, interpretatione manauit. *Cygnæum* autem *Cayſtrum* Propertius vocauit, quòd is fluuius & loca vicina cygnis quam maximè sint frequentia. Qua voce ipsa vsus est etiam Cicero libris De Oratore. De cygnorum autem apud eum fluuium frequentia & Virgilius testatur, & referti sunt testimoniis veterum scriptorum libri, sed in re clara quid est necesse λεπτολογεῖν;

CAPVT III.

M. Ciceronis locum Oratione pro Cn. Plancio è Demosthene videri expressum.

MAXIME esset optandum, vt quam operam in Homeri & Virgilij similibus locis inter se comparandis iampridem viri eruditi sumpserunt, eandem industriam aliquis in principibus & summis oratoribus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus, Demosthene ac Cicerone poneret. Vtili certè & iucunda opera, cùm loca omnia quæ hic noster à Græco illo mutuatus est, vno quasi aspectu liceret intueri, contendere inter se, diiudicare quid ille astrictius, quid hic copiosius, quid noster grandius & ornatius, quid ille purius & simplicius, quid hic, quid ille fortius, neruosius, melius, deterius dixisse videatur. Nam si vere æstimare volumus, Ciceronis nostri eloquentia, quanta quanta est, à Demosthene manauit, eumque cùm in imitatione præcipuum sibi proponeret, non tantùm artificio & ductu orationis sæpe conueniunt, sed nonnumquam etiam in eadem incurrunt & verba & sententias. Cuius generis est ille, verbi gratia, elegans, & pulchra similitudine exornatus pro Cn. Plácio locus, de varietate & incóstantia populi.

Sin hoc persæpe accidit, vt & factos, & non factos esse aliquos miremur, si campus atque illæ undæ comitiorum vt mare profundum & immensum sic efferuescunt quodam quasi æstu vt ad alios accedant, ab alijs autem recedant: in tanto nos impetu studiorum & motu temeritatis, modum & consilium & rationem requiramus?

Ita Cicero. Demosthenes autem de eadem populi temeritate quàm non tantùm similia dixit, sed pænè eadem: ὄχλος ἀριθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων, καὶ ἀσυνεζότατον, ὥσπερ ἐν θαλάττῃ κῦμα ἀκατάστατον, ὡς ἂν τύχῃ κινέμενον, ὁ μὲν ἦλθεν, ὅδ' ἀπῆλθε, μέλει δ' ὐδενὶ τῶν κοινῶν, ἀλλ' ὐδὲ μέμνηται. δεῖ δὲ τίνας φίλους ὑπάρχειν τοὺς ἕκαζα πράζοντας ἐν ὑμῖν αὐτῷ, καὶ διοικήσοντας οἷον ἂν αὐτῷ δοκῇ.

CAPVT IV.

M. Terentij Varronis in Satyris locus emendatus.

MTERENTII Varronis, inter ceteras librorum eius reliquias, Satyrarum etiam aliquot fragmenta ad nos peruenerunt, sed ita lacera & miserè corrupta, vt haut sanè multum interfit aut omnino periisse, aut ita mutila superfuisse. Sed in iis vt quædam planè deposita & desperata sunt, ita alia eiusmodi, vt tamẽ videantur eruditorum hominum iudiciis & coniecturis aliquantũ posse iuuari. Quale mihi fragmentum illud videtur apud Nonium Marcellum è Satyra Taphe Mænippi.

Sed quæ necessitas te iuuet aquam effundere domi tuæ, si vasa habes pertusa? plumbum non habent? ad quam rem nobis est confluuium, ad quam rem vrnarium?

Hunc ego locum comparatis aliquot eiusdem Satyræ fragmentis, quæ in Aduersaria conieceram, non incommodè, vt mihi videor, emendaui. *Sed quæ necessitas te iubet aquam effundere domi tuæ, si vasa habes pertusa? polubrum non habes? ad quam rem nobis est confluuium? ad quam rem vrnarium?* Optima sententia. Egit enim Varro ea Satyra de pauimentis & structura tota ædium. atque hoc loco eorum neglegentiam maximè reprehendit, qui manus aliúdue quid lauantes, media domo aquam effundunt, ac non potiùs etiamsi polubrum desit, quod ditiorum est, in vrnario aut confluuio id faciant, quæ loca aquis & effusionibus deriuandis deputata

deputata sunt. Similis locus est hac eadem Satyra, & fortasse paucis aliquot interiectis huic connectendus. *In pauimento non audes facere lacunam, at in humum calceos facis elixos.* Quòd autem, *polubrum*, superius reposui pro, *plumbum*, fateor me sine librorum auctoritate, sententię modò vestigiis insistentem ita reposuisse. Fabius Pictor, *Aquam manibus pedibúsque dato, polubrum sinistra manu teneto, dextra vasum cum aqua.* Ad Satyræ autem titulum quod attinet, is an satis rectus sit, aut ecquid ad tractationem de ædibus pertinere possit, non equidem dispicio.

CAPVT V.

Quis ille Lesbius, in quem Catulli Epigramma exstat.

VINDICANDVS mihi hîc est à probro & iniuria, si diis placet, P. Clodius Ciceronis mei infensissimus hostis. Cui homini etsi maximè sim, vt certè sum, Ciceronis caussa inimicus; tamen tanti est veritas, vt ne inimico quidem, quod ad me attinet, falsum crimẽ & calumniam adhærere velim. Suscipiam igitur patrocinium P. Clodij, non hominis caussa, sed veritatis, quæ odio omni & inuidia debet esse antiquior. Quod ergo ad rem facit, Catullus breui Epigrammate, sed eleganti, Lesbium quendã detestandæ turpitudinis accusat, neque mihi nominandæ.

Lesbius est pulcher. quid ni? quem Lesbia malit,
Quàm te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria amatorum basia reppererit.

Antonius Muretus suspicione ductus, quòd Lesbiam Clodiam sciret à Catullo vocari, hunc Lesbium P. Clodium eius fratrem intelligi putat. à quo inuitus & pænè coactus dissentio. Nam quanuis P. Clodij vita eiusmodi fuerit, quæ à nulla aut sceleris aut facinoris suspicione abhorreat, tamen certè neque Cicero, qui flagitia eius cum sororibus, totamque reliquam vitam perpetuis notis mustam scriptis reliquit, hanc turpitudinem, quæ hîc notatur, ei vnquam ausus est obiicere, neque à Catullo aut hoc loco aut alibi, quod obseruarim, P. Clodius est perstrictus. Sed videlicet apertè scriptum hoc Epigramma est in Sex. Clodium adminístrum & assęclam P. Clodij qui hoc genere turpitudinis, quod Græci γλωσσοποιεῖν dicunt, cum Lesbia, id est, Clodia sorore P. Clodij consueuit. Quod Cicero Oratione pro Domo sua testatur, eumque multis & perpetuis in hanc sententiam iocis obruit. Veluti illa quæ mihi apud Pontifices pænè scurriliter dicta videntur. *Scilicet tu helluoni spurcissimo, præguśtatori libidinum tuarum, Sex. Clodio, socio tui sanguinis, qui sua lingua etiam sororem tuam à te abalienauit.* Et: *Hanc tibi legem Sex. Clodius scripsit, spurciorem lingua sua. Sexte noster, bona venia dic, quoniam Dialecticus es, & hoc quoq. lingurris.* Et: *Quære hoc ex Clodio scriptore legum tuarum, iube adesse, latitat omnino. sed si requiri iusseris, inuenient hominem apud sororem tuam occultantem se capite demisso.* Quæ ego omnia quia obscuriora sunt, potuissem interpretari, si id aut ætatem meam deceret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut pudor meus pateretur. Hunc autem Sex. Clodium Lesbium vocauit, opinor, ad eandem rationem, qua Clodiam Lesbiam dixit. Hæc sententia mea est, quam etsi veram, non magnopere laboro, vt vobis probem. Ita de Cicerone P. Clodius meritus est, vt quamuis eum defendendum susceperim, tamen in hac caussa pænè paratus sim prævaricari.

CAPVT VI.

Ciceronis locus libro tertio Accusationis emendatus.

CICERO Frumentaria in Verrem:

Quid si duabus partibus doceo te amplius frumenti abstulisse, quàm populo Romano misisse? taménne putamus patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum, & populo se ad coronam daturum?

Fieri potest, vt iudicans fallar; & tamen locum hunc sincerum & sine mendo esse adduci ad credendum nondum potui. Quid enim illud est, *Dare se populo ad coronam?* aut quando ita seu Cicero, seu alius aliquis scriptor de meliori nota locutus est? Mihi quidem igitur legendum hoc loco videtur, *Taménne p. p. t. i. h. c. c. i. & populo se ac coronæ daturum?* Coronam vocabant circumstantem populi multitudinem, quæ ad iudicium spectandi vel audiendi caussa conuenerat. Cicero in Bruto, *At isti Attici cùm dicunt non modò à corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab aduocatis deseruntur.* Dare se igitur populo ac coronæ, est se committere & quodammodo iactare populo & multitudini. Solent enim Oratores veteres siquid populare aut magnificum dicerent, in quo exsultare & triumphare eorum oratio posset, conuertere & applicare se ad circumfusam populi multitudinem, vt ab iis melius oratio excipi & intelligi posset; sicuti cõtrà, cùm inuidiosum aliquid & quod minus gratum ad populi aureis accideret, summissè id, & ad solos iudices dicebant. Vtriusque rei apud Ciceronem in Orationibus exempla sunt. Dicit igitur nunc Cicero, Quid, inquit, Hortensi, quid est? populare tibi videtur, & in eo iactare ceruiculam poteris, quòd Verres decumas magno vendiderit? quid si doceo, duabus partibus eum plus frumenti furto domum auertisse, quàm Romam misisse; tamen etiam'ne audebis te in hac præclara frumenti venditione iactare, & populo ac circumstanti coronæ te dare, quibus hanc rem gratam accidisse in annonæ caritate putas? Dare autem se populo, idem hoc loco ferè valet, quod apud eundem Ciceronem Dialogo De Oratore, *Id quoque toto capite annuit, vt se Crassõ daret.* Et Epistolis ad Atticum, *Video vt equites vestri huic se dent vt daturi sint.* Et Epistolis ad familiareis: *Quare da te homini, complectetur, mihi crede.* Cùm hæc scripsissem, admonitus sum ab amico quodam meo, P. Nannium, doctum virum, & qui Verrinas aliquando publicè ante me natum in hac ciuitate docuit, apud auditores testatum esse, ita se, quomodo ego emendaui, in veteri codice scriptum inuenisse. Quod si ita est, de lectionis huius veritate dubitari amplius certè non debet.

CAPVT

CAPVT VII.

Q. Asconium in interpretatione loci cuiusdam libri primi in Verrem, in historia lapsum videri.

AMO verecundiam, neque pudoris mei est de antiquitate, cui omnia debemus, aliquid vel liberiùs, vel asperiùs dicere; illud tamen sine inuidia verè mihi videor affirmare posse, in veterum eruditissimis scriptis errores sæpe & menda repperiri eiusmodi, quæ eruditæ aures neque satis patienter legere, neque commodè tolerare possint. Nolo Nonij, aut Charisij flagitia commemorare, qui ita multa turpiter peccant, vt mihi risus nonnunquam consultò captare videantur. De Asconio dicam hoc loco, veteri scriptore, & in veterum scriptis mirè volutato, non me herculè reprehendendi studio testor, sed veritatis patefaciendæ. Ciceronis locus est in Verrem de prætura vrbana, in quo interruptam Verris tabularum confectionem exagitat,

Audiuimus aliquem tabulas nunquam confeciſſe, quæ eſt opinio hominum de Antonio falſa, nam fecit diligentiſſimè. Verùm ſit hoc genus aliquod minimè probandum, &c.

In hunc locum Asconius ait, *Hic est M. Antonius ille dissolutissimus curator totius oræ maritimæ, Cretæ mortuus, de quo pòst dicet, quem Sallustius ait perdundæ pecuniæ genitum, & vacuum à curis nisi instantibus.* Hoc an aliquo auctore Asconius scripserit nescio, temerè certè, & si dicere licet, falsò scripsit. Neque enim Antonium illum maritimæ oræ curatorem Cicero intellegit, sed M. Antonium L. Crassi æqualem & familiarem, eumdemque summum oratorem significari voluit, quem ipse in libris De Oratore hac ipsa de re ita loquentem induxit: *Quasi verò non ea præcipiam alijs, quæ mihi ipsi desunt, sed tamen ne tabulas quidem conficerè existimor: verùm & in hoc ex re familiari mea, & in illo ex eo quod dico quantulumcumq. id est, quid faciam iudicari potest.* Errauit igitur in eius loci interpretatione Asconius, & vir in omni vetere historia diligentissimè versatus, parum hîc quidem aut vidisse, aut attendisse iudicandus est.

CAPVT VIII.

C. Sallustij ex oratione De Repub. ordinanda ad Cæsarem locus de opinione emendatus.

POST bella ciuilia dissupata Repub. & amissa libertate, cùm C. Cæsar sub perpetui Dictatoris titulo regnum occupasset, multi mox ad eum viri nobiles & eruditi rationem firmandæ pacis, & præcepta componendæ Reip. certatim scripserunt. Eorum scriptis duæ quædam orationes, ne ipsæ quidem integræ, ad nostram ætatem peruenerunt, quas Sallustio vulgò tribui video, & stilus certè atque ipsa scribendi ratio haut multùm repugnat. Mihi, cuius eæ sint, non satis liquere pronuntio,

nuntio, neque id anquiri est huius temporis: tantùm, quod institui, ex posteriore oratione inter multa menda locum vnum constituam, quo ille quicunque orationis huius auctor, cùm Pompeium ipsum, tum Pompeianarum partium duces adulatoriè potius, quàm verè apud Cæsarem insectatur.

Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus sicut instituto, præter nomen nihil est additamenti.

Illud, *Instituto*, nihil ad sententiam huc facere alij ante me aduerterunt. itaque sunt qui, *Instituo*, sunt qui, *Institui*, ex eo fecerunt. fœcundus videlicet est error. Mihi sententiam accuratiùs consideranti legendum videtur, *In quibus sicut in statua præter nomen nihil est additamenti.* Quo ad sententiam nihil potest cogitari melius, & quod pænè asseuerem hoc loco auctoris germanum verbum esse. Acerbè enim ignauos & inertes nobiles, in quorũ dissoluta vita nullę vires aut nerui insunt, statuis esse similes ait, in quibus præter formam & magnificum nomẽ nihil inuenias.

CAPVT IX.

M. Varronis locus Bimarco Satyra apud Nonium emendatus, & de ipso titulo Satyræ quæsitum.

VARRONIS locus apud Nonium Marcellum Bimarco Satyra exstat, eleganti, &, vt scriptoris eius omnia, acuta sententia: sed ita miserè deprauatus, vt vatem aliquem aut diuinatorem esse oporteat eum, qui sententiam idoneam assecuturus sit.

Socius es hostibus, socius bellum ita geris, vt bella omnia domum asferas.

Cuius loci sententiam parua mutatione ita restitui posse opinor: *Sociis es hostis, cum sociis bellum ita geris, vt bella omnia domum auferas.* Quod in proconsules, prætores, eosque qui cum imperio prouinciis præerant, dictum à Varrone videtur, quorum auaritiam & proiectam cupiditatem tantam fuisse etiam Cicero alibi conqueritur, vt ciuitatibus copiosis & locupletibus propter diripiendi cupiditatem bellum sine caussa sæpe inferrent, & à socijs ipsis tabulas, signa, emblemata, corinthiaca, atque eiusmodi elegantiorum hominum delicias per vim & imperium auferrent. Facetè igitur Varro ait, eos non cum hostibus, sed cum sociis ipsis bellum gerere, atque ita bellum gerere, vt pulchra & bella omnia è prouinciis domum deportent. Ad titulum autem Satyræ quod attinet, nec ab aliis satis constanter aliquid scriptum est, ac ne ego quidem ipse certi aliquid afferam; coniecturam tamen meam non cælabo lectorem. *Bimargo*, quod in vulgatis est, vox nihili est, & quam ego præstare ausim non esse Varronis. In aliis libris, *Vimarco*, est, ex quo vidi, qui, *Bimarco* facerent, quasi Bis marco, tanquam Varro hic de nobilibus, & qui ad fastum multis prænominibus gaudeant, egerit. Quæ sententia quanquam auctoribus suis valdè placet, mihi ideo non probatur, quòd Varro, vt ex fragmentis apparet, tota hac Satyra non aliud quàm in delicatos ciborum exquisitores, & mensarum luxum sit inuectus; de nobilibus nec verbum

verbum fecerit. Quanquam quid in recensendis aliorum sententiis sim longus, in re dubia coniecturam meam proponam, vos ex contentione quid verisimilè dicatur, diiudicabitis. Puto igitur ex corrupta illa lectione, *Vimarco*, faciendum leuiter, *In Marco*, vt titulum Satyræ suæ Varro fecerit, Marcus. Addam caussam coniecturæ meæ. Vidi ex fragmentis, Varronem Satyram hanc, vt alias nonnullas, in personas tribuisse, more Dialogorum, atque in iis seipsum loquentem interposuisse. Itaque cùm in ea sermocinatione primas in dicendo partes Marcus Varro tenuerit, mirum non sit, eum Satyræ nomen suum, Marcus, dedisse, vt Cicero ab eadem caussa Lucullum, Hortensium, Brutum inscripsit. Ergo vt Cicero In Bruto, In Hortensio, à Grammaticis citatur, ita quotiens hanc Varronis Satyram significare aut nominare volunt, *In marco*, citant, quæ voces per errorem & neglegentiam postea coaluerunt, & ex iis, *Vimarco*, postea, *Bimarco*, factum est. Fragmentum autem vnde animaduerti, Varronem seipsum cum aliis in hac Satyra loquentem induxisse, hoc est, *Ebrius es Marce, Odyssiam enim Homeri ruminari incipis.* Quæ mihi verba videntur alterius personæ ad Varronem euagantem, & à proposito longiùs aberrantem. Hæc opinio mea est, quam tamen ego, vt poëta, nescio qui, ait, *Magis audiendam, quàm auscultandam censeo.*

CAPVT X.

Conatus loci cuiusdam apud Propertium emendandi.

PROPERTII versus sunt è libro primo,

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscia Roma moram?

Quem locum deprauatum esse, vel varietas ipsa & incõstantia lectionis, quæ ferè vitio comitari solet, indicio esse poterit. Est enim qui legat:

Quod faciat nobis Cynthia amore moram.

Sunt qui aliter, nec necesse est singulorum sententias à me commemorari. Ego autem vulgatam illam lectionem, *Conscia Roma moram*, etsi non veram, proximè tamen veritatem accedere existimo, ex eaque lego,

Quod faciat nobis conscia Roma notam.

Hac sententia, Quid tu inuide & obtrectator, inquit, non desinis me vt desidem & ignauum increpare, quòd Roma iam tota conscia amoribus nostris sit, & diuulgata nequitia mea in ore & sermone populi ac vulgi versetur? Falleris, neque verus est iste populi rumor, non fruor iam amplius amplexibus & consuetudine Cynthiæ, alium habet quicum delicias faciat, tantumque à me diuisa est, *Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.* Videtur autem hæc sententia mea valdè confirmari carmine quodam, quod infetius sequitur,

Qui modò felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.

Facere autem notam ita dixit, vt facere iniuriam, facere contumeliam, quod in Antonio frustra reprehendit Cicero. &, quod propius ad rem

Universidad de Deusto
Biblioteca

facit, vt facere multam, pro irrogare multam, Cato senex in Originibus dixit. Eiusdem etiam argumenti, & eiusdem sententiæ Elegiam scripsit, si memini, Ouidius.

CAPVT XI.

Valerij, & Macrobij de Diphilo Tragœdo error notatus.

QVOD Valerius Maximus, & Macrobius constanter tradiderunt, Diphilum Tragœdum ludis Apollinaribus ita petulanter in Cn. Pompeij Magni potentiam esse inuectum, vt directis & intentis in eum manibus versum hunc sæpius pronuntiaret:

Miseria nostra magnus est. Et hunc,

Virtutem istam veniet tempus cùm grauiter gemas.

Speciosa quidem, & iis, quos dixi, auctoribus nixa historia est, sed haut scio an satis vera. Nam egisse quidem ista petulanter Diphilum de Pompeio satis constat; ausum autem esse hominem histrionem intentis manibus in præsentem Pompeium ista dicere, non iam historia est, pace illorum dixerim; sed videlicet, quod Græci solent, ornamentum & additamentum historiæ. Quomodo enim in præsentem Pompeium Diphilus ista dixerit, cùm ex Cicerone obseruauerim, Pompeium, tum cùm hæc agerentur, Roma abfuisse, & Capuæ toto illo tempore egisse? Addit etiam Cicero, C. Cæsarem, cùm ludis interfuisset, & grauiter tam proteruam petulantiam tulisset, litteras hac de re Capuam ad Pompeium statim misisse. Qui si ludis ipse interfuit, nihil profectò attinuit ea de re litteras scribere. Sed verba mihi Ciceronis ponenda sunt, ex quibus & hoc quod dico, apertiùs intelligatur, & illorum error manifestior euadat. *Ludis Apollinaribus Diphilus Tragœdus in nostrum Pompeium petulanter est inuectus. Nostra miseria tu es magnus. millies coactus est dicere eadem. Virtutem istam, veniet tempus, cùm grauiter gemas. totius theatri clamore dixit, itémque cetera. Si neque mores, neque leges cogunt, & cetera magno cum fremitu & clamore sunt dicta. Cæsar cùm venisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus, huic ita plausum est, vt salua Rep. Pompeio plaudi solebat. Tulit Cæsar grauiter. Litteræ Capuam ad Pompeium volare dicebantur.* Hæc Cicero. cui, vt qui rei præsenti interfuit, si dignum est credere, erasse profectò illi putandi sunt, qui hæc tradiderunt, aut certè historiam speciosо & minimè necessario mendacio ornare voluisse. Nequis autem me falsum crimen istis putet impingere, subiungam ipsius Valerij verba: *Diphilus Tragœdus cùm Apollinaribus ludis inter actum ad eum versum venisset, in quo hæc sententia continetur, Miseria nostra magnus est, directis in Pompeium manibus pronunciauit, reuocatúsque aliquoties à populo sine vlla cunctatione nimiæ illum & intolerabilis potentiæ reum gestu perseueranter egit.* His similia Macrobius.

CAPVT

CAPVT XII.

M. Ciceronis locus Oratione pro Marcello expressus de Isocrate.

QVOD Cicero pro M. Marcello ad Cæsarem dicens, eleganter scriptum reliquit, multò præclarius esse, animum quàm aduersarium vincere, & clementiæ laude, quàm armis & bellicis rebus excellere, quòd illa quidem vnius propria & certa gloria sit, in his magnam laudis partem militum virtus & fortuna decerpant. Idem ante eum ornatissimus scriptor Isocrates dixit, quem cùm ille multis repugnantibus vnicè semper amarit & defenderit, facilè equidem credo, Ciceronem cùm hæc scriberet, ad quendam Isocratis locum respexisse, & in eo imitando curam cogitationemque defixisse. Quod, quò clariùs appareat, vtriusque verba subiungam, quæ quàm inter se gemina & similia sint, ex contentione iudicabitis. Isocrates Epistola quadam ad Philippum Regem: πολὺ γὰρ καλλιόν ἐστι τὰς εὐνοίας τὰς τῶν πόλεων αἱρεῖν, ἢ τὰ τείχη. τὰ μὲν γὰρ ἐ μόνον ἔχει φθόνον ἀλλὰ κ᾽ τῶν τοιούτων τὴν αἰτίαν τοῖς στρατοπέδοις ἀνατιθέασιν. ἢν δὲ τὰς οἰκειότητας κ᾽ τὰς εὐνοίας κτήσασθ᾽ δυνηθῇς, ἅπαντες τὴν σὴν διανοίαν ἐπαινέσουσι. Ciceronis autem loco quid potest esse similius? *Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, eásque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint imperatorum: & certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum iuuant; maximam verò partem fortuna sibi vindicat, & quicquid est prosperè gestum, id pænè omne ducit suum. At verò huius gloriæ C. Cæsar, quam es paullo antè adeptus, socium habes neminem, &c.*

CAPVT XIII.

M. Catonis Censorij locus apud Agellium emendatus.

M. CATONEM Censorium moribus & doctrina præstantem virum Orationes multas scriptas reliquisse, Cicero & Grammatici veteres testantur, in quibus quanquam insignem illum orationis nitorem desideres, tamen hominem intellegentem & amantem antiquitatis sermonis elegantia, sententiarum acumen, & ornatus quidam neglegens mirificè delectet. Scripsit autem inter alias, Agellio teste, Orationem *De Dote*, in qua, vt apparet, etiam aliqua de viri imperio in vxorem dixit. Ex ea hoc affert:

Vir cùm diuortium fecit mulieri, iudex pro censore est, imperium quod videtur habet, si quid peruersè tetréque factum est à muliere, multatur, si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur. In adulterio vxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio impunè necares, illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque tus est.

In his verbis cùm sententiam dignam inquisitione subesse viderem, quæ tamen propter loci deprauationem difficile intelligi possit, conatus

sum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſum ſine librorum auctoritate ita emendare, *Vir niſi cùm deuortium fecit, mulieri iudex & pro cenſore eſt, imperium quod videtur habet.* Sententia plana, vt ſit, Virum quamdiu cum vxore eſt, quoduis imperium & omne ius habere in vxorem, & cùm in virorum mores aut cenſor, aut iudex inquirat, mulieribus contrà ſolum maritum & iudicem eſſe, & cenſorem. Vocem autem, *niſi*, de meo addidiſſe me fateor, quæ, ſi ita appellanda eſt, temeritas mihi ipſi diſpliceret, niſi ea voce addita illa ſententiæ concinnitas efficeretur quam videtis; & remota, aperti mendacij vir grauis Cato nobis ſit inſimulandus. Quid enim minus verum, quàm id quod ex vulgata lectione efficitur, virum cùm deuortium fecerit, imperium habere in vxorem? cùm iam & maritus eſſe deſierit, & omne imperium in eum, cui poſterius illa nupta fuerit, ſit tralatum. Quod autem in extrema periodo legitur, *Illa te, ſi adulterares, digito non auderet contingere*, admonuit me P. Carrion, homo cùm mihi amiciſſimus, tum in his litteris noſtris acerrimo ingenio, doctrina, iudicio, in Buſlidiano vetuſto codice ſcriptum exſtare, *Illa te ſi adulterares, ſiue tua adulteria audiret.* Copioſius certè & plenius quàm in vulgatis, ſed neſcio an melius, neque auſim affirmare illa Catonis germana eſſe verba; veſtri iudicij ea res ſit.

CAPVT XIV.

Potiſſum antiquum verbum in Lucilio, Ennio, Lucretio reſtitutum.

ANTIQVIORA quædam verba & pænè obſoleta in Lucretio, Ennio, aliisque vetuſtioribus inuenire eſt ab vſu ſanè noſtro & ſermone remota, ſed in veterum tamen ſcriptis antiquitatis reuerentia diligenter retinenda & religiosè conſeruanda. Cuius generis eſt id quod nunc afferam. *Poſſum*, quod nos dicimus, veteres, *Potiſſum*, videntur vera & germana origine dixiſſe, ex eaque declinatione, *Potiſsit, Potiſſent, Potiſſe*, aliaque inflexiſſe. Res eſt oſtendenda exemplis. Lucillius in Satyris;

Nam ſi quod ſatis eſt homini, id ſatis eſſe potiſſet,
Hoc ſat erat: nunc cùm hoc non eſt, qui credimu' porro
Diuitias vllas animum mi explere potiſſe?

Ita verſus iſtos legendos & interpungendos exiſtimo, quorum ſententia, quia vel acutior eſt, vel obſcurior, conabor eos vetuſtiſſimi & elegantiſſimi poëtæ cauſſa breuiter & ἐν παρόδῳ explicare. Si, inquit, id quod homini ſatis eſt, poſſet eſſe ſatis, id eſt, ſi eo quod humanæ naturæ ſuſtentandæ reipſa ſufficit, humana libido eſſet contenta; hoc iam ſatis erat, neque amplius aliquid eſſet quærēdum: cùm autē animi cupiditas ita ſe effudit, vt eos terminos quos naturæ neceſſitas dedit, egrediatur; ne iam credamus, vllam vim diuitiarum, aut abundantiam eius effrenatæ libidini poſſe ſufficere. Luſit autem Lucillius in varia ſignificatione eius orationis, qua *Satis eſſe* aliquid dicimus & id quod reipſa ſufficit, & quo contenti ſumus. Idem auctor hoc verbum ſæpius vſurpat, veluti,

Quid

Quid dare, quid ſumpti facere ac præbere potiſſet. Et,
Munū' tamen fungi & muros ſeruare potiſſent.

Manifeſtè quidem his locis, *Potiſſet*, pro *Poſſet*, *Potiſſe*, pro *Poſſe*, vſurpauit. Nec tamen defuit qui vbique apud Lucillium, *Potuiſſet*, & *Potuiſſent*, legendum audacter confirmaret. Ita videlicet in veterum ſcriptis plerique ſine religione verſamur. Eodem verbo iterum vſus eſt Lucillius.

Omnibus in rebus fiunt, fieríque potiſſunt.

Et Ennius,

Spero ſi ſperes quicquam prodeſſe potiſſunt.

Et amans antiquitatis Catullus,

Cur non diuitiis Cræſum ſuperare potiſsit?

Atque alibi ſæpius. quibus tamen locis omnibus verbum hoc de veteri poſſeſſione deiectum eſt, & in eius locum *Potis ſit*, *Potis ſunt*, ſeiunctæ duæ voces ſubſtitutæ. Quod, quid querar imperitorum temeritate factum eſſe, cùm eruditis & in antiquitate verſatis viris hoc ipſum videam probari? A quibus tamen libenter quæram, quid in, *Potiſſe*, facturi ſint, quo huius verbi infinitiuo Lucretius, Terentius, atque optimi ſcriptores vſi inueniuntur? Lucretius,

Quod ſi fortè vlla credunt ratione potiſſe. Et,
Neue putes æterna penes reſidere potiſſe.

Et Terentius bonus auctor Latinitatis,

At pol ego amatores audieram mulierum eos eſſe maxumos,
Sed nihil potiſſe.

Quo tamen poſtremo loco cùm Priſcianus apertè, *Poteſſe*, legat, venit mihi in mentem dubitare, an'ne etiam *Poteſſe*, *Poteſſent*, vbique apud Lucillium, & alios ſit reponendum. Suſpicionis meę ea ratio eſt, quòd cùm id verbum ex *Potis*, & *Sum*, veteres conglutinauerint, videantur etiam in eo inflectendo vocis, *Sum*, declinationem ſeruare voluiſſe; & cùm nimis longum videretur, *Potiſeſſet*, dicere, aut *Potiſeſſe*; & *Poteſſet*, & *Poteſſe* dixiſſe. Atque, vt hoc addam, antiquiores ferè omnes neſcio quomodo in hoc verbo variè inflectendo ſibi quodam modo indulſerunt. *Poteſtur* non tantùm Ennius, Lucretius, Pacuuius, licet enim aliquid poëtis, ſed & Varro noſter dixit, *Poſſitur*, etiam, vt opinor, in hiſtoriis Siſenna.

CAPVT XV.

De Ciceronis loco epiſtolis ad Atticum coniectura.

EGO *niſi Bibulus qui dum vnus hoſpes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit quàm domo ſua, anniteretur de triumpho, aquo animo eſſem: nunc verò αἰσχρὸν ψιωπᾶν.*

Mendum tam inſigne & tam vetuſtum obſediſſe hunc locum, cùm tot eruditi viri in hos libros ſcripſerint, valdè equidem miror. Nam cuius aures & ſenſus in legendo ita peregrinantur, qui ſi paullum modò attenderit, non facilè videat illud, *Hoſpes*, huic ſententiæ minimè conuenire? eiuſque loco, *Hoſtis*, eſſe ſubſtituendum? poſtulante ita apertè &

Universidad de Deusto
Biblioteca

sententia, atque adeò Cicerone ipso tantùm non clamante ita esse legendum? *De triumpho autem nulla me cupiditas vnquam tenuit ante Bibuli impudentissimas litteras, quas amplissima supplicatio est consecuta. A quo si ea gesta essent quæ scribit, gauderem, & honori fauerem: nunc eum qui quoad hostis cis Euphratem fuerit, pedem porta non extulerit, honore augeri, me idem non assequi, dedecus est nostrum, nostrum inquam, te coniungens.* Hoc autem Cicero dicit, Nisi Bibulus homo ignauissimus triumphum postularet, qui tamen ita timidè in bello isto Parthorũ se gessit, vt quandiu hostes in Syria prouincia eius essent, pedem ausus non fuerit porta & castris efferre; sed velut olim cùm Consul esset, domo se & parietibus, ita nunc vrbis se & castrorum præsidiis defenderit; ne ego quidem magnoperè laborarem de triumpho: quem tamen si in summa ignauia Bibulus assequitur, turpe sit me tantis rebus gestis idem non assequi. Quod autem dixit, *Qui dum vnus hostis in Syria fuit,* vnum hostem ad augendam rem & oratoriè videlicet dixit. Atque hanc emendationem meam vel verbo posuisse satis erat, nisi certorum hominum tanta esset vel in diiudicandis erroribus insciția, vel in fouendis pertinacia, vt ne rei quidem certæ nisi rationibus & argumentis allatis assentiantur.

CAPVT XVI.

Sex. Propertium tres modò libros Elegiarum scripsisse videri.

SENTENTIAM suam sine asseueratione dubitantem proposuisse, nunquam cuiquam fraudi fuit, neque mihi, vt opinor, hoc loco apud vos erit. Interponam enim in re dubia iudicium quoddam meum, quod neque vos probare omnino velim, neque mihi ipse adhuc satis probaui. Propertium quatuor libros Elegiarum scripsisse, res & in vulgus nota est, & librorum omnium titulis testata. Ac fieri quidem potest, vt vera sit vulgata opinio; mihi tamen persuaderi difficulter potest, Propertium si quatuor Elegiarum libros scripsisset, tam temerarium & inconsultum de librorum suorum numero testimonium in posteritatem relicturum fuisse.

Sat sit magna, mei si tres sint, pompa libelli,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.

Quid enim est, quod studiosè de tribus libellis testatum relinquere voluit, si quatuor eiusdem argumenti conscripsit? An hoc aut temerè à diligentissimo poëta scriptum videri potest? aut, quod alij comminiscuntur, Propertius cùm hæc scriberet, tres tantùm libros componere destinarat? Nugæ istæ sunt, & vt Plautus loquitur, gerræ gerræ. Quid ergo est? Ego Propertium tres duntaxat libros Elegiarum scripsisse, vel ipsius testimonio fretus audaciter confirmo. Quid igitur? Quartum illum librum Propertij esse nego? Minimè; sed eum vti argumento, ita & ordine à tribus illis prioribus seiungi volo. Nam cùm Propertius tribus libris Amores suos eleganter descripsisset, quartum illum quem isti faciunt, in quo non de Amoribus, sed de Vrbis antiquitatibus, de Augusti laudibus,

laudibus, & alia quædam grandiora caneret, nolsuit in dispar imateria cum prioribus illis coniungere, sed proprium ei & suum locum tribuere, eumque fortasse, *Monobiblion*, seu, librum singularem, quod eius argumenti solum illum composuisset, inscripsit. Cuius rei magnum argumentum mihi dat superior ætas, tum cùm hæc libido corrigendi quidlibet, ac pro arbitratu mutandi nondum increbuisset. Beroaldus enim testatur, & ipse in quorundam scriptis vidi, libros hos Propertij ad suam vsque ætatem in fronte titulum hunc prætulisse, PROPERTII MONOBIBLION, Falsa inscriptione quis negat? sed ex qua tamen oppressa diudum veritas elucescat. Nam titulus videlicet iste, qui postremo libro, quem isti quartum faciunt, debebatur, eique præfigendus erat, is à nescio quibus ineptis & neglegentibus hominibus proprio loco motus ad prioreis libros tralatus est, iisque multos annos mansit præfixus, quem ego nunc iterum rectè, vt existimo, in veterem sedem restitui. Fieri igitur commodè potest atq; etiam debet, vt Propertij testimonium verum fuisse existimemus, tresque tantùm libros Elegiarum faciamus, & quartum illum propria sua inscriptione contentum, ab alienis finibus repulsum, suis se terminis continere iubeamus. Hæc sententia mea est, quam tamen, vt antè dixi, non ita vt certam probari vobis volo, cùm assensionem in hac re adhuc ipse cohibuerim, & vt caussa dubia Romani iudices solent, amplius pronuntiandum censeam.

CAPVT XVII.

M. Terentij Varronis in Satyris locus purgatus, & de titulo Satyræ quæsitum.

M. VARRO in ea Satyra, cui titulum fecit, *Longè fugit qui suos fugit*, cùm, vt apparet, Stoicum illum sapientem, quem illi ab omni parte perfectum statuebant, & cui omnia tribuebant, iocans describere vellet, vsus est his verbis,

Solus rex, solus rhetor, solus formosus, fortis secus vel ad ædilicium modius purus putus; si ad hunc characterem Cleophantus conueniet, caue attigeris hominem.

Non commemorabo vt hunc locum nostrates quidam dum constituere volunt, amplius meo iudicio deprauauerint: seruabo solemne illud meum, vt sententiam meam, sine cuiusquam læsione aut iniuria iudiciis vestris subiiciam. Existimo igitur paucorum verborum mutatione locum hunc totum restitui, & sententiam commodam effici posse, vt lecum hunc totum restitui, & sententiam commodam effici posse, vt legamus, *Solus rex. s. r. s. f. fortis, securus vel ad ædilicium munus, purus putus, &c.* Cùm enim hunc Stoicum sapientem, fortem, & magno animi robore ostendere Varro vellet, non potuit id significantius, quàm quòd ait, cum securum fore etiamsi ad ædilicium munus, id est, ad bestias dandus sit. Neque enim paruis quibusdam rebus aut molestiis frangi huius viri debilitarique virtus poterit, qui etiamsi ad certam mortem certa tormenta, & ad bestiarum laniatum deducendus sit, securus ta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

men, & ad omnem casum prompto & parato animo futurus sit. Cùm autem ædiles populo munus exhiberent, solent damnatos alicuius criminis, aut seruos profugos bestiis crudelissimis cum telo obiicere, à quibus miseri homulli, ridente & plaudente in tam nefario spectaculo plebe, statim dilaniarentur & conficerentur. Quod siqui casus aut Deus è periculo illo eos eripuisset, aut ad proximum munus reseruabantur, aut egregio aliquo facinore edito soluti, statim iubente populo dimittebantur. Ait igitur Varro, illum sapientem tanta animi magnitudine futurum, vt non tantùm mortem contemnat, sed etiam ignominiosam & crudelissimam mortem pro nihilo putaturus sit. Vellem autem ex fragmentis huius Satyræ argumentum intellegere commodè possemus, facilior & certior nobis ratio esset de titulo ipso dicendi. Nunc verò cùm duo sola huius libri fragmenta iniuriæ temporum superfuerint, difficilis omnino vel de titulo ipso, vel de argumento diiudicatio est. Siquid tamen diuinando assequi possumus, videtur titulus hic olim prouerbij & vulgati alicuius dicti locum habuisse, & sententiam aut hanc aut similem continuisse, *Longè fugit, qui suos fugit.* Id est, Longè fugiat oportet, qui suos & genus humanum fugere possit: quocunque enim te contuleris, semper tui similes, tuæ cognationis, id est, homines inuenturus es. Quanquam mihi aliquando visum fuit, cõmodiorem & acutiorem sententiam effici, si legamus, *Longè fugit qui se fugit.* Videlicet vt hoc Varro dicat, errare eos qui cũra aliqua aut grauiori sollicitudine oppressi patriam & locum mutant, idque remedium curarum arbitrentur, cùm quocunque fugias, teipsum fugere non possis, & vbique terrarum animum tuum & anxiam mentem tecum portes. In quam sententiam videtur illud Horatij dictum,

——— *quid terras alio calentes*
Sole mutamus? patriæ quis exsul
Se quoque fugit?

Quod autem superius me fugit scribere, ita etiam Horatius sapientem Stoicum descripsit, quomodo hîc noster Varro,

Ad summam, sapiens vno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

CAPVT XVIII.

M. Ciceronis locus Oratione in L. Pisonem correctus & explicatus.

EXSTAT Ciceronis oratio in Senatu dicta in L. Calpurnium Pisonem, hominem reipsa nequam & insignitè improbum, sed vitia sua simulatione & fronte artificiosè tegentem. Cuius Consulis, triennio antè, proditione, & scelere cùm magna ex parte in exsilium Cicero missus esset, vt vicissim tam insignem iniuriam puniretur, vehementi & acerba ista oratione redeuntem eum è prouincia frequenti Senatu insectatus est. In ea autem oratione inter alia locus quidam est, qui mihi

mihi de mendo suspectus diudum fuit, quem nunc proponam, & fortasse etiam corrigam; tentabo quidem certè.

Tu tantis nationibus subactis, tantis rebus gestis, minimè fructum laborum tuorum, præmia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti, neque verò contemsisti licet Themista sapientior, sed os tuum ferreum Senatus conuicio verberari noluisti.

Fateor me in huius loci vera lectione germanaque sententia indaganda longiorem cogitationem insumpsisse, quam tamen diu quæsitam, nisi mihi ipse blandior, inuenisse aliquando videor. Primùm, locum quà malè habet, constituam, tum interpretationem meam adhibebo: *Neque verò contemsisti, licet Themi sis sapientior, sed os tuum ferreum Senatus conuicio verberari noluisti.* Ex qua lectione concinna & optima sententia efficitur. Nam cùm Cicero L. Pisoni obiecisset, quod solus ipse adhuc proconsul inuentus esset, qui ex Macedonia prouincia triumphum non deportasset, idque ille homo videlicet sapiens ita excusaret, vt negaret se triumphi & popularis illius plausus cupidum fuisse: multis verbis Cicero & longa disputatione hunc ignauiæ eius prætextum confutat, aitque, eum non tam ieiuno & angusto animo fuisse, qui triumphum & honoris insignia contemneret; sed cùm res eas & ea scelera in prouinciæ administratione perpetrasset, quæ non triumphi honore decoranda, sed legum pœnis vindicanda essent, sapienter eum fecisse qui triumphi cogitationem abiecisset, quem si maximè petisset, facilè intelligebat, omnium conuicio sibi iri negatum. Atque hæc loci totius breuis sententia est, nunc videamus correctionem meam. *Themi sis*, pro illo, *Themista*, verbo nihili reposui; aptè, an ineptè, vestrum iudicium esto. Themin enim veteres, ait Festus, deam putabant, quæ doceret petere id quod fas esset, & quod liceret. Itaque valdè facetè & acutè hoc loco iocatur Cicero, Pisonem, qui triumphum scelerum suorum conscientia ab irato Senatu petere ausus non erat, ipsa Themi sapientiorem fuisse dicit, & longè melius prouidisse quid expediret sibi petere, aut non petere, quàm dea illa ipsa, quæ mentem hominibus dat iusta & æqua petendi, suadere potuisset. Acutè enim omnino L. Piso, quoniam triumphum neq; meruisset, & si maximè meruisset, repulsam tamen à Senatu accepturum se certò prouidebat, omnino petere triumphum destitit, vt videretur eum potius consequi noluisse, quàm non potuisse. Atq. hanc sententiam meam spero vos equidem comprobaturos, si locum totum attentius adhibita in consilium ratione cõsideraueritis.

CAPVT XIX.

Propertium errorem Herculis, & scelus Polymnestoris pro ipso Hercule, & Polymnestore dixisse.

VT Horatius virtutem Catonis pro ipso Catone dixit, ita Propertius noster diligens & ipse imitator Græcorum, errorem Herculis pro ipso Hercule versu illo dixisse videtur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleuerat Ascanio.

Et libro tertio scelus Polymnestoris pro ipso Polymnestore apertè dixit:

Te scelus, accepto, Thracis Polymnestoris, auro,
Nutrit in hospitio non Polydore pio.

Qui locus non intellectus quibusdam eius corrumpendi occasionem dedit. Ex hac autem ratione videtur etiam illud Ciceronis pro Muræna dictum, *Illa pestis immanis, importuna Catilinæ prorumpet.* Pestis Catilinæ, opinor, pro ipso Catilina dixit. Quem locum temerè & frustra viri quidam eruditi mutare conati sunt. Ità etiam idem Cicero libris De Oratore: *Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi morte extincta subita est.* Virtus, humanitas L. Crassi ipsum Crassum significant. Hæc tenuia sunt, fateor, & quæ eruditiorum caussa scribere nihil erat necesse, vt qui ea legentes facilè possint aduertere: rudioribus quidem certè rem gratam & vtilem me feciſſe spero.

CAPVT XX.

E Cicerone glossemata duo sublata.

MVLTA aliena & à Ciceronis elegantia nimium quantum abhorrentia in libros & scripta eius librariorum neglegentia irrepsisse, vtinam ne tam multis exemplis testatum esset. Egregia opera hac in parte nauata est à D. Lambino singulari viro, qui plurima in hoc genere menda feliciter & ingeniosè sustulit: sed videlicet non est vnius hominis aut ingenij vidisse omnia, & nulla in parte animi aciem inflexisse, nostræ quoq; & posterorum diligentiæ aliquid relictum est. Conaborigitur & ego duo quædam ex superfluis illis hominum semidoctorum interpretationibus nata menda tollere, & Ciceroni proprium sùum & pristinum nitorem reddere. Cicero in Verrem de prætura vrbana,

Hoc modo iste sibi & saluti suæ prospicere didicit, referendo in tabulas & priuatas & publicas quod gestum non esset, tollendo quod esset, & semper aliquid demendo, mutando, curando ne litura appareat, interpolando.

Hoc ego loco totum illud, *curando ne litura appareat*, glossema, & alienam hominis cuiuspiam nugatoris verbi, *Interpolando*, interpretationem esse suspicatus aliquando sum. Quod etsi sine vllo auctore ex orationis ipsius redundantia iudicassem, tamen gauisus sum postea, coniecturam hanc meam à veteri Grammatico Nonio Marcello comprobari, qui hunc locum, omissis superfluis iis verbis, ita citat. *Aliquid demendo, mutando, interpolando*, vt facilè apparear, aliena ea verba in Cicerone supereſſe & redundare. Ex hoc genere est etiam illud libro primo De Diuinatione, vbi Q. frater à Cicerone inducitur pro auguriorum & auspiciorum auctoritate disserens,

Qui quidem Romuli lituus [id est incuruum & leuiter à summo inflexum bacillum, quod ab eius litui quo canitur similitudine nomen inuenit] cùm esset situs in curia Saliorum, &c.

Dij boni, non enim possum quin exclamem: non animaduersum hoc tam insigne glossema hactenus à tot eruditis viris? non ab ipso Lambino? quid autem clarius? aut quis non videt omnia illa verba duabus lineis à me inclusa verbi, *Litui*, superfluam & non necessariam esse interpretationem? Nisi fortè credendum est, Q. Ciceronem statim atque litui mentio incidisset, M. Ciceronem hominem augurem quid lituus esset, studiosè docere voluisse, & vt maiorem gratiam initet, etiam vnde dictus esset curiosè ostendere, rem, non dicam Ciceroni, sed tum vulgo & pænè pueris notam. Sed his in rebus comprobandis cùm magis iudicio eruditi viri opus sit quàm rationibus, abstinebo plura dicere, tantùm locum vtrumque elegantioris iudicij hominibus considerandum delegabo.

CAPVT XXI.

Tibulli locus in Epigrammatis contra Turnebum explicatus.

TIBVLLVS elegans cumprimis Poëta, & in cuius puriſſimis scriptis natiua quædam & vernacula Latinæ linguæ mundicia relucet, de amoribus Sulpiciæ & Cerinthi Epigrammata quædam composuit valdè quidem & lepida & venusta. In iis carmen quoddam est conquerentis Sulpiciæ, quantum apparet de tralato amore Cerinthi in vilem aliquam nescio quam seruam & ancillam:

Sit tibi cura togæ potior, pressumque quasillo
Scortum quàm Serul filia Sulpicia.

Scortum quasillo pressum A. Turnebus magni ingenij & doctrinæ vir interpretatur scortum egenum, & se lanificio quæstu malè tolerans. Quod sanè mihi, si à tanto viro dissentire liberè licet, aliter videtur. Neque scortum quasillo pressum aliud hoc loco meo iudicio significat, quàm famulam & seruam, quibus inter seruilia opera illud erat præcipuum, vt lanam & pensum facerent. Tibullus idem alibi:

At circa grauibus pensis affixa puella,
Paullatim somno fessa remittit opus.

Atque id certè sententiam postulare videbit qui attentius consideraverit. Indignatur enim Sulpicia, sibi tam nobilis & illustris viri filiæ prælatam à Cerintho seruam & ancillam pressam quasillo, & herili penso affixam. Animaduerti autem, vt etiam id moneam, veteres solere, siquid ancillæ sequius fecissent, iis quasi pœnæ loco grauius onus pensi imponere, quod nisi ad præstitutum absoluerent, vapularent. Ex qua sententia est illud Propertij,

Et grauiora rependit iniquis pensa quasillis
Garrula de facie siqua locuta mea est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXII.

Ciceronem eadem ratione C. Verris edictum quoddam reprehendisse, qua ante eum Timocratis legem Demosthenes.

SEMEL in vita accusasse Cicero se gloriatur, & tamen accusationem eam vnam posse satisfacere imitationi eorum, qui ingenia sua potius ad perniciem improborum quàm salutem innocentium vellent conuertere, & verè gloriatur. Ita enim quidquid vel ad inimici odium, inuidiam, reprehensionem, vel ad reliquum artificium accusationis pertinet, quinque libris illis in Verrem complexus est, vt eos qui diligenter legerit, non magnoperè in eam rem plura scripta sit desideraturus. Est autem libro primo, quo prœturam Verris vrbanam, & edicta mercedi addicta exagitat, genus quoddam reprehensionis sanè acutum, sed quo ante eum Demosthenes etiam contra Timocratem vsus erat. Scripserat Verres edictum eiusmodi: *Qui ab A. Fulvio Q. Postumio Censoribus postue ea testamentum fecit, fecerit.* Addit Cicero, *Fecit, fecerit? quis vnquam edixit isto modo? quis vnquam eius rei fraudem aut periculum proposuit edicto, quæ neque post edictum, neque ante edictum prouideri potuit?* Et item post aliqua, *In lege Voconia non est, fecit fecerit, neque in vlla præteritum tempus reprehenditur, nisi eius rei quæ sua sponte scelerata ac nefaria est. Ac si hoc iuris non vnius caussa hominis edixisses, cautius composuisses.* Hæc Cicero: Demosthenes autem cùm Timocratis legem multis rationibus reprehenderet, hanc adfert vt firmissimam, irritam eius legem esse debere, quod simul & præterita & præsentia complecteretur, neque vlla lex in præteritum regredi possit. Locum totum vel idcirco asscribam, quòd is huic Ciceronis ita similis est, vt valdè credibile sit, Ciceronem hæc vt alia multa sumpsisse à Demosthene: τούτῳ μὲν τῷ νόμῳ σκέψασθε ὡς ἐναντίος ἐστὶν ὃν ἔτος τέθηκεν. ὁ μέν γε καλύει τὸν γεγραμμένον χρόνον ἢ τὴν ἡμέραν ἀφ' ἧς ἂν τεθῇ, κυρίαν εἶναι. ὅδ' ἔγραψε, καὶ εἴ τινι προστετίμηται, περὶ τῶν παρεληλυθότων λέγων. Et postea sub finem eiusdem orationis. Σκοπεῖτ' ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ὁπόσους ἂν λέγῃ, εἴ τι δυνήσεται τοιοῦτον εἰπεῖν δι' ὃ διδάξει, ὡς ἔστι δίκαιον τὸν πιθέντα τὸν νόμον ταῦτα προστάξαι περὶ τῶν παρεληλυθότων, καὶ πρότερον τέλος ἐχκόπτων ποιεῖν, ἢ περὶ τῶν μελλόντων γενήσεσθαι. πάντων γὰρ ὄντων ἀίχρῶν καὶ δεινῶν τῶν γεγραμμένων ἐν τῷ νόμῳ τοῦτο δεινότατον, καὶ μάλιστα παράνομον γέγραπται. εἰ δὲ τοῦτο μήθ' ἕτος μήτ' ἄλλος μηδεὶς τούτων δυνήσεται δεῖξαι, εἰδέναι χρὴ καὶ συνιέναι σαφῶς φενακιζομένους ὑμᾶς. καὶ λογίσασθαι πρὸς ὑμᾶς αὐτούς, ἐκ τίνος ποτὲ ἐπῆλθε τούτῳ τοιαῦτα νομοθετεῖν. ὑπόπτους ὦ Τιμόκρατες. πόθεν; ὅδ' ὀλίγου δεῖ τὴν ἔθηκας τὸν νόμον. Quod autem statim in Demosthene sequitur, Οὔτε γὰρ οἰκεῖος, ἔτε συγγενὴς, ἔτε ἀναγκαῖος ἦν σοι τούτων οὐδείς. ὑπὲρ δ' ἐκείνου ἂν ἔχοις εἰπεῖν, ὡς ἐλεήσας δεινὰ πάσχοντας ἀνθρώπους, εἶλε διὰ ταῦτα βοηθεῖν αὐτοῖς. Imitatus hoc æquè Cicero de suppliciis in Verrem videtur: *Nulla tibi, Quintile, cum isto cognatio est, nulla necessitudo, quibus excusationibus antea nimium in aliquo iudicio studium tuum defendere solebas, &c.*

CAPVT

CAPVT XXIII.

In Varrone & Cicerone Græcæ voces duæ restitutæ.

IN Satyris suis M. Varro consectatione quadam elegantiæ, Græcas quasdà vel dictiones vel sententias, sæpius immiscuit. quæ res ei apud imperitos & Græcæ linguæ rudes librarios maximè fuit fraudi, qui ea plerunque vel omiserunt, vel in aliud aliquod verbum turpissimè deprauauerunt. Ex quo genere est locus iste è Satyra περὶ αἱρέσεων.

Porrò inde ab vnoquoque compito ternæ viæ oriuntur, è quibus singulæ extumæ exitum ad cælos habent proprium. A primo compito dextram viam munit Epicurus.

Locus hic exstat apud Nonium Marcellum, in quem cùm diligentius aliquando intuerer, neque mihi illud, *exitum habent ad cælos*, satis omnino probaretur, suspicatus sum ex vestigiis scripturæ, Varronem hic Græca voce esse vsum, atque ita scripsisse, *Exitum habent ac telos proprium.* ex eo autè τέλος, quod finem Græcis valet, librarios, *ad cælos*, feciisse. Quam diuinationem meam cùm non reiicerem, neque tamen omnino probarem, incidi tamen in duos antiquissimos Prisciani libros, quorum alter cum vulgatis consentiebat, alter manifestè Latinis litteris hanc scripturam referebat, *ac telos.* Nihil autem potest ad sententiam loci istius Varronis melius cogitari hac scriptura aut accommodatius. Nam cùm hac Satyra Varro de variis sectis & opinionibus dissidentium philosophorum egerit, enumerare videtur hoc fragmento voluisse, quæ & quàm diuersæ sententiæ essent de fine bonorum apud philosophos, quod Græci illi Τέλος appellant. Vt autem hîc Varronis vox Græca in Latinam degenerauit, ita simili errore apud Ciceronem in Epistolis ad Atticum video librariis placuisse, vt vox item Græca propria eius loci, alienæ & aduentitiæ concederet, quam homines liberales de suo substituerunt. Locus quem dico, est libro XII. Epistola cuius initium, De Cœlio vide quæso.

Te istam tam tenuem θεωρίαν tam valdè admiratum esse gaudeo, etsi tua quidem sunt eiusmodi omnia. Scire enim vis quo vno animus maximè alitur? Sed quæso, quid ex ista acuta & graui refertur ad τέλος?

In quibus postremis verbis vitium mihi esse videtur, & pro illo, *& graui*, ἐγγράφῃ, vox Græca reponenda esse. Nam illud quidem, *ex ista acuta & graui*, sine addito alio nomine, neque Ciceroni familiare est, neque auribus meis satisfacit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVSTI LIPSI VARIARVM LECTIONVM LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Tibulli versus lib. III. *à multis tentati, explicati.*

HAEC tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra,
Mittit, & accipias munera parua rogat.
Teq; suis iurat caram magis esse medullis,
Siue sibi coniunx, siue futura soror:
Sed potius coniunx. huius spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

Versus hi quàm multorum ingenia frustra exercuerint, & quidem summorum virorum, longum sit dicere. M. Antonius Muretus vir cumprimis eruditus, & qui in his litteris nostris meo iudicio familiam ducit, cùm multa huius poëtæ obscura loca elegantissimo Commentario illustrasset, veruntamen ad hos versus cùm veniisset, libenter fassus est, vt est homo non minus ingenuus quàm eruditus, se in tantis tenebris idoneam aliquam lucem non dispicere; coniicere se tamen, Tibullum & Neæram ad quam hæc scribuntur, fortassis fratrum aut sororũ liberos fuisse, inter quos cùm more Romano nuptiæ constarent, hanc Neæram aliquando Tibullo fuisse matrimonio iunctam, ac posteà inter eos, incertum quibus de caussis, dœuortium exstitisse, nuptiasq; esse solutas. Ideoque in hanc sententiam Tibullum scribere,

Hæc tibi vir quondam, nunc frater.

Id est, hæc munera tibi Neæra à Tibullo tuo mittuntur, aliquando marito tuo, nunc amisso viri nomine tantùm fratre. Quam ego coniecturam vt leuem & nulla ratione nixam parum dignam elegantissimo Mureti ingenio iudico; tum etiam non satis idoneam in qua refutanda superuacuus labor mihi insumendus sit. Statius autem Achilles homo Lusitanus, vir magni ingenij, multæque lectionis in Commentariis suis in Catullũ existimare se scripsit, hæc sororis & fratris nomina de casto quodam & integro amore à Tibullo prolata, vt Catullus ad Lesbiam scripsit,

Dilexi tum te, non tantùm vt vulgus amicam,
Sed pater vt gnatos diligit & generos.

Vt Tibullus dicat, Hæc tibi Neæra mittuntur ab eo qui aliquando vir tuus

tuus vulgari quodam amore te amauit, nunc autem ita castè diligit te & integrè, vt frater sororem. Quid commemorem alios? qui his etiam ineptiora commenti sunt. nos sententiam nostram proponamus. Priusquam autem de versibus ipsis dicam, illud mihi primùm ostendendum est, veteres solere longè aliter Fratris & Sororis nomine vti, quàm vulgò hodie ea nomina sonant. Fratres enim puellæ blandientes vocabant interdum amatores suos, & eos quibuscum consueuerant, vt contrà adolescentuli amicas suas, eásque quibuscum caput aliquando collimarent, vt Plautus loquitur, Sorores blandè appellabant. Docet hoc apertè vnus Martialis ad Ammianum, hac quidem in re satis idoneus auctor,

O quàm blandus es Ammiane matri!
Quàm blanda est tibi mater, Ammiane?
Fratrem te vocat, & soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt,
Lusum creditis hoc iocumq;? non est.
Mater quæ cupit esse se sororem,
Nec matrem iuuat esse nec sororem.

Quo Epigrammate satis facetè Martialis Ammianum quendam incesti cum matre arguit, quam ille, vt amatores solent, Sororem, & illa vicissim eum fratrem, quæ nequitiæ nomina sunt, vocabat. Et vt Martialem breuiter explicem, Putatísne, inquit, id iocum esse aut lusum? minimè. nam mater, quæ se sororẽ appellari cupit, & amicæ nomine vocari gaudet, ea certè vt liberiùs amoribus suis indulgere possit, neque mater neque vera soror esse optarit. In eandem sententiam videtur etiam Propertius noster scripsisse illud libro secundo ad Cynthiam,

Cùm tibi nec frater, nec sit tibi filius vllus,
Frater ego tibi sim, filius vnus ego.

Atque ita hoc loco apertè Tibullus his nominibus vsus est. Cuius rei ignoratio facilem ceteroqui locum obscurauit. cuius ego sententiam breuiter & dilucidè nunc proponam,

Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra,
Mittit, & accipias munera parua rogat.
Teq; suis iurat caram magis esse medullis,
Siue sibi coniunx, siue futura soror.
Sed potius coniunx. huius spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

Id est, Hæc tibi parua à me munera mittuntur, Neæra, à me, inquam, qui vt spero, aliquando vir & coniunx legitimis nuptiis tibi futurus sum, nunc autem duntaxat frater, id est, amator & concubinus sum, atque ita tibi persuadeas, te mihi semper fore carissimam, siue soror mihi, siue quod malo, vxor futura sis. Sed tamen, inquit, magis coniugem te mihi opto, cuius nominis spem sola mors eripere mihi poterit. Atque hæc breuis horum versuum sententia est, cuius quidem tam aperta bonitas est, vt neminem tam præcipitè à vero, aut tam peruerso iudicio esse existimem, cui non ea prima statim fronte possit probari. Aduertendũ autem hoc loco illud, Quondam, non præteritum, sed futurum tempus de-

 signare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

signare, vt apud Virgilium,

---*quondam tua dicere facta* *Tempus erit.*

Eiq; primo versui, *Hæc tibi vir quondam, nunc frater*, ille sequens versus respondere, eumq; quasi interpretari existimandus est, *Siue sibi coniunx, siue futura soror.* Neque enim legitimo vnquam matrimonio iuncta fuit cum Tibullo Neæra, sed tantum de amore eius sperare se Tibullus profitetur, vt postea relictis aliis amatoribus, vni sibi adhæsura sit.

CAPVT II.

M. Terentij Varronis lib. IV. De Vita populi Romani locus partim emendatus, partim explicatus.

IN spem adducebat, non plus soluturos quàm vellent, iniquus equestri ordini iudicia tradidit, bicipitem ciuitatem fecit discordiarum ciuilium fontem. Cùm ad hunc mutilũ & deprauatum locum manum adhibere vellem, putaui me prius, si id possem, Varronis sententiam indagare debere, ac deinde secundùm eam emendationem meam accommodare. Itaque cùm obseruarem, Varronem hoc toto quarto libro non ferè aliud quàm de seditionibus, bellis ciuilibus, eorumque caussis & euentis dixisse, in eamque sententiam hic locus accipiendus omnino videretur: facilè existimaui, hunc locum de L. Sulla intellegendum esse, quem constat offensum plebi & equestri ordini ad Senatum iudiciorum auctoritatem transtulisse. quam rem hoc loco Varro, & Cicero alibi affirmant caussam alienationis & discordiæ perpetuæ equitum à Senatoribus fuisse. Atque hanc sententiam secutus, ausus sum locum eum ita emendare, *In spem adducebat non plus soluturos quàm vellent, & iniquus equestri ordini, Senatui iudicia tradidit, &c.* Quomodo autem verbum illud, *Senatui*, quòd ego apposui, & ad sententiam quidem omnino necessarium est, prætermissum sit, non habeo dicere; nisi quod coniicio, cùm veteres eiusmodi nomina breuius scribere vel tantùm indicare solerent, fortassis in Varronis libris scriptum fuisse, *Et iniquus equestri ordini Se. iudicia tradidit.* id est, Senatui. Quam notam cùm scriptor librarius quispiam indoctus & rudis non intellegeret, neglegenter eam fortassis omisit. Quod quàm frequenter euenerit, testificari mihi possunt ij qui in veterum librorum lectione aliquantum sunt versati.

CAPVT III.

Oratione prima Ciceronis in Catilinam in numero erratum videri.

IN numerorum notis & variè & sæpe optimis auctoribus describendis peccatum est. sed hoc quod nunc afferã non tantùm ad lectionis correctionem, sed etiam ad historiæ veritatem facit. Cicero in Catilinam, *Meministine me ante diem* XII. *K. Nouembrium dicere in Senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem* VIII. *K. Nouembriũ. C. Mallium*

lium audaciæ satellitem atque administrum tuæ? num me fefellit non modò res tanta, sed quod multò magis admirandum est, dies?

Hæc quidem Cicero in Senatu præsente Catilina dixit, quem vt ab amenti proposito & concepto facinore deterreret, ostendit nihil eum agere, nihil moliri, quod eius vigilantiam & in Republica custodienda diligentiam latere posset. Itaque cùm alia eius consilia omnia nota sibi esse, tum etiam multo antè prouidisse, & publicè in Senatu prædixisse diem & tempus, quo Mallius Satelles eius in Etruria cum improba illa coniuratorum manu in armis futurus esset. Sed profectò si hæc rectè leguntur, in die prædicenda valdè errauit Cicero, qui C. Mallium nefaria illa arma induisse contra Rempub. dixerit ante diem VIII. K. Nouemb. quem sanè ex Sallustio constat, non nisi ante diem VI. K. Nouembrium arma cepisse. Atque adeò ipsa Sallustij verba in hanc rem apponam, *Post paucos dies L. Seruius Senator in Senatu litteras recitauit, quas sibi Fessulis allatas dicebat, in quibus scriptum erat, C. Mallium arma cepisse ante diem* VI. *K. Nouembrium.* Nec verò falsus esse in dierum numero Cicero, aut à Sallustio hac in parte discrepare existimandus est; sed quod ex Prisciano obseruaui, ille ipse numerus, qui apud Sallustium exstat, etiam apud Ciceronem hoc loco reponendus est, atque ita hîc legendum, *fore in a. c. d. q. d. futurus esset ante diem* VI. *K. Nouemb.* Nam Priscianus duobus locis apertè Ciceronem primo Inuectiuarum nominans, ita enim veteres Grammatici has orationes vocabant, affert ex eo, *Ante diem sextum K. Nouembrium*, interpretaturque ante diem sextum, id est, in diem sextum. Atque hæc apud Priscianum non per numerorum notas, sed vti ego posui, plenè & ordine perscripta sunt. Vt mihi quidem caussa nulla dubitandi videatur, quin ex historiæ veritate, & ex Prisciani certa auctoritate locus hic, ita vti dixi, apud Ciceronem sit emendandus. Quòd autem apud Ciceronem hîc C. Mallium scripsi, non quomodo vulgati, C. Manlium, putaui me tutò hac in re & sine reprehensione librorum veterum consentientem auctoritatem sequi posse, in quibus constanter hoc nomen & apud Sallustium, & in his ipsis orationibus apud Ciceronem ita perscriptum exstat. Ego quidem vsus aliquando sum antiquissimo libro, qui asseruatur apud Gemblacenses, quem certa opinio est, & res ipsa docet, scriptum esse Sigisberti docti viri manu, qui in eo loco ante sexcentos plusminus annos claruit, in quo non aliter hoc nomen scriptum deprehendi.

CAPVT IV.

De Propertij loco libro primo coniectura quædam.

MEL & deliciæ meæ Propertius cùm Pontico illis temporibus nobili poëtæ excusare se vellet, quòd ingenium studiumq; omne ad Elegos & amatoria argumenta deiiceret, neque ad altiora assurgeret, ait tantã esse vim & imperium amoris, vt animũ semel captum nihil altum, nihil excelsum cogitare sinat. Quinetiam ipsum Ponticũ si, quod nolit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

amor perculerit, mox relicta & contemta illa heroici carminis sui grandiloquentia, ad ludicra atque amatoria reluctantem & inuitum descensurum. Inter cetera autem ait,

Te quoque si certo puer hic concusserit arcu
Quod nolim nostros euiolasse deos.
Longè castra tibi, longè miser agmina septem
Flebis in æterno surda iacere situ.

Quem secundum versum cùm corruptum esse constet, varij variè conati sunt emendare. Ego aliquando suspicatus sum, *eu voluisse*, legendum esse, ductus in eam suspicionem sententiæ ipsius vestigiis. Iuuante autem coniecturam meam, quod postea vidi, veteri Beroaldi codice, in quo esse, *Euoluisse*, testatur; non iam suspicatus sum, sed veritatem manifestam ita visus sum videre, quasi ea quæ oculis cernuntur. Erroris autem occasionem aliquam fortasse dederit illud, *Eu*, quod ego veteres nullo discrimine aliquando aspirasse, & non aspirasse, opinor; quanquã video mihi hac in re Grammaticorum quorundam auctoritatẽ opponi posse. Hac ipsa occasione in eodem poëta isto inferius peccatum fuerat,

Euolat è nostro quoniam de pectore nusquam.

Quod mendum cùm alios fugisset, Muretum, qua est ingenij acie, non fugit, eiusque loco, *Eu*, reposuit. Legendus igitur versus iste meo iudicio hoc modo,

Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros eu voluisse deos.

Hac sententia, si te quoque, Pontice, aliquando amor iste noster perculerit, quod equidem detestor, & nolim id deos nostros permisisse, tu quoque longè relicta illa carminis tui grandiloquentia, ad amatoria ista & elegos describendos conuertêris. Fortasse etiam eodem sensu commodè legi poterit,

Quod nolim, nostros, neu voluisse deos.

Deos autem Venerem & Cupidinem intellegit. Hanc coniecturam meam cùm ad L. Carrionem IC. eruditum hominem, & multis officiis mihi coniunctissimum retulissem, miratus est ille & gauisus vtrique nostrum eadem de re idem in mentem venisse: nam se quoque iam pridem idem de hoc loco in Aduersaria retulisse mihi confirmauit. Cuius doctissimi hominis iudicio gaudeo laudari coniecturam meam, & simul comprobari lectionis huius veritatem.

CAPVT V.

Indicatus Ciceronis locus in Verrem, quem à Demosthene mutuatus videtur.

CICERO cùm C. Verrem tam manifestis criminibus reum peregisset, vt omnis honesta defensio patronis eius præcisa esset, præter vulgatam illam & improbam defensionem fecisse alios: cõtra hoc genus non excusationis, sed potiùs confessionis vehementer & acerbè ista dixit, *Quid igitur dicet? fecisse alios? quid est hoc? vtrum crimini defensio, an cõmitatus exilio quæritur?* Et post pauca: *Vt enim assentiar orationi tuæ, defensionem tamen non probabo. potius enim te damnato ceteris angustior locus improbitatis defendendæ relinquetur, quàm te absoluto, alij, quod audacissimè fecerunt, rectè fecisse existimentur.*

Quæ quanquam more suo copiosius & vberius Cicero dixit; tamen certè omnino eiusmodi sunt, vt è Demosthenis oratione contra Aristocratem videantur ea desumta. In qua Demosthenes, cùm aduersarius hoc eodem genere defensionis vteretur, eadem illa ratione qua Cicero hanc excusationem arguit & confutauit: Ἔτι τοίνυν ἐμοί γε δοκεῖ, καὶ σφόδρα ἀναιδὴς εἶναι ὁ τοιοῦτος λόγος, ὡς γέγονε καὶ πρότερον τισὶν ἄλλοις τοιαῦτα ψηφίσματα. εἰ γὰρ εἴ τι πώποτε μὴ κατὰ νόμους ἐψράχθη, σὺ δὲ τοῦτ' ἐμιμήσω, διὰ τοῦτ' ἀποφεύγειν σοι προσήκει. ἀλλὰ τἐναντίον πολὺ μᾶλλον ἀλίσκεσθε διὰ ταῦτα. ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐπείνων ἔκλω, σὺ τάδ' οὐκ ἂν ἔγραψας. εἴτως ἂν σὺ νῦν ἀλῷς, ἄλλος ἐγράψει. Fortasse igitur fieri potest, vt vtrique idem in mentem venerit; vterque quidem certè idem dixit.

CAPVT VI.

De Terentij loco in Eunucho coniectura quædam.

Num solus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?

DE hoc loco quis non putauit sibi aliquid aut scribendum aut dicendum? me vnum reliquis loquẽtibus αἰχρὸν σιωπᾷν ait ille. Afferamus igitur & nos aliquid non omnino certum, sed mehercule tam verisimile tamen quàm illud Mureti, *Caluier*, aut aliorum, *Claudier*. Priscianus accuratè notat, veteres Claudo & Claudeo, pro Claudico vsurpasse. Quid igitur si, Claudo, antiquum istud verbum ea significatione in Terentio reponamus? & à vulgata librorum omnium auctoritate minimùm discedentes legamus? — *nuncubi meam*
Benignitatem sensisti in te claudere?

Claudere, claudicare, deficere interpretor, quomodo planè in eandem sententiam Cæcilius in Epiclero scripsit illud,

An vbi vos sitis, ibi consilium claudeat?

Consilium claudère pro deficere, ita dixit, vt fortasse Terentius Benignitatem claudere. Sicui autem Cæcilius minus idoneus auctor est, notat idẽ Priscianus, C. Sallustium etiam in historiis hoc verbo ita esse vsum; & Sallustij quidem exemplũ ipse affert, *Coniuratione claudit*. Obseruaui autem & ego apud Sallustium in oratione Marci tribunipl. hoc verbum eo modo quo Priscianus notat, vsurpari: *Itaq; verborum satis dictum est, neque enim ignorantia res claudit, sed occupauit nescio quæ vos torpedo*. Fieri igitur potest, vt hoc tam probo & antiquo verbo Terẽtius hoc loco vsus sit, eiusq; rei ignoratio versus hos hactenus deprauarit. Sed hanc coniecturã meam vt non reiicio, ita non antè probabo, quàm eam libri alicuius veteris auctoritate cõfirmari videro, quod sanè non omnino despero.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VII.

In Ciceronis Oratore ad Brutum locus auxilio veteris libri restitutus.

CICERONEM ego in his scriptis meis admiratione quadam diuini illius ingenij cõmotus, sæpius fortasse laudo quàm aut res postulet, aut apud eruditos necesse sit. sed hoc quidem loco meo iure quodãmodo facere mihi videor, si eum librum cum laude & honore commemorem, qui & vnus inter omneis excellet maximè, & quẽ Cicero ipse vbique laudandum & iudicij sui testimonio comprobandum putauit. Librum autem illũ optimum intellego, qui Orator ad M. Brutum inscribitur, in quo de perfecti illius & veri oratoris officio, quem nunquam viderat Antonius, summus ipse & perfectus orator disseruit. De cuius libri elegantia ita iudicare soleo, vt artifex ille Phidias in clypeum Mineruæ, ita Ciceronem nostrum quidquid haberet artis, ingenij, eloquentiæ, iudicij, in vnum hunc librũ contulisse. Ac vt inter orationes eius Miloniana illa nihil melius esse possit aut diuinius, sic inter libros & scripta nihil hoc vno, meo iudicio, cogitari potest accuratius aut perfectius. Quanquam quid meum iudiciũ dico? cùm videam Ciceronem ipsum tam præclarè & magnificè de hoc libro sensisse, vt alibi testatũ reliquerit, non recusare se quo minus quantum de huius libri laude, tantundem de iudicij & ingenij sui fama detrahatur. Equidem, quod ad me attinet, libenter profiteor, cùm in Ciceronis scriptis omnibus, nescio quàm vtiliter, sedulò quidẽ certè adhuc versor, nullum mihi tamen scriptum eius plus vel admirationis attulisse, vel voluptatis, addam etiam vtilitatis. Et fieri potest, vt hac in re affectus meus me fallat, nec tamen aliud aliquod scriptũ Ciceronis esse existimo, quod æquè vel ad iudicium, vel ad scribendi rationem conformandã possit conducere.. illud quidem expertus habeo affirmare, ad compositionis ornatum, ad verba aptè connectenda, & ad efficiendũ illum orationis quasi orbem, nihil hoc vno libro aptius esse & accommodatius. Quamobrem gratularer ego mihi, vt veniam ad id quod est huius instituti, si huic tam eleganti & erudito libro, & quem ego hactenus habui in deliciis, industria mea aliquid vel opis, vel lucis afferre possem. quod sanè conabor, & de loco quodam non opinionem meam, sed veteris cuiusdam libri, quo vsus sum, auctoritatem & lectionem proponam, quam ego non dubito quin vos præ vulgata illa valdè sitis approbaturi. Vulgati sic,

Facilè igitur hic noster, quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, vtetur aptis generatim, discet ex quo emanant etiã qui appellãtur cõmunes loci.

Qui locus & à lectione, & à distinctione hactenus malè habuit, & nunc à me auxilio eius libri, quem dixi, restituetur, in quo germana hæc & vera, vt opinor, Ciceronis lectio perspicuè exstat, *Facilè i. h. n. q. l. c. t. percurret omnis, vtetur aptis; generatim dicet; ex quo emanant etiam q. a. c. loci.* Qua lectione quid potest melius esse aut certius? Orator, inquit, percurret omneis locos, è quibus argumenta duci possint, nec tamen

tamen sine dilectu vtetur omnibus, sed duntaxat accommodatis ad caussam & aptis: generatim etiam aliquando & vniuersè de re dicet, & à propriis personis ac temporibus ad vniuersi generis tractationem orationem auocabit, ex quo fonte emanant & oriuntur communes illi qui appellantur loci. Sententia quidem ita non modò perspicua, sed etiam bona, vt nihil necesse sit, optimi libri auctoritatem pluribus verbis aut rationibus à me confirmari. Illud tantùm testificor, ficui fides mea dubia est, librum hunc, cuius testimonio in hanc rem vsus sum, hodieq; asseruari in publica bibliotheca gymnasij Louanienſis, cuius sæpius inspiciundi mihi copia à præfecto humaniter facta est.

CAPVT VIII.

Propertij carmen quoddam restitutum.

VBI sunt ij quibus hic totus corrigendi labor noster nugæ & ineptiæ videantur? negentq; in veterũ scriptis tanti interesse, hanc an illam lectionẽ seruemus? Quid? an non vnius dictionis, dictionis? imò syllabæ, imò litteræ deprauatio integram sæpe sententiam vel obscuram reddit, vel ineptam? negent si possunt, nisi fortè ne id quidem intereſt vt optimos auctores intellegamus. Non longè abiero, vocabo eos ad Propertium. Agite, versus istos quis vel sine risu, vel sine stomacho legerit?

Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco.
Pallados exstinctos siquis mirabitur ignes,
Ignoscat, lacrumis spargitur ara meis.

Quis est qui horum versuum ita vti leguntur, sententiam intellegere se profiteri audeat? aut quid est quod Propertius hoc loco Palladis ignes exstinctos dicit? De Vestæ sanè ignibus Propertium intellegendum esse, ex antecedentibus facilè video. Sed, obsecro, quid Palladi cũ Vesta? quis Græcorum vnquam vel Latinorum, cùm Vestam significare vellet, Pallada nominauit? aut quis de Palladis ignibus vel fando audiuit? Nam quod quidam, quibus quoduis flagitium in interpretando susceipere optatius est, quàm à vulgata corruptaq; lectione recedere, acutè comminiscuntur, Propertium hîc, si diis placet, ex sapientium opinione Palladem pro Vesta dixisse, qui deorum omnium diuersa nomina communia esse inter se volunt, & ad vnum eundemq; deum referri, & Vestam, Pallada, Dianam, Iunonem, nomina esse plura, rem vnam & eandẽ: eos ego valdè miror sibiipsis interpretationem tam ineptam probare vllo modo potuisse. Quis enim vnquam poëtæ concesserit, vt Venerem si quando nominaturus sit, Dianam pro ea dicat, quoniam scilicet ex sapientium sententia dij idem sint? Quanquam non defuit etiam alius, qui de Palladio Troiano, quod in Vestæ templo seruaretur, nescio quas meras nugas & ineptias scripserit, quas pudet & tædet me pluribus commemorare. Videte autem quàm parua res & quàm minutus error sit, qui frustra eruditos etiam homines hoc loco explicando exercuit. Nam pro eo quod,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pallados, libris omnibus legitur, mihi dubium non est, quin, *Pallidus*, pro eo reponendum sit, Propertiusq; ita scripserit,

Pallidus exstinctos siquis mirabitur igneis.

Vt Tarpeia dicat, hanc enim loquentem Propertius fecit, siquis pallidus & perculsus sacrosanctum Vestæ ignem exstinctum aspiciet, is ignoscat mihi, cùm eum non custodiæ neglegentia, sed fletu assiduo & lachrimarum flumine pænè obruerim. Plana & recta sententia, & in qua comprobanda non necesse habeo longiorem orationem expromere, quam videam cuilibet paullum modò humaniori, etiam me tacito, statim sua sponte iri probatum.

CAPVT IX.

M. Varronis Satyræ cuiusdam titulus explicatus, & locus emendatus.

DELECTATVS est ferè M. Varro in Satyrarum inscriptionibus acuta aliqua & nescio vnde ex abdito eruta sententia, quæ quanquam pleræque temporibus illis notæ & in vulgi ore fortasse fuerint, nobis tamen certè ita obscuræ sunt, vt in iis interpretandis viri sæpe eruditi neque initium neque exitum satis dispexerint. Quod siue lectionis frequenti deprauatione fieri putandum est, siue etiam ingenij nostri culpa accidat, vt nobis obscuriora videantur, quæ eruditis illis temporibus vel vulgo erant notissima, non facilè dixerim: illud quidem testor, non existimare me, rem vllam in litteris nostris maioris aut ingenij esse aut iudicij, quàm de Varronis librorum titulis sententiam suam interponere. Quod etsi ego mihi non tribuo, neque iudicio meo tantùm arrogo, vt id me commodè putem posse facere; obscurioris tamen cuiusdam inscriptionis sententiam diu à me quæsitam, & aliquando, ni fallor, inuentam proponam hoc loco, de qua viri eruditi iudicabunt, satisne commodè eam sim interpretatus. Titulum Satyræ cuidam Varro fecit, *Pransus paratus*, ex qua duo modò loca à Grammaticis citantur. Quem prouerbij loco vsurpatum fuisse prima fronte quilibet videat, in quam verò sententiam non quilibet, ac fortasse ne ego quidem, iudicium tamen meum proponam. Existimo igitur, veteres, cùm aliquem paratum ab omni parte & ad rem aliquam planè instructum ac intentum significare vellent, eum Pransum paratum vulgata quadam loquendi forma solitos esse dicere, eiusque prouerbij tralationē à militibus sumpsisse, qui pransi & curatis corporibus expediti ac parati ducebantur ad pugnam. Cuius rei testem videor habere idoneum M. Catonem Originum libro v.

Exercitum suum pransum paratum, cohortatum eduxit foras atque instruxit.

qui locus primus, fateor, lucem mihi prætulit ad illum Varronis titulum explicandum, in quo tamen, id vt peruiam moneam, legendum videtur, *cohortatim*, non *cohortatum*, id est, per cohortes. Varro etiam ipse in alia quadam Satyra apertè huius prouerbij hanc sententiam indicat,

Quare, ô Marce, pransum ac paratum esse hominem oportet, id est, paratum ad omnem casum & semper instructum esse hominē oportet. Ita enim lego

lego apud Nonium; vulgati corruptè referunt, *Quare, ô Marce, pransum ac paratum esset, hoc minimè oportet.* Est autem posterior locus hic Varronis è flexibulis? flexabulis? an flexitabulis? dicam nescio. nam mihi quidem, ingenuè fateor, hîc tenebræ sunt. Video quid nostrates quidam docti viri scripserint, quæ neque referenda mihi sunt, quia non probo; neque refellenda, quòd ipse magis idoneum aliquid afferre non possim. Vellem tam prompta & facilis veri inuentio esset, quàm falsi confutatio.

CAPVT X.

Ciceronis locus in Hortensio, qui videatur è Platone expressus.

EDIDIT Cicero dialogum quendam, quem Hortensium inscripsit, in quo cum philosophiam Hortensius, homo remotus ab eo studio, & in forensi semper strepitu versatus, accusasset, ipse contra eum dicens, philosophiæ studium summis & verissimis laudibus ornauit. Sed eius tam vtilis & elegantis libri fragmenta duntaxat quædam ad ætatem nostram peruenerunt, reliquis vel temporum iniuria, vel ipsa rerum confectrice vetustate consumptis. Inter cetera autem fragmentum quoddam exstat, in quo egregia & valdè apta similitudine Cicero ostēdit, non posse animum facilè ad illum summum & perfectum sapientiæ gradum peruenire, nisi prius eloquentiæ studis aliisque humanioribus litteris quasi præparatum atque imbutum. Verba eius sunt,

Vt ij qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam; sic litteris talibúsque doctrinis antè excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui, & præparari decet.

Quam tam egregiam comparationem videri potest Cicero ab illo summo dicendi & intellegendi magistro Platone accepisse, qui hac eadem similitudine Dialogo quarto De Iusto vsus est, Οὐκοῦν οἶδα, ἦν δ' ἐγὼ ὅτι οἱ βαφεῖς ἐπειδὰν βουληθῶσι βάψαι ἔρια, ὥςτ' εἶναι ἁλουργά, πρῶτον μὲν ἐκλέγονται ἐκ τοσούτων χρωμάτων, μίαν φύσιν τοῦ λευκοῦ: ἔπειτα προπαρασκευάζουσιν οὐκ ὀλίγῃ παρασκευῇ θεραπεύσαντες, ὅπως δέξεται ὅτι μάλιστα τὸ ἄνθος, καὶ ἔτω δὴ βάπτουσι.

CAPVT XI.

M. Ciceronis locus libro secundo De Legibus emendatus.

M. CICERO cùm de origine legum & legislatoribus primis accuratè quæreret, Q. Fratrem libro secundo ita loquentem fecit.

Quid? quòd istum Zaleucum negat vllum fuisse Timæus? M. At Theophrastus auctor haut deterior mea quidem sententia: meliorem multi nominant. Commemorant verò ciues ipsius, clientes nostri Locri.

Qui locus mihi cùm nec satis integer nec emendatus videatur, experiar, ecquid ei opera mea subueniri possit. Legendum igitur atque interpungendum locum hunc ita existimo, *Quid? q.i. Z. n.v. fuisse Timæus? M. At*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theophraſtus auctor haud deterior, mea quidem ſententia melior, eum multis nominat. Commemorant v. c. i. c. n. Locri. Vt Cicero id dicat, neget ſanè Timæus vir magnus Zaleucum vllum fuiſſe; at Theophraſtus tamen omnium ſententia auctor haud inferior, vt ego autem iudico, etiam ſuperior, ſæpe & in multis locis huius Zaleuci commeminit. Atq; ita ſententia commoda ſanè effici videtur. Ne quid tamen diſſimulem, locus hic ſuſpicionem mihi facit, non eſſe eum omnino plenum & integrum.

CAPVT XII.

C. Lucilij loci duo apud Nonium emendati, Tibullus item & Propertius correcti.

C. LVCILII elegantis & vrbani poëtæ ſcripta omnia vel hominum iniuria abſtulit, vel, vt multa alia, vetuſtas nobis inuidit. Pauca quædam modò veterũ Grammaticorum beneficio ad nos deuenerunt, eaq; ipſa plerumque vel fracta & mutila, vel ita corrupta, vt magni iudicij ſit, in iis carminis aut ſententiæ rationem aliquam inuenire. Vt autem Nonius Marcellus in veteribus huius poëtæ teſtimoniis frequentiſſimè vſus eſt, ita etiam deprauationis huius quamplurima apud eum reperiuntur exempla. Ego duo quædam è multis iam ſeligam, rem gratam, opinor, facturus iis qui vnà cum antiquitatis ſtudio antiquorum etiam ſcriptorum memoriam ſtudioſè & libenter retinent. In vulgatis igitur Nonij, atque iis etiam quibus emendandis viri quidam eruditi præfuerunt, Lucilij verſus hi ſic leguntur,

Aut cùm iter eſt aliquò, & cauſam commentaui,
Vt apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.

In quibus cùm manifeſta deprauatio ſit, videntur mihi hoc modo commodè poſſe reſtitui,

Vt cùm iter eſt aliquò, cauſſam & commenta viai,
Aut apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.

Loquitur autem Lucilius, vt apparet, de mulierculatum impoſturis & calliditate, quæ ſiquò ituræ ſint, quod viros latere velint, cauſſas ſtatim & excuſationes in promptu comminiſcuntur, ire ſe ad aurificem, ad matrem, aut ad amicam; reuera autem ad amicum. Alter locus eiuſdem poëtæ apud eundem Grammaticum exſtat, qui ipſe, quia de mulieribus quiddam agit, cum hoc mihi videtur coniungendus:

Quòd ſi nulla poteſt mulier tam corpore duro
Eſſe, tamen tenero moueat ſuccuſſa lacerto,
Et manus vberior lactanti in ſumine ſidat.

Quo loco ſi legas, —*tenerom moueat ſuccuſſa lacertom,*
Et manus interior lactanti in ſumine ſidat.

aperta quidem & bona ſententia erit. Præſcribere autem mulierculis videtur, vt ſiquæ imbecilliore corpore ſunt ad concuſſationem illam & dolorem lactentium puerorum fortiter tolerandum, vt humeros ac lacertos modicè moueant ac ſuccutiant, manuq́ue ſiniſtra, ita enim interiorem

riorem manum interpretor, vber paulliſper tractent & comprimant. Niſi fortaſſe cui pro eo *Vberior*, non, *Interior*, ſed *Vlterior* commodius legi poſſe videatur, quod ipſum non reiicio. Ratio autem erroris ex eo nata eſt, quòd vetuſtiores, quæ nos, Seruum, Virum, atque alia eius generis ſcribimus; illi Seruom, Virom ſcribebant. Quod & Grammatici antiqui, & monumenta etiam hodie teſtantur,

Souom mareitom corde dilexit ſouo.

In vetuſto Epigrammate exſtat,

Opto te ſaluom.

In libello Velij Fidi. quæ res ignota etiam Tibullo noſtro vitium attulit, apud quem verſus hi conſtanter ab omnibus ſic leguntur,

Ante meum veniat longos incomta capillos,
Et fleat ante meum mæſta Neæra rogum.
Sed veniat caræ matris comitata dolore,
Mæreat hæc genero, mæreat illa viro.

Quis autem in Latina lingua ita hoſpes eſt? aut quis aliquẽ Romani ſermonis ſenſum habeat, qui non ſtatim videat orationis illius barbariem & ſordes? Mærere alicui, ſeu Mærere genero & viro, pro, lugere generum aut virum. Haut timidè quidem igitur hoc loco lego,

Mæreat hæc generom, mæreat illa virom.

Quod qui aptum & commodum eſſe non ſentit, quartum is aut milleſimum potius nihil ſapere exiſtimandus eſt. Eodem modo etiam apud amores & delicias meas Propertium, hos verſus emendandos exiſtimo:

Cur ventos non ipſe rogis ingrate petiſti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?

Olere nardum aut vnguenta cùm meliùs & Latiniùs dicamus, quàm olere vnguento, ne hîc quidem verebor legere,

Cur nardom flammæ non oluere meæ?

Quomodo etiam libenter apud eundem legerim,

Hoc mihi perpetuum ius eſt, quòd ſolus amator
Nec citò deſiſto, nec temerè incipio.

Vbi vulgati, *Hoc mihi perpetuò ius eſt.* Perpetuum enim ius Propertius dixiſſe videtur, alludens ad prætorum perpetuum ius & edicta, quæ tolli aut conuelli per aliũ prętorem non licebat. itaque Propertius ait hoc ſibi tanquam prætori perpetuum ius eſſe, quòd ſolus nec facilè amori ſe implicaret, & ſemel irretitus conſtanter in ſuſcepto amore perſeueraret.

CAPVT XIII.

Quid ſit apud Ciceronem libro primo in Verrem, digitum tollere.

ISTE *verò non procraſtinat, locare incipit, non proſcripta atque edicta die, alieniſſimo tempore, ludis ipſis Romanis, foro ornato. itaque renunciat Habonius illam deciſionem tutoribus. accurrunt tamen ad tempus tutores, digitum tollit Iunius patruus; iſti color immutatus eſt. vultus, oratio, mens denique excidit. quid ageret, cæpit cogitare, Si res abiret ab eo mancipe, &cet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

FVI aliquando in ea sententia, vt existimarem, in his Ciceronis verbis, Digitum tollere, signum esse negantis, & non assentientis ei conditioni quæ præponeretur, vt contrà manus tollere Latinis, & χεῖρας ἀναβῆναι Græcis assensionis & admirationis signum esset. Itaque locũ hunc ita intellegebam, quasi Iunius patruus digitum tollens ostendere vellet, se non assentiri ei locationi Verris, eamque rem se impediturum. Nunc autem cùm locum attentiùs consideraui, in alia omnia eo; & existimo, Digitum tollere, hoc loco signum esse assentientis & acceptantis eam locationem quæ proponeretur. Quam rem vt clarius explicem, pauca mihi quæ antiqui moris sunt, altius repetere necesse est. Solent veteres templa deûm, vias vrbis, vectigalia, certo pretio proposito, cuilibet de populo, qui modò antè prædibus & prædiis cauisset, publicè elocare. idq;, vt ex Ciceronis libris De Legibus iudicare est, per Censores fiebat, qui deinde præfinito tempore locationis exacto, diligenter perspicere solent & rationem exigere, an vel templa sarta tecta essent, vel viæ, ita vti conuenerat, munitæ; quam etiam curam, iis impeditis, vel non electis, Consules aut Prætores habuisse videntur. Qui igitur, vt ad rem veniam, auctorem se locationis esse profiteretur, & hanc vel illam ædem tuendam suscipere vellet, digitum tollebat, eaque manus significatione conducere se & redimere id opus ostendebat. Ex quo etiam conductores eiusmodi aliquando Redemtores à redimendo, aliquando Mancipes dicuntur, quia, vt Festus interpretatur, manu significabant se auctores emtionis. Quod autem ille obscurius manu dicit eos significasse, id ex hoc Ciceronis loco apertum est, eos digiti sublatione ostendisse. Itaque sententia Ciceronis est, Cùm Verres locare incœpisset ædẽ Castoris, quam dicebat Iunium pupillum non sartam tectam tradidisse, accurrisse statim Iunium patruum, digitum sustulisse, & se auctorem eius locationis esse professum; siqua tamen in re aliquid à pupilli patre prætermissum, aut non ex conuentione rectè traditum esset. Ea autem re perturbatum Verrem, qui, si res abiisset ab eo mancipe quem ipse apponi curasset, prędam quam spe iam & cogitatione deuorarat, amisisset, nimis improbè & impudenter vetuisse ait, ne liceret pupillo, seu eius tutoribus opus redimere. Quod autem, vt id corollarij vice addam, hoc loco legitur, *non proscripta atque edicta die*, D. Lambinus ex eo, *prodicta*, fecit; mihi autem, *edita*, legendum videtur. Edere autem diem est publicè proscribere & indicare diem, quomodo, vt opinor, I. C. nostri aliquoties locuti sunt.

CAPVT XIV.

M. Catonis libri cuiusdam titulus restitutus.

M. CATONIS libri cuiusdam De Falsis pugnis commemoratio fit apud vetustiores Grammaticos. Cuius inscriptio tamen satisne recta & integra sit, soleo nonnunquam addubitare. Nam cùm eo libro, quod ex fragmentis perspicuum est, non aliud quàm de magistratuum & prætorum iniquo imperio & dominatione in prouinciis, tyrannide in socios, denique de pœnis, multis, plagis falsò & præter æquum prouincialibus

cialibus irrogatis, apud populum conquestus sit: videtur mihi quidem inscriptio illa, De Falsis pugnis, non satis huic materiæ & argumento conuenire, potiusque ex ea leui mutatione, De Falsis pœnis faciendum. qui titulus cum argumento libri ita cõuenit, vt ego quidem existimem, germanam eam & veram esse huius Orationis inscriptionem. Affert autem Agellius ex hoc seu libro, seu, quod verius est, Oratione, illustrem quendam locum, quem ego operæpretium duxi totum ascribere: *Dixit à decemuiris parum sibi bene cibaria curata esse, iussit vestimenta detrahi atque flagro cædi. Decemuiros Brutiani verberauere, videre multi mortales. quis hãc contumeliam? quis hoc imperium? quis hanc seruitutem ferre potest? Nemo hoc rex ausus est facere. Eáne fieri bonis, bono genere natis, boni consulitis? Vbi societas? vbi fides maiorum? Insignitas iniurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores atque carnificinas per dedecus atque maximam contumeliam, inspectantibus popularibus suis, atque multis mortalibus te facere ausum esse? Sed quantum luctum, quantumq; gemitum, quid lacrumarum, quantumq; fletum factum audiui? Serui iniurias nimis ægrè ferunt: quid illos bono genere natos opinamini animi habuisse, atque habituros dum viuent?* Hæc Cato vt in re graui, acri & contenta oratione narrauit, in qua vt summam illam & consummatam eloquentiam fortasse desideres, ita certè perfectæ illius & veræ eloquentiæ tamen lineamenta quædam in ea inuenias. Quod autem Cato dixit, *Sed quantum luctum, quantumq; gemitum? quid lacrumarum, quantumq; fletum factum audiui?* Imitatus id Cicero in Verrem de Filodami supplicio videri potest, qui in ea re deploranda quattuor etiam illa Catonis verba vsurpauit, *Quid lacrumarum ipsum Neronem putatis profudisse? quem fletum totius Asiæ fuisse? quem luctum & gemitum Lamsacenorum?*

CAPVT XV.

De Ciceronis locis duobus in Epistolis ad Atticum coniectura.

CICERO libro VII. ad Atticum,

Sed stomachari desinamus, tempori pareamus, cum Cneio in Hispaniam eamus. Hæc opto in malis, quoniam illius alterum consulatum à rep. ne data quidem occasione repulimus.

Loco huic si vitium inesse dicã, temere fortassis faciam, præsertim cùm eruditissimi viri, qui in epistolas has scripserunt, de loci huius integritate ne dubitauerint quidem. Et sanè sententia, vt vulgò legitur, non incommodissima est; ego tamen pro illo, *Hæc opto in malis*, non paullò malim legi, *Hæc optima in malis*. quod quasi prouerbij quendam locum habet, & quod ad sententiam ac sermonis elegantiam sanè cõmodius est. Ibo, inquit Cicero, cum Pompeio in Hispanias, non quia id aut tutissimum, aut honestissimum omnino sit, sed è duobus malis, in quorum alterum necesse habemus incurrere, eligamus sanè optima. Sed hæc correctio mea satis fortasse audax videri possit; illa tamen quam nunc proponam, etiam audacior. Cicero eodem libro.

Ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ita tempus ferebat. siquidem & iam vos duo taleis ad quintum miliarium. Hæc à Cicerone dicuntur excusante se apud Atticum de litteris quibusdam ad Cæsarem missis, quas inimici eius vt nimis humiliter & abiectè scriptas criminabantur. Quod quidem Cicero ita hîc excusat, vt neget potentię & dominationi Cęsaris per adulationem aliquid à se datum, sed necessitati temporum illorum se paruisse, quibus sapientissimus quisque semper inseruiendum & obtemperandum putasset. Quinetiam ipsum Atticum vnà cum Sex. Peduceo, præter dignitatem, temporũ videlicet caussa, Cæsari ad quintum miliarium obuiam prodiisse. Hæc quidem Ciceronis sententia est: sed hoc loco, *Vos duo taleis*, quid illud, *taleis*, faciat, non facilè video, neque simile aliquod loquendi genus legere memini. Quid igitur si loco eius, *Taleis*, vnius litteræ mutatione *Kaleis*, reponamus? quod quidem mirè hîc conuenit, vt dicat, Atticum Cæsari ad quintum miliarium Kaleis vsque obuiam iuisse. Kales autem seu Cales municipium Italiæ est, cuius Cicero in his ipsis Epistolis aliquoties meminit. Hanc coniecturam meam cùm ad P. Wauerium præstanti eruditione & moribus virũ, & mihi cùm multis officiis, tum sanguinis etiam & cognationis necessitudine coniunctissimum retulissem, intellexi ei vehementer probari. Cuius iudicio fretus, ausus sum eam his scriptis traditam, vestris eruditorumque sententiis subiicere.

CAPVT XVI.

Quam causſam damnationis Cicero in P. Rutilij iudicio dixerit, eandem etiam Demosthenem in Euæonis condemnatione posuisse.

CICERO sæpius indignitatem & labem turpissimi illius iudicij conqueritur, quo vir optimus & innocentissimus P. Rutilius ciuitate & fortunis omnibus per scelus & iniuriam est expulsus. Eius autem damnationis causſam libris De Oratore hanc attulit, quòd homo sapiens & philosophus, vt olim ille Socrates, causſam suam apud iudices copiosiùs & ornatiùs defendi noluerit, sed innocentiam suam nuda modò & simplici oratione probari:

Nunc, inquit, *talis vir amissus est, dum causſa ita dicitur, vt si in illa commentitia Platonis ciuitate res ageretur. Nemo ingemuit, nemo inclamauit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo est questus, nemo remp. implorauit, nemo supplicauit.*

Demosthenes etiam contra Midiam, Euæonem quendam, virum suis probatum, in causſa quadam non difficillima iccirco damnatũ ait, quòd in iudicio illo neque fleuisset, neque iudicem vllum deprecatus esset, neque aliud aliquid ad commouendam misericordiam humiliter fecisset. Verba Demosthenis sunt, Ἀκέω γὰρ αὐτὸν ἔγωγε μία μόνον ἀλώναι ψήφῳ. καὶ ταῦτα ὔτε κλαύσαντα ὔτε δεηθέντα τῶν δικαστῶν ὐδενὸς, ὔτε φιλάνθρωπον ὔτε μικρὸν ὔτε μέγα, ὐδ' ὁτιοῦν πρὸς τοὺς δικαστὰς ποιήσαντα.

CAPVT

CAPVT XVII.

Ciceronem à Cornelio Tacito leuiter & ieiunè videri reprehensum.

IN iocis & facetiis Cicero semper deus est, neque vlla ferè tam seuera aut grauis causſa est, in qua non ille iocorum opportunitate iudices & populum ad risus ac hilaritatẽ traduxerit. Sed præcipuè cùm in C. Verrem diceret, in hoc genere dominata est eius oratio. In qua causſa multa facetè & venustè cùm in Verrem ipsum, tum in patronum eius Hortensium Cicero dixit, atque inter alia in Verris etiam nomen ipsum facetè & acutè illusit, veluti libro primo Accusationis De prætura vrbana,

Quorum alij, vt audistis, negabant mirandum esse, ius tam nequam esse Verrinum: alij etiam frigidiores erant; sed quia stomachabantur, ridiculi videbantur esse, cùm Sacerdotem exsecrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset.

Cuius vtriusque ioci ratio hæc est: verrem, porcum exsectis genitalibus membris Latini dicimus. id autem, eius quem Cicero accusabat, nomen gentilitium erat. itaque cùm prætoram Verris vrbanam & iurisdictionem eius variè reprehenderet, ait, tam notam & apertam fuisse istius in iure dicundo libidinem & nundinationem, vt ne populus quidem iocis & dictis in eum abstinuerit; sed alios dixisse, minimè esse mirandum Ius Verrinum esse tam nequam; alios Sacerdotem reprehendisse, qui Verrem tam nequam reliquisset. Prioris ioci ratio in ambiguitate verbi est. Ius enim Verrinum aut iurisdictionem Verris significare potest, aut ius verrinæ carnis, quod insipidum & insuaue est. Posterioris ioci hæc ratio est: C. Sacerdos ante Verrem prætor vrbanus fuerat; ei cùm Verres succederet, ridiculi quidam homines Sacerdoti irasci se dicebant, qui Verrem tam improbum reliquisset. Sacerdotum enim erat hostias immolare: verre autem porco solent veteres rem diuinam facere cùm aliis quibusdam diis, tum etiam Marti. Vetus quidam poëta,

Mars voueo si vnquam redierit facturum libente verre.

Ergo isti non tam faceti quàm ridiculi homines Sacerdotem exsecrabantur, quòd hunc Verrem non immolasset, eumque tam improbum successorem reliquisset. Ioci hi, si veritas dicenda est, satis leues & frigidi sunt, fateor: sed tamẽ cur in his Cornelius Tacitus, Annalium scriptor eruditus & elegans, Ciceronem tam seuerè reprehenderit, causſam inuenire nondum potui. Is enim in eo libro, in quo sui temporis oratores cum veterum eloquentia nimis audacter contendere ausus est, cùm alia quædam in Cicerone obscurè reprehendit, tum de his iocis sententiam suam malignè sanè interponit,

Nolo, inquit, *irrideri rotam fortunæ, & ius Verrinum, & illud tertio quoque verbo pro sententia positum, Esse videatur. Nam & hæc inuitus retuli, & plura omisi.*

Audio Censoris verba. Non placet tibi, Tacite, vituperari ius Verrinum. num igitur Cicero vituperat? populum, non Ciceronem accusa, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius siue facetiæ, siue, vt tibi videtur, ineptiæ auctor fuit & inuentor. Itaque statim post recitatos iocos istos Cicero, sentiens non satis dignos eos esse acumine & elegantia ingenij sui, detestatur & deprecatur opinionem illam, ne quis eorum, qui adessent, existimaret ea à se pro tempore conficta, sed populi & vulgi sermone iamdudum iactata: *Quæ ego,* inquit, *non commemorarem, neque enim perfacetè dicta, neque porrò hac seueritate digna sunt; nisi vos illud vellem recordari, istius nequitiam & iniquitatem tum in ore vulgi, & communibus prouerbiis esse versatam.* Itaque vide quantum ego à te, Tacite, dissentiam. Tibi aut ineptum aut præter dignitatem oratoris videtur, eiusmodi tam leues iocos commemorare: mihi in hac caussa nihil videtur à Cicerone accommodatius, aut pro re dici potuisse aptius. Nam cùm de iurisdictione ageret, hoc est, ea de re, quæ non argumentis, sed populi testimonio & vulgi sermone posset maximè comprobari: nihil potuit aptius aut verisimilius afferri, displicuisse populo Romano totam istius præturam, quàm quod certi quidam homines de plebe, vulgò ne iocis quidem & dictis in eum abstinuissent, quibus improbitatem eius, & in iure dicundo leuitatem coarguerent. Quod autem Tacitus ait, *Nolo irrideri rotam fortunæ.* quod ipsum non obscurè in Ciceronem dicitur. rotam fortunæ vbi Cicero irriserit, non alium equidem locum inuenio, quàm illum in L. Pisonem: *Cùm collegæ tui domus cantu & cymbalis personaret, cúmque ipse nudus in conuiuio saltaret, in quo ne tum quidem cùm illum suum saltatorium versaret orbem, rotam fortunæ pertimescebat.* Quem elegantissimum iocum si reprehendendum Tacitus reuera putauit, valdè requiro iudicium eius: sin non putauit, sed cùm aliud non haberet quod reprehenderet, vt tamen institutæ caussæ suæ seruiret, hoc maluit quàm nihil reprehendere, desidero hominis eruditi in alienis scriptis candorem & simplicitatem. Quid enim in hoc loco est, quod aut vulgare videri possit, aut sordidum, aut ineptum? quid non acutè & venustè dictum? Apage igitur, Corneli, cum istis ineptiis, apage. Non est ea Ciceronis fama & gloria, quæ tam leuibus & ieiunis calumniis frangi aut debilitari possit; & quod bona pace tua dixerim, ne tu quidem is, qui de Ciceronis admirabili & perfecta in omnẽ partem eloquentia, temerè iudicium & sententiã feras.

CAPVT XVIII.

Propertij Elegiam quandam videri disiungendam, quæ coniunctim legatur.

PROPERTII Elegia IIX. è libro primo opinor est, quæ adhuc quidem sub vno titulo pro vna eademq. constanter lecta est; sed quæ mihi tamen pro rei & argumenti diuersitate in duas easque disiunctas Elegias videatur distinguenda. Initium Elegiæ quam dico, hoc est,

Túne igitur demens? nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria?

Quam ego continenter legi volo ad hunc locum,

Hic

Hic erit, hîc iurata manet, rumpantur iniqui,
Vicimus, assiduas non tulit illa minas.

Ex hoc autem loco, & in his ipsis versibus initium nouæ Elegiæ & distinctæ à superiori illa faciendum existimo. Quod quidem & ordo & argumentum Propertij apertè indicant. Nam cùm illa Elegia, *Túne igitur demens?* de discessu Cynthiæ dolenter lamentaretur, quæ cùm nescio quo prætore in Illyriam, relicto Propertio nauigare volebat: nunc hac Elegia, *Hic erit, hîc iurata manet.* mutata iam mente Cynthiæ, vehementer gaudet & exsultat poëta, se tantùm precibus & lacrimis apud Cynthiam valuisse, vt cùm magna ei & multa à prætore illo promitterentur, destiterit tamen à nauigatione, & Propertij amorem omnibus diuitiis eius & pollicitationibus præposuerit. Absurdum autem valdè & mea sententia ineptum fuerit, res tam diuersas vna & eadem Elegia velle includere, iisdemque versibus & lamentari atque deplorare Cynthiæ discessum, & iterum gloriari atque exsultare de mansione eius & profectione omissa. Libenter ibit in sententiam meam qui Elegiam totam & argumentum attentiùs considerauerit. Simili vel errore vel neglegentia peccatum etiam libro illo singulari, quem quartum vulgò faciunt, existimo, vbi sequentis Elegiæ primi versus ad præcedentem neglegenter & imperitè, meo iudicio, adiuncti leguntur. Nam versus illi,

Cùm fieret nostro toties iniuria lecto,
Mutato volui castra mouere toro.

qui ad finem octauæ Elegiæ leguntur, omnino addendi sunt ad initium sequentis Elegiæ hoc modo,

Elegia IX.

Cùm fieret nostro toties iniuria lecto,
Mutato volui castra mouere toro.
Phyllis Auentinæ, quædam est vicina Dianæ,
Sobria grata parum, cùm bibit omne, decet.

Atque ita deinceps. G. tamen Canterum præstanti ingenio & eruditione adolescentem video in ea esse sententia, vt vtramque hanc Elegiam, quæ in vulgatis octaua & nona est, coniungi & in vnam redigi velit, quòd in vtraque quiddam De Lanuuio commemoret. quod equidem non possum improbare, sed in hoc tamen liberrimo scribẽdi genere ego cuique liberũ esse puto, sententiam suam sine præiudicio verecundè proponere.

CAPVT XIX.

De Ciceronis loco libro quinto in Verrem coniectura.

CVM hæc omnia quæ polliceor, cumulatè tuis proximis plana fecero, tum istuc ipsum tenebo quod abs te mihi datur, eo contentum me esse dicam.

D. Lambinus singularis ingenij & iudicij vir, & cuius acumẽ & εὐστοχίαν in coniecturis mirari sæpe soleo, cùm ad hunc locum veniisset, aperte & ingenuè fatsus est, aquam hîc sibi hærere, neque aliud de eo, quàm cor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ruptum esse, posse dicere. Et est certè corruptus: quid enim illud sibi vult, *Tuis proximis plana fecero?* Mihi aliquando legendum videbatur, *Diebus proximis plana fecero.* quod à scripturæ sanè vestigiis aliquantulum recedit, sed ad sententiam optimè conuenit. Cùm enim Cicero sæpius iudicibus minatus esset, si fortè Verres donis datis muneribusque iudiciorum seueritatem perrupisset, se totam illam caussam ad populum Romanum & ad maiestatis iudicium reiecturum esse: nunc hîc in eandem sententiam dicere videtur, se ista omnia quæ pollicetur, diebus proximis, videlicet si absoluto Verre caussa ista apud populum retractanda sit, plana & manifesta esse facturum. Nunc tamen accuratius mihi hac de re cogitanti leui mutatione locus hic optimè corrigi videtur, si legamus, *eius proximis plana fecero.* quæ quidem coniectura mea ita parum à libris recedit, & ad sententiam ita apta est, vt propè absit quin asseuerem, hunc locum ita esse omnino restituendum. Ac siquis attentius consideret, videbit ex præcedentibus verbis, hanc lectionem planè effici: *Producam etiam,* inquit, *Consanos municipes illius ac necessarios, qui te nunc serò doceant, iudices non serò illum P. Gauium, ciuem Romanum fuisse & municipem Consanum.* Vt Cicero dicat, Cùm hæc omnia quæ polliceor, videlicet ciuem Romanum à te securi percussum esse, hunc Gauium municipem Consanum fuisse, cùm hæc omnia abundè per eius proximos & amicos docuero, qui & ipsi ciues Romani sunt, & de statu eius optimè scire possunt, tum &c. Eius igitur proximis plana facere, intellegit, per eius Gauij proximos & necessarios docere. Vt autem Latinè dicimus, Testibus aliquid planum facere, Tabulis planum facere, id est, per testes & tabulas; ita quidem ad eandem similitudinem, Eius proximis planum facere quin rectè dicamus, dubitari non debet.

CAPVT XX.

Ciceronis locus oratione pro C. Rabirio perduellionis reo, qui partim videatur ab Æschine, partim à Demosthene desumtus.

CICERO in graui illa & ampla caussa, in qua vnà cum C. Rabirij capite & fortunis ipsa pænè Reip. salus in discrimen vocabatur, meritò statim initio orationis deos comprecatus est, vt eo die & hominis innocentis salus per eos defendi, & respublica constitui saluberrimo exemplo posset; post deorum autem inuocationem etiam ipsum populum, qui ferendi suffragij ius habebat, implorat & obsecrat, vt eorum item auxilio vitam fortunasque C. Rabirij, & simul Reip. dignitatem conseruare ab inimicis liceret.

Quæ cùm ita sint, inquit, *primùm, quod in tanta dimicatione capitis fortunarúmque fieri necesse est, ab Ioue optimo maximo, ceterisque dijs, deabúsque immortalibus, quorum ope & auxilio multo magis hæc Resp. quàm ratione hominum & consilio gubernatur, pacem ac veniam peto, precórque ab ijs vt hodiernum diem & ad huius salutem conseruandam, & ad Remp. constituendam illuxisse patiantur: deinde vos, Quirites, quorum potestas proximè*

ximè ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro, quoniam vno tempore vita C. Rabirij, hominis miserrimi atque innocentissimi, salus Reip. vestris manibus suffragiisque permittitur; adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in Reipub. salute sapientiam, quam soletis.

Æschines autem cùm mentitæ legationis nomine à Demosthene in iudicium adductus esset, agereturque caput eius, & fortunæ omnes, hac eadem comprecatione in defensione sua vsus est, à quo videri possit Cicero illa superiora sua mutuatus: Παρακαλῶ δὲ καὶ ἱκετεύω σῶσαι με πρῶτον μὲν τοὺς θεούς, δεύτερον δὲ ὑμᾶς τοὺς τῆς ψήφου κυρίους. Quod autē Cicero pro more suo copiosiùs omnia dicens & fusiùs dilatās, etiam illud interserit, *quorum ope & auxilio multò magis hæc Resp. quàm ratione hominum & consilio gubernatur.* totidē id pænè verbis ante eū de Athenienſium vrbe dixit Demosthenes, Ὅπερ ἀεὶ σώζουσι τὴν πόλιν πολλῷ τῶν προεστηκότων μᾶλλον.

CAPVT XXI.

De Varronis loco in Satyris coniectura.

VARRONIS Satyra est Quinquatria, qua in medicorum genus illusisse, & medicinam ipsam insectatus esse ex fragmentis videtur. Ex ea Nonius Marcellus hoc affert,

Tu Phedi, audes cōtrà dicere, cùm in eborato lecto ac purpurei operis toro cubare videas ægrotum? & eius prius album quàm tympen subducere malis?

Locus miserè depraua tus & pænè depositus, & quem non ausim polliceri à me restitutum iri. An idoneam tamen aliquam sententiam ex his tam corruptis verbis possimus efficere, tentabo hoc loco. Nonius hunc locum affert in dictione, Turdi: quod verbum cùm hoc toto fragmento non inueniatur, facilè apparet, aut mutilum aut fractum esse locum hunc, aut certè vitiatum, & quæ mea sententia est, in eius dictionis locum aliud aliquod verbum per neglegentiam substitutum. Videamus igitur an iectam & per iniuriam expulsam hanc vocem in suam & pristinam sedem possimus restituere. *Tympen,* hoc loco quid valeat, nescire me libenter fateor, & planè existimo deprauatum verbum hoc aliunde irrepsisse. quid si igitur in eius locum, *Turdum,* substituamus? qua voce Varronem hîc vsum esse, Nonij testimonio cognoscimus. Valdè id quidem hoc loco conueniat, & facilè iam parua mutatione veram fortassis lectionem & sententiam Varronis indagabimus. Legam enim sic, *Tu P. a. c. d. c. i. e. l. a. p. o. t. c. videas ægrotum? & eius prius turdum quàm aluum subducere malis?* Pauca quædam quæ transposita mihi videbantur, in ordinem redegi, & ex illo, *album, aluum,* feci. Nunc videamus sententiam. Iocatur Varro, opinor, in Phedium quendam egenum & misellum medicum, qui ad diuitis sumptuosas & instructas ædes intromissus, cùm dominum ipsum eburneo lecto & purpureo toro iacentem videret, insolens tanti apparatus, vix hiscere & contra domini sententiam aliquid dicere audebat, & homo famelicus potius turdum quem appositum videbat, quàm aluum domini subducere mallet. Quomodo loci

Universidad de Deusto
Biblioteca

do loci huius acuta & digna Varrone efficietur sententia. Cùm enim subducendi verbo ita vtantur Latini, vt dicant aluum subducere, pro aluum mitigare & soluere, itemque subducere turdum, vel aliud quid, pro, furtim & clàm auferre, facetè nunc huius verbi ambiguitate ludens Varro ait, miserum istum medicum potius cupere & inhiantem optare domino turdum suum subducere, quàm id quod medici erat, aluum eius soluere. Hæc igitur an vera Varronis lectio aut sententia sit, non habeo affirmare: difficulter verisimilius aliquid afferri posse, id affirmo.

CAPVT XXII.

Propertium valdè propriè verbo, Defendendi, & voce, Fastus, & Ciceronem verbo, Perseuerandi, vsos.

PROPRIE valdè & præter vulgatum vsum verbo, Defendendi, Propertium eruditum poëtam vsum obseruaui, hoc versu,

Nunc tu siue leges vmbrosæ flumina siluæ,
Siue Aniena tuos tinxerit vnda pedes;
Nympharum cupidas semper defende rapinas,
Non minor Ausonijs est amor in Dryadis.

Quo loco, Defende, non aliud certè est, quàm Repelle, Arce, & Auerte. Quomodo etiam Cicero hoc ipso verbo oratione pro Roscio Amerino vsus videtur, *Ausum autem esse quemquam se in id conclaue committere, cùm ibidem essent duo adolescentes filij, qui & sentire, & defendere facilè possent?* Quo loco, *Defendere*, prohibere esse videtur. Ita C. Cæsar Rerum gestarum Commentario primo, *Et quod bellum non intulerit, sed defenderit*, id est, repulerit. Verbo etiam, *Fastus*, idem Propertius, non quomodo vulgò vtimur, pro arrogantia, superbia, aut despicientia vsus est, sed noua quadam & magis propria verbi eius significatione, pro contemtu & repulsa id vsurpauit. Et quidem quoties eo verbo vtitur, non aliter id vsurpat. Ostendam exemplis quod dico. Elegia XVI. libri tertij,

Testis Cretæi fastus quæ passa iuuenci,
Induit abiegnæ cornua falsa bouis.

Fastus passa, repulsam passa manifestè hoc loco valet. Et libro illo quem quartum vulgò nominant, Elegia V.

Non te Medææ delectent probra sequacis,
Nempe tulit fastus ausa rogare prior.

Et libri II. Eleg. XIV.

Nec mihi iam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.

Et libri I. Eleg. XIII.

Nec tibi præteritos passa est succedere fastus,
Nec sinet abduci, te tuus ardor aget. Et alibi,
Exclusa inij. vicem fastus patiare superbos,
Et quæ fecisti facta queraris anus.

Eiusmodi in doctissimo isto poëta multa reperire licet, quæ sint ei quodammodo propria, nec facilè cum alio communia. Vt autem istis Propertius propriè vsus est, ita etiam Cicero Perseuerandi verbum noua quadam minimeque vulgari ratione vsurpasse videtur pro P. Quinctio: *Vt necessariò confiteare neque eorum tam temerarium quenquam fuisse, neque teipsum id quod turpissimè suscepisses, perseuerare & transigere potuisse.* Perseuerare, perficere, & constanter ad finem deducere Cicero dixit, quomodo etiam eiusdem temporis scriptor L. Sisenna hoc ipsum verbum in historiis vsurpauit: *Iidémque perseuerauerunt vti lex perueniret ad quæsitorem.* Hæc siquibus leuiora fortassis videbuntur, aut potius quia leuiora quibusdam videbuntur, ij sciant, me non eruditis ista scripsisse, sed in iuuentutis modò gratiam pauca hæc, quæ rariora & minus obuia videbantur, annotare voluisse.

CAPVT XXIII.

De Ciceronis loco Diuinatione in Verrem accuratius quæsitum.

PVTASNE *te posse quæ C. Verres in quæstura, quæ in legatione, quæ in prætura, quæ Romæ, quæ in Italia, quæ in Achaia, Asia, Pamphyliáque patrarit: ea quemadmodum locis diuisa sunt, sic criminibus & oratione distinguere?*

Vitium huic loco subesse non dico, dignam dubitationem subesse constanter dico. Nam primum siquis attentius cõsiderauerit, quid est quod Cicero de Verris flagitiis ait, *quæ Romæ, quæ in Italia?* In Italia enim tota quod Verris crimen aut flagitium fuit? fuit? quod autem esse potuit? Nam prætura iurisdictio, in qua multos læsit, Roma & vrbe terminabatur, quæstura autem & legatio iam non ad Italiam, sed ad exteras prouincias attinet, vt diuinare quidem non possim quãdo aut quo tempore Verres flagitium aliquod, aut vel leuissimam iniuriam in Italia commiserit. Quid autem quòd ne ipse quidem Cicero sequentibus libris, in quibus omnia eius facta & dicta minima studiosè reprehendit, vllius facti crimen in Italia coarguit? An igitur oratoriè Cicero & ad augendã inuidiam in hac locorum commemoratione Italiam posuisse existimandus est? an potius pro Italia, Sicilia in Ciceronis libris reponenda sit? in qua scelerum suorum vestigia plurima impressa Verres reliquit. Quod quidem ego iudico. neque adduci possum vt existimem, Siciliam à Cicerone in hac locorum diligenti enumeratione prætermissam, in qua & maxima Verris scelera exstabant, & cuius vnius prouinciæ caussa hic labor omnis Ciceroni & accusatio suscepta erat. Sed hoc genus præter auctoritatem librorum omnium corrigendi cùm plerumque temerarium sit, hactenus mihi credi volo, quatenus id aut certa ratio, aut argumenta conuincunt.

CAPVT XXIIII.

Varronis locus in Satyris emendatus.

SATYRAE suæ cuidam titulum Varro fecit, γνῶθι σεαυτὸν. Ex qua Nonius hoc fragmentum affert,

Nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nihil ſunt Muſæ politis quaſi ærificiè dixi.

Qui locus cùm manifeſtè corruptum ſe clamet, neque dum tamen medicinam vllam inuenire potuerit, experiar & ego, ecquid in eo emendando diligentia mea profici poſſit. Lego igitur,

Nihil ſunt Muſæ Polyclis veſtri, quas ærificè duxit.

Quod ego in bellos illos & elegantes homines dictum à Varrone accipio, qui ſtatuarum, imaginum, atque eiuſmodi deliciarum admiratione nimia tenebantur. vt Varro dicat, parui aut nihili potius faciendas eſſe Muſas illas Polyclis, quas ex ære artificiosè duxit. Vocem autem, *veſtri*, ex aliis libris addidi. Ac Polyclis quidem ſtatuarij Plinius meminit: de opere autem eius, aut de Muſarum ſtatuis, in quibus artem ſuam maximè expreſſam reliquiſſe, ex hoc Varronis loco videtur, nec Plinius, nec alius quiſquam, quod ſciam, meminit. Vt autem Varro, *ærificè ducere*, hoc loco dixit, ita poëta neſcio qui apud Ciceronem, *Priami domum auro atque ebore inſtructam regificè*, eadem deriuationis forma dixit. Addam hîc etiam, vel explendi capitis cauſſa, alium quendam Varronis locum è Satyra γεροντο-διδασκάλῳ, qui in vulgatis miſerè corruptus legitur,

Noctu cultro coquinari ſe traiecit, nondum enim mihi inuenti erant cultelli empeſtati è Bithynia.

Lego, *Noctu, cultro coquinario ſe traiecit, nondum enim inibi inuenti erant cultelli illi importati è Bithynia.* Cultellos autem quoſdam ſignificare videtur, qui ad finiendam vitam à neſcio quibus in Bithynia erant inuenti. qua de re cùm diu inquiſiuiſſem, nihildum reperire tamen certi potui.

CAPVT XXV.

In Propertio verſus duo, qui alieno loco inſerti erant, in propriam ſedem reſtituti.

DEPLORARE meritò mihi liceret in Propertio eruditiſſimo & vno omnium elegantiſſimo poëta, tot locorum vel obſcuritatem vel deprauationem veriùs, ſi id vnius Propertij eſſet proprium, ac non ei cum optimo & vetuſtiſſimo quoque ſcriptore cõmune. Sed quanquam illa proiecta imperitorum temeritas & audacia in omnes auctores veteres æquè debacchata eſt; tamen hoc verè mihi videor dicturus, nullum eſſe poëtam, loquor de Latinis, qui ad poſteritatem hoc noſtro deprauatior peruenerit aut corruptior. Ita multa eius loco manca & mutila, multa extranea & aliena, integri etiam nonnunquam verſus tranſpoſiti, & in alium locum imperitè inſerti leguntur, vix vt duas aut tres Elegias in toto iſto poëta ab omni parte præſtare tibi poſſim incorruptos & integros. Et quæ res mihi maximo dolori eſt, cùm in reliquis auctoribus priſtinæ dignitati reſtituendis tot acerrimorum hominum noſtra ætate laborauerint ingenia, Propertio tamen qui opem aliquam afferre conatus ſit, Muretum vnum excipio, adhuc vidi neminem. P. ſanè Victorius, magnus cum primis vir, & de quo illud Ennij proferre meritò poſſim,

Multa tenens antiqua ſepulta:

cùm

cùm in Græcis & Latinis auctoribus partim caſtigandis, partim interpretandis ſtudiosè verſatus ſit; attamen tot voluminibus Variarum lectionum ſuarum Propertium hunc noſtrum ſemel modò, atque id quaſi præteriens, nominauit. Quid exiſtimem? contemtúmne à Victorio Propertium? difficile eſt credere. neglectum? ne id quidem, qui in longè inferioribus auctoribus operam ſuam & diligentiam teſtatam relinquere voluit. Sed, ſi veritas dicenda eſt, refugerunt à Propertio tanquam à ſcopulo aliquo & hic ipſe quem dico Victorius, & hactenus eruditi alij. Atque etiam ille ipſe Antonius Muretus, cùm opus aggreſſus eſſet dignum elegantiſſimo ingenio & doctrina ſua, Catullum quidem & Tibullum mira accuratione caſtigatum & interpretatum dedit; Propertium autem, rei fortaſſe difficultate deterritus, timidè & tanquam ab eo refugiens vix attigit. Sed finem facio querelarum, ne non tam Propertij calamitatem deplorare, quàm eruditorum virorum neglegentiam accuſare videar, & veniam ad id vnde me affectus meus longiùs abſtraxit. Propertij locum quendam ex tranſpoſitione verſuum aliquot, vt ego iudico, corruptum proponam, eíque medicinam conſilij & iudicij mei, ſiquam potero, afferam. Verſus hi apud Propertium libro ſecundo, Elegia ſexta ſub finem leguntur,

Vxor me nunquam, nunquam me ducet amica,
Semper amica mihi, ſemper & vxor eris.

Longum ſit & fortaſſe ſuperuacuum locum hunc totum aſſcribere, ſed quàm alieno loco neſcio, cuius feſtinantis aut oſcitantis librarij vitio verſus hi inſerti ſint, facilè vnà mecum iudicabit qui Elegia illa perlecta, attentiùs paullò ſequentia cum præcedentibus, & inferiora cum ſuperioribus conferre voluerit, nihil videbit minus aptè aut conuenienter ad Elegiæ illius argumentum quàm hos verſus accommodari poſſe. Exiſtimo quidem igitur, verſus illos duo, quos attuli, ab Elegia illa ſexta planè ſeparandos, & ad finem ſequentis Elegiæ coniungendos eſſe hoc modo,

Tu mihi ſola places, placeam tibi, Cynthia, ſolus,
Hic erit & patrio ſanguine pluris amor.
Vxor me nunquam, nunquam me ducet amica,
Semper amica mihi, ſemper & vxor eris.

Ergo præcedentis Elegiæ finis faciendus eſt in his verſibus,

Nam nihil inuitæ triſtis cuſtodia prodeſt,
Quam peccare pudet Cynthia tuta ſat eſt.

Et qui duo verſus poſt hanc ſententiam ſequuntur, ij ad finem ſequentis Elegiæ reiiciendi ſunt. Qui quàm aptè eo loco conueniant, vel ex argumento Elegiæ eius facile eſt iudicium. Nam cùm legem quandam de maritandis ordinibus, vt Suetonius auctor eſt, & vxoribus creandæ ſubolis cauſſa ducendis Auguſtus Cæſar ferre cœpiſſet, neq; tamen præ tumultu recuſantium perferre potuiſſet, de ea lege nunc tota hac Elegia Propertius agens, ait, Cynthiam & ſe valdè lætatos eſſe propter abrogatam eam legem, quòd ea, ſi perlata fuiſſet, impedimentum amoribus eorum allatura erat, cùm vterque ad coniugium etiam inuitus lege cogendus eſſet. Gratulans igitur ſibi & Cynthiæ Propertius, negat, ſibi iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

in amore periculum vllum esse, neque se legis vllius metu relicta Cynthia, aliam aliquam vxorem ducturum. In quam eandem sententiam versus hi optimè intellegi possunt & debent, iisque Elegiam istam septimam Propertius terminasse putandus est. Quomodo autem à sequentis Elegiæ fine ad præcedentem alteram versus hi tralati sint, diuinandum est; ita quidem quomodo ego restitui, & eo ordine carmina hæc à Propertio fuisse conscripta, paratus sum Iouem lapidem iurare.

CAPVT XXVI.

Malè vulgò videri Cæsellium Vindicem appellari, quem Cæcilium dici oportuerit.

CÆCILIVS quidam Vindex maiorum nostrorum ætate celebri eruditione Grammaticus fuit, qui ad Commentarios antiquarum lectionum, & alia quædam præclara conscripsit. Sed is eam iniquitatem fortunæ expertus est, vt non tantùm scripta eius vetustate perierint, sed etiam nomen ipsum, quod ei qualemcunque famam superstes dare poterat, temporum iniuria interciderit. Quem enim nos Cæsellium Vindicem longè alium hominem ab isto dicimus, eum L. Cæcilium Vindicem dici oportuisse confirmo. Duo enim veterum ætate celebres Grammatici fuerunt, temporibus vel isdem, vel certè non longè distantibus, L. Cæcilius Vindex, & L. Cæsellius. Nunc hac in re quantopere peccatum sit, videte. Duorum nos Grammaticorum & scripta, & nomina sine vllo discrimine vulgò confudimus. Cæcilij Vindicis quoties apud Agellium, Priscianum, Charisium, veteresque Grammaticos mentio fieret, in eius nominis locum Cæsellius successit, eique Vindicis cognomen, quod Cæcilij erat, tribuimus. Ex qua temeritate factum est, vt Cæcilij Grammatici ne nomen quidem nobis cognitum sit, & eius scripta omnia siquando citantur, Cæsellio attribuantur. Imperitè quidem & pessimo exemplo. Eiusque Cæcilij nomen quoties Vindicis cognomen in veteribus Grammaticis inuenitur, audacter pro illo, Cæsellij, restituendum est. Quod iudicium meum temerarium fortè videri possit, nisi eum auctorem huius sententiæ haberem, quem nemo vt minus idoneum hac in parte reiicere possit, & eius tam certam hac in re auctoritatem, vt contra eam afferri planè nihil possit. Intellego autem Cassiodorum scriptorem quidem, vt ita dicam, Ecclesiasticum, sed studiosum etiam litterarum nostratum, qui Iustiniani principis temporibus vixit. Eius ego libellum quendam perantiquum beneficio L. Carrionis amici mei, litterati hominis, De Orthographia manuscriptum nactus sum. In quo ille veterum omnium quicunque De Orthographia aliquid scripsissent, sententias compendiosè & breuiter recensuit: seruato tamen diligenter eo ordine, vt caput vnum cuique Grammatico seorsim daret, & quantum fieri posset, verba eius seruaret, veluti exempli caussa, *Cap. primum. Ex Agnæo Cornuto*

nuto ista collecta sunt. deinde. *Caput secundum. Ex Velio Longo ista collecta sunt.* ac sic in reliquis capitibus deinceps. Vt igitur nunc, quod ad rem facit, testificer, capite XII. tituli verba sunt. *Ex orthographo Cæsellio ista collecta sunt.* At tum capite sequenti manifestè Cæsellium à Cæcilio Vindice distinguens, *Ex L. Cæcilio Vindice ista collecta sunt.* Ruffinus etiam de Metris Comicis cùm Grammaticos aliquot enumeraret, ait, *Cæsius Bassus, Terentianus, Cæcilius Vindex.* qui locus integer est etiam in vulgatis. Reliqua omnia apud alios deprauata. Quare nihil caussæ est, quin & huic docto Grammatico vnà cum scriptis verum nomen restituamus, & illum alterum, qui in eius nomen temerè inuaserat, ab alienæ gloriæ hereditate reiiciamus.

CAPVT XXVII.

Ciceronis locus oratione pro Milone desumtus à Demosthene.

M CICERO cùm pro Milone omnibus ingenij & eloquentiæ viribus contra suum & communem bonorum omnium hostem Clodium diceret, id quod caput caussæ eius, & quasi arx erat, primùm diligenter ostendit, non vtrùm Clodius occisus sit, quod constabat, sed vtrùm iure occisus esset, quod in contentionem controuersiamque veniebat, quærendum iudicibus esse. In eamque rem, seu fabulam, seu historiam De Oreste affert, qui cùm matrem occidisse fateretur, deorum tamen duodecim sententia absolutus paricidij, iure occidisse eam vlciscendi patris caussa iudicatus est. Ciceronis verba ea de re sunt,

> *Itaque hoc, iudices, non sine caussa fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum qui patris vlciscendi caussa matrem necauisset, variatis hominum sententiis, non solùm diuina, sed etiam sapientissimæ deæ sententia liberatum.*

Quod quidem ille exemplum an à se habuerit, non confirmo; Demosthenes quidem certè oratione contra Aristocratem, eodem Orestis exemplo ad eandem rem comprobandam vsus est: vt ego quidem existimem, Ciceronem hunc locum, vt alia plurima, ad Demosthenis imitationem scripsisse. Demosthenis verba sunt, Δοκοῦσί μοι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ζητῆσαι τοῦτο πρῶτον ἁπάντων, οἱ περὶ τούτου ἐν ἀρχῇ τὰ δίκαια θέσαντες. πότερ' ἑδόκει χρῆ φόνον ὅσιον εἶναι νομίζειν, ἢ πανταχῇ ἐᾶν ὅσιον νομιστέον. λογιζόμενοι δ' ὅτι μητέρα Ὀρέστης ἀπέκτεινεν, ὁμολογῶν θεῶν δικαστῶν τυχὼν ἀπεφύγγανεν, νομίσαι δίκαιόν τινα εἶναι φόνον. εἰ γὰρ ἂν τά γε μὴ δίκαια θεὸς ψηφίσαιτ' ὡς δὲ τοῦτ' ἐνόμισαν, πρόφασιν ἔδωκε διορίζεσθαι σαφῶς, ἐφ' οἷς ἐξεῖναι ἀποκτεινύναι. Quod autem eadem oratione posterius Cicero enumeratis multis Clodij flagitiis ad extremum addit, *Capere eius amentiam ciuitas, Italia, prouincia, regna non poterant.* Id loquendi genus sumsisse ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

eodem Demosthene videtur, qui oratione contra Midiam post enumerationem aliquot criminum eius hoc ipsum quod Cicero addit: ἡ πόλις αὐτὸν οὐ χωρεῖ.

CAPVT XXVIII.

Afranij & Pacuuij loci, alter apud Agellium, alter apud Nonium emendati.

QVOD sæpe dixi, parua & vix digna caussa est, quæ & auctoribus ipsis vitium afferat, & legentibus tenebras nonnunquam offundat. B. & V. consonantis magna veteribus & in scriptura, & in pronuntiatione ipsa videtur fuisse similitudo & affinitas. Vt ea quidem de caussa infinitis & manifestis erroribus scripta veterum habeamus referta. Sed alios locos, in quibus hæc deprauationis caussa erat, alij indicarunt; ego duo quædam exempla nunc afferam, quorum vitium homines eruditos etiam video fugisse. Afranij poëtæ comici locus apud Agellium est,

Hem iste parentum est vitabilis liberis,
Vbi malunt metui, quàm vereri se à suis.

Ita enim versus hi sine vlla carminis aut sententiæ ratione deprauatissimè vulgò leguntur. In quibus restituendis nescio quomodo etiam M. Antonius Muretus, qua eruditione & iudicio vir? caligauit. Is enim in Variis lectionibus suis legendum putauit,

Horumce parentum est vita, bilis liberis.

Vita bilis, id est, amara & odiosa interpretatur. quod ego non opinor eum certè scripturum fuisse, si ingenij sui aciem in considerando loco diligentiùs intendisset. Quis enim Latinorum ita loquitur, vt dicat, Eius vita mihi bilis est? At vnius litteræ mutatione locus totus restituitur, si legamus, *Vita vilis.*

Horumce parentum est vita vilis liberis
Qui malunt metui, &c.

Quomodo etiam Cicero locutus est oratione in Catilinam, *Quorum est tibi videlicet auctoritas cara, vita viliſsima.* Error ortus ex cognatione V. & B. Eadem occasione peccatum est in illo Pacuuij versu apud Nonium,

Non potest hic, Menalippe, sine tua opera exantlari clauos.

Cùm perspicuè legendum sit, *Labos.* Quanquam Adamantius Martyr in libello De affinitate V. & B. quem manuscriptum vidi, affirmare omnino videtur, *Lauor*, vt *fauor*, *feruor*, non, *Labor*, scribendum esse. quod fortasse verum est.

IVSTI LIPSI
VARIARVM LECTIONVM
LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

M. Ciceronis locus pro L. Flacco partim emendatus, partim interpretatus.

CICERO cùm pro L. Flacco repetundarum reo diceret, cuius caussa grauissimorum & honestissimorum hominum testimoniis premebatur, acutè vidit, si reum seruatum vellet, omni ratione atque artificio testium fidem, in quibus robur & firmamentum accusationis erat, apud iudices sibi esse eleuandam. Itaque tota oratione Græcorum leuitatem, Iudæorum superstitionem, & Asiaticos testes multis facetiis & sale perstrinxit, & testimonia eorum non tam argumentando euertit, quàm iocorum multitudine quodammodo obruit. Cùm autem ad Decianum quendam ciuem Romanum venisset, quo auctore accusatus præcipuè Flaccus erat, cùm multa venustè & facetè in eum dixit, tum de iniuriis eius & iniquitate in prouinciales grauiter apud iudices questus est. Atque in aliis quæ illi obiicit, ait eum in prouincia multis blanditiis locupletem quandam mulierculam circumuenisse, in illius bona inuasisse, eiusque prædia tanquam propria, cùm lustrum à Censoribus conderetur, in censum retulisse. Sed quibus verbis ea res à Cicerone narrata est, ea ita deprauata circumferuntur, vt difficile sit hanc sententiam quam dixi, ex iis elicere:

Ad hæc prædia etiam in censu dedicauisti, mitto quòd aliena, mitto quòd possessa per vim, mitto quòd conuicta ab Apollonienſibus, &c.

In censu dedicare, hoc loco nec satis Latinè, nec satis commodè dici D. Lambinus acerrimi vir iudicij facilè animaduertit. Qui tamen cùm hunc locum emẽdare conatus esset, nescio quomodo à Ciceronis aperta sententia aberrans, vitium mea sententia non sustulit, sed quod temerarij nonnunquam medici, malè affectum locum magis etiam deprauauit & corrupit. Legi enim voluit, itaque edidit, *Ad hæc prædia etiam intensa dedicauisti. Intensa* autem interpretatur non censa. Qua quidem, si ita dicenda est, correctione, nihil potuit à Ciceronis sententia afferri

Universidad de Deusto
Biblioteca

alienius. Quod si ille non vidit, attentionem hominis doctissimi & ingenium desidero: siue vidit, & tamen cùm melius non inueniret, hoc maluit, quàm nihil dicere, temeritatem accuso. Nam vt omittam, *Prædia dedicare*, pro incensum referre, nullo exemplo apud veteres vsurpatum inueniri; tum qui attentiùs paullò superiora & sequentia consideret, non hoc Cicero dicit, Decianum prædia non censa, perinde ac si censa essent, rettulisse in censum: sed eum aperta malitia & circumscriptione, cùm in eius mulierculæ prædiorum possessionem familiam suam intrusisset, illa ipsa prædia tanquam sua & propria, postea esse censum. Ex hac sententia igitur puto locum hunc ita legendum, *Ad hæc prædia etiam in censum dedicauisti.* In censum autem dedicare, veteres in censum referre dixerunt, cuius locutionis insolentia loco huic Ciceronis fraudi hactenus fuit. P. Africanus oratione contra Tiberium Asellium,

Omnia mala, probra, flagitia quæ homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia atque nequitia. Vtrum defendis, malitiam? an nequitiam? an utrumque simul? Si nequitiam defendere vis, licet. Sed tu in vno scorto maiorem pecuniam absumsisti, quàm quanti instrumentum omne fundi Sabini in censum dedicauisti.

Ita hoc loco omnino legendum est. Vulgati vna voce, *Incensum*. Eodem igitur modo Cicero In censum dedicare, pro, in censum referre dixit, quomodo auctor non melior, sed certè antiquior Africanus ante eum vsurpauerat. Quod autem eadem ratione paullò posterius sequitur,

Census es præterea numeratæ pecuniæ centum triginta millia. Eam opinor numeratam tibi non esse abs te.

Vox, *Tibi*, superare hoc loco videtur, & certè ioci huius facetam sententiam obscuriorem reddit. Iocatur enim Cicero & illudit in Decianum hominem arrogantem & glorioſum, qui vt diuitiarum opinionem faceret, in censum retulerat facultates suas pluris, quàm quanti reuera erant. Atque inter alia cùm numeratæ pecuniæ census esset centum triginta millia; Census es tu quidem, Deciane, numeratæ pecuniæ tot millia, sed certè existimo, pecuniam eam non rectè numeratam abs te, cùm tantum in nummis tuis non habeas. His & similibus facetiis referta est oratio ista, & satis constat, non alia re quàm iocorum oportunitate in manifestissimis criminibus L. Flaccum seueritati iudicum à Cicerone esse ereptum.

CAPVT II.

Propertij libro tertio de coniectura locus purgatus.

OPTANDA nobis esset eorum felicitas, quibus in summa ingenij ac iudicij præstantia accessit etiam illa commoditas, vt cuiusq; generis veterum librorum copiam nacti, faciliùs & certiùs quacumque de re dubitatio incidisset, iudicare & constituere possint. Nos quidem quàtumcunq; in his litteris præstitimus, quod sentio quàm sit exiguum, id omne

non librorum antiquitati, quos paucos habuimus, sed ingenij nostri mediocritati possumus referre acceptũ. Ex quo genere est etiam illud quod nunc ex Propertio afferam, cuius est iste libro tertio versus,

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat ira manus.

Quem versum ille de Romanis protulit, quos cùm tota Elegia maximis & verissimis laudibus ornasset, etiam hanc gloriam eis tribuit, vt dicat, eos non magis bellis & armorum fama inclytos, quàm clementiæ & pietatis laude esse illustres, neque magis nouisse vincere, quàm victis hostibus temperare & parcere. Sed hoc sanè & verè & dilucidè ab eo dicitur, illud obscurius quod subiungit, *Victrices temperat ira manus.* Quomodo enim ira victoriam moderari aut victrices manus temperare dicitur, quæ irritare potius & incitare victoris animum solet? An'ne igitur legendum fortasse est,

Victrices temperat illa manus.

Vt id ad pietatem & clementiam referatur, à qua dicat victoriam moderatè temperari, & vincentis animum à crudelitate reuocari? Quod quidem ego existimo, nec tamen planè asseuero. Sequor enim veterem Academiam, vt ne rei quidem verisimili ita omnino assentiam, vt non liberum mihi iudicium in posterum reseruem. & quod Varro noster ait, Cras credo, hodie nihil.

CAPVT III.

M. Terentij Varronis in Satyris locus emendatus.

SATYRAM Varro scripsit περὶ ἐξαγωγῆς, in qua videtur contra eos præcipuè disputasse, qui ægritudine aliqua aut cura grauiore oppressi vim sibiipsis & manus fortiter, vt putant, afferunt. Ex ea Nonius Marcellus depravatum hunc locum affert,

Non vituperamus cùm sciamus dictum, præcidi oportere, si ob eam rem gangræna non sit ad bacchium ventura.

Quem locum existimo commodè sic restitui posse, *Non vituperamus; cùm sciamus digitum præcidi oportere, si o. e. r. g. n. s. a. brachium ventura.* Ex Dictum, Digitum, ex Bacchio, Brachium, postulante ita sententia, feci. qua in re quàm sæpe peccatum sit, vt C. pro G. & contrà librarij scripserint, nouerunt ij qui veteres libros vel aspexerunt. Gangræna verò malum quoddam est in manuum articulis originem habens, atque inde nisi magna diligentia præcautum, ad reliquum corpus demanans. Varro De Vita populi Romani libro tertio, *Quo facilius animaduertatur per omneis articulos populi hanc mali gangrænam sanguinolentam permeasse.* Ex hac ipsa occasione corruptus est alter eiusdem Varronis locus lib. secundo De Vita populi Romani.

Vt noster exercitus ita sit fugatus, vt Galli Romæ Capitolij sint potiti, neque inde ante sex menses gesserint.

Haut dubiè reponendum hoc loco, *Cesserint*, pro illo, *Gesserint*, quod equidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

equidem miror non animaduersum à nostratibus quibusdam doctis viris, qui Nonium non ita nuper correctum & ad veteres libros castigatum ediderunt.

CAPVT IV.

M. Ciceronis locus actione prima in Verrem depromptus è Demosthene.

QVOD Zeuxim illum præstantem artificem in effingenda Helenæ eximia pulchritudine feciſſe memoriæ traditum est, vt virgines omneis, quarum excellens formæ dignitas esset, vnum in locum conduceret, in easque intuens, vti quidque pulchrum esset, ad eius partis similitudinem artem & manum dirigeret: ita videlicet Ciceronem nostrum videmus, cùm mente concepisset speciem quandam perfectæ eloquentiæ, quasi conuocata ex tota Græcia præstantium rhetorum turba, sumsisse & delibasse ex singulis quod in vnoquoque esset maximè excellens & eximium, ex iisque coniunctis effecisse tantam illam vim & diuinitatem eloquentiæ, quantam humana mens capere maximam potuit, & quam nos posteri, non dicam commodè imitari, sed vix pro rei præstantia admirari satis possumus. Sed vt inter eosipsos Græcos Demosthenes vnus excelluit in omni genere dicendi, ita in imitatione præter ceteros hunc præcipuum Cicero sibi proposuit, & in eius scriptis cùm esset assidua lectione defixus, multa sententiarum & verborum lumina, quibus Græci illius oratio splendet, commutatis paullulum nominibus in sua scripta & Latinam orationem traduxit. Quæ quidem loca annotare vt magni ingenij non sit, magnæ certè diligentiæ est & iudicij. & vt de meo sensu profitear, vix aliud quidquam est quod me æquè ac locorum istorum similium contentio & comparatio delectet. Quare & antea his scriptis meis ex hoc genere multa insperſi, & nunc item locum quendam afferam, quem hic noster verecundè & artificiosè à Græco illo videatur expressisse. Cicero nobili illa accusatione in Verrem, statim initio actionis primæ, iudices diligenter commonefacit, non humano consilio, sed diuinitus quodammodo illis in hoc iudicio oblatam esse occasionem, vnà & Verris hominis nocētis puniendi, & simul iudiciorum & Senatus infamiam sedandi, quam, valdè prouidendum illis esse, ne amitterent. Demosthenes etiam de ementita legatione, omnia quæ in eo iudicio contigerant, altiori quodam consilio & diuina quadam beniuolentia contigisse confirmat. quòd cùm Aeschines superiora omnia iudicia elusisset, iam in id tempus se coniecisset, in quo si non ob aliud, saltem ob imminentia pericula damnari eum necesse esset. Verba vtriusque, quò clarior res sit, apponam. Cicero:

Quod erat optandum maximè, iudices, & quod vnum ad inuidiam vestri ordinis infamiamque iudiciorum sedandam maximè pertinebat; id non humano consilio, sed propè diuinitus datum atque oblatum vobis summo reipub. tempore videtur.

Et

Et paullò posterius:

Nunc in ipso discrimine ordinis iudiciorumque vestrorum, cùm sint parati qui concionibus & legibus, hanc inuidiam Senatus inflammare conentur; reus in iudicium adductus est C. Verres, &c.

Demosthenes porrò de Æschine planè similia. Τρόπον δὲ τίνα ἡγοῦμαι, ἢ βέλομαι, καὶ τὰ νῦν συμβεβηκότα πάντα δεῖ ταῖς εὐθύναις ταύταισι δαιμονίας τινὸς εὐνοίας ἔνδειγμα τῇ πόλει γεγενῆσθαι. Et statim posterius, Αλλὰ γὰρ ἀκριβούμενος πάντα τὸν ἔμπροσθεν χρόνον εἰσελθεῖν εἰς τοῦτον ὑπῆρξαι καιρὸν, ἐν ᾧ τῆς ἐπὶ ὀνήτῳ ἕνεκα εἰ μηδενὸς ἄλλου, ἀλλ' οἰόντε, διὰ ἀσφαλὲς ὑμῖν ἀποδοθήσεσθαι τὸν ἀδικοῦντα. ἀεὶ μὲν γὰρ ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι πρέσβεις μισεῖν, καὶ κολάζειν τὰς προδότας καὶ δωροδόκους. μάλιστα δὲ νῦν, &c.

CAPVT V.

Catulli Epigramma in Vettium, & Cominium, in quos scripta videantur.

C CÆSAR in consulatu suo quem cum M. Bibulo gessit, cùm multa populariter & præter Senatus auctoritatem administraret, omnibusque actionibus suis Optimatum dignitati aduersaretur, commentus est callidum quoddam & acutum consilium, quo Senatum & Optimates in populi inuidiam atque offensionem trahere posset. Cn. Pompeius eo tempore propter amplitudinem rerum gestarum, domi militiæque solus plurimum poterat. Eum igitur vt Senatui infensum redderet, subornauit Vettium quendam, qui de industria cum telo deprehendi se sineret: atque is cùm, vt constitutum erat, à Consule Cæsare in rostra ad populum productus esset, indicium postularet; & fateretur, se vnà cum seruis, Pompeij occidendi causſa, cum telo fuisse, eiusque facinoris conscios & impulsores amplissimos totius Senatus, & totam ferè iuuentutem nominaret. Qua tam atrocis sceleris suspicione cùm Pompeium ipsum, tum etiam plebis animos à Senatus & bonorum causſa abalienaret. Narrata hæc res copiosè est à Cicerone Epistolis ad Atticum, & à Suetonio in Cæsare. Nunc cuius causſa hunc sermonem instituī. Hac de re & de hoc ipso Vettij facto intelligendum existimo Epigramma illud Catulli,

In te si in quemquam, dici pote putide Vetti,
Id quod verbosis dicitur & fatuis.
Ista cum lingua, si vsus veniat tibi, possis
Culos & trepidas lingere cercolipas.
Si nos omnino vis omneis perdere, Vetti,
Dicas, omnino quod cupis efficies.

Hunc enim Vettium vt fatuum & putidum insectatur, qui rem tam nefariam susceperisset, & tot homines nobilissimos & optimos impura lingua sua nominare ausus esset. Neque aliter versus iste nisi de historia hac intellegi commodè potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si nos omnino vis omneis perdere, Vetti.

Si, inquit, Vetti, non satis est tibi aliquos conscios falsò nominare, sed omnino omneis bonos vnà nobiscum perdere vis:

Dicas, omnino quod cupis efficies.

Hic iocus Epigrammatis & venustas est. Si nos omneis vis perdere, inquit, nullo negotio & facilè potes id efficere. Dicas modò, id est, eloquere & audiamus semel sermonem tuum, assequêris & efficies quod voles: tanta est enim inquinati & fœdissimi oris tui turpitudo, vt simul atque loqui cœperis, nos omneis audientes contagione perdas & inficias. Videtur hîc autem nefariæ cuiusdam turpitudinis Vettium accusare, vt qui ne capiti quidem suo parcere didicisset. Aliud porrò illud Epigramma quod in Cominium scripsit,

Si, Comini, arbitrio populi tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta auido sit data vulturio.
Effossos oculos voret atro gutture coruus.
Intestina canes, cetera membra lupi.

Scriptum mihi à Catullo videtur in Cominium, rabulam quendam de foro, & odiosum accusatorem, cuius & Cicero & Asconius Oratione pro Cornelio meminerunt, & pro Cluentio Auito. A quo cùm esset vel ipse Catullus vel amicorum eius aliquis iniuria affectus, seu forsitan etiam accusatus, hoc Epigrammate acerbam eius & inimicam bonis omnibus linguam & loquacitatem insectatus est. Vt autem hæc apertè & non dissimulato nomine scripta sunt in eos quos lædere destinarat, ita contrà illud Epigramma quod in Alphenum inscribitur, ficto & suppositicio nomine manifestè in Pompeium mihi dirigi videtur, cuius nimiam potentiam tamen cùm reformidaret, non ausus est apertè & palam in eum inuehi:

Alphene immemor, atque vnanimis falsè sodalibus,
Iam te nil miseret dure tui dulcis amiculi,
Iam me prodere, iam non dubitas fallere perfide,
Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent.
Quæ tu neglegis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu quid faciant, dic, homines, cuiue habeant fidem?
Certè tute iubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mî forent:
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaq;
Ventos irrita ferre ad nebulas aërias sinis.

Quæ mihi omnia sub Ciceronis persona in Pompeium scripta videntur. Atque ea de Cicęronis exsilio intellego. Cuius caussam præcipuam in Pompeio & Cæsare fuisse Cicero sæpius testatur. Cæsar quidem apertè cum illa furia P. Clodio faciens, Ciceronem oppugnabat: Pompeius, simulatione, falsis promissis, ad extremum etiam aperta proditione eum euertit. Nam vt Cicero sępe testatur, & quod hîc Catullus dicit, semper Pompeius Ciceroni omnia tuta esse pollicebatur; verbum de eo Publium

Publium non esse facturum recipiebat; tandemque in ipso discrimine supplicem & fidem eius implorantem eum deseruit, vel verius prodidit. Hoc igitur nunc à Catullo Põpeio obiici crediderim, qui alioqui Cæsari & toti illi caussæ fuit inimicissimus, & multis aliis locis Ciceronis inimicos, Pisonem, Vatinium, Sex. Clodium, Cæsarem palam est insectatus.

CAPVT VI.

De Ciceronis loco pro Roscio Amerino diligentiùs disceptatum.

CICERO pro Sex. Roscio,

Cùm iam proscriptionis mentio nulla fieret, & cùm etiam ij qui anteà metuerant, redirent, ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur, hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus.

Videte quàm multa in veterum scriptis diiudicandis nos fallant. Locus hic cui prima fronte non videatur sincerus & integer? aut cuius tam subtile iudicium & acumen est, qui deprauationem aliquam in eo latêre posse iudicet? Sententia optima, optimis verbis elata, omnia aptè & ordine sequentia. Non esse tamen locum hunc satis integrum Charisius Sosipater perantiquus Grammaticus suspicionem mihi fecit, aut verius fidem. Videlicet vt in membris nostris sæpe aliquid ruptum aut conuulsum est, quod tamen ita artificiosè cælemus, vt nisi à conscíis difficile sit vitium animaduerti: ita in veterum nonnunquam scriptis occulta quædam vitia & deprauationes insunt, quæ sine Grammaticorum aut librorum veterum indicio, nostra sponte difficulter possimus deprehendere. Charisius igitur locum hunc hac ipsa oratione nominata sic affert, *Cùm iam nulla proscriptionis commemoratio fieret, cùm etiam ij qui antea proscripti erant, sederent, nomen refertur in tabulas Sex. Roscij.* Quid potest à vulgata lectione magis diuersum esse aut discrepans? Et sanè difficile hîc iudicium est. A librorum omnium veterum auctoritate, qui à vulgatis faciunt, non libenter recedo; & Charisio tamen veteri Grămatico, cuius ætatem nullus, opinor, liber manuscriptus quamuis antiquus, æquare possit, fidem omnino derogare, impudentiæ sit. Neglegentes sæpe in auctorum verbis citandis veteres Grammatici; fateor. sed tantam neglegentiam in Charisio fuisse, qui ex tota hac circunductione & periodo vix tria germana Ciceronis verba poneret, adduci non possum vt existimem. Locum igitur totum membratim proponam, & dicam quid sit in singulis iudicij mei. *Cùm iam proscriptionis mentio nulla fieret*, vulgati referunt: Charisius autem, *Cùm iam nulla proscriptionis commemoratio fieret.* vtrunq; retineri cõmodè potest; istud postremum tamen Charisij auctoritas à me impetrat vt approbem. Sicuti contrà illud eiusdem Charisij præ vulgata lectione vehementer reiicio quod sequitur, *Cùm etiam ij qui antea proscripti erant, sederent.* Ex qua lectione etsi sententia non incommoda, falsa tamẽ efficitur. Falsum enim est & præter historiæ fidem, eos qui proscripti erant, viuêre adhue L. Sulla, sediſse, id est, dignitatem recuperasse & Senatores iterum factos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

horum enim erat sedere, neque vnquam profectò ne recuperata quidem rep. proscripti, aut etiam proscriptorum liberi ad honores & dignitatem admissi sunt. Quare illud, *Sederent*, quod Charisius habet, mea sententia reiiciendum est, & hac in parte vulgata lectio retinenda. Nisi fortè quispiam loco eius, *Sederent, Redirent*, apud Charisium reponendum existimet, quod est omnino melius, nec tamen mihi planè satisfacit. nam ne id quidem satis verè à Cicerone dicetur, eos qui semel proscripti erant, ausos esse viuo adhuc & dominante L. Sulla redire. Illud autem obseruatione valde dignum est, ex hac Charisij citatione Ciceronis locum integro membro effici auctiorem, *Nomen refertur in tabulas Sex. Roscij.* quę verba ab omnibus vulgatis libris & absunt, & desunt, eaque legenda & interserenda sunt ante illa, *Hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus.* Atque ita apta & consequens sententia efficietur. Antè enim in tabulas publicas nomen proscriptorum referri debebat, quàm bona eius hastæ subiici possent aut diuendi. Sic igitur totum locum legendum iudico: *Cùm tam nulla proscriptionis commemoratio fieret, cùm etiam ij qui antea metuerant, redirent, ac defunctos sese periculis arbitrarentur, nomen refertur in tabulas Sex. Roscij, hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus.* Hæc huius loci, meo iudicio, vera lectio & restitutio est; etsi fateor, me aliquando propter hanc tantam diuersitatem verborum, quæ in Charisio & vulgatis est, existimasse, ea quæ Charisius affert, non ad hunc locum pertinere, sed esse ex hac ipsa oratione fragmentum aliquod, quod in vulgatis libris temporum iniuria periisset: fieri enim potest, vt eandem rem Cicero, postulante ita caussa, paullulum commutatis verbis, iterum alibi commemorauerit, & iudicium memoriæ subuenerit. Hoc etsi video non omnino reiici posse, tamen in priorem illam sententiam meam magis propendeo. Quòd siquis est, qui vulgatam illam lectionem pertinaciter defendat & probet, cum eo equidem de reliquis non magnopere pugnabo: illud modò tencatur, verba ea quæ ego ex Charisio ad Ciceronis locum addidi, omnino in vulgatis esse reponenda, eaque ratione Ciceronis orationem illam augendam & supplendam.

CAPVT VII.

In Propertio dignum quiddam obseruatione annotatum.

VARIA est in Propertio & recondita eruditio, & præter sententiarum elegantiam & acumen, multa in verbis quoque ipsis, quæ notatione & laude dignentur. Illud quidem in eo valdè nouum, & haut scio an facilè apud alium scriptorem inuentum, vt verbis Simplicibus, vtamur enim Grammaticorum vocibus vt res possit intellegi, propria quadam & singulari ratione vtatur pro Compositis, eamque significationem, quàm verba iuncta habere debebant, nescio qua opinione elegantiæ, verbis simplicibus non rarò tribuat. Exemplis fiet res manifestior. Sectari, pro Insectari, Testari, pro Detestari, præter ceterorum

terorum scriptorum morem, apud hunc poëtam inuenies, aliaque quæ nunc afferam. Quod qui vel ignoret, vel non obseruet, in multis sanè eum Propertij locis natare, & dubium hærere necesse sit. Elegia VIII. libri secundi,

Exagitet nostros manes, sectetur & vmbras,
Insultétque rogis, calcet & ossa mea.

Sectetur, pro Insectetur manifestè hoc loco vsurpatum esse, qui non omnino sit ingenio & iudicio rudis, vel ex sequentibus facilè intellegat. Elegia item XVI. eiusdem libri,

Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
Candida tam fœdo brachia fusa viro,
Nec quia peccaris, testor te, sed quia vulgò
Formosis leuitas semper amica fuit.

Hic ego, *testor te*, detestor & accuso te, interpretor. Quia autem locus hic obscurior est, eumque ab iis qui in hunc poëtam scripserunt, tentatum verius quàm explicatum video; non grauabor vestra & Propertij mei caussa totam eius sententiam breuiter asscribere. Propertius tota hac Elegia dolenter & acerbè apud Cynthiam conqueritur, Prætorem quendam fœdum hominem & barbarum, sed qui plenus & bene nummatus ex prouincia decesserat, à Cynthia in amore sibi esse præpositum. Et post multas querelas addit: Etsi iusta & æqua caussa iracundiæ meæ esse possit, ô Cynthia, non tamen hoc tantopere doleo, quòd septem continuas noctes in impuri istius complexibus iacueris, cùm interea simulares te seiunctam cubare, & Isidi operari, neque id succenseo, quòd alium aliquem ad amorem tuum admittas: possum enim rara & verecunda dominæ meæ furta modicè ferre: sed hoc vnum maximè me excruciat, & ideo irascor tibi ac te detestor, quòd verear ne hic nouus amator totum se ita tibi insinuet, vt ego posthac omnino excludar, nec primum locum, vt soleo, in amore tuo teneam. Solet enim vulgò & plærumque, inquit, formosis comitari leuitas, & puellis propria esse in amore inconstantia. Perit etiam, pro Deperit, & amat, eadem Elegia dixisse videtur,

Ergo muneribus quiuis mercatur amorem?
Iupiter! indigna merce puella perit.

Hæc sententia: Bone Iupiter! est'ne dignum, puellas donis & muneribus amorem suum vendere, ac indigna merce & pretio quemuis amare ac deperire? Elegia item IX. libri primi,

Quippe vbi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat amor.

cedat, non aliud quàm concedat, hoc loco valere perspicuum est, etsi vidi qui hunc versum eius rei ignoratione mutare conati sint. Hæc autem noua sunt, fateor, & satis audacia, &, si verum quærimus, poëtis potius quàm oratoribus concedenda. etsi video ne Ciceronem quidem nostrum, hominem alioqui in verbis nouandis cautum & verecundum, in vna quadam voce, quod obseruauerim, hanc rationem refugisse. Tribuere enim, pro Distribuere aliquoties apud eum inuenies, vt in

Universidad de Deusto
Biblioteca

illo optimo libro qui Orator inscribitur, *Nec verò sine philosopherum disciplina genus & speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus.* Et eodem libro postea, *Tum videndum est quæ sint eius generis siue formæ siue partes, vt in eas tribuatur omnis oratio.* Tribuere in partes, partiri & distribuere Cicero dixit. Ab eadem porrò ratione fluxisse videtur, quod idem Propertius etiam contrà verbum compositum pro simplici vsurparit, his versibus,

Non vllo grauius tentatur Cynthia damno,
Quàm sibi cùm rapto cessat amore deus,
Præcipuè nostri. maneat sic semper adoro,
Nec quicquam ex illa quod querar inueniam.

Adoro, pro oro, seu verius, valde & vehementer oro dixisse videtur.

CAPVT VIII.

M. Varronis locus deprauatissimus ex parte restitutus.

MISERET me profectò conditionis tuæ, M. Varro, cuius scripta plena eruditionis & elegantissimæ doctrinæ, temporum dicam an hominum imperitorum iniuria ita conflictata sunt, vt nihil ad posteritatem peruenerit corruptius, nihil deprauatius. Ne longè abeam vel hunc vnum locum quem modò afferam, quis amans nominis & honoris tui sine dolore aspicere possit?

Ante auris modò ex sobolibus paruuli intorti dimittebantur, sed cincinni oculi suppætuli nigellis pupillis quam hilaritatem significantes animi rictus paruissimus, vt refrenato risu roseo.

Quid potuit fieri corruptius? aut quid cogitari perturbatius? vix tria sanè verba hac tota circumductione suo ordine posita, aut sincera videntur & integra. Conemur tamen, si non totum locum, at aliquas eius parteis emendatione nostra restituere. Lego igitur, *Endoaures modicè* ex sobolibus, & cincinni paruuli intorti demittebantur. Oculi suppætuli nigellis pupillis, nescio quam hilaritatem animi significantes; rictus purissimus, ore frenato, risu roseo.* Vel, *Endoaures modicè sobolibus paruulis intorta dimittebantur, vt cincinni.* Describere autem magnificum & modestum habitum nescio cuius virginis aut matronæ Varro videtur, quò etiam pertinent verba hæc quæ Nonius ex hoc ipso libro affert, *Collum procerum, fictum leui marmore, Regillam tunicam diffingitur purpura.* Sed in hoc fragmento cùm reliqua, vt mihi videor, non ineptissimè restituissem, illud tamen, *Sobolibus*, quid hîc sibi vellet, aut quomodo mutandum esset, diuinatione nulla assequi potui. hoc igitur relinquam inuestigandum peritioribus. *Endoaures*, autē, pro *Anteauris*, reposui: videturq; mihi Varro antiquo more, *Endoaures*, pro Inaures ita dixisse, vt Lucretius, Endogredi, pro ingredi, Endopedire, pro impedire, & Ennius, Endotueri, pro Intueri, idemq; Varro etiam libris De Vita populi Romani Endo lecto, pro In lecto, quo loco tamen vulgati, Ante lecto referunt. Nisi fortè *Anteaures*, vt Inaures noua quadam ratione à Varrone dictæ

dictę sint. Locus autem iste quem adduxi, apud Nonium Marcellum exstat, citatus è Satyra Papiappę, corrupto sane titulo, sed quem necesse habemus hoc nomine tātisper vocare, donec melius aliquid inuenerimus.

CAPVT IX.

Terentij locus qui videatur de Alexide expressus.

MVLTA in Terentij Comœdiis sunt à Græcis, vel potius omnia. Menandri & Diphili fabulas, vt ipse fatetur, integras de verbo expressit; sed ita tamen expressit, vt nonnunquam etiam ex aliis Græcis scriptoribus aliquid ad ornamentum fabularum suarum aliunde asciscerēt. Veluti in Adelphis quæ Comœdia à Diphilo est, egregiam illam similitudinem de Vitæ inconstantia, quam tesserarum ludo comparat, nescio certè an à Diphilo habeat; Alexidem quidem comicum & ipsum poëtam, hac eadem comparatione vsum esse obseruaui. Alexis,

Τοιοῦτο τὸ ζῆν ἐστιν, ὥσπερ οἱ κύβοι.
ἃ ταῦτ' ἀεὶ πίπτουσιν: ἀδὲ τῷ βίῳ
ταὐτὸν διαμένῃ χῆμα, μεταβολὰς δ' ἔχῃ.

Terentius:

Ita vita est hominum quasi cùm ludas tesseris,
Si illud quod est maximè opus iacto non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas.

Eadem, vt videtis, in vtroque similitudo est, quamuis vterque ad aliam & diuersam rem demonstrandam ea sit vsus. Non affirmo igitur, Terentium hanc habere ab Alexide; Græcum tamen illum simile quiddam dixisse, operæpretium putaui annotare.

CAPVT X.

Q. Asconium & Valerium Maximum De P. Rupilio à Cicerone dissentire videri.

CICERO accusatione in Verrem P. Rupilij qui leges Siculis De Legatorum decem sententia tulit, sæpius commeminit. Sed quando Rupilius leges eas tulerit, video Ciceroni cū Valerio Maximo & Asconio non satis conuenire. Nam Cicero quidem manifestè leges eas à prætore Rupilio latas esse dicit libro secundo De Prætura Sicilienſi,

Dicit Heraclius ius esse certum Siculis quo iure inter se certarent, legem esse Rupiliam, quā Prætor Rupilius ex SC. *De Decē legatorum sentētia dedisset.*

Valerius autem Maximus scribit, hunc P. Rupilium cùm initio operam publicanis vili officio dedisset, Consulem postea esse factum, ab eoque Consule vniuersos Siculos leges accepisse, & prædonum item fugitiuorumque bellum in Sicilia profligatum & confectum. Asconius etiam à Valerio apertè facere videtur, cuius verba subiunxi. *Hic est*, inquit, *P. Rupilius qui quondam ex publicano factus consul, postea de decē legatorum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

torum sententia leges Siculis conscripsit. Quid igitur? falsum in historia Ciceronem existimemus? & hoc inter eius μνημονικὰ ἁμαρτήματα referamus? difficile equidem eò confugio. & valdè mirum sit, Ciceronem in re tam recentis memoriæ, & in qua erroris sui populum ipsum testem habere posset, adeò neglegenter esse lapsum: & si lapsus tamen esset, non esse id ab Asconio qui manifestè ab eo dissentit, annotatum. Itaque & aliquando suspicatus sum, illum Ciceronis locum, in quo prætorem Rupilium facit, corruptum esse, & cùm Cicero scripsisset, *Legem esse Rupiliam, quam P. Rupilius.* neglegentem aut non intellegentem librarium ex ea nota quæ Publium significet, Prætorem fecisse. Cuius sententiæ adeò me non pœnitet, vt donec coarguar, adhuc in ea constanter maneam, malimque librarium neglegentiæ, quàm Ciceronem ignorantiæ condemnari. Eadem etiam oratione quòd Cicero Siciliam primam in formam prouinciæ redactam esse confirmat, alij auctores sunt qui id Sardiniæ tribuant.

CAPVT XI.

M. Catonis loci duo, alter apud Agellium, alter apud Priscianum emendati.

AGELLIVS illustrem quendam locum M. Catonis censorij ex Originibus affert, quo ille Q. Ceditij tr. mil. præclarum factum & insignem animi magnitudinem purè & eleganter narrauit:

Dij immortales tr. mil. fortunam ex virtute eius dedêre. nam ita euenit cùm saucius multifariam ibi factus esset, tum volnus capiti nullum euenit, eúmque inter mortuos defatigatum volneribus atque spirantem quod sanguen defluxerat cognouere, eúmque sustulere. ísque conualuit, sæpéque post illam operam reip. fortem atque strenuam perhibuit, illóque facto quod illos milites subduxit, ceterum exercitum seruauit.

Locus elegans & sine fuco ac cincinnis simpliciter narratus, quem tamen vetustę cuiusdam vocis, qua Cato vsus erat, ignorantia deprauatum habemus. Loco enim eius, *Sepéque post illam operam*, omnino legendum est, *Sæpéque postillà, operam reip. Postillà*, autem antiquum verbum est, idemque quod postea significat, quo & Ennius, & Terentius, Catullus, & Propertius vsi sunt. Addam hîc etiam eiusdem Catonis locum ex oratione contra Veturium, qui apud Priscianum vitiosè ita legitur,

Aquam Anienem in sacrarium inferre oportebat, non minus autem XV. *millia Anien abest.*

Legendum haut dubiè atque emendandum est, *Aquam Anienam.* vti Propertius dixit, lympham Anienam,

Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.

CAPVT

CAPVT XII.

Duum locorum Propertij correctio.

PROFECTO experiendo demum sentio quod à doctissimis nostri temporis viris proditum video, Nullum esse mendum in veterum scriptis tam pusillum, quod non permagni interfit tanquam è facie maculam deleri. Res enim sæpe parua & vix dignus error est, qui planam alioqui & dilucidam sententiam ita vel peruertat, vel impediat, nihil vt in ea primum sit, nihil extremum. Ne labar longiùs, vel exempli caussa illum Propertij libro primo versum quàm parua caussa est quæ corruperit, & adhuc obscurauerit!

Et mihi non desunt turpes pendêre corollæ,
Semper & excluſis ſigna iacere faces.

Hîc vnius litteræ superflua additio sententiam totam peruertit, quæ detracta eadem est planissima. Legendum est enim,

Semper & excluſi ſigna iacêre faces.

Sequentis enim vocis prima littera ad prioris finem adhæserat, quod aliàs sæpè. Solent autem amantes, cùm totam noctem fruſtra, & non recepti dominæ foribus inuigilassent, exstinctas & deficientes faculas ad ostium abiicere; quas dum vicini, & prætereuntes manè viderent, facilè eo signo iudicabant, amatores eam noctem ibi insomnem traduxisse, atque ita dominam, quæ ædes eas haberet, non nimis honestam & pudicam esse. Faces autem & coronæ istæ, signa ebriorum. Plutarchus in Pyrrho: Καὶ τῇ θύρᾳ καθεζομένῃ, λαβὼν στέφανον τῶν ἑώλων καὶ λαμπάδιον, ὥσπερ οἱ μεθύοντες. Conqueritur igitur ianua, quam hoc loco Propertius loquentem induxit, non posse se pudorem dominæ suæ defendere, etiamsi maximè velit, cùm alius noctu foribus carmina affigat; alius ianuam corollis ornet; alius exstinctas faces ad ostium abiiciat: quæ omnia de dominæ impudicis moribus se tacente facilè testentur. Eadem planè & gemina caussa erroris esse mihi videtur illo versu libro tertio:

Cur tua præſcripto ſeuecta eſt pagina gyro?
Non eſt ingenij cymba grauanda tui.

Quo loco libenter equidem legerim,

Cur tua præſcriptos euecta eſt pagina gyros?

Etsi non desunt qui illud, *Seuecta*, pro seorsum vecta interpretantur, à quibus eò verecundiùs dissentio, quòd amicis meis quibusdam eruditis hominibus idem videri intellego. Mihi tamen non paullò elegantiùs, atque etiam vsitatiùs, Euehi terminos aut gyrum, dici videtur, quàm Seuehi gyro, vt omittam, me id verbum simili aliqua locutione apud idoneum & veterem auctorem nondum repperisse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XIII.

Ratio quædam loquendi minimè vulgata in Cæsare, & Virgilio obseruata.

OBSERVASSE videor, C. Cæsarem peritum hominem, & in sermone proprietatis valdè amantem, *In manibus esse*, noua quadam ratione, & præter vulgatam consuetudinem vsurpasse Commentario secundo Rerum à se gestarum:

Subitò omnibus copijs prouolarunt, impetúmque in nostros equites fecerunt. His facilè pulsis ac perturbatis incredibili celeritate ad flumen decurrerunt, vt pænè vno tempore & ad siluas, & in flumine, & in manibus nostris hostes viderentur.

In manibus esse, nisi fallor, dixit præsentes esse, & ita propinquos, vt pænè manibus tangi possent. Quomodo etiam illud Virgilij accipiendum mihi videtur:

Quod votis optastis adest, perfringere dextra,
In manibus Mars ipse, viri.

Id est, quod votis semper optastis, vt pugna decernere cum hoste posseris, nunc aliquando contigit, ecce in manibus Mars, & præsens iam nunc pugna est. Cicero etiam non longè dissimili ratione in Bruto scripsit illud: *Sed ecce in manibus vir & præstantissimo ingenio, & flagrantissimo studio C. Gracchus.* Cato item Censorius, *Neque mihi ædificatio, neque vasum, neque vestimentum vllum est in manu pretiosum.* Memini me autem simile etiam aliquid apud Arrianum Græcum scriptorem legere, cuius exemplum libenter apponerem, si liber mihi nunc in manibus esset. Quod autem Cicero libro quinto in Verrem de supplicijs scribit, *Dij approbent. habemus hominem in Fecialium manibus educatum.* id interpretor, in præsentia fecialium, & perpetua consuetudine educatum. Quod qui immutare conati sunt, & ex eo, *in fecialium moribus*, fecerunt, dum acuti videri volunt, non aliud quàm ignorantiam suam prodiderunt. Extat hoc idem dicendi genus in vetusto & elegantissimo Epigrammate,

Docta, erodita pænè musarum manu.

Hæc ego idcirco annotare volui, vt videremus in quot quamque varias significationis formas vna eademque oratio fingi & inflecti possit.

CAPVT XIIII.

De Ciceronis loco quodam in Bruto disceptatum.

MAGNA fuit semper Ciceronis de Isocrate opinio, honorificum de scriptis eius iudicium. Cuius laudes cùm multis locis magnificè persecutus sit, tum nusquam, vt opinor, præclarius aut honorificentius de eo testimonium reliquit, quàm in eo libro quem Brutum, vel De Claris oratoribus inscripsit:

Exstitit,

Exstitit, inquit, *iam senibus illis quos paullo antè diximus, Isocrates, cuius domus cunctæ Græciæ quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi, magnus orator & perfectus magister, quanquam forensi luce caruit, intráque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem, meo iudicio, est postea consecutus.*

Quæ si rectè leguntur, propensione quadã voluntatis suæ in Isocratem, magnam & profectò nimiam laudem ei tribuisse putandus est Cicero, cui tantam gloriam affingit, quantam neminem postea oratorem consecutum existimat. Quid enim? Æschines, aut eo præstantior orator Demosthenes ad Isocratis gloriam non peruenerunt? imò etiam multis partibus superauerunt. neque existimare possum, quamuis valdè Isocratem suum amauerit, vt certè amauit, Cicero, ausum tamen eum fuisse, Isocratem non dicam præferre, sed contendere cum Demosthene. Itaque iudicet quisque vt volet, ego tamen Ruffini Grammatici lectionem non possum non vehementer approbare, qui hoc loco manifestè legit, *intraq; parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem, meo iudicio, est poëta consecutus.* Qua lectione, meo iudicio, nihil aut verius esse potest aut elegantius, vt videlicet Cicero ita Isocratem laudet, vt dicat, magnum quidem eum oratorem & perfectum magistrum fuisse; sed tamen quia intra priuatos modò parietes poëtarum in morem versata sit eius oratio, neque in forum atque aciem prodierit, non cum oratorum gloria esse comparandum, sed in suo genere meruisse eam laudem, ad quam nemo poëta peruenerit. Ac valde quidem aptè & conuenienter eum oratorem cum poëtis comparare mihi videtur, qui alioqui eo genere vsus est numerosæ orationis, quæ parum à versu differat, & cuius dictionem poëticam Dionysius Alicarnassæus, alijque magni iudicij scriptores veteres vocauerunt. Atque hanc tamen lectionem, de qua tantopere asseueraui, siquis non probat, meminerit; eam non à me confictam, sed in veteri Grammatico inuentam, diuulgatam, & confirmatam.

CAPVT XV.

Ex oratione ea, quæ Ciceroni in Sallustium inscribitur, locus emendatus.

HABEBO honorem hunc vel Ciceronis nomini, vt ex oratione ea, quam opinio est, à Cicerone in Sallustium esse conscriptam, depraua tum locum quendam vel indicem, vel emendem: non meherclè orationis ipsius causa, quam ego & ineptam & vix dignã iudico quæ iterum legatur, sed, vt dixi, in Ciceronis solius gratiam, cuius eloquentissimi viri nomen illi nescio cuius declamatoris & rabulæ orationi hactenus indignè mansit præfixum. Statim igitur ab initio orationis istius, post longum & otiosum exordium, hæc hominis Sophistæ verba sunt,

Verùm eò magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem peccare, minimis rebus posuit rudimentum; sed ita ingressus est, vt neque ab alio vinci possit, neque ipse se omnino reliqua ætate præterire. Itaque nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliud ſtudet, niſi vt lutulentus ſus cum quouis volutari. Longè verò opinione fallitur. non enim procacitate linguæ vitæ ſordes eluuntur.

In hac oratione vſus ſum aliquando antiquiſſimo libro, qui apud Gemblacenſes aſſeruatur, in quo illud, *Sus*, quod ſtatim poſt, *Lutulentus*, ſequitur, manifeſtè aberat. Ex qua occaſione cùm locum totum attentiùs conſiderare, & cum præcedentibus ac ſequentibus conferre cœpiſſem, iudicaui ſanè, verba hæc quomodo in vulgatis leguntur, non ſatis ſincera eſſe & integra; id quod ex orationis ipſius ductu & ſerie quilibet mecum facilè videat. Quàm aptè enim aut quomodo tandem iſta cohærent? *Itaque nihil aliud ſtudet, niſi vt lutulentus ſus cum quouis volutari. Longè verò opinione fallitur. non enim procacitate linguæ vitæ ſordes eluuntur. ſed eſt quædam,&c.* In quibus primis verbis cùm impudicitiam Salluſtio obijcere videatur, ſtatim tamen de procacitate linguæ eius, & calumniandi ſtudio ſubiungit. Itaque cùm de toto loco attentiùs aliquando cogitarem, viſus mihi ſum tandem veram eius ſententiam & germanam lectionem repperiſſe. Primũ enim illud, *Sus*, quod à veteri libro deeſt, & quod ex præcedentis dictionis geminata ſyllaba natum erat, rectè deeſſe iudicandum eſt. deinde ſi illud, *Volutari*, in, *Velitari*, mutaueris, apta & cum ſequentibus rectè cohærens efficietur ſententia: *Itaque nihil aliud ſtudet, niſi vt luculentus cum quouis velitari. Longè verò,&c.* Id eſt, ita procax effectus eſt Salluſtius, vt nihil aliud ſtudeat, niſi tanquam homo feſtiuus & luculẽtus cum quouis velitari, & quemuis calumniis ac improba lingua inceſſere. Quæ quidem lectio ſequentibus ſtatim verbis manifeſtè comprobatur, *Longè verò opinione fallitur. non enim procacitate linguæ vitæ ſordes eluuntur, ſed eſt quædam calumnia, quam vnuſquiſq. noſtrum teſtante animo ſuo fert de eo, qui falſum crimen bonis obiectat.* Dicit igitur hic quicunque tãdem rabula, Salluſtium hominem impuris moribus & à puero in omni ſcelerum colluuione verſatum atque imbutum, non aliud ſtudere ac conari, quàm vt eandem vitæ labẽ quam ipſe concepit, in bonos & probos viros deriuet & transfundat, eorumque inſectatione de ſua inuidia aliquid deoneret. Lõgè verò eum hac in re falli & errare ait, neque calumnijs aut procacitate linguæ anteactæ vitæ maculas elui; ſed potius cùm ea flagitia alijs obijciat, quæ ipſe in ſe agnoſcat, illud aſſequi, vt eorũ commemoratione, ſua & propria vitia in audientium animis renouet, & quodammodo aperiat. Velitari autem hoc loco inſectari & probra obijcere ſignificat, in quam ſentẽtiam apud veteres ſcriptores frequenter inuenitur. Plautus, *Neſcio quid velitati eſtis inter vos.* Afranius, *Interea verba iactare inter ſe & labijs velitari.* Et alius quiſpiam comicus, *Comparce verbis velitari. ad rem veni.* Ita autem & Feſtus velitationem vltrò citroque probrorum obiectionem eſſe ait, idque verbum ab haſtis velitaribus ductum oſtendit. Quomodo fortaſſis iocus etiam ille Ciceronis in Epiſtolis ad Familiares accipiendus ſit: *Me autem à te vt ſcurram velitem malis oneratum eſſe, non moleſtè tuli.* Sed hæc fortè in eiuſmodi nugatoria oratione annotare vix operæ pretium fuit. quam qui non videat Ciceronem eſſe indignam, aut parùm is profectò in iudicando poſſit, aut de Ciceronis eloquentia valdè ieiunè & malignè ſentiat.

CAPVT

CAPVT XVI.

Indicatus Ciceronis locus in Verrem, qui videatur eſſe ab Æſchine.

M. CICERO cùm C. Verris improbiſſimum factum & immaniſſimam prædam grauiter coargueret, quam à Iunio pupillo templi Caſtoris nomine extorſiſſet, callido argumento & ad rem apto vſus eſt, Non eſſe quærendum, quid Verres in vltima Pamphylia aut Sicilia feciſſet, qui in illo Caſtoris monumento, in cottidiano conſpectu iudicum & populi Romani poſito, tam clarum improbitatis & furtorum ſuorum teſtimonium reliquiſſet. Verba Ciceronis apponam, quibus is hanc rem grauiter & acerbè dixit,

Quæremus etiam quid iſte in vltima Phrygia, quid in extremis Pamphyliæ partibus fecerit; qualis in bello prædonum prædo ipſe fuerit; qui in foro populi Ro. pirata nefarius reperiatur? dubitamus quid iſte in hoſtium præda molitus ſit, qui manubias ſibi tantas ex L. Metelli manubijs fecerit? exſpectemus quid dicant ex Sicilia teſtes?

Æſchines porrò acer & ipſe orator, gnarusque dicendi, cùm Timarchi præturam, quam Andri geſſerat, reprehenderet, diceretque, eum ad explendas libidines ſuas multis ingenuis mulieribus vim attuliſſe, aliaque multa nefanda perpetraſſe; poſtremùm hoc ipſo argumento, quo Cicero vſus eſt, negatque eſſe dubitandum quid abſens Timarchus apud ſocios per vim & imperiũ egiſſet, qui Athenis in vrbe ipſa, in conſpectu ciuium ſuorum tam inſolenter & improbè ſe geſſiſſet: Τί δὲ προσδοκᾶτε τὸν Ἀθήνησιν ὑβρικὸν, ἐκ εἰς τοὺς ἄλλους, μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ σῶμα τὸ ἑαυτοῦ, νόμων ὄντων, ὑμῶν ὁρώντων, ἐχθρῶν ἐφεστηκότων, τοῦτον αὐτὸν λαβόντα ἄδειαν καὶ ἐξουσίαν καὶ ἀρχὴν, τίς ἂν ἐλίσειεν ἀπολελοιπέναι τὶ τῶν ἀσελγεστάτων ἔργων; Aut igitur Ciceroni idem quod Æſchini in mentem venit, aut, quod veriſimilius eſt, Cicero cùm iſta ſcriberet, ad illum Æſchinis locum exprimendum mentem & cogitationem retuliſſe exiſtimandus eſt.

CAPVT XVII.

De Propertij locis duobus coniectura.

PROPERTII verſus ſunt libro tertio,

Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur vlla iugo.
Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna,
Exactis Calamis ſe mihi iactat equis.

Hac Elegia Propertius idem ferè argumentum tractauit, quod Horatius Ode illa prima ad Mæcenatem, alios videlicet alij rei aptos eſſe & idoneos, & vnumquemque in ſuo genere laudem aliquam & famam merere. Sed in hac ſecundus ille verſus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fama nec ex æquo ducitur vlla iugo,

& sententiam habet intricatam ac obscuram, tum ne lectionem quidem satis fortasse integram. quod quidem vel lectionis varietas indicare possit. Nam in vetustioribus paullò libris versus hic ita legitur,

Flamma nec ex æquo ducitur vlla rogo.

Quæ lectio, meo iudicio, non modò non melior est vulgata, sed etiam deterior, & ad efficiendam idoneam aliquam sententiam longè ineptior. Videamus igitur & nos, quoniam à libris nihil iuuamur, possimúsne ex ingenio & diuinatione nostra meliorem aliquam huius loci lectionem & sententiam constituere. Quid si igitur versum hunc vnius vocis leui mutatione ita legamus?

Fama nec ex æquo ducitur vna iugo.

Non ausim affirmare, veram hanc & germanam Propertij esse lectionem, sed idoneam & aptam ex ea sententiam effici, id mihi facile est ostendere. Vt Propertius videlicet dicat, ne ex æquo quidem iugo, id est, pari & simili arte eandem famam & idem nomen venire, & summos ac pænè pares artifices; ex eadem tamen arte non eandem gloriam apud posteros inuenisse. Quam sententiam certè cùm Elegiæ totius argumentum, tum exempla illa statim sequentia valdè comprobant, Lysippus, Calamis, Mentor, Praxiteles, summi artifices fuerunt, & in eadem fingendi arte elaborauerunt: disparem tamen & diuersam laudem singuli consecuti sunt. Ille marmoreo opere excellet, hic ebore præstat, ille hominum formis cælandis, hic equorum aliorumque animalium magis idoneus est; alius deniq. alia re magnus est. Vt hoc simile planè sit illi, quod Cicero de Oratore in eandem sententiam scripsit, *Vna fingendi ars est, in qua præstantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus: qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen vt neminem sui velis esse dissimilem. Vna est ars ratióque picturæ, dissimillimique tamen inter se Leusis, Aglaophon, Apelles: neq. eorum quisquam est, cui quicquam in arte sua deesse videatur.* Qui Ciceronis locus ita omnino huic Propertij similis est, vt ego eò audacius pronunciem, hunc versum ita vti eum restitui, videri legendum. Quoniam autem ad coniecturas veni, addam hoc loco etiam aliud quoddam seu iudicium, seu opinionem meam de versu quodam Propertij, qui libro illo singulari, quem vulgò quartum faciunt, legitur,

Sunt aliquid manes. lethum non omnia finit,
Lucidáque euictos effugit vmbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
Murmur ad extremæ nuper humata viæ.

Qui postremus versus cùm ne is quidem apertam sententiam habeat, nec illud, *Murmur*, hoc loco aptum vllo modo videatur, putaui aliquando, non incommodè, *Marmor*, legi posse, hac sententia: Cynthia nuper ante oculos obseruari mihi in somnijs visa est, illa, inquam, ipsa Cynthia, quæ ad marmor & sepulcrum extremæ viæ condita est. Quod enim in sepulchris monumenta ex marmore plærumque constitui solent, marmor ipsum pro sepulcro aliquando accipi videtur, vt illo Propertij versu:

Quando-

Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breue in exiguo marmore nomen ero.

Sepulta autem Cynthia fuit in extrema via Tyburtina prope ripam Anienis, siquid hoc fortè ad rem pertinet.

CAPVT XVIII.

De Ciceronis loco in Pisonem coniectura tenuis.

SENTIO me his scriptis coniecturas quasdam meas insperssisse, quæ neque mihi ipsi magnopere probentur, & à legentibus fortasse etiam rideantur. Quæ siue stultitia mea est, siue temeritas vocanda, interpretetur enim quisque vt volet; tamen in hac sententia ita constanter maneo, nihil vt tam minutum aut leue occurrat, quod magnis auctoribus lucem aliquam afferre possit, quin id libenter scriptis meis mandem, & eruditorum iudicio subijciam. Quod quidem ipsum etiam nunc in Ciceronis loco quodam facturus sum, eo quidem liberius & libentius, quòd & locus ipse eiusmodi est, quem corruptum & deprauatum esse constet, vt eum hac temeritate mea amplius deprauare non possim; & quòd hac in re virorum eruditorum exemplum sequor, qui hunc ipsum locum eadem audacia qua nos, de opinione sua restituere sunt conati. Locus Ciceronis quem dico hic est,

Quod mihi igitur certamen esset eiusmodi? cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero barbaro Epicuro, cum altero Catilinæ laternario?

In vetustis libris partim, *Lanternarius*, partim, *Lautumarius*, exstare viri eruditi testantur. ex quo postremo magni iudicij & ingenij vir A. Turnebus, *Lautumiarius*, quasi colonus & inhabitator carceris faciendum subtiliter putauit. Mihi fuit cùm probaretur, *Laterarius*, legi, quasi alter Catilinæ sodalis, atque ita intimus qui à latere eius nunquam discederet. Nunc cùm locum attentiùs consideraui, longè aliud mihi videtur, neq. aut illud, *Laterarius*, aut, *Lautumiarius*, probo, sed corruptam totam sententiam existimo, & quà à lectione, quà ab interpunctione mendosam, de qua restituenda coniecturam meam equidem proponam. Veterum librorum lectionem, inter alias esse, *Lautumarius*, Faërnus & alij testati sunt. eius lectionis vestigia diu scrutatus, visum est mihi tandem, ducente me ad eam opinionem sententia ipsa, legendum ex eo, *at timui, ais.* quod quidem mirum est quàm aptè & eleganter ad totam sententiam hîc conueniat. Sed locum prius totum proponam quomodo legendum eum iudico, tum interpretabor: *Quod mihi igitur certamen esset eiusmodi? cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero Barbaro Epicuro? cum altero Catilina? At timui, ais. quos? nempe hercle ego neque supercilium tuum, neque collegæ tui cymbala ac crotala fugi, neque tam fui timidus, vt qui in maximis turbinibus ac fluctibus reip. nauem gubernassem, saluámque in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem.* Pro illo igitur, *Catilinæ*, *Catilina*, lego, vt respondeat illi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

illi, quod ait, *cum altero Epicuro*. Illud autem, *At timui, ais*, Cicero dixit quasi respondens, opinor, orationi Pisonis, quam ille ante Ciceronem eodem die in Senatu habuerat. Nam quoties de discessu suo Cicero loquitur, valdè semper laborat, vt timoris & parui animi suspicionem à se remoueat; quod vnum præcipuè inimici in eo criminabantur, tanquam non per vim expulsus esset, sed homo fracti & abiecti animi per timorem sponte discessisset. quod & ex oratione pro Sextio, & alijs locis apertè videre licet. Atque hæc lectio mea valdè ex sequentibus, siquis attenderit, confirmari videtur, *Nempe hercle ego*, inquit, *neque tuum supercilium, neque collegæ tui cymbala fugi, nec tam fui timidus, &c.* Quibus omnibus non aliud quàm timoris opinionem detestatur & excusat, vt omnino appareat simile aliquid à Pisone ei antè fuisse obiectum, cui nũc respondeat. Et ceteroqui certè illud, *quos*, nisi ita, vt ego dixi, interrogando legatur, apertè superare & redundare hoc loco videtur. Sed nolo de hac coniectura mea amplius asseuerare, ne eam confirmando etiam probare videar; quam tamen testor me non antè reiecturum, quàm eruditis viris, quibus hunc locum delego, eam displicere videro.

CAPVT XIX.

Videri veteres nomina quædam aliter scripsisse & pronunciasse, quàm hodie scribimus, in eámque rem Varronis locus explicatus.

IN multis veteres illos Romanos aliam quandam & longè diuersam à nostra partim scribendi, partim pronunciandi rationem secutos esse, & iam antè alibi demonstrare me memini, & his paucis exemplis quæ afferam, fiet manifestius. Frons, Pons, Mons, atq. ex hoc genere alia, ea omnia nos per N. litteram, vti ego scripsi, efferimus, & rectè efferimus; veteres tamen illi nostri nescio an hæc omnia, Pos, Mos, Fros, sine ea littera pronunciasse existimandi sint. Terentius quidem Varro vir cùm Græcis litteris perfectus & Latinis, tum antiquitatis cum primis imitator diligens, non aliter ea nomina scripsisse videtur. Atque hinc facit quod Sosipater Charisius annotat, Varronem in libris Antiquitatum Romanarum, *Fros, fœnum, meßis* sine N. littera, *Fros*, scripsisse. & quod Varro ipse sub initium, opinor, IV. lib. De Lingua Latina ad Ciceronem scriptum reliquit, *Videtur etiam pos potius pontem significare quàm potentem*, qui sanè locus ab hac scriptura apertè est. Quid enim Pons, vt nos dicimus, cum potente commune habere possit, nisi Varro, atque illa eruditorum ætas id generis nomina sine hac littera pronunciasset? Nonio etiam Marcello in hanc rem testimonium denunciare possem, nisi duo quædam certissima eius loca per imperitorum in deprauandis veterum scriptis audaciam mihi essent erepta: quæ tamen ego non patiar iacere in tenebris, eaque à vitio, si possum, vindicabo. Duobus igitur locis diligenter Nonius & studiosè annotat, *Fros*, pro fronde à Varrone esse vsurpatũ; quibus tamẽ locis vulgati deprauatè *Frons* referunt. Quid enim Nonio in mentẽ venerit tam seriò bis admonere, Frons pro fronde veteres

veteres dixisse, rem & vsitatam, & vel pueris notam? præsertim etiam cùm in exemplis quę Nonius affert, non aliud, quàm, *Fros*, recto casu inueniatur. Ergo Nonius his quidem locis corrigendus est, neque aliud monere voluisse putandus, quàm id, quod etiam Charisius admonuit, *Fros*, pro fronde veteres dixisse. Solent autem, vt etiam id addam, in aliis quibusdam dictionibus N. litteram vt superuacuam, minimeque necessariam vetustiores reiicere. Ita, *Tunsus*, & *Pransus*, & item, *Tusus*, &, *Præsus*, in præterito sine vllo discrimine veteres pronunciasse, Papirianus antiquus Grammaticus testatur.

CAPVT XX.

Plutarchum & Appianum in Ciceronis historia leuiter errasse videri.

GRÆCOS homines in omni litterarum genere semper nostris doctiores & eruditiores habitos esse & fateor, & facilè patior. Sed tamen valdè oportet & nostra fastidiat, & externa amet, qui Græcos in historia describenda cum Romanis audeat contendere. Non quin ij & plures, & acriori etiam studio in hanc scribendi laudem incubuerint; sed quòd ferè videmus eos in externis præcipuè & peregrinis historiis describendis nulla animi prouisione fugere potuisse, quin varia cùm in rebus ipsis gestis peccarent, tum in nominibus præcipuè propriis turpiter labe-rentur. Quale, exempli caussa, illud mihi videtur, quod Plutarchus & Appianus tradiderunt, M. Catonem primum in Senatu honorificum illud & verissimum Patris patriæ cognomen Ciceroni tribuisse. Magni viri, qui hoc tradiderunt, quis negat? sed tamen siue hoc illi aliorum auctoritate inducti ita scripserint, siue etiam in nomine, quod ego existimo, neglegenter errauerint, non laboro: mihi quidem patiamini, quæso, grauiorem hac in re Ciceronis ipsius auctoritatem esse, quàm istorũ, quamuis magnum testimonium. Nam Cicero quidem sæpius testatur, hunc sibi tantum honorem à Q. Catulo esse habitũ: veluti oratione in L. Pisonem. *Me*, inquit, *Q. Catulus princeps huius ordinis & auctor publici consilij frequentissimo Senatu Patrem patriæ nominauit.* Et pro Sextio, *Me me ille vt patrem deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alij sæpe in Senatu Patrem patriæ nominarant.* Quòd si Cato, vt illi volunt, princeps hoc cognomen Ciceroni dedisset, valdè profectò ingratus Cicero fuerit, qui quoties de hac re meminit, à Q. Catulo hunc honorem sibi habitum esse testetur, de Catone hac in parte verbum nusquã fecerit. Nam quòd Cicero testatur, etiam alios multos hoc nomen sibi dedisse; in iis siquis Catonem numerare vult, non repugno; & fieri potest, vt post Q. Catulum, & alios, etiam Cato hoc honorifico nomine Ciceronem vocauerit; sed vt Cato primus hoc tantũ laudis testimonium Ciceroni tribuerit, non puto vllo modo iis concedendum. neque existimare possum, Ciceronem, cùm esset inprimis auidus & appetens gloriæ, & posset huius tanti & tam grauis viri nomine aliquid famæ rebus suis gestis addere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullo libro aut scripto testatum relicturum fuisse, hunc honorem sibi à Catone esse habitum, si tamen, vt illi volunt, habitus fuisset. Huc accedit, quòd cùm Cato semper in Ciceronem turpiter maleuolus fuerit, quod ipse alibi in Epistolis ad Atticum conqueritur, non videatur tantum & tam honorificum testimonium præter morem suum Ciceroni daturus fuisse. Fieri igitur potest, vt Græci illi vicinitate aliqua nominum, seu nescio qua alia causa decepti errauerint; Ciceroni quidem hac in parte non credere, impudentiæ sit.

CAPVT XXI.

M. Varronis librorum aliquot tituli restituti.

NESCIO equidem an plerisque Varronis librorum titulis aliquid vel deprauatius cogitari possit, vel corruptius. quod accidit magnam partem superioris ætatis insciticia & ieiunitate bonarum artium, tum Græcæ præcipuè linguæ ignorantia, qua cùm hic auctor & in libris, & in inscriptionibus plurima vsus sit, mirum videri non debet si hæc deprauata sunt ab iis, qui, non dicam, intellegere, sed vix mehercle, aut ne vix quidem commodè legere Græca possent. Ego hoc capite carptim & strictim, vt quidque occurret, inscriptiones aliquot, quas corruptas iudico, indicabo, déque iis emendandis iudicium meum sententiamq; interponam. Apud Nonium Marcellum Varronis Satyræ cuiusdam titulus exstat, *Ephemeride nauali*. quam inscriptionem corruptam esse, ex Prisciano licet intellegere, qui hanc ipsam Satyram ita citat, *Varro Ephemeride*, omissa aliena & superflua ea voce, *nauali*: quæ non ad titulum ipsum adiungenda fuit, sed cum sequétibus Varronis verbis connectenda. Itaque Nonij locus ita meo iudicio corrigendus est, *Varro Ephemeride. Nauales Eteſiæ diutius & vberius flauerant.* vel etiam fortasse legendum, *Niuales*. Scriptores autem librarij, sententiæ ipsius primum verbum cum inscriptione imperitè coniungentes, *Ephemeride nauali*, ex eo fecerant. Alia Varronis Satyra est, quæ hunc deprauatum titulum apud Nonium præfert, περὶ λεξέων, quæ inscriptio ex eiusdem Prisciani auctoritate, & Satyræ ipsius argumento, περὶ αἱρέσεων, commutanda est. id est, De opinionibus seu sectis. Egit enim ea Satyra Varro de diuersis sectis & sententiis discrepantium philosophorum, eosq; pro more suo facetè insectatus est: cui argumento quàm hæc περὶ αἱρέσεων inscriptio certè conueniat, & quàm illa altera nullo modo accommodari possit, quiuis facilè diiudicet. Varronis etiam libri *De Rerum natura*, qui à Nonio citantur, cùm eius argumenti nullos Varro scripserit, nati mihi videntur ex peruersa notarum interpretatione; & cùm *De Re rust.* apud Nonium scriptum esset, id est, De Re rustica, ab imperitis ex eo, De Rerum natura, factum esse. Nam locus etiam ipse, quem Nonius è Varrone affert, apertè ad libros De Re rustica pertinere videtur, *Ne familiæ rixent cum vicinis*. quod præceptum vt tractationi de rerum natura accommodari non potest, ita rei rusticæ optimè conuenit, in qua pax, & cum vicino tranquillitas quàm necessaria sit, etiam alij Rei rusticæ scriptores monuerunt.

nuerunt. Eadem erroris causa est, quod apud Nonium *Varro de Republ.* aliquoties legitur, vbi manifestè de Re rustica scribi oportebat, vt apud Nonium in dictione, Oliuitatem, apud eundem in, Præsepe, & alibi. quæ omnia ad libros De Re rustica pertinere, ex fragmentis ipsis perspicuum est. Illud etiam valdè aduertendum, extraneos & aliorum scriptorum libros Varroni sæpe attributos inueniri. Vt apud Nonium Varro in Corollario, *Diuidiæ mihi fuerũt tam desiduo afuisse te.* manifesto quidem errore, cùm & ea Comœdia, & versus ipse poëtæ Næuij sint. Næuius enim, quod ex multis auctoribus constat, fabulam, Corollarium scripsit, non Varro noster. Ita apud eundem *Varro in Synephœbis* nominatur, quos perspicuum est comici esse Pomponij. Sic è contrà libri *Epistolicarum quæstionum*, qui Varronis sunt, Catoni attributi leguntur apud Agellium. Sed dies me antè defecerit, quàm hos atque alios eius generis errores singulatim decursos enumerauerim. Dij imperitis istis malè faciant, quorum neglegentiæ & insciticiæ hæc menda possumus referre accepta.

CAPVT XXII.

M. Ciceronis locus Inuectiuarum libro quarto, & libro primo emendatus.

QVOD dicturus sum hoc loco, fortasse reipsa paruum sit, sed ad sententiã Ciceronis non paruũ. Cicero quarta oratione in Catilinam, *Ego multa tacui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore in vestro timore sanaui.*

Ita quidem & libri veteres constanter habent, & D. Lambinus vir eruditissimus edidit, & sententia sanè ipsa non incommoda est: nec celabo tamen lectorem coniecturam meam. Mihi enim aliquando ex sententia ipsa legendum hoc loco videbatur, *Multa meo q.d. sine vestro timore sanaui.* Hoc enim Cicero videtur omnino voluisse dicere, multa se tacuisse, multa dissimulasse, & sine populi timore aut tumultu, propriis consiliis & priuato præsidio sanasse. Sed hoc opinionis meæ est. illud de veteris libri, quo vsus sum, auctoritate, oratione prima locum hunc ita legendum videri, *Tum denique interficiere, cùm iam nemo tam perditus, tam improbus, tam tui similis reperietur, &c.* Quæ lectio commodior sanè videtur, quàm quæ in vulgatis est, *Tum denique interficiam te.* Neque enim, opinor, Cicero ipse Catilinam suis manibus interfecturus erat.

CAPVT XXIII.

De Sex. Propertij cognomine disceptatum, & ibidem de patre eius quæsitum.

DATE mihi, obsecro, hoc loco hanc veniam, vt liceat mihi paullisper in re tenui, & incerta indaganda, otio meo, & patientia vestra abuti. De Propertij cognomine subtilius fortasse disputabo quàm verius:

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed amor & iudicium de poëta isto meum faciunt, vt nihil mihi paruum aut minutum videri possit, quod ad eum scriptorem quomodocunque pertineat. nedum res tanta leuis mihi videatur, in qua de nomine, & familia, ac pænè fama Propertij mei disputandum est. Beroaldus homo, vt illa tempora ferebant, neque indoctus, & minimè malus, testatur, libros ferè omnes, quotquot ante ætatem nostram, renascentibus iam primum litteris, diuulgati sunt, in fronte referre hunc titulum, *Sex Propertij Nautæ*, quæ inscriptio etiam in antiquioribus quibusdam libris exstat. Quod etsi, Beroaldi iudicio, omnino reiiciendum est, qui illud, *Nautæ*, alienum hoc loco & ineptum putat, & ab imperitis nescio qua occasione additum: mihi tamen accuratiùs ea de re cogitanti non ita temerè librorum, & totius illius ætatis consensus repudiandus videtur; sed diligentiùs quærendum siquid altius sub eo lateret, & ecquid ex falso illo & deprauato titulo veritas tamen posset erui. Quod ego quidem existimo & cum nullo modo persuadere mihi possim, in illa priori & simplici ætate aliquem sua sponte illud, *Nautæ*, adiecisse: huc ferè labor, vt existimem ex corrupta illa inscriptione faciendum, *Sex. Propertij Nattæ*. Nattæ autem apud Romanos noti fuerunt. quorum apud Ciceronem, atque alios sit sæpe mentio. Sed hoc ego non pro sententia apud vos, sed pro coniectura haberi volo, neque hac in re iudicem me, sed disceptatorem ab initio professus sum. Sed vt hoc de Propertij cognomine incertum est, ita æquè dubium illud, quod de patre eius disceptari video, quem plærique omnes captum referunt inter eos, qui L. Antonium secuti, posteà, Perusia capta, à Diuo Augusto occisi sunt. Quod an constanter satis & verè traditum ab iis sit, nescio. Nam quòd illi ex vltima libri primi Elegia hoc colligi putant, falluntur, quæ non de patre Propertij, sed de Gallo quodam homine & amico sibi, & propinquo intellegenda est, cuius acerbam mortem Elegia illa dolenter deplorat:

Qualis & vnde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,
Quæris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcra,
Italiæ duris funera temporibus:
Cùm Romana suos egit discordia ciues;
Sit mihi præcipuè puluis Etrusca dolor.
Tu proiectam ei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo.
Proxima supposito contingens Vmbria campo
Me genuit, terris fertilis vberibus.

Quæ omnia non esse de patre Propertij, sed de hoc Gallo, quem dixi, intellegenda, illud indicio est, quòd præcedente Elegia Gallum ipsum de hoc casu suo eodem modo fecit loquentem, quomodo hîc ipse commemorat. Vtrobique enim dispersa insepulti eius ossa in Etruria ait, vt hîc,

Tu proiectam mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo.

Et priore Elegia de eadem re,

Et quicunque super dispersa inuenerit ossa
Monti-

Montibus Etruscis, hæc sciat esse mea.

Deinde etiam, etsi hoc leuius est, non videtur tamen, si de patre loqueretur, dicturus fuisse,

Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui.

Cur enim patrem, propinquum potius, quàm parentem appellaret? Proscriptum sanè patrem eius fuisse, vel grauiori aliquo iudicij casu afflictum, satis vel ex illo versu constat,

Abstulit exultas pertica tristis opes.

Ceterum cùm non tantùm proscriptorum, sed etiam iudicio damnatorum bona hastæ subiici soleant, quid si dicamus, illum Sex. Propertium, cuius nomen à Sex. Clodio delatum fuisse Cicero oratione pro Domo sua testatur, patrem fuisse huius nostri Propertij? qui fortasse illo, aut alio quopiam iudicio damnatus solum verterit, bonis publicatis & sub hasta diuenditis.

CAPVT XXIIII.

Ciceronis loci duo, quos mutuatus videtur ab Isocrate.

M. CICERO Cæsariana oratione prima, qua gratias C. Cæsari pro restitutione Marcelli, nomine Senatus egit, cùm quasi præcepta quædam de constituenda republ. firmanda pace, reuocandis legibus & iudiciis Cæsari daret, maximè eum nominis & gloriæ, quâ ex ea re consecuturus esset, admonuit. & quoniam Cæsar aliquando dicere esset solitus, satis se & naturæ suæ & gloriæ vixisse, modice & verecundè magnificam illam vocem eius reprehendit, multis ostendens, hominem in eam reip. administrandæ viam ingressum, nunquam expleri debere gloria, neque eam nominis famam putare satis magnam, qua præclariorem & ampliorem alius aliquis assequi posset:

Itaque, inquit, *præclaram illam & sapientissimam vocem tuam inuitus audiui, satis te diu vel naturæ vixisse, vel gloriæ: satis, si ita vis, naturæ; addo etiam si placet, gloriæ. at quod maximum est, patriæ certè parum.* Et statim, *Quid si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est? cuius te esse auidissimum, quamuis sis sapiens, non negabis. Parúmne igitur, inquies, magnam gloriam relinquemus? imò verò alis quamuis multis, satis; tibi vni parũ: quidquid enim est & quamuis amplum sit, id certè parum est tum, cùm est aliquid amplius.*

Isocrates etiam cùm Philippum regem ad bellum Asiaticum incitare vellet, proponit ei quantam gloriam, quantumq; nomen ex ea re consecuturus sit, additque in aliis sanè rebus moderationem quandam & modum esse debere; gloriæ dumtaxat & famæ in principe viro nunquam debere esse satietatem, Ἐγὼ δὲ πρὸς μὲν ἄλλο τι τῶν ὄντων ἀπλήστως ἔχειν, καλὸν. εἰ γὰρ μετριότητες παρὰ τοῖς πολλοῖς εὐδοκιμοῦσι. δόξης δὲ μεγάλης καλῆς ἐπιθυμεῖν, μηδέποτ' ἐμπίπλασθαι προσήκει τοῖς πολὺ τῶν ἄλλων διενεγκοῦσιν. Ergo vterque quidem eodem argumento ad res præclaras, ille Cæsarem, hic Philippum cohortatus est; sed Isocrates vt in Epistola angustius, noster vt in oratione grandius & ornatius. Ille etiam Ciceronis locus oratione De Aruspicum responsis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd si cetera nos magis peruulgata sæpè mouerunt; vox ipsa deorum immortalium non mentes omnium permouebit? Nolite enim id putare accidere posse, quod in fabulis sæpe videtis fieri, vt deus aliquis delapsus de cælo, cætus hominum adeat, versetur in terris, cum hominibus colloquatur, &c.

Non valdè dissimilis est illi Isocratis, oratione ad Philippum regem, quem ipse etiam admonet fieri non posse, vt deorum aliquis cum hominibus versetur, aut tangendum videndumque se præbeat. Isocratis verba sunt, Οἶμαι δέ σε οὐκ ἀγνοεῖν, ὅτι τρόπον οἱ θεοὶ τὰ ἀνθρώπων διοικοῦσιν. οὐ γὰρ αὐτόχειρες ἅτε μετὰ τῶν ἀγαθῶν, ἅτε τῶν κακῶν γίνονται τῶν συόντων αὐτοῖς. ἀλλ' ἑκάστοις τοιαύτην ἔννοιαν ἐμποιοῦσιν, ὥστε δι' ἀλλήλων ἡμῖν ἑκάτερα παραγίνεσθ τούτων. Quod autem superius, vt id breuiter admoneam, Ciceronem oratione prima Cæsariana nominaui, secutus sum in eo veteres Grammaticos, quos ego tres istas orationes, quæ ad Cæsarem habitæ fuerunt, Cæsarianas nominare obseruaui, *Pro M. Marcello. Pro Q. Ligario. Pro rege Deiotaro.* Atque ita emendandus Nonius est in dictione, Æmulatio, *Tullius in Cæsariana* 1. Vulgati, *Tullius Cæsaria.* Probus etiam manifestè verba quædam ex oratione pro rege Deiotaro afferens, Ciceronem in Cæsarianis citat. Vt satis constet, orationes has tres, quia præter morem reliquarum non ad iudices, aut populum; sed ad dominantem Cæsarem dictæ essent, in vnum corpus vel à Tyrone Tullio, vel à Grammaticis redactas, & vno nomine Cæsarianas vocatas.

CAPVT XXV.

M. Varronis libro tertio De Vita populi Romani loca duo emendata.

SÆPIVS mihi ad partes M. Varro vocandus est, in cuius eruditissimis scriptis peruoluendis, & fragmentis dispersis studiosè colligendis, vtinam verè profiteri possim, me tam vtilem quàm diligentem operam insumpsisse. Esset caussa cur & me laboris huius mei minus pæniteret, & vos item fructum aliquem industriæ meæ caperetis. Sed hoc quantumcunque præstiti, quod sentio quàm sit exiguum, aliquando fortassis re ipsa ostendam, si id quod iam habeo affectũ, aliquando per otium confectum reddere potuero: nunc autem quod in manibus est, agamus. Varronis libro tertio De Vita populi Romani verba hæc sunt,

Vt eius conuiuium qui triumpharet in Capitolio videtur esse proprium vt ipse potius domum reduceretur à conuiuio.

Cuius loci facilis & aperta futura sententia est, si redundantem eam vocem, *Conuiuium*, alieno loco insertam sustuleris, & sic legas, *Vt eius qui triumpharet in Capitolio v. e. p. &c.* Hoc enim Varro dicit solitum apud Romanos veteres in honorem eius qui triumpharet, obseruari, vt ipse comitante tota multitudine cœnatus domum deduceretur, non autem alios ipse quanuis maiores deduceret. Cuius moris etiam alij auctores meminerunt. Eodem etiam libro locus iste est,

Si cuius legati violati essent, qui id fecissent, quanuis nobiles essent, vt dederentur ciuitati statuerunt.

Quo

Quo loco aptè mihi videtur legi posse, *Si ius legati violatum esset.* Agit autem de Iure legationis, quod apud omnes gentes sanctum & inuiolatum esse debet. Vt autem in illo superiori Varronis loco vocis redundantia deprauata sententia est, ita etiam in Ciceronis libro quarto in Verrem de signis, locus est, qui meo iudicio, sublata superflua voce, emendandus est. Cicero loquens de Mamertinis,

Tritici modium L X. *millia emta populo Ro. dare debebant, & solebant, abs te solo remissum est. respublica detrimentum fecit, quòd per te imperij ius vna in ciuitate imminutum est: Siculi, quòd ipsum hoc non de summa frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos & Halesinos immunes populos; & hoc plus impositum quàm ferre possent.*

Quo loco sanè vox, *Siculi*, superare & redundare videtur, nec ad sententiam quidquam facit, nisi fortè, quod mihi proximè verum videtur, locus totus à distinctione mendosus est, atque ita restituendus, *Tritici m.* LX. *m. e. p. R. d. d. e. s. a. x. s. r. est. respubl. detrimentum fecit, quòd per te imperij ius in vna ciuitate imminutum est Siciliæ; quòd ipsum hoc, &c.* Vt illud, *Siculi*, in, *Siciliæ*, mutemus, quomodo mihi quidem commoda & apta sententia confieri videtur.

CAPVT XXVI.

Ciceronis vulgata lectio contra D. Lambinum, & A. Patricium defensa.

FRAGMENTVM quoddam ex Corneliana oratione secunda apud Ciceronem in Oratore ad Brutum exstat, elegans valdè, & numerorum rotunditate concinnum:

Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi mercatores vænalitiij, superarunt.

Hoc loco D. Lambinus & A. Patricius, præstanti eruditione & iudicio viri, contra libros omnes ausi sunt substituere, *Vænalitiarij*, pro eo quod, *Vænalitij*, apud Ciceronem legitur. ea ratione moti, quòd Vænalitij serui ipsi vænales dicantur; Vænalitiarij autem mangones sint. In quo quàm valdè eruditi isti homines, quod bona venia paceque eorum dicere mihi liceat, fallantur, ex Nonij Marcelli, & Quinctiliani testimonio licet cognoscere. Nam Nonius quidem Marcellus in voce, Vænalitij, apertè hunc ipsum locum adducens annotat, Ciceronem hîc, Vænalitios, pro Vænalitiariis noua quadam minimeque vulgari ratione posuisse. Et Quinctilianus item libro nono hunc ipsum locum quomodo in vulgatis exstat, videtur legere. Vt illorum quidem doctorum virorum nimium hac in parte vel acumen vel subtilitas, nolo grauiori nomine appellare, nemini placere possit, nisi qui vel librorum omnium fidem neglegat, vel antiquissimorum Grammaticorum certam auctoritatem contemnendam putet. Atque hoc ego non dissentiendi studio contra litteratos istos homines, & quibus summa omnia tribuo, disserui; sed hoc exemplum interpositum volui, nequid temere in veterum scriptis præter librorum constantem auctoritatem innouetur. In quo si

aliquan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquando viri intellegentes, & in omni antiquitate versati parum sibi temperarunt; cogitare debemus, quid homines imperiti & doctrinæ vana specie subnixi, quibus omnia pro ingenij sui captu metiri mos est, in peruertendis veterum scriptis nonnunquam sibi permiserint.

CAPVT XXVII.

In Festo loca aliquot emendata.

OPTANDVM maximè esset vt veterum scripta propria & germana ad nos veniissent, neque eorum vicem decurtatas quasdam & fractas Epitomas haberemus. quod quidem incommodum referre acceptum possumus iis imperitis hominibus, qui rem gratam & fructuosam facere se iuuenturi existimabant, si longiora, vt ipsis videbatur, veterum volumina in breuiorem quandam, & quasi Enchiridij formam collectis optimis contraherent. In quo quidem tanto dilectu, si diis placet, homines rudes versati sunt, vt accisis ferè & vt superfluis reiectis veterum scriptorum testimoniis, pro iis nescio quas nugas & meras ineptias nobis reliquerint. Sensit id incommodum maximè nescio cuius Pauli Diaconi culpa Festus, atque ita sensit, vt multis extraneis pro collectoris eius libidine admistis, in Festo Festum difficilè sit agnoscere. Sed huic rei Antonij Augustini, quem ego virum, vt eius dignitas & doctrina postulant, honestatis caussa nomino, diligentia magnam opem attulit, qui multa Festi propria loca ex vetustissimis membranis nobis restituit, atque ex ingenio etiam & opinione sua quædam emendauit. Sed quanquam ille & optimis aliquot libris vsus sit, & ingenio ac iudicio in veterum scriptis tanto sit, quantum in paucis cognouimus; videntur tamen eum pauca quædam vel fugisse, vel præteriisse, è quibus vnum ego nunc proponam, quod apud Festum variis locis deprauatè legitur. *Dice*, pro dicam, *Attinge*, pro attingam, veteres vsurpasse sæpius reperies. quod certè corruptum vbique apud eum iudico: & cùm ex Quinctiliani certa auctoritate constet, Catonem Censorium, vetustioresque alios ea quæ nos, Dicam, Faciam, efferimus, Dicem, Faciem, pronunciasse; audacter quidem apud Festum iis locis omnibus corrigendum pronuncio, *Attingem*, pro attingam, & *Dicem*, pro dicam, similiaque omnia.

CAPVT XXVIII.

M. Ciceronis locus Oratione pro Cluentio Auito, qui videatur è Demosthene integer expressus.

ELEGANS cumprimis, & plena artis ac ingenij est Ciceronis illa oratio, quam pro Cluentio Auito inuidioso reo, & aliquot præiudiciis pænè damnato prætor habuit. In qua defensione cùm res & caussa ita tulissent, vt de legibus earumque vtilitate copiosius differendum esset, vsus est argumento subtili, & ad rem tempusque illud valdè apto, quo doceret omnia legibus administrari, neque ab iis sine pernicie & interitu vniuersæ reip. posse discedi:

Vt

Vt corpora, inquit, *nostra sine mente, sic ciuitas sine lege, suis partibus vt neruis ac sanguine & membris vti non potest. Legum ministri, magistratus, legum interpretes, iudices; legum denique idcirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus. Quid est, Q. Naso, cur tu in isto loco sedeas? quæ vis est, qua abs te hi iudices tali dignitate præditi coërceantur? vos autem iudices, quamobrem ex tam magna multitudine ciuium tam pauci de hominum fortunis sententiam fertis? quo iure Attius quæ voluit, dixit? cur mihi tam diu potestas dicendi datur? quid sibi autem illi scribæ? quid lictores? quid ceteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt? Opinor hæc omnia lege fieri, totumq; hoc iudicium quasi mente quadam administrari & regi.*

Docuit igitur Cicero valdè quidem aptè & accommodatè, ex iudicij ipsius, quod habebatur, forma, omnes reipublicæ partes legum præscripto & ordine administrari, à quibus si recedatur, rerum omnium confusionem & perturbationem necessariò consequi. Demosthenes autem summus & ipse orator, cùm eandem legum auctoritatē oratione prima contra Aristogitonem constituere vellet, in eamq; rem præclara multa attulisset, etiam illa superiora dixit, quæ Cicero quàm pauciissimis mutatis ab eo mutuatus est. Ἀλλ' ὅτι πᾶς ὁ τῆς πόλεως, καὶ τῶν νόμων κόσμος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, συνταράττεται καὶ διαφθείρεται κατὰ τοῦτον, καὶ τῦτ' οἶμαι, σαφῶς ὑμῖν ἐπιδείξειν. λέξω δὲ ἅτε καινὸν, ἅτε περιττὸν ὀδὲν, ἔτ' ἴδιον, ἀλλ' ὃ πάντες ὑμεῖς ἴστε ὁμοίως ἐμοὶ. εἰ γάρ τις ὑμῶν ἐξετάσαι βέλεται, τί ποτ' ἐστὶ τὸ αἴτιον καὶ τὸ ποιῆν τὴν βουλὴν συλλέγεσθαι, τὸν δῆμον εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀναβαίνειν, τὰ δικαστήρια πληροῦσθαι, τὰς ἕνας ἀρχὰς ταῖς νέαις ἐκούσας ὑποτίθεσθαι, πάντα δ' ὧν ἡ πόλις διοικεῖται καὶ σώζεται, γίγνεσθαι τοὺς νόμους εὑρήσει, καὶ τὸ τούτοις ἅπαντας πείθεσθαι. Et paullo pòst: Τὸ τὴν βουλὴν τὰς πεντακοσίους ἀπὸ τῆς ἀθενοὺς ταυτησὶ κυκλίδος τῶν ἀποῤῥήτων κυρίαν εἶναι, καὶ μὴ τοὺς ἰδιώτας ἐπεισιέναι. τὸ τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν, ὅταν ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ καθεζομένη περιχοινίσηται, κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἐφ' ἑαυτῆς εἶναι, καὶ ἅπαντας ἐκποδὼν ὑποχωρεῖν. τὸ τὰς ἀρχὰς ἁπάσας ὅσας οἱ λαχόντες ἄρχουσιν ὑμῶν, ἅμα τῷ τὸν ὑπηρέτην ἐιπεῖν μετάσχετε ἔξω, τῶν νόμων κρατεῖν, ἐφ' οἷς εἰσεπέμφθησαν, καὶ μὴ τὰς ἀσελγεστάτους βιάζεσθαι. ἄλλα μυρία. πάντα γὰρ καλὰ καὶ σεμνὰ, καὶ δι' ὧν ἡ πόλις κοσμεῖται καὶ σώζεται, ἔστι φυλάττουσιν. Et posterius: Καὶ τί δεῖ λέγειν, ὅτι τοῖς νόμοις ἅπαντα κοσμεῖται, καὶ τῷ τούτοις πείθεσθαι, ἀλλ' ὑμεῖς αὐτοὶ πάντων ἄρτι κληρουμένων Ἀθηναίων, καὶ πάντων εὖ οἶδ' ὅτι βουλομένων εἰς τουτὶ λαχεῖν τὸ δικαστήριον μόνοι δικάζεσθ' ἡμῖν. διὰ τί; ὅτι ἐλάχετε, εἶτα ἀπεκληρώθητε. ταῦτα γὰρ οἱ νόμοι λέγουσιν.

CAPVT XXIX.

De scribendi ratione in verbis quibusdam breuiter disceptatum.

QVOD eruditi quidam viri & scientiæ eius quæ ad antiquitatem pertinet, cumprimis studiosi constanter asseuerauerunt, & item libris suis ediderunt, *Exsulium*, non aliter quàm per, u, scribendum: videlicet exemplo suo docuerunt, nihil esse in his minutis rebus indagan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dis æquè fugiendum ac nimiam illam curiositatem, & in rationibus inquirendis superfluam subtilitatem. Nam quia Exsilium ab exsule deriuetur, Exsul autem quasi ex solo ire sit, omnino iuxta analogiæ rationem, Exsulium, scribendum censuerunt. In quo dupliciter falluntur; quod & veterem scribendi loquendique consuetudinem ad certam rationem & astrictas quasdam regulas dirigendam putent, & quod ab Exsule Exsulium, iuxta analogiæ veritatem deriuandum existimant. Nam si ratio postulat vt ab Exsule Exsulium, cur non simili ratione à Consule Consulium probent, equidem nescio. sed quid in re clara opus est verbis? refelluntur enim isti analogiæ consectatores primum librorum omnium auctoritate, quibus plurimum tamen tribuere se profitentur: deinde etiam Grammatici vetusti certo testimonio, Euthichetis inquam, qui hac de re ita scribit, *A consulo*, inquit, *& exsulo, V. in I. conuersa, consilium, exsilium dicimus.* Repudianda est igitur eorum subtilitas, qui leui aut nulla ratione moti, à vulgata & veteri scribendi consuetudine temerè discesserunt. Quoniam autem in hunc sermonem semel ingressus sum, non pigebit me alia quædam, quæ aut ipse noua in veteribus obseruaui, aut quæ vulgò ignotiora sunt, asscribere. Haut, memini vbique his libris quoties consonans sequeretur, T. littera scribere, secutus in eo optimi Grammatici Victorini auctoritatem, qui testatur, hanc vocem, quoties vocalis sequitur, per d. litteram in fine scribendam; alias semper t. quod si ille subtiliùs fortasse monuit quàm verius, tamen peccasse hac in re non sum existimandus, cùm & hæc scriptura in veteribus libris sæpe inueniatur, & Charisius mihi testetur, veteres, *Haud*, quanuis ab ἀδ Græco originem habeat, indifferenter tamen etiam per, t, litteram scripsisse. vt etiam *ad*, & *at*: *quid*, & *quit*; *atuentum*, *aput*, & similia sine discrimine scribebant. Ex hac porrò dictione & verbo, Scio, veteres vnum verbum, *Hautscio*, composuerunt, quod & ego vna voce vbique scripsi, & ita scribendum esse, Phocas Grammaticus apertè testatur, his verbis, *Omnia quæ ab, au, diphthongo principium habent, Dasian respuerunt, vt audax. designatum est, haud, vnde, hauscio, compositum simplicis habebit scripturam.* Quanquam apud eum, *hauscio*, sine, t, littera legitur, quod fortasse rectius est. *Ne*, etiam pro eo quod *Næ*, vulgò scribitur, cùm affirmandi vim habet, vbique sine diphthongo scripsi. Qua in re miror viros eruditos nostri temporis, cùm eam constantem librorum omnium veterum scripturam esse testentur, non ausos tamen esse à vulgata consuetudine recedere, præsertim cùm hæc scribendi ratio etiam à Grammaticis confirmetur. Priscianus quidem ait, *Ne*, quando valdè significat, accentu circunflexo notari, quando negationem continet, graui. Et Charisius ita scribi per, *e*, simplicem oportere docet, etsi à Græco ναὶ, dictum sit. *Idem*, etiam pro, ijdem; &, *Isdem*, pro, ijsdem, vulgò veteres scripsisse, & pronunciasse audeo confirmare. Exstat hæc scribendi ratio in antiquis monumentis, comprobatur à Grammaticis. A Prisciano libro septimo, qui ait, *Idem, & Isdem*, pro, Iidem, & Iisdem, veteres scripsisse; à Charisio libro primo, cuius verba apponam, *Is homo idem compositum facit, nisi quia Cæsar singulariter idem, pluraliter iidem dicendum affirmat. sed consuetudo hoc non seruat.* Ex quibus verbis videre licet, etiam vulgò ad Charisij tempora eam scripturam durauisse. In veteribus quidem libris, quod sciam, hæc scriptura non exstat, sed ea ferè in illis deprauata est in, *bisdem*, &, *hidem*. Hæc sicui ego de re leui & parua pluribus egisse videor, is ignoscat nobis, si in linguæ Latinæ orthographia paullùm simus diligentiores, cùm etiam in nostris, barbarisque linguis tanto studio hanc rectè scribendi rationem tueamur, vt in ea peccantes pueros vel conuicio insectemur, vel scutica plectamus.

CAPVT XXX.

De Ciceronis loco in Epistolis ad Atticum coniectura.

SCRIPSIT Cicero libros Epistolarum ad Atticum hominem familiarem, valdè quidem probandos, & iuuentuti, si me audient, diligenter legendos. In iis liber septimus & octauus, quos in illa perturbatione belli ciuilis conscripsit, quasi commentarij & historiæ loco illorum temporum esse possunt; in quibus res ferè quoque die seu à Cæsare, seu à Pompeio gestas diligẽter & singulatim persequitur. Epistola autem quadam libri octaui Attico ista nunciat,

Sulmone C. Attium Pelignum aperuisse Antonio portas, cùm essent cohortes quinque, Q. Lucretium inde effugisse scis. Cn. ire Brundisium desertum. Confecta res est.

Quem locum ita sine varietate vlla Lambinus, & Malaspina ediderunt, & credo equidem, eos in veteribus libris ita repperisse. Qui tamen satisne integer & incorruptus sit, addubitare nonnunquam soleo. Primum genus loquendi, *Scis Cnæum ire desertum Brundisium*, non omnino hoc loco mihi probatur; deinde etiam temporum & historiæ ratio huic lectioni repugnare videtur. Nam tum cùm Sulmone portas Antonio Attius aperuit, & cùm Cicero ista scriberet, tantum abest, vt de Brundisio deserendo Pompeius cogitaret, vt nondum etiam Brundisium venerit. id quod partim ex Cæsaris Commentariis, partim ex sequentibus Ciceronis Epistolis intellegitur. Nam Pompeius tum Luceriæ morabatur, & paullo antè Brundisium versus ex eo oppido se commouit, quàm de Corfinio & Domitio capto auditum esset. Quare mihi quidem locus hic ita interpungendus videtur, *Cnæum ire Brundisium, desertum. confectares est.* Illud autem, *desertum*, per indignationem breuiter & concisè dictum accipio, & Domitium intellegi volo. Vt Cicero id apud Attilio, quod omnes putabant, subleuatum. Aut quod fortasse verius est, Domitium vnà cum nobilissimis ciuibus desertum ab eo, neque auxi- cum stomachans conquestus sit, Pompeium parare iter Brundisium, Domitium, addendum sit, atq. ita legendum, *desertum Domitium.* quod nomen fortassis ea causa ab omnibus libris abest, quòd veteres, vt antè dixi, eiusmodi nomina priore aut altera littera adiuncta significare contenti erant. Itaque cùm fortassis in Cicerone scriptum esset, *desertum Do.* aut, *Do. desertum*, non intellectam vocem librarius scriptor omisit. Ex

hac eadem scribendi breuius, vel potius tantùm indicandi propria ista nomina, corrupti mihi videntur loci duo libro primo Epistolarum ad eundem Atticum, atque ita restituendi,

Nunc est exspectatio comitiorum, in quæ omnibus inuitis trudit noster Magnus Afranium.

Et posterius eodem libro,

Afranius ita se gerit, vt consulatus eius non consulatus, &c.

Quibus duobus locis alij omnes, *Auli filium*, & *Auli filius*, legunt, decepti, opinor, interpretatione notarum istarum AF. id est, Afranius, ex quo illi, A. filius fecerunt. Nam ego quidem fateor, me non videre quid elegantiæ aut venustatis habeat, cùm Afranium designare velis, A. filium, generali quadam & communi appellatione dicere, perinde quasi in eo iocus aliquis & acumen sit. Sed de his locis sententiam meam timidè & fortasse temerè proposui. appello tamen ad eruditorum iudicium, à quibus vt argui & refelli paratus sum, ita ab Amusis quibusdam & nulli iudicij hominibus reprehendi me temerè non fero. Testorque me æquam & modestam scriptorum meorum reprehensionem æquo & libenti animo laturum, ineptas & ipsa maleuolentia ieiunas semidoctorum hominum calumnias ferre nullo modo posse. polliceorque,

Ανδρ' ἀπαμύνεσθαι ὅστις πρόσθεν γε λελεπτύνῃ.

FINIS.

Hi libri præterquam quòd variarum rerum lectione delectant, nihil etiam habent quod pias aures quoquomodo offendat.

Cunerus Petri de Brouvuershauen, pastor sancti Petri Louanij, VIII. Iunij, Anno CIↃ CI LXVIII.

IVSTI LIPSI

ANTIQVARVM LECTIONVM COMENTARIVS,

Tributus in libros quinque; in quibus varia scriptorum loca, Plauti præcipuè, illustrantur aut emendantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD AMPLISSIMVM ET NOBILISSIMVM VIRVM D. THOMAM REDINGERVM.

MITTO ad te, nobiliſſime Redingere, priorem hunc Commentarium meum, debitum vel priuatæ amicitiæ noſtræ, vel publicæ tuæ in litteratos benignitati. Leue munus, ſi id ab opinione vulgi ſpectabis: non leue, ſi vel à labore meo, vel à iudiciis paucorum. Quinque enim libri ſunt, in quîs optimorum ſcriptorum varia loca partim ſanaui, partim illuſtraui, quædam diuinans, plæraque adiutus à libris: quorum alterum ingenij eſt, alterum diligentiæ, & vtrumque iudicij. Quid effecerim, tu imprimis, & à te alij iudicabunt: effeciſſem quidem certè (deprecor numina læua quòd fidenter hoc dicam) paullò amplius, niſi mediis conatibus meis tranſuerſa incurriſſet fortuna miſeræ patriæ. cuius naufragium pertinuit etiam ad nos. Scitum autem eſt illud, vt ex ſtudiis gaudium, ſic ſtudia ipſa prouenire ex gaudio. Vale.

AD

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD LECTOREM.

BENEVOLE *Lector, cùm duos Commentarios Antiquarum Lectionum hoc tempore pararem emittere, tributos in libros* X. *quo minus id præstarem, communium temporum iniquitas & varietas fortunæ meæ fecerunt: quæ, vt in agris fructum subita calamitas, sic suppresserunt speratam fœcunditatem ingenij mei. Ergo priorem nunc tantùm emitto: in quo, ne leuis apud te fides mea sit, quos codices antiquos, & quibus in locis sim vsus, ordine dabo. In Plauto corrigendo præcipuus hoc scripto fui. Eius exemplaria quattuor cum cura ipsi vidimus. Tria Romæ in Vaticano sunt: è quibus duo in primore bibliotheca inter libros, vt sic dicam, proletarios habentur, tertium optimæ notæ seruatur in bibliotheca interiore. Quartum bona fortuna in Rauracis mihi obtulit, cùm ad Sequanos iens, illâc transirem. communicauit id mihi vir nobilis Antonius Rouerius ciuis Ro. Laudo interdum & codicem Casinatem, sed, nequid fallam, fide aliena. Nam ab amicissimo Fuluio Vrsino Plauti exemplar accepi, quod vir eruditus Benedictus Hegius olim cum illo codice studiosè composuerat, & suapte manu varietatem lectionum adnotarat. Hæc in Plauto. Propertij exemplaria quattuor laudo: primum è bibliotheca Farnesiana habui, alterum Vaticana, tertium à Fuluio Vrsino, quartum à M. Antonio Mureto. Reliquos libros cùm nomino, locum & auctorem addidi, vt pariter mecum id scires. Vale.*

IVSTI

IVSTI LIPSI

ANTIQVARVM LECTIONVM

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

In Plauti Amphitruone antiquam vocem reponendam videri.

APLAVTO sit initium: cuius insignitum locum Amphitruonis Prologo, arbitrario iure constituam. Quod enim vulgo legitur,

Siue adeo ædiles perfidiosè cui duint,
Similem rem ipse in legem esse iussit Iupiter
Quasi magistratum sibi alterive ambiuerint.

me iudice adulterinum est pro germana & antiqua voce, *Sirempse in lege iussit e. I.* Siremps veteribus Ro. solemne in legibus scribendis verbum, valet Similis aut Eadem. Meminit Festus, idque interpretatur Similis res ipsa, producto exemplo Catonis. Carisius litterator dupliciter tantùm inflecti ait, nominandi casu Siremps, & auferendi, ab hac Sirempse. In monumentis antiquis etiam hodie legitur, DE. EO. AGRO. SIREMPS. LEX. ESTO. & in alio, SIREMPSQVE. EIS. VIATORIBVS. DE. QVE. EIS. VIATORIBVS. Q. OMNIVM. RERVM. IVVS. LEX. QVE. ESTO. QVASI. SEI. EI. VIATORES. &c. Arbitror igitur Plautum auferendi casu scripsisse, *Sirempse in lege esse*, id est, simili in lege esse, & perinde teneri: aut si placet, *Sirempse legem* spreta Grammaticorum anxia obseruatione. ceterùm imperitos exscriptores diuulsa voce fecisse, *Si rem pse*, ac mox pro captu suo illud, *Si*, in *Similem*, vertisse. Eius argumentum quod C. V. Sambuci codex habet, *Si similem*, vt planè appareat à priori voce, hanc alteram quasi interpretem fluxisse. De hac re ita censeo.

CAPVT II.

Nonius Marcellus emendatus.

NONIVM cùm intueor, veterum scriptorum triste naufragium videre videor: è quo quasi tabulas aliquot hoc capite conabor colligere.

Non. in Tandem,

Tandem significat tamen. Titinnius Gemina, Symphonia odiosum tandem, vt moribus placeam viro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vera lectio est, *Sin forma odio sum, tandem vt.* Verba mulieris matronæ.

In Certamen,

Sisenna Histor. lib. IIII. Accolis celeriter consumptis ad gladios certationem reuocauerunt.

Scriptum fuit, *Iacolis celeriter.* id est, Iaculis.

In Catapulta,

Sisenna Histor. lib. III. Præterea catapultas XVI. IIII. *balistas:* XX. *plaustra coriis ac minoribus sagittis onusta.*

Quid Corij nomen inter genera telorum? Lego, *Plaustra coritis ac.* Ita appellarunt thecam in qua sagittæ.

In Longiter,

Lucil. lib. III. Non, vt opinor, id à lecto iam longiter rati.

Vir doctus emendat, *Longiter acti.* Sed dubium non est quin Lucretij versum laudare Nonius voluerit, scripseritq;, *Lucret. lib. III. Non, vt opinor, id à leto iam longiter errat.* Extat in disputatione de mortalitate animi.

In Pudet,

Idem: An pro me, Dane quiete adiutem inuenio hortari pudet, non prodesse id piget.

Emendo, *Idem Andromeda: Nec quî te adiutem.*

In Tumulti,

Idem Nyctegersia: Cuius vos tumulti caussa acie timeo quid parum aduorti.

Colligebam scrib. *Cuius vos tumulti caussa accierim, eò quod parũ aduortis.*

In Percontet,

Næuius Belli Pœnici lib. II. Blandè & doctè percontat Ennius: quo pacto Troiam vrbem reliquisset.

Quis verò iste Ennius nominatur Næuio, cùm Næuius antiquior Ennio poëta fuerit? & ecquid omnino Ennius ad historiam Pœnicam? Præsertim cùm Nonius in Liquidum, eundem hunc locum sic producat, *Blandè & doctè percontaris quo pacto Troiam vrbem liquerit.* Censeo emendand. *percontat em quo pacto T. v. liquerit.* Em, antiquè, pro eum: ex quo illi fungi exsculpserant Ennium. Scripsit hæc vt opinor Næuius in origine Carthaginis, de Didone Æneam excipiente.

In Comparare,

Accius Euriisace: nihil est, si autem ad te retardat socium, ix portu est, copiaq; subsistat modò, tu te ipse effirma & compara.

Scribo, *si autem ad te ire tardat: si otium in portu est copiáque, subsistat modo: tu te ipse offirma.*

In Conuicium,

Conuicium dictum est quasi è vitiis locum, qui secundum ignobilitatem loci maledictis & dictis turpibus cauilletur.

Legendum, *dictum est quasi è vicis loqui, quia secundum i. l. m. e. d. t. cauillentur.* Aut si placet, *cum vicis loqui.* Adducere enim Nonius idem etymon conuicij voluit quod Verrius Flaccus, *Conuicium à vicis, in quibus prius habitatum est, videtur dictum, vel immutata littera quasi conuocium.*

CAPVT

CAPVT III.

Truculentus Plauti correcta, & versibus duobus aucta.

TRVCVLENTVS Plauti quid aliud quàm Hippolytus est? Ita miserè elegantissima fabula admutilata, lacerata, distracta fuit: vt vix Æsculapius cum parente suo illi persanandæ sint. E qua aliquot malè acceptis membris, hoc loco mederi conabor. Scena, Num tibi nam.

—propter militem
Babylonienſem, qui quasi vxorem sibi
Me habebat annum dum hìc fuit. DI. ego senseram.

Libri Vaticani, *Me habebat anno vno dum.* Citra controuersiam vera lectio est, *Me habebat anno, dum.* Elegans genus dicẽdi, sed in libris ferè corruptum. Valet autem anno præterito: cui opponitur, Horno. Plautus Amphitr. *Etiam histriones anno cùm in proscænio hoc Iouem inuocarunt.* Ita rectè Camerarius: alij de Nannio germanas nugas. Emendandus & Nonius in, Hornum. vbi vulgò. *Hornum ipsius anni.. Lucill. Vtrum nano an horno te abstuleris à viro?* Leg. *Vtrum anno.*

—tonstricem Suram
Nouisti nostram, quæ modò erga ædem sese habet?

Nihil hîc libri: quis tamen negabit legendum, *quæ modò erga ædes habet?* id est, è regione habitat. Nam habere, pro, Habitare, notum iis qui nondum ære lauantur. Vulgata scriptura eiusmodi est, vt eam tractanti clamare libeat, Aquam manibus.

Sed tu posterior. PH. omnem rem tenes.

Claudit versus: explent Vaticani, *ordine omnẽ rem.* Scena, Ne expectetis,

——iam propinquè miles mea Phronesium
Tibi adest Stratophanes nunc tibi opus est ægrã vt te assimules. PH. tace.
ST. Peperit mulier, vt ego opinor.

Ingens hìc lacuna, & Vaticani duobus versibus auctiores, sic conceptis. *PH. tace cui adhuc ego tu malam eam emouet ruri à me matitio vincere est, reperit mulier.* Hercules, tuam fidem! monstra verborum: quæ tamen, nisi animi fallor, non inuito Phœbo diuinantes sic correximus. *Tace. quid adhuc egeo tui, malum, ammonitricis? an me maleficio vincere est? SP. Peperit mulier.* Cùm enim propinquaret iam miles, sedula ancilla dominam officij monuit, vt callidè & appositè simularet ægram puerperam: at illa quasi indignata admoneri, vt quæ sua sponte nimium mala esset & astuta, *Tace*, inquit, &c. Scriptum autem videtur fuisse *Ammonitricis* &, *maleficio*, pro Admonitricis, Maleficio. Hæc probabo fortasse doctis: alij quid probent, quid non probent, ciccum, vt comicus ait, non interduim.

CAPVT IV.

Propertij Elegia de raptu Hylæ emaculata.

ELEGIAM de raptu Hylæ Propertius imitatione Græcorũ conscripsit, elegantibus, Dij boni, & quasi papauere ac sesamo sparsis versibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sibus. Eam placet à capite emendantem percurrere. Ac principio, nunquam ille ipse Hylas tam anxiè quæsitus Herculi fuit, quàm mihi istorum versuum correctio,

Nimpharum cupidas semper defende rapinas,
Non minor Ausoniis est amor in Driadis.

Nam mendam inesse libri scripti clamabant, qui omnes consensu habebant, *est amor Adriacis*. Adde rationem linguæ Latinæ, Driadibus postulabat, non Driadis. Vix tandem venit in mentem terminatione Græca Propertium scripsisse, *est amor & Driasin*. quod mox pluribus docuero.

Ne tibi sit durum montes & frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus.

Pugnat hæc lectio cum mente Propertij. Neque enim monuit Gallum vt montes & loca sola frequentaret; sed contrà exemplo Herculis, ne locis solis delicias suas concrederet, deterruit. Dissentiunt etiam libri, qui, *Ne tibi sint duri montes*, referunt. Sed scripsit haud dubiè poëta, *Ne tibi sit duros montes*. interpolarunt varij librarij quibus insolens erat genus illud dicendi, Ne tibi sit adire montes: id est, ne adieris. Geminum illud Tibulli, *Ne tibi sit duros acuisse in pectora dentes*. &, *Tunc mihi non oculis sit timuisse meis*. Item Propertij lib. III. *Ne tibi sit rauco prætoria classica cornu Flere, nec Aonium cingere Marte nemus*. Quod autem iisdem illis versibus legitur, *& frigida saxa*, Mureti libro erat, *& turbida saxa*: in Vatican. *tumbida*. Scrib. fortè, *Tabida*, aut aliud verbum remotius.

Ah dolor ibat Hylas ibat Hamadrias hinc.

Quæ tandem ista Hamadrias? an Driope, vt alij censent? Nugæ. Nam Propertius ab omnibus raptum Hylam facit, non ab vna. Scribo vt & suprà, *Ibat Hamadriasin*. & sic plana sententia horum versuum est, nec caussa cur ignominiosè nota deprauationis insigniantur, Cessent iam, inquit, Zethes & Calais sectari puerum: quippe qui factus erat dolor & noua cura ipsis Nimphis.

Hic erat Arganthonei sub vertice montis.

Hæc lectio est ab elegantissimo Mureto, quam hominis caussa libens probarem, ni repugnarent omnes libri. Nam Vatic. & Mureti ipsius, *Hic erat Arganti phlege sub vertice*. Farnes. *Fege sub*. Fuluij, *phege*. Vt liquidũ sit legitimã scripturã esse, *Hic erat Arganthi pege*. vsus enim est Græco πηγή.

Grata domus Nimphis humida Thyniacis.

Quomodo rectum, Thyniacis? Nam analogiam si sequimur, Thynicas Nimphas dicemus, vt Bithynicas. Refellunt & libri. Nam Farnes. & Mureti, *Thyniasim*. Fuluij, *Thyniasis*. vt non magis certum habeam solem illum lucere, quàm Propertium scripsisse, *Thyniasin*, ab eo quòd esset Nimphæ Thyniades. Ne quis miretur, primum cogitandum est totam hanc Elegiam nescio quid præter ceteras ἑλληνίζειν: deinde Plinium testem laudari à Charisio grammatico, qui ipsum Varronem eiusmodi omnia Græcè terminasse confirmet, ita vt ne Schematis quidem dixerit, sed Schemasin. Hæc ferè Charisij verba: & exstat hodie fragmentum Varronis. *In argumentis Cæcilius palmam poscit, in ethesin Terentius*. Appello postremò fidem M. Antonij Mureti: qui iudex à me captus illius superioris coniecturæ, librum mihi conspiciendum in loco præbuit, in quo Antonius Ferillus quispiam ante annos L. adnotarat, scripturam *Driasin* disertè in vetusto codice exstare.

Quam circum nulli pendebant debita curæ.

Quattuor manuss. *nullæ*. idque rectum, vt Cicero, *Vnæ rei*, & Plautus, *aliæ mulieri*.

Cuius vt accensæ Driades candore puellæ.

Duo libri, *cuius inaccensæ*.

CAPVT V.

Plautus Trinummo emendatus.

TRINVMMO, Scena, Minus quindecim.

Decedam ego illi de via, de semita,
De honore populi, verùm quod ad ventrem attinet
Non hercle hoc longè nisi me pugnis vicerit.

Labor vt ex Roueriano libro, qui, *hoc ongue*, habet, legam, *hoc vngue*. παροιμιώδης enim sermo est, transuersum vnguem alicui non credere. Nec mouet me quod item Mostellaria legitur, *Quid est igitur? abeamus hinc nos. TR. non hoc longè Delphium*. Nam & illic emendandum censeo, *hoc vngue*. Etsi alterum etiam illud commodè & tanquam à demonstrante accipi posse scio.

Cœna hæc annona est sine sacris hereditas.

Error inoleuit ex confusis vocibus. Scribo, *Cœna hæc an non est?* ἐρωτηματικῶς. Hereditas sine sacris est, cùm heres non adsciscitur in sacra & gentem. Cum ea hereditate ludens seruus cœnam comparat. Vt item Captiueis, *Sine sacris hereditatem sum aptus effertissimam*. Scena, Huic ego diei.

Si ante lucem ire occipias à meo primo nomine
Concubium sit noctis priusquàm ad postremum perueneris.
CH. Opus facto est & viatico ad tuum nomen, vt tu prædicas.

Absurdè verò: quid enim est illud, *Opus facto*? Sed gloriari liceat: egregiè emendaui, *Opus face est*. Nimirum cùm Sycophanta ridiculè dixisset, tam longum suum nomen esse, vt ab aurora ad concubiam noctem si ambules, vix ad finem perueneris: subiicit senex, Si ita est, inquit, opus profectò erit face & viatico ad tuum nomen, vt in tam longo itinere & victus suppetat, & in tenebris lumen. Caussa vulgati erroris in concisa scriptura fuit, *Opus fac' est*. Nisi quis tamen scribendum putet, *Opus facla est*. pro, Facula, vt Pocla, Spectacla, Poplus, & talia sexcenta. Huius postremi loci perspicua veritas est: qui ambigit, illi nihil caussæ est quin facem etiam in meridie acendamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VI.

Germanicæ gentis nomen apud Dionem Cassium restitutum.

VIDITNE quisquam turpius mendum illo quod Dionis historiam infedit lib. LV.

Φοβηθέντες ἓν αὐτὰς οἱ βάρβαροι, πλὴν τῶν Καντάβρων, ἐπεκηρυκεύσαντο. Καὶ ἔτε τότε ἔτυχόν τινος ἧσσον. ἔπεμψαν μὲν γὰρ καὶ οἱ Καντάβροι, τοσοῦτου δὲ ἥδη ἐδεήθησαν διαφράξαθαί τι ὥστε καὶ ἐκείνους πάντας ἀπολέσθ. ὅ, τε γὰρ Αὔγουστος συλλαβὼν αὐτὰς ἐς πόλεις πρὰς κατέθετο. &c.

Nam profectò non tam manifestus in adulterio Plauti miles fuit, quàm hic locus in vitio. Quippe hic de media Germania sermo: at Cantabros Hispaniarum populos pueri sciunt, nisi quidem citis quadrigis subitò in Germaniam demigrarint. Putabam ipse scribẽdum vtrobiq; Συσαμβροι, & Συγαμβρων. Putabam autem ex historia. Nam ex Dione colligimus illos quoscunq; populos in deditionẽ acceptos aliò translatos, & per vrbes ab Augusto distributos. Et eius quidem facti Tiberium ducẽ fuisse. Conuenit vtrumque istud in Sugambros: sic enim auctoribus libris appello, quos vulgus Sicambros. De migratione Sueton. in Augusto, *Sueuos & Sugambros dedentes se in Galliam traduxit, & in proximis Rheno agris collocauit.* Deduce Tiberio, Tacitus Annal. II. (loquitur autem ipse Tiberius) *Se nouies ab Augusto in Germaniam missum, plura consilio quàm vi perfecisse: sic Sugambros in deditionem acceptos: sic Sueuos.*

CAPVT VII.

Asinaria Plauti de locis duobus coniectura.

ASINARIÆ scena, Herclè verò:

Impetritum, inauguratum est, quouis amittunt aues.

corruptè legimus, cùm scribendũ sit, *admittunt aues.* Admittere verbum augurale, vt &, Impetrire. Festus, *Admissiuæ aues ab auguribus dicuntur, quæ consulentem iubent.* Liuius lib. IV. *vt ab auguribus, simul aues ritè admississent, ex composito tolleretur signum.* Nam imperitè Glareanus emendarat, *admissæ essent.* Scena, Vbi ego nunc.

Nam si huic occasioni tempus sese subterduxerit,
Nunquam edepol quadrigis albis indipiscet postea.

Hæreo in his quadrigis albis. Nam eas honoris tãtùm insigne fuisse scio, atq; ita Platonem à Dionysio Tyranno quadrigis albis exceptũ in Plinio legimus: & in altero poëta, *equis præcurreret albis.* At hîc aliquid de celeritate sententia postulat. In Roueriano codice margini adscriptum erat, *quadrigis argis.* In Langij nostri, *quadrigis abis.* Mihi suspicio est, ne scribendum sit, *quadrigis si abit.* vt fefellerit exscriptores confusa scriptura, *quadrigis sabit.* Quadrigis abire, curriculo fugere, & similia, valent prouerbiali sermone, numero & celeriter abire, fugere. Plaut. Pœnulo, *Nisi ego illum iubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi.* Aululariæ, *Quod herus iubeat, citis quadrigis citius properet persequi.* Amphitr. *Quadrigas si nunc incendas Iouis, nunquam effugies infortunium.* De hoc ita iudico, sic tamen

men vt legis Valeriæ beneficium non tollam, & à me ad populum prouocari permittam.

CAPVT IIX.

Petronij Arbitri aliquammulti loci de opinione emendati.

PETRONII Arbitri fragmenta pauca habemus, scriptoris tersi & venusti, &, nisi quòd in re illa voluptatum nimis Latinè interdũ loquatur, cetera laudati. Eius pro parte emendandi caput hoc scripsimus.

Descendentes ab aure capillos meos tentata manu duxit.

Scribo, *dentata*, id est, manu in modum pectinis, vt sic loquar, dentatim formata.

Mox manum demisit in sinum, & pertracto vasculo tam rudi, hoc, inquit, bellè cras in promulside libidinis nostræ militabit. Nam hodie post asellum Diaria non sumo.

Præfatus veniam scribo, & distinguo, *& protracto vasculo, Tam rude hoc, inquit, bellè.* Vasculum vocauit eam partem quæ inter res ferias nominari non debet, & quam Dea Bona à sacello suo exsulare voluit. Plautus Pœnulo, *Facio quod manifesti mœchi haud fermè solent, Refero vasa salua.* In carmine libero, *Hîc legimus Circen Atlantiadenq, Calypsõ Grandia Dulichij vasa tulisse viri.* Ita lego, non vt triti libri, *iussa tulisse.* Sic in Spartiano Eligabalus Imp. benè vasatos conquiri iussit, non vt vulgi opinio & lectio est, bene nasutos.

Priscis enim temporibus tùm adhùc nuda virtus placeret, vigebant artes ingenuæ, summumq; certamen inter homines erat nequid profuturum sæculis diu lateret. Itaque harcula herbarum omnium succos Democritus expressit, &c.

Aliâs, *itaque Hercula.* Dubitabam, num *è pergula.* vt à Democrito contemptum patrimonium & paupertinam eius domum significaret. Lucianus quidem in Philopseude scribit *Democritum in monumento clusum fuisse, atque ibi admiranda illa scripsisse.*

Cùm Eumolpus & ipse vino solutus dicta voluerit in caluos stigmosósque iaculari.

Lego, *Dicta voluere, & in caluos.*

Habeo tamen quod cælo imputem si non fata coniunxerunt.

Omnino scrib. *si nos fata coniunxerint.* Habeo, inquit, quod cælestibus debeam, si te frui datur.

Talis humus Venerem molles clamauit in herbas.

Fortè, *clinauit in herbas.* vnde Inclinare.

Tremebat illa resoluta marmoreis ciuibus aureum tortum, myrtoq; florenti quietum verberabat.

Alij, *crinibus.* sed totus locus sic legendus, *Premebat hilarè soluta marmoreis clunibus aureum thorum.*

Totoq; corpore in amplexum eius immissus non precantis, vsque ad satietatem osculis fruor.

Puto leg. *non pernegantis; vsque.* vt illam malè pertinacem recusationem puellarum indicet.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod ſolum igitur ſaluo pudore poteram contingere, languorem ſimulaui. Scribo, *languorem inſimulaui*, ex ſententia. Languor autem propriè in palæſtra Veneris, cùm à lucta neruos paralyſis occupauit.

Et quandoque mihi fortunæ arriſerit hora.

Melius arbitror, *arriſerit aura.*

Tales Herculea Stymphalidas arte coactas
Ad cælum fugiſſe reor, pœnéq; fluentes
Harpyias.

Alij, *pœnasq; luentes.* Mihi placet, *pennáque fluentes*, poëtica phraſi, pro, Volantes.

CAPVT IX.

Elegans iocus in Plauti Perſa reſtitutus.

VENVSTVM ſanè & ſcitum dictum in Perſa nos fallit his verſibus,

——DO. *Vbi tu nata es?* VIR. *vt mihi*
Mater dixit, in culina, in angulo ad læuam manum.

quod leui emẽdatione eſt eruere, ſi legas, *Inquilina, in angulo.* Nam cùm virgo ea quę vænum ibat, libera eſſet Athenis nata, ſeruitus autem in hoc modò ſimularetur vt irrita venditione circumduci leno poſſet: illa iam producta callidè cauet ne ſuapte confeſſione induatur, neve conſenſiſſe in ſeruitutẽ ſui videatur: & ad interrogata lenonis ſic reſpondet, vt partim eorum ſcitè declinet, partim ambiguè eludat. Eluſit hîc, cùm interroganti vbi nata eſſet, reſpondit, quod res erat, inquilinam ſe, & ciuem Atticam: ſed id ita perplexè pronuntiaſſe putanda eſt, vt ille bardus intellexerit, *In culina.* Itaque Toxilus ſtatim ſubiicit, *Tactus eſt leno, qui rogarat, vbi nata eſſet, diceret: lepidè luſit.* Hæc tam liquida veritas eſt, vt qui facetias & ſalem huius dictionis nondum videat, illi homini animum pro ſale datum arbitrari poſſimus.

CAPVT X.

In Agellio duùm locorum correctio, tertij in ordinem veterem reſtitutio.

RIDICVLA curâ eſt: ſed tamen ſcriptoris Noctium Atticarum nomen nunquam niſi dubitans & hęſitans pono. Ecce enim tibi qui A. Gellium vocari contendat, cum quo vulgus facit: ecce qui Agellium, à quo Priſcianus & libri antiqui dicunt. Sed vtrum horum, ſcriptorem eum, quod inſtitui, à mendis pauculis liberabo. Lib. 1. cap. de P. Craſſo.

Is cùm in conſulatu obtineret Aſiam prouinciam, & circumſedere oppugnaréque Leucas oppidum pararet, ſcripſit ad magiſtrum ἀρχιτέκτονα molis Athenienſium ſociorum amicorumq; populi Ro. &c.

Ambigua lectio. nam libri Vatic. quattuor, *ἀρχιτέκτονα moleatenſium*, referebant. Et id Stephano quidem legimus, *μώλυς, λίθυσα πόλις. τὸ ἐθνικὸν, μωλυάτης.* De hoc igitur docti. Lib. II. cap. VII.

Sed enim ſi imperet vxorem ducere infamem, propudioſam, criminoſam: aut pro reo Catilina aliquo, aut C. Bibulo, aut P. Clodio cauſſam dicere, ſcilicet non parendum.

Quis

Quis verò iſte Bibulus tam inſignitè improbus, vt inter Catilinas & Clodios meruerit cenſeri? Nam de Bibuli gente nihil tale, quod meminerim ipſe, vetus hiſtoria ſuppeditat. Scribo igitur, *aut L. Tubulo.* Intellego Tubulum illum, qui paullò ſupra Ciceronem prætor fuit, homo tam proiectè improbus, vt eius nomen non hominis ſed vitij eſſe videretur. Cicero pro Scauro, *Si mehercle, iudices, pro L. Tubulo dicerem, quem vnum ex omni memoria ſceleratiſſimum & audaciſſimum fuiſſe accepimus*, &c. & ibi Aſconius. Cauſſa erroris fuit, quòd fortè *ἀρχέτυπον* aliquod *Bubulo* habuit. Lib. XVII. cap. II. tranſpoſitæ aliquot lineæ ſunt.

Hæc ego pauca interim ſuper eo libro quorum memoria poſt lectionem ſuppetierat, mihi notaui in ſermonibus fortè quos de temporib. rerum ad vſus hominum repertarum agitabamus.

Nam hîc finem faciunt capitis ſecundi: ſequiturq; inſcriptio tertij: deinde caput ipſum hoc initio, *Adoleſcens quiſpiam.* At dubiũ non eſt, quin ea omnia fœdè inuerſa, ſic reſtituenda ſint, *poſt lectionem ſuppetierat, mihi notaui.* Hîc finis capitis ſecundi, adde mox inſcriptionem tertij, tum caput ipſum tertium retractis ex fuga iis quæ à fine ſecundi adhæſerant. *In ſermonibus quos fortè de temporibus rerum ad vſus hominum repertarum agitabamus: adoleſcens quiſpiam non indoctus* &c.

CAPVT XI.

Plauti Miles emendata.

SCENA, Niſi hercle.

Tibi ego dico, aneuritatus ne ſis, heus te alloquor.

Monſtrum verbi, quod conſenſu damnant libri veteres, qui habent, *Tibi ego dico anheriatus.* ex quo colligebat Turnebus, *an heri ius neſcis?* Ego puto *ἀρχαϊσμὸν* in ſcriptura fuiſſe, legendumq;, *au! heriatus ne ſis.* Au, interiectio, vt litteratores noſtri loquuntur, excitantis. Heriatus, interpretor, Feriatus, priſca ratione ſcribendi H, *ἀντὶ τοῦ* F. & contrà. Folus, Foſtis, Foſtia, pro Holus, Hoſtis, Quinctil. notat: Fircus pro Hircus, Varro: Felena pro Helena, Priſcianus. vide & Dionyſium Halicarnaſſeum lib. 1. Iam è contrà H. pro F. apud Feſtum Horda bos, & Hordicidia feriæ, quæ aliis Forda bos, à ferendo: & Hanula, id eſt, parua delubra, pro Fanula. Faciunt & libri. Nam infrà eadem fabula Plauti, vbi vulgò,

Neque equidem heminas octo exprompſi in vrceum.

Vaticani, *feminas*, diſertim. veteres vulgati, *fæminas.* Scena, Inde ignem.

Niſi voluntate ibis, rapiam te domum. PH. *oſtium hoc mihi*
Domicilium eſt, Athenis domus ac herus.

Libri vet. *hoſtium hoc mihi.* Littera inſerta egregiè emẽdari puto, *hoſticum hoc.* id eſt peregrinũ. Nam hoſtis antiquitus, qui nunc peregrinus. Callida igitur illa mulier, cùm ſeruus eam vi conaretur domum abſtrahere, diſſimulans ſe eam eſſe, Mi homo, inquit, vide ne erres, equidẽ hîc non habito: ſed hoc Periplectomeni hoſpitio tantùm vtor vt peregrina, Athenis eſt vera domus. Res clara ex fabulæ argumento. Scena, Cohibete intrà.

Cedo tres mihi homines aurichalco contrà cum iſtis moribus.

Prob am lectionem putes, abſque libris eſſet. Vatic. alter *contrà heptim*

Universidad de Deusto
Biblioteca

istis, alter, *contrà intimi istis.* vt appareat à vulgata abesse vocem. Fortè leg. *contrà ensim istis.* siue Emissim. Nam Emere auro contrà, vt apud Varronem, *Vbi poma væneunt contrà auro.* Ita enim eum locum Delicium illud Musarum Scaliger diuinitus emendauit. Nisi placet, *contrà mutim istis*, id est, Mutem. sicut Edim, pro Edam.

Tum ad saltandum non cinædus magis aptus est quàm ego.

Supposita lectio. Vaticani, *cinædus malacus æquè.* optimè. idque approbat vetus codex Nonij in Cinædus.

CAPVT XII.

Quæ sit in Cicerone Aquaria prouincia, & cur in ea acclamari solitum.

IN hoc capite Nuptis verbis mihi vtendum erit, & in Cicerone, vt res est, explicanda quædam liberius. Ne malè audiam apud scueros, exantè testor me hæc ad Aristippi lucernam scripsisse, non ad Cleanthis.

Cicero pro Murena.

Habuit hic lege Titia prouinciam tacitam & quietam, tu illam cui cùm Quæstores sortiuntur, acclamari etiam solet, Hostiensem.

& Interrogatione in Vatinium testem.

In eo magistratu cùm tibi magnis clamoribus Aquaria prouincia sorte obtigisset: missúsne sis à me Cos. Puteolos?

Quæri video cur in sortitione prouinciæ Hostiensis populus adclamarit: aut cur id tam studiosè, & quasi cauillans Cicero notauerit. De ea re ego pedarius Senator ita censeo. Veteres cùm Veneri operarentur, aquæ ministerio vulgò vtebantur. Cicero pro Cœlio, *Ideóne aquam adduxi, vt ea tu incestè vterere?* Ouidius:

Dedecus hoc sumptâ dissimulauit aquâ.

Lucianus in Asino, apparatum illius palæstræ describens: τράπεζα δὲ ἐπὶ κλίνῃ παρεστήκει ποτήριον ἔχουσα, ἡ ὕδωρ ἕτοιμον ἢ θέρμον. Martialis de fellante, *Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquâ.* In carmine hortulorum, *Quas aliter sumas hospes habebis aquas.* Frontinum etiam ita interpretor lib. II. De Aquæ ductibus: *Ita vt ipsam Martiam splendore & rigore gratissimam balneis ac fullonicis & relatu quoque fœdis ministeriis deprehenderimus seruientem.* Ministeria enim hæc ad libidinem intellegit. Inde manasse puto vt aquarium munus, aut aquas aggerere, inter probra vulgi fuerit. Lampridius De Commodo, *Gladiatoribus conuixit, aquâ gessit, vt lenonum minister, vt probris natũ magis quàm ei loco crederes ad quẽ Fortuna prouexit.* Verrij Epitome, *Aquarioli dicebãtur mulierum impudicarum sordidi assectæ.* Lexicon vetus ab hac caussa interpretatur, *Aquaculat, lenocinatur.* Hoc posito, cùm constet Hostiensem prouinciam alio nomine Aquariam dictam: quid aliud arbitremur, quàm populum in voce ipsa Aquariæ lusisse? & quidem si prouincia ea in hominem famosum & Vatinij similem cecidisset, magno risu & clamore euentum sortis comprobasse? Sed manum de tabula: nam neque mihi est os ferreum, & hæc sufficiunt iis qui non habent cor plumbeum.

CAPVT

CAPVT XIII.

Plauti Miles correcta.

SCENA, Quid mihi.

Qui consectare æquè marésque & fœminas.

Vet. Rouerij, *consectare que marésque fœminas.* similis scriptura in Aldi. Repono elegantem phrasim, *consectare quà mares, quà fœminas.* quomodo frequenter Liuius, & Cicero ad Atticum. Scena, Sequimini.

Vos modò porrò, vt occœpistis date operam amicabilem.

Ex Vaticanis scribo, *operam adiutabilem.*

Abierim cupiens istius summæ nuptiarum ordinis.

Inepta lectio quà de verbis quà de sensu. Emendandum iudico, *cupiens istius summè nuptiarum ordium.* ἀρχαϊσμὸς, Ordium pro Exordium, quæ vox reperitur etiam in Lucretij. Vel potius diuisim, & ad alteram personam traducto sermone, *ordine is.* Scena, Hera eccum.

——M I. *cum ipso pol sum secuta*

Placidè ipsa vt libitum est mihi, otiosè, meo arbitratu.

Sententiam insistens emendo, *pol sum locuta.* Ancilla enim pulchrè os sublectans glorioso militi, audiente illo vt magnum beneficium prædicat, quòd hominis tam pulcri conueniendi copia fuerit.

Ergo iste metus me macerat, quod illi fastidiosum est.

Libri Vatic. *ille fastidiosus est.* rectè.

Dum te obtuetur, interim lingua atque oculi perierunt.

Supposita lectio: nam veteres omnes, *linguam oculi præciderunt.* Eleganter. nam in amore cùm oculi cupidè quod amant intuentur, non solùm mens sed etiam lingua obbrutescit. Ita fit vt quasi præcipi & pręcidi verba ab aspectu videantur.

CAPVT XIV.

Ex tragœdia Senecæ Octauia menda aliquot sublata.

SVM ex iis qui mirantur antiquos, nec tamen, vt quidam, inferiorum temporum ingenia prorsus despicio. Itaque non grauabor & Senecæ, (scriptori quidem probo, longè tamen ab optima illâ nota) post Fabricium, opem aliquam adferre. In eius Octauia legitur, statim ab initio,

En qui ora Tanais primus imposuit iugo
Ignota tantis classibus texit freta
Interq; gentes barbaras tutus fuit
Et sæua maria, coniugis scelere occidit.

Emendo, * *En qui oræ Tamesis primus imposuit iugum, Ignota & antè classibus.* Nam cùm manifestò sermo de Claudio Imp. sit, quis fanus hæret, quin per Tamesim Britanniam intellexerit, cuius intactã ad id tempus libertatem ille primus delibauit? Scena sequenti.

* Vel, vt Scaligero placet, *En qui Britannis.*

Genitamq; fratris coniugem captus sibi
Toris nefandis flebili iunxit face.

Scribo, *Genitamq; fratre coniugem captam.* ex historia. Agrippinam enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

intellegit, quæ filia Germanici Cæsaris, fratris Claudij, fuit. Ibid.

Sillanus & cruore fœdauit suo
Patrios penates criminis factus reus.

Fortè scrib. *criminis ficti reus.* Vide Tacit. lib. XII. Infrà.

Inuidia tristis victa consensu pio
Cessit Senatus, equitis accensus fauor
Plebisq; votum est, atque iudicium patrum.

Lego, *Inuidia t.v.c.pio Cessit: Senatus e.a. fauor Plebisq; notus'st.* & id sententia comprobat.

CAPVT XV.

Plauti Truculento antiqua vox, & alio versu vetus scribendi ratio reposita.

ANTIQVITATIS in Plauto vestigia multa superant, plura per exscriptorum imperitiam mutarunt. Habuit enim prisca illa & horridula ætas vt verba quædam propria, ita & scribendi peculiarem modũ. quæ in libris antiquis & reconditis sincerè inuenta, quid ni tanquam vetusta signa aut nummos miremur? Vtriusque rei, & quomodo in eo peccatum sit, exemplum è Truculento promam. Ac verbum quidem antiquæ notæ statim in Prologo per iniuriam deiectum est, illo versu,

Athenas quo sine architectis conferam.

Nam duo Vaticani disertè, *sine arcuspletis conferam*, tertius autem, *arcuspetis*, suprà tamen eadem manu, L. addito, vt fieret arcuspletis. De quo ignoto sanè verbo nihil vltrà habeo dicere, quàm illis testibus probum videri & antiquum. Iam de scriptura, quod eadem fabula, scena 1. legitur,

Aut vasum aheneum aliquod aut lectus dapsilis.

adulterinum id esse item conuincunt libri. Nam duo Vaticani optimi, *lectus laptilis*, disertè habẽt; tertius, *leptilis*, littera modò immutata. Prior illa pura puta Plauti scriptura est, valetque Dapsilis. L. videlicet pro D. & T. loco S. Ita enim litteras commutabant. Hinc Dingua, Cadamitas, Dacrimæ, pro Lingua, &c. Priscianus obseruat: Præsilium pro Præsidio Victorinus: Cassilam pro Cassida Festus. Quin & Gallinam Melicam pro Medica Varro scripsit. T. autem pro S. poni docet Ennij illud, *Adgrett us fari*, id est, aggressus, & veteris poëtæ apud Nonium, *Atrei terta niget galea*, pro Tersa.

CAPVT XVI.

E Cornelij Taciti, vt vulgus putat, dialogo De caussis corruptæ eloquentiæ, loci duo emendati.

QVICVNQVE scriptor fuit dialogi illius De caussis corruptæ eloquentiæ, (nam Tacitum quidem esse nondum adducor vt credam) sed quicunque, inquam, scriptor: & ipsum profectò litterarum multarum fuisse cognoscimus, & syntagma quoque cuius pars modò superest, non inutilem neque insecitam de eloquentiæ progressu & occasu disputationem habuisse. E qua illustriores duas maculas conabor eluere. In oratione Apri vulgò sic,

Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines Attali & statuæ, quæ neque ipsa tamen negleguntur, tam herclè quàm diuitiæ &c.

Quæ istæ imagines Attali? aut cui vnquam tam perito auguri vera lectio in mentem fuisset absque libris? E quibus nunc quidẽ clara res est. Nam Farnesi codex, *Imagines, ac tituli, & statuæ*, perspicuè refert. Nec quidquam pote certius aut clarius. Vulgati erroris caussa fuit breuior scribendi ratio, *ac* tli, id est, tituli: ex quo manauit, si dis placet, Attalus. Sed hoc à libro: istud alterum ab ingenio erit.

Ibidem.

Quia video etiam Graiis accidisse, vt longius absit Aeschines & Demosthenes sacerdos iste enitet, & siquis alius Ephesum vel Mitylenas contentus scholasticorum clamoribus quatit &c.

Videbar non absurdè emendare, *vt longius absit Aeschine & Demosthene Sacerdos iste Nicetes, & siquis alius* &c. sententia & historia probante. Nam Sacerdos Nicetes illa ætate non ignobilis *rhetor in schola fuit. Plinius lib. VI. Epistol. *Erat non studiosorum tantùm, verumetiam studiorum amantissimus, ac propè cottidie ad audiendos quos tunc ego frequentabam Quinctilianum & Sacerdotem Nicetem ventitabat.*

*Nominat & Seneca in Controuer. plus semel.

CAPVT XVII.

Plauti Pseudolo versus de coniectura correctus.

PVTO in vitio esse versum illum è Pseudoli scena, Postquam illic.

Quid nunc acturus? postquam herili filio
Largitus dictis dapsilis, vbi sunt ea?

& rectè sic corrigi, *Largitus dict' es dapsilia*, Dicta dapsilia, id est, munifica & larga. Ortus error fuit ex vocibus imperitè confusis.

CAPVT XVIII.

Varro in Fragmentis emendatus.

VARRONIS fragmenta quotiens video, oculos mihi dolere necesse est: adeò non solùm pauca quædam ex tanta vi pulcherrimorum scriptorum ad nos venerunt, sed ea ipsa ita lacera, amfracta, diuulsa, vt quod poëtæ Pentheum diripuisse aiunt Bacchas: nugas maximas fuisse credam: præut quo pacto Varro distractus fuit. E quo numero aliquot malè accepta membra hoc capite sanabo, conabor quidem certè.

Apud Nonium, Calcar.

Varro sesquiulysse, Ventus suo casu vehemẽtius sufflare, & calcar admouere. Ebrios & Ticinios nõ vinolentos aut sinocino, sed expletos qualibet re possumus dicere. Varro Eumenid. Et ceteri scholasticis auribus scolica dape, atque ebriis festicè ἀπεραντολογία consurgia consurgimus ieiunis oculis.

Musæ vestram fidem! malè acceptus locus. In quo id primum monendum, duo exempla, siue duas dictiones Nonij turpiter coïsse in vnum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& sic seperanda. CALCAR *pro impetu. Varro S.V. sub occasum. v. s. e. calcar admouere.* Hactenus Varro. Faciendum deinde à verbis Nonij initium, & alterius dictionis impropria significatio ponenda, eo modo quo nos (sine dolo dicam) præclarè emendauimus, EBRIOS ET IEIVNOS *non vinolentos aut sine cibo, sed expletos* &c. *Iciunos*, scripsi, pro, *Icinios*, reiecto T. quod ex priori adhæserat: *Sine cibo*, ex illo, *si nociuo*, noto & tralatitio errore V. pro B. Res tota clara ex Varronis sequenti exemplo, cuius emendationem à Iunio petendum.

Apud Nonium, Desubulare.

Varro Sesquiulysse. Vnam veniam esse non amauisse duce virtute, hanc esse nobilem: alteram Carneadem desubulasse bona corporis secutum.

Manuducente sententia emendaui, *Vnamq; viam Zenona mouisse duce virtute.* vel potiùs, *Zenona mæniisse*, antiquè pro muniisse. Distractæ perperam voces induxisse librarios videntur, *Vnamue viam senon amouisse*, quas vix duabus litteris immutatis eleganter reconcinnaui. Egit hîc Varro de variantibus sententiis philosophorum, & illinc Zenonem constituit Stoïcorum principem, qui virtutem solam beandæ vitæ esse voluit; istinc Carneadem, qui bona corporis adiunxit. De vtriusque hac sententia videatur Cicero & Laërtius. Loquitur eodem modo eadem Satyra Varro, *Alteram viam deformasse Carneadem virtutis è cupis acris aceti.*

Apud Nonium, Sacrum.

Varro lege Mænia. Signata sacra esse desierũt, posteaquã homines sunt facti.

Latet acuta sententia in pauxilla menda. Scribo, *signa tum sacra.* ambiguè. Id est, Signa seu statuę Deorum desierunt videri sacra siue religiosa, postquã homines facti sunt sacri, id est, scelesti. Et de his quidem ita arbitror.

CAPVT XIX.

Miles Plauti correcta, & antiqua vox restituta.

QVOD in Milite constanter omnibus libris scribitur, Scena, Cohibete intrà.

Nam bonum consilium surripitur sæpissimè,
Si minus cum cura aut catalogo loquendi lectum id est.

id sincerum esse non ipsi fidei crediderim. Nam cui Alciatus probabit, Catalogum, ordinem loquendi esse: aut nescio quis Veronensis, enumerationem sermonis? Quinpotiùs diuisim scribendum censeam, *aut cato loco.* Catus locus, quem præcedentibus versibus tutum locum nominauit, id est, remotum ab arbitris. Siue etiam, *aut catè locos loquendi lectus est.* Locos pro Locus, & id sanè perplacet.

Eadem scena,

O lepidum senem si quas memorat virtutes habet.

Non temerè est quod in noto verbo titubant omnes libri. Rouer. *Lepidum semiseum*: alter Vatican. *semisenem*: alter proximè verum, *semisecem.* Nam ego paratus sum pignus in omnes fortunas meas dare, Plautum scripsisse, *O lepidum senicem.* Senicem, pro Senem, ἀρχαϊκῶς. Ita enim inflexisse antiquos Priscianus disertè tradit, prolato eiusdem Plauti exemplo,

plo, *Datores bellissimi negotioli senices soletis esse.* Nec dissimile est apud Nonium Senica pro fœmina sene: Pomponius, *Sed me exercet senica nequam neque illa quid faciam scio.* Atque hoc probatum spero iri iis quibus probari ipse velim: de ceteris non est tanti.

CAPVT XX.

In Propertio antiqua scriptura reposita, alia quædam carptim adnotata.

QVIS non miretur in vno versu tantam librorum discrepantiam?

Eleg. XII. lib. II.

Quid tibi iucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, aliò trajice tela puer.

Nam vet. Farnes. *Si puer est, alio trace puella tuus.* Fuluij, *trajce puella puer.* Mureti, *Si puer est, alio traice puella loco.* Vatican. *Si pudor est. a. t. tela tuo.* Quid autem tam diuersum à mente Propertij quàm Puellæ nomen, quod tamen libri constanter obtrudunt? Sed vide caussam erroris, & ride. Nam ego sacramento quinquagenario contendere paratus sum Propertium scriptum reliquisse, *traice duella tua.* antiquè, pro Bella. Ne quem lex versus moueat, scire licet aut *Traice*, dissyllabon esse vt in illo Virgil. *à flumine reice capellas*: aut *Duella*, vt Lucret. *& equorum duellica proles.* Sed huic admonitioni attexamus ex eodem poëta alia.

Lib. II. Eleg. III.

Vt Mæotica nix minio si certet Ibero,
Vtq; rosæ puro lacte natent folia.

Comparatio sumpta videtur ob illo Anacreontis,

Γράφε ῥῖνα καὶ παρείας
Ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας.

Eleg. V.

Cynthia forma potens, Cynthia verba leuis.

Vet. Mureti, *Cynthia f. p. Cynthia forma leuis.*

Eleg. IIX.

Sed non efficies. mecum morieris: oportet
Hoc eodem ferro stillet vterque cruor.

Fortè an leg. *Sed non effugies.*

Eleg. IX.

Sidera sunt testes & matutina pruina.

Hunc versum, vt opinor, in mente Seruius habuit ecloga v. vbi adnotat Testis etiam neutro genere dici, vt Propertius, inquit, *Testes sunt sidera nobis.* Eleg. XIII.

Et duo sint versus. Qui nunc iacet arida puluis,
Vnius hic quondam seruus amoris erat.

Corruptè hic versus legitur apud Charisium Sosipatrum libro I. *Puluis*, inquit, *masculino genere, quamuis Propert. dixerit, Cui nunciet horrida puluis.* Ceterum, *Horrida*, non *Arida*, vnà cum Charisio omnes libri.

Si tam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si tam longæuæ minuisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus.

Librorum partim, *Quis tam*: Farnes. rectissimè, *Qui tam*. elegans locutio desiderata coniunctione. Plautus Mænech. *Nam absque ted. esset, hodie numquam ad solem occasum viuerem.* ita Rouerij codex Vulgò pessimè, *Nam si absque te essem*. Emendandus ita Ouidius Epistola Acontij, *Aut esses formosa minus, peterere modestè*. ita Vatic. liber. vulgati, *Si esses tu formosa*. Simile illud Cicer. ad Atticum lib. XII. *Scisses enim, mihi dixisses.*

Illis formosum fleuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu Venus isse coma.

Tres veteres, *iacuisse paludibus*. Fuluij, *lauasse palud*. Vtrauis harum verior vulgata. Fuluiana ad morem antiquum referenda, de quo Ennius, *Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit*. Moschus similiter facit Adonin vngi à Venere, ab Amoribus lauari.

Eleg. XV.

Sic nobis qui nunc magnum speramus amantes.

Malim, *Spiramus amantes*. Spirare magnum, quod Græci μέγα πνεῖν.

CAPVT XXI.

Plauti Curculione versus duo restituti: & cur parasitus Herculem nutricem inuocet, explicatum.

CVRCVLIONE, Scena I.

PA. *Nempe huic lenoni qui hîc habitat?* PH. *rectè tenes.*
PA. *Nimis formido ne exedat.* PH. *odiosus es.*

scrib. *formido ne excidat*. Cùm herus diceret, Rectè tenes: seruus ludificans in verbo Tenendi, Nimirum, inquit, metuo ne elabatur.

Scena, Date viam.

Video tuum sodalem, argenti rogo vti faciat copiam,
Scires velle gratiam tuam noluit frustrarier.

Lego, *Scires velle gratia tua, noluit fr.* id est, Scires facilè eum tua caussa velle, sed non posse. Vide sequentia.

— iacit volturios quattuor.
Talos arripio, inuoco almam meam nutricem. Herculem
Iacto basilicum. propino magnum poculum.

Quis iste Hercules Basilicus? An, vt Turnebus censet, talorum species in qua Hercules sculptus siue pictus cultu regio? Logi. Nam quis Herculem vnquam vt regem pinxit? & non potius cũ claua & pelle leonina? Arbitror ipse vitiatum ab interpũctione locum esse, & sic distinguendum *almam meam nutricem Herculem: Iacto basilicum*. Cùm enim in more esset, vt qui talis luderent, Deum aliquem propitium inuocarent, vt exempli caussa milites Martem, amatores Venerem, aut pro Venere amicam: Plautus egregiè in Parasito τὸ πρέπον seruans, facit ab eo Herculem inuocari. Ab hac caussa: Veteribus, cùm decumas Herculi pollucerent, epulum publicè præbere solenne fuit. Ad id epulum inprimis Parasitos aduocari tanquam peculiares eius Dei seruos leges Græciæ sanxerant.

Athen.

Athen. lib. VI.

Τὸ τῦ παρασίτυ ὄνομα νῦν μὲν ἄδοξόν ἐστι, παρὰ δὲ τοῖς ἀρχαίοις εὑρίσκομεν τὸν παράσιτον ἱερόν τι χρῆμα καὶ τῷ συνθοίνῳ παρόμοιον. Ἐν κυνοσάργει μὲν ἦν ἐν τῷ Ἡρακλείῳ τῆλη τίς ἐστιν ἐν ᾗ ψήφισμα μὲν Ἀλκιβιάδυ. λέγεταί τ' ἐν αὐτῷ περὶ τῆς προσηγορίας ἔτως· τὰ δὲ ἐπιμήνια θύετω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων.

Simile apud Ro. obtinuisse ex Possidonij verbis apud Athen. & ex Plutarchi Crasso licet colligere. Itaque cùm plerumque vsu veniret vt Parasiti in templo Herculis ex eius decimis pulchrè acciperentur: quis non fateatur ab homine porco, & vni ventri dedito rectè & facetè Herculem inuocatum, cum cognomento nutricis, quòd ab eo fæpe nutriretur? Tantum est de Hercule nutrice. Sed quis basilicus iactus? me iudice idem qui Venerius; opinionis meæ causssas dabo infrà in Sermone conuiuiali. Quis Volturius? idem cum Cane. Quòd enim is iactus (qui fiebat cùm quattuor tali pari situ in dorsum subsilirent) infelix esset & rapax, videntur ei nomina quædam infausta & mali ominis indidisse animalium rapacium, vt Canis, Vulturis.

CAPVT XXII.

T. Liuij locus auxilio libri veteris, & alij tres à coniectura restituti.

ERAM in Sequanis à grauissimo morbo ἀδθενῶν, adhuc καὶ μαλακιζόμενος, cùm opportunè ad animi mentem recreandam adfertur mihi à Claudio Chiffletio. IC. vetus exemplar Liuij. Bibliothecæ Vesontionensis esse aiebat. Percurro, quod sine fraude valetudinis meæ liceret, auidè: & statim à principio, vbi vulgati,

Multiplex deinde exortus terror. Etruriam rebellare ab Aretinorum seditionibus motu orto nunciabatur: vbi Licinium genus præpotens diuitiarum inuidia pelli armis cœptum.

in illo ms. inuenio, *vbi Cilnium genus*. Assensi statim, eoque libentius quòd & veteres editiones Liuij partim, *vbi ciuium genus*, habent, partim, *vbi Licinium ciuium*. cùm hæsitantes videlicet librarij illud, *Cilnium*, in *Ciuium* vertissent. Hi porrò Cilnij sunt, nisi fallor, à quibus primam originem C. Mæcenatis illius Musarum patroni petendum est. Argumento gentile eius nomen Cilnius: argumento & hic Liuij locus, qui Cilnios istos Etruscos Aretinos constituit. Atqui profectò Mæcenas populo Etruscus, domo Aretinus fuit. Colligitur ex Epistola Augusti apud Macrobium, in qua præter cetera delicata nomina, *Laser Aretinum*, à patria prima vocatur. Emendandus ita Liuius infrà:

Seditionibus tantùm Aretinorum compositis, & Cilnio genere cum plebe in gratiam reducto.

vbi item vulgati, *Licinio*. In Silio Italico error similis, lib. VII. *Cilnius Areti Tyrrenis ortus in oris Clarum nomen erat*. vbi perperam vulgò *Cilinus*: nec dubitandum quin aspexerit ad gentem & ortum Mæcenatis. Huius in Liuio lectionis non solùm testem: sed etiam approbatorem habeo eruditissimum Victorem Giselinum, hominem iunctum mecum fidelissima gratia, & cuius mihi non modò iucunda consuetudo fuit, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam consilia & fides salutaris. Sed subiungam huic capiti Liuiana alia. Lib. XXII. in rogatione de vere sacro.

Rogatus in hæc verba populus: Velitis iubeatis [hoc sic fieri?] si res populi Ro. Quiritium ad quinquennium proximum &c.

glossemate fœdatus locus: quem sic lego, *Velitis iubeatis, si res populi Ro.* superfluis illis accisis. Quid enim velle iubere populus debeat, distinctè subiungit: vt in aliis rogationibus solitum. Cicero Pro domo sua, eandem rogandi formulam exprimens, *Velitis iubeatis, vt M. Tullius in ciuitate ne sit?* &: *Velitis iubeatis, vt M. Tullio aqua & igni interdictum sit?*

Ibidem.

Si res populi R. Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim eam, salua seruata erit hisce duellis, datum donum duit populus Ro. Quiritium, quod duellum.

Nunc tamen ambigo.

Sigonius tentat legere, *Votum donum duit.* * Scribo, *Latum donum.* Forma vetus loquendi in donationibus. Liuius lib. XXIII. *Ager Hispanis in Hispania, Numidis in Africa post bellum virtutis caussa latus datus est.* etsi hoc ad latitudinem referre possis. Ceterùm vereor vt totus hic locus traiectis verbis vitiatus sit, & hoc ordine legendus, *seruata erit hisce duellis, quod duellum pop. Ro. cum Carthaginensi est, quæque duella cum Gallis sunt qui cis Alpes sunt, latum donum duit populus R. Quiritium, quod ver attulerit ex suillo* &c. Iudicent docti.

Ibidem.

Quod fieri oportebit profanum esto, neque secus esto.

Legend. *neque secius esto.* id est, deterius. Suetonius in Tiberio, *Multa multorum Claudiorum egregia merita, multa etiam secius admissa in remp. exstant.* ita Vatic. codex. Ibidem.

Si ante id ea Senatus populúsque iusserit fieri ac faxit, eo populus solutus liber esto.

Reponenda vetusta vox, *Antidea*, quæ valet antea, interiecto D. vt Plautus postidea, medecum, & similia.

CAPVT XXIII.

Acuta sententia Plautini versus apud Nonium reposita.

NON diu, sed acriter me torsit anquisita correctio istorum versuum apud Nonium:

Plautus Vidularia: Malim meriri meos quàm mendicarier.
Boni ministrantur, illum nunc irrident mali.

Nisi me animi fallit, inueni tamen. Lego, *Beni im miserantur, illunc irrident mali.* Iam, pro Eum, antiquè. vide Festum. Est autem αἰτιολογία versus prioris, Pauperi melius esse mori quàm mendicari: quia si moritur, misericordiam à bonis; si perseuerat viuere, irrisum à malis consequitur. Sententia est, quæ compar Menandri istis:

Ὁ πρῶτος εὑρὼν διατροφὴν πτωχῷ τέχνην,
Πολλὰς ἐποίησεν ἀθλίας. ἁπλῆν γὰρ ἦν
Τὸν μὴ δυνάμενον ζῆν ἀλύπως, ἀποθανεῖν.

IVSTI

IVSTI LIPSI

ANTIQVARVM LECTIONVM

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Plauti Pseudolo elegans iocus restitutus.

NEGARE nolo: amo Plauti elegantes & vrbanos sales, nec Venusini illius aliter censentis versus vnquam meherclè sine indignatiuncula lego. Sed ex iis quidam in vulgus obscuri, quidam corrupti. Quo in numero censendus ille Pseudolo.

Scena, Pseudole non.

——— *Pseudole arcesse hostias*
Victumas, lanios, vt ego huic sacruficem summo Ioui.
BA. *Nolo victumas, agninis me extis placari volo.*

Libri omnes antiqui, *Nolo victumas, at minimis me.* Scribendum iudico, *At minis me extis*, vel etiam, *At mininis*, voce ducta à Mina. Nimium eleganti sententia & ad lenonis mores accommodata. Nam cùm amator propter seruatam, vt putabat, amicam, facere victumam lenoni vellet, vt Deo & auctori fortunarum suarum: ille qui aliud spectaret, negat se victumas & inania honorum morari, sed minas & argentum velle. Hæc porrò verba, *At mininis*, (nam in ambigua pronunciatione iocus fuit) leno ita extulit, vt adolescens minimè malus intellexerit eum, *Agninis*, dixisse. Ergo subiicit, *Quid stas? arcesse agnos. audin' quid ait Iupiter?* Hoc nisi certum est, nolo mihi posthac quisquam duarum rerum quidquam creduat, vt ille ait.

CAPVT II.

De Ciceronis locis aliquot, lib. De legibus iudicatum.

CICERONIS locus est II. De legibus, stigmate notatus, ad quem emendandum conari cum bona gratia eruditi cuiusdam viri vix possumus. Quippe qui eum ita flagitiosè corruptum & penitus depositum confirmarit, vt ne hiscendi quidem de eo facultas sit.

Locus sic habet.

*Quid quod multa pernicioſa, multa pestifera sciscuntur in populis? quæ non magis legis nomẽ attingunt, quã si latores aliquas * concessu suo sanxerint.*

Mihi tamen præclarè huic vulneri remedium adhibitum iri videbatur,

 si lege-

Universidad de Deusto
Biblioteca

si legeremus, *Quàm si latrones aliqua confessu suo sanxerint.* Sententia perspicua. Scita ea, inquit, quæ turbulenti magistratus violandæ aut perdundæ reipublicæ ferunt, non magis sanctissimo legis nomine dignanda sunt, quàm ea quæ latrones aut pyratæ in suo confessu de præda diuidunda aliisque talibus sanciunt.

Ibidem.

Plures autem Deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes, & respondendi iuris, & confitendarum religionum facultatem adferunt.

Videri possit mancus locus, legendumque, *Plures autem Deorum omnium pontifices, singuli singulorum sacerdotes.* siquidem hæc interpretata sunt ex verbis legis illius, *Diuisque aliis alij sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto.* Adfert etiam molestiam illud, *confitendarum religionum,* quod rectum esse vix videtur. Diuinabam leuiter, scriptum fuisse, *confite tuendarum,* id est. *cum fide,* quod conuenit præclarè.

Ibidem.

Tum ebur ex inani corpore extractum.

D. Lambinus voluit, *ex inanimo:* mihi probatur *ex immani.* quod conuenit in Elephantum. Lib. III.

Tribunisque quos sibi plebes rogasit ius esto cum patribus agendi: ijdem ad plebem quod census erit ferunto.

Idem Lambinus emendat, *Quod censuerint, ferunto.* quod probarem, si probabile esset in tam noto verbo offendere omnes libros. Veteres plerique, quod ipsi in Vaticano vno & altero apud Sequanos vidimus, *Quod cessus erit,* referunt. vt perspicuum sit verbum aliquod remotius fuisse, quàm pro captu imperitorum. Quid igitur si legamus? *Quod æsus erit.* antiqua ratione scribendi pro, *Vsus.* quod ad sententiam aptum est certè: & *Cærare,* ac *Cæratio,* pro Curare Cicero in his ipsis libris scripsit. Non displiceat etiam, vt propius recedamus à libris, *Oessus,* quando Ciceronem in eiusmodi verbis omnibus geminasse consonantes, & Cassus, Diuissio, Vssus dixisse, Quinctiliani & Annæi Cornuti testimoniis cognoscimus.

CAPVT III.

Plauti Rudente versus quatuor à coniectura correcti.

RECTE'NE Plauti Rudente scriptum legimus in lepido colloquio Ampelisçæ & Sceparnionis, cùm illa attrectantem paullò liberius seruum reiiceret?

Non ego sum pollucta pago, potin' vt me abstineas manum?

& rectè quidem esse ocellus Galliæ Turnebus censuit, qui pollactam pago, interpretatur communem & expositam pago, vt inquit, in Pollucto Herculis omnia exponebantur obuiis. Duriusculè, vt mihi videtur, & potiùs vix duabus litteris mutantibus legerim, *Non ego sum polluta, apage, potin'.* Sic idem Plautus in re simili, *Pura sum, comperce amabo me adtractare Agorastocles.*

Scena, Nimio hominum.

Hoc quod induta sum, summæ opes oppido.

Scrib.

Scrib. diuisim, *sunt meæ opes.* de puella naufraga cui nihil reliqui erat præter vestitum. Scena, Meámne ille.

LA. *Sictine me spernis?* CH. *sic ago, semel bibo.*

Legerim, *sic ago, sic mel bibo.* Insultans impuro lenoni hospes ait eius calamitates melli sibi & voluptati esse.

Scena, Iterum mihi.

Dic ergo quanti censes? TR. *egóne? censeo.*

PL. *At sume quidem ne censionem semper facias.*

Editio Aldi, *Adsume quidem,* alij, *Adsum equidem.* Sed, meo animo, certum est Plautum scripsisse, *Absume quidem.* venusto ioco. Nam cùm seruus ludos herum faciens non aliud ad interrogata responderet, quàm Censeo: quasi indignatus adolescens, & in amphibolia verbi ludens, At, inquit, ne semper censeas, absume potiùs & in decoctores referare. Quod sumptum est à moribus Rom. Constat enim eos qui abligurriissent, & nihil in bonis haberent præter sacculum illum Catulli, liberos fuisse à molestia dedicandi sua in censum.

CAPVT IV.

Nonij Marcelli aliquammulti loci purgati.

VT ij quos antiquitas delectat non solidas tantùm statuas, sed & auulsum crus & fractum brachium capiuntur cernere: idem nobis vsu venit in litteris. Nonius in manibus & sinu eruditorum est; non quia ipse per se tanti sit, homo aliàs nugator & ad risum sæpe ineptus, sed quia in eo veterum scriptorum reliquiæ & fracta quasi membra comparent, quæ ex auita hereditate nos vt ruta & cæsa delectent necesse est. Ad ea membra aliquot pro parte sananda hoc capite conabor.

Nonius in Verruncent.

Afranius Diuortio: Et puncto auerruncent cur Syriam simul.

Liber vetus, *Et ponito.* Lego, *Et ponti auerruncent cursuram simul.* vel potiùs, *Verruncent.* Cursura ponti, nauigatio est vt Virgil. *Huc cursus fuit.*

In Manipuli.

Sisenna Histor. lib. III. *Conuictus tamen & tempora singula constituit, & sicut steterat manipulos obuerti iussit.*

Lego, *Connixus tamen ex tempore signa constituit.*

In Tristitias.

Turpilius Leucadia: Ante facta in ignem cõmitto tristitias ante diuortium.

Si recta hæc lectio, quid tam ridiculum quàm quod Nonius monet Tristitias pro Tristitia hîc positum? sed emendandum in verbis Nonij, *Tristitas,* pro *Tristitia.* Hoc primum. Deinde cùm pro illo, *ante diuortium,* in veteri libro sit, *ante dorcium:* emendandum arbitror, *tristitas anted ostium.* R. & S. in libris frequenter alternant. *Anted.* D. addito more antiquo. Hoc dicit, Omitto præterita, en noua tristitia præ foribus est.

In Patibulum.

Sallust. Histor. lib. IIII. *In quis notissimus quisque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore improbi patibulo eminens affigebatur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vix est vt audeam post accuratam diligentiam Carrionis aliquid in Sallustium: quod tamen eius voluntate fiat, puto hoc loco legendũ, *in proris patibulo*. rectè ad sententiã, quia in nauib⁹ hęc supplicia sumpta colligitur.

In Lucuus.

Afranius Frater. Pistori nouat cur non scribitario.

Vir doctus legit, *Pistor ouat*. emendarim ipse *Pistori nubat cur non scriblitario?* Scriptum fuit, *Nuuat*, inde, *nouat*. Scriblitarius, qui placentas conficit. Prologo Pœnuli, *Nunc dum scriblitæ æstuant, accurrite.*

In Optare.

Sallust. histor. III. Atque eum cupio laudatum accensúmque præmiorum spe quibuscum optauisset ire iubet.

Ita Carrio emendauit: optimè. nisi quòd pro illo *Cupio*, legendum censeam *Curio*, aut *Cæpio*. Fortè de Curione illo sermo est, qui Dardanos vicit. Meminit epitome Liuij, & Sallust. lib. II.

In Amnis.

Accius epinauſemacheumandria: mundam ſalſo ſanctam obtexi ſanguine atque acerbos alta in amni corpore expleui hoſtico.

Restituo, *Accius epinauſemache, Scamandriam vndam.* & deinde, *Aceruos*, pro *Acerbos*. Scamander fluuius in Phrygia. Dicuntur hæc fortè in persona Achillis.

In Imberbi.

Varro epist. ad Fabium. Quod facis Saturnorum ſimiles ſunt, quod maxima fiunt, idémque imberbi.

Lego, *Quod facie Saturorum:* id est, Satyrorum. nisi placet, *falcis Saturnorum*. Saturnus cum falce incurua pingebatur. Ludens igitur Varro eos dicat incuruos esse vt falcem Saturni. Prius magis placet. Reliqua lego vt doctiss. Iunius.

In Facessere.

Ennius Annal. I. Hæc effatus, ibíque latrones dicta faceſſunt.

Non dubito quin Ennius scripserit, *Hæc effatus ibus*, ἀρχαϊκῶς pro Iis.

In Picumnus.

Higinius: Picumnus est parua veſte picus Martius.

Alij, *parca veſte*. Scribo *varia veſte*.

In Lanitium.

Laberius: Nihil refert vtrum mollem è lanicea Attica,
An pecore ex hircorum veſtigium geras.

Perspicuè leg. *veſtitum geras.*

In Ignauiter.

Quadrigarius Annal. II. Et qui ibi erant, non ignauiter putando eum diem pro meliore habuerunt.

Lego, *ignauiter pugnando*. scriptum fuit, *pucnando*. hinc error.

In Parciter.

Pomponius Verre. Salbeolo parciter tanquam frater mihi ſis medium abdomen cùm diuidam.

Scribo, *Saueolum parciter*. Videlicet autem verbum Diuidendi hîc inter obscœna esse & deuirginata.

CAPVT

CAPVT V.

Plautinæ Militis versus, & alter Pœnuli emendantur.

EST verò quod semper iudicaui. Corruptè in Milite legitur colloquio Sceledri & Periplectomeni extremo,

Frequens ſenatus poterit nunc haberier,
Ibo intrò, ne dum abſum illis ſortitò fuam.

Quam enim sententiam idoneam habeat illud sortitò esse? Comprobant iudicium meum libri: è quibus Vaticanus alter, *ne dum abſum multi fortuitò fuam*, alter *multi fortuita*. E quorum vestigiis confirmo scribendum, *ne dum abſum multæ fortuitò ſuam*. vel potiùs, *multai*. venusta sententia. Nam cùm lepidus ille senex de consessu congerronum suorum, qui consilium habebant mulieris liberandæ, tanquam de Senatu magnificè locutus esset: in eodem nunc ludens & simul veterem ad morem respiciens addit, se quoque tanquam vnum aliquem Senatorem in curiam iturum, ne fortè absenti multa imponatur. Moribus enim Rom. Senatori qui die Senatus non adesset multam dici solere, Consulemque ius habuisse pignoris capiendi vel ex vno Cicerone nota res est, De Orat. III. De Leg. II. & Phil. I. Quanquam eadem hac sententia legi etiam possit, *multiſortio*. voce non abhorrenti à Comica compositione, vti multisortionem dixerit, qui multam sortitur. In eadem voce turpis error Pœnulum obsedit Scena ante vltimam.

Rapiamus in ius. POE. *minimè.* AG. *quapropter?* POE. *quia.*
Iniuriarum multo induci ſatius eſt.

cùm perspicuè legendum sit, *Iniuriarum multam dici ſatius*. Vtriusque coniecturæ meæ cùm ante biennium Carolum Langium, virum quo nihil Sol ille doctius vidit aut melius, arbitrum fecissem, sic eam comprobauit, vt pronuntiaret meritò iisipsis imperitiæ multam dictum iri, qui illud de multa non probarent.

CAPVT VI.

Apud Macrobium Ciceronis elegans iocus restitutus: similis error è Suetonio sublatus.

NIHIL meream, quin coniecturam meam de acuto quodam Ciceronis dicto proponam, quod exstat apud Macrob. I. Satur.

Idem Cicero aliâs facilitatem Cæſaris in eligendo Senatu irriſit palàm. Nam cùm ab hoſpite ſuo P. Mallio rogaretur vt Decurionatum priuigno eius expediret, aſſiſtente magna frequentia dixit, Romæ ſi ius habebit Pompeius, difficile eſt.

Ita libri, quibus in verbis neque sententiæ eius quam elici Macrobius voluit, neque omnino elegantioris dicti vola aut vestigium apparet. Lego igitur, *Romæ ſi vis habebit, Pompeius difficile eſt*. Optimè. Nimirum perstringens Cicero facilitatem Cæsaris qua quosuis vulgò in Sena-

tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum admittebat, respondit Mallio παρὰ δόξαν, Difficile fore vt Pompeiis (quod Campaniæ oppidum est) Decurionatum impetret: ceterùm si Romæ in Senatum velit, id iam Cæsare Dictatore facilè posse. Similis planè error in Suetonij Claudio, vt vulgata distinctio est.

Cap. XXVII.

Liberos ex tribus vxoribus tulit, ex Herculanilla Drusum & Claudiam: ex Pætina Antoniam: ex Messallina Octauiam & Brittannicum. Drusum Pompeium puberem amisit piro per lusum in sublime iacto & hiatu oris excepto strangulatum.

Quis enim historiæ & antiquitatis modicè peritus hærebit, quin & hîc leg sit, *Drusum Pompeiis?* vt locum adnotarit vbi Drusus ille exstinctus. Nam neque Claudij Pompeios paterno aut materno genere attingebant: & ne quis de adoptione suspicetur, Principis Ro. filium ab alio inferiori adoptatum esse, absurdum.

Caput VII.

Plauti Asinaria antiqua vox, & alio versu Græcanicum genus dicendi repositum.

ASINARIA, cùm anus morosa & difficilis egenum amatorem expulisset, amica discedentem illum lacinia retineret, sic legimus.

PH. *Quò nunc abis? quin tu hîc manes?* AR. *mox si voles manebo.*

Deprauatè. Nam adolescentem aliquid de Nocte dixisse paret statim ex sequenti versu quem Libanus subiecit, *Audin' tu hunc opera vt largus est nocturna?* Itaque citra controuersiam Plautus scriptum reliquit, *Nox si voles manebo.* Nox ἀρχαϊκῶς pro noctu. cuius vocis insolentia loco fuit deprauando. Veteres ita locutos discimus ex Agellij Indice lib. IIX. Noctium cap. 1. *Hesterna noctu rectè an cum vitio dicatur: itémque quod* x. *viri in* XII. *tabulis Nox pro noctu dixerunt.* Caput autem ipsum quo id pluribus docuit Agellius, etsi vnà cum libro periit: tamē verba ex XII. quæ ille in mente habuit repperi apud Macrobium, qui eiusmodi multa vtenda ab Agellio sumpsit, si fatetur; furatus est, si negat. lib. 1. Sat. *Si nox furtum factum esit, si im alis occisit, iure cæsus esto.* Addam ex eadem Scena aliud:

Argenti viginti minæ me modò ad mortem appulerunt,
Quas hodie adolescens Diabolus ipsi se daturum dixit.

Restituendum hîc aio nimium elegans genus dicendi, quod imperiti nebulones furcis eiecerant, *Quas h.a. Diabolus ipsi daturus dixit.* Ita enim sine vlla litura Vaticani libri: & codex Langij nostri, *daturas dixit*, littera vna discrepans ab illis. Est autem purus putus Hellenismus, notus iis qui primoribus labris litteras Græcas gustarunt. In quo eodem emendandus Plaut. Bacchidib. Scen. II.

Fiam vt ego opinor Hercules, tu autem Linus.

nam & hîc Vaticani disertim, *Eia! nunc esse ego opinor Hercules, tu autem Linus.* Simile est illud Virg. *Dixit, & extemplò (neque enim responsa dabantur Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.* & Propert. *Iurabo & bis sex integer esse dies.* item Horat. *Vir bonus & sapiens dignis ait esse paratus.* Arnobij etiam 1. Contra gentes: *A quo ipsam deitatem sortiti esse sentiunt.* Atque hoc quidem genus loquendi, quod adhuc remotum ab vsu vulgi poëtis modò relinquebatur, primi ex Plauto in lucē protulisse videmur.

Caput IIX.

De Iano Gemino à Nerone clauso, in eoque Tacitum à Suetonio dissentire.

DIGNA sanè res admiratione est, quid caussæ habuerit Cor. Tacitus scriptor haud paullò melior quàm vulgus, & hîc aliud agens populus existimet, cur in Neronis rebus mentionem nullam Iani Gemini fecerit: quem pace terra mariq; parta quinctùm clausum à Nerone non solùm Suetonius adfirmat, sed testantur etiam nummi. Sueton. *Ianum Geminum*, inquit, *clausit tam nullo quàm residuo bello.* Nummi, è quibus æreos tres ipsi vidimus, IMP. NERO. CLAV. CÆSAR. AVG. GER. P. M. TR. P. V. P. P. à tergo, PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT. Factum hoc est P. V. C. anno DCCCXI. Nerone III. & Valerio Messalla Cos. An'ne igitur memoriæ vitio id Tacitus indictum omisit? an vt rem leuem & scriptione indignam præteriit? Nihil sanè horum: sed, quod pauci obseruarint, dissensit in hac historia Tacitus à Suetonio & nummis, & Ianum à Nerone clusum non fuisse existimauit. Quî potest in re tam clara? inquies. Nescio, sed en tibi fragmentū Taciti apud Orosium his verbis: *Deinde vt verbis Cor. Taciti vtar, sene Augusto Ianus patefactus dum apud extumos terrarum terminos nouæ gentes sæpe ex vsu, & aliquando cum damno quæruntur, vsq; ad Vespasiani durauit imperium.* Enimuerò si ab Augusto ad Vespasianum apertus mansit, quomodo constat vt eum cluserit Nero? Quanquam fieri illud potest, vt quemadmodum Nero falsum triumphum & falsos arcus de Parthis admisit: sic etiam ambitiosè & prēter morem veterem Ianum clauserit residuo adhuc bello. Ideoq; factum id Tacitus omiserit. Et sanè magis magisq; vereor vt emendandus sic Suetonius sit, verbis iunctis & reductis: *Ianum Geminum clausit, tanquam nullo residuo bello.*

Caput IX.

Plautus in Mostellaria versu vno auctus: & item Pseudolo.

HOC quidem capite Neruam, Traianum, & eiusmodi clementes Imperatores imitabor: & vt illi priorum temporum iniuria pulsos exsules, sic ego Plauti versus duos ab omnibus libris exsulantes in veterem sedem restituam. Præsertim cùm iis nihil obiici possit præter libertatem sermonis: lege autem Iulia non verba mœchantia, sed facta

Universidad de Deusto
Biblioteca

puniri receptum sit. Mostellaria, colloquio Phaniſci & Tranionis,

PH. *non potes tu cozere me vt tibi*
Malè dicam. nouit herus me, ſi ſobrius ſis
Malè non dicas.

In duobus Vatic. hæc interſeruntur. *Nouit herus me* SER. *ſuam pol culcitellam oportet.* PH. *ſi ſobrius ſis malè non dicas.* quæ germana Plauti verba eſſe ne Carneades quidem ille dubitauerit, qui dubitare in omnibus ſolet. Nimirum cùm Phaniſcus dixiſſet notum ſe eſſe ſuo hero, alter ſeruus id verbi in nequiorem ſententiam detorquens, Mirum, inquit, ni culcitellam ſuam nouerit. Sic enim contumeliosè vocat eum quem intelligi vult hero officium noctu præſtitiſſe, & pro culcita fuiſſe in quam incumberet. Quomodo & Dolabella Cęſarem, qui Delicium Nicomedis audiebat, *ſpondam interiorem regiæ lecticæ* ab eadem cauſſa dixit. Pſeudolo etiam Scena III. vbi vulgò,

Nam iſtoc quod nunc lamentare non eſſe argentum tibi,
Apud nouercam querere. PS. *fac hoc quod te rogamus Ballio.*

exſulat integer verſus, quem ex Vaticanis poſtliminio licet reſtituere, *Apud n. querere.* PS. *ehò nunquid tu huius nupſiſti patri?* BA. *Di melius faciant.* PS. *fac hoc quod t. r.* Arguto ſed licenti ſanè ioco, qui in verbo Nubendi conſiſtit. Quod verbum antiquitus interea fuit, quæ cuſtos ille hortorum libentius quàm virgines Veſtæ vſurparent. Inde Feſto Nupta verba, obſcæna, & Petronio Nuptias facere, τὸ συνουσιάζειν. Inde Virgini Veſtal. crimen inceſti intentatum apud declamatores, quod verſum ſcripſiſſet:

Felices nuptæ, moriar niſi nubere dulce eſt.

CAPVT X.

Propertij verſus complures emendati.

PROPERTIVM qui non amat, cum profectò Muſæ non amant. tanta eius verſuum ſuauitas eſt, vt quemadmodum comicus ille ait, nil niſi mulſa loqui videantur: tanta eruditio, vt non niſi Phœbo dictante credamus exceptos. E quibus aliquantos carptim emendabo, vel potius, vt maiores loquebantur, ſaltuatim.

Lib. II. Eleg. XXIIX.

Et tibi Mœonidas intérque Heroidas omnes
Primus erit nulla non tribuente locus.

Tres veteres, *Et tibi Mœonias inter Heroidas.* qua lectione nihil verius. Corruperant illi bardi, quibus verſus in vitio eſſe videbatur, ſi illud *inter* à poſtrema longum legeretur.

Eleg. XXIX.

Apparent non vlla thoro veſtigia preſſo
Signa voluptatis, non iacuiſſe duos.

Pendet ſententia huius verſus, & rectè me iudice Farneſ. codex, *Signa volutantis.* Nimirum cùm neſcio quo caſu Propertius Cynthiam ſuam benè

benè manè ſolam offendiſſet (quæ alioqui, vt mea fert opinio, libenter Clodiam illam imitaretur, & propter nocturnos terrores rarò incomitata dormiret) ſed tamen cùm ſolam: mulier caſta eo argumento magnificè pudicitiam ſuam iactat. Et videsne, inquit externa nulla veſtigia in hoc lecto eſſe, ſignum non iacuiſſe hîc duos complexos & volutantes?

Eleg. XXX.

Nec tu virginibus reuerentia moueris ora.

Nulla diſcrepantia in libris, nec quicquam ſolicito. Placebat tamen olim, *Nec te virginei reuerentia mouerit oris.*

Eleg. vltima.

Me iuuet æternis poſitum languere corollis.

Liber Fuluij & Vatic. *Me iuuet heſternis.* perſpicuè verum.

Lib. III. Eleg. II.

Orpheu te tenuiſſe feras & concita dicunt
Flumina Threïcia detinuiſſe lyra.

Duo veteres, *ſuſtinuiſſe lyra.* benè & Latinè. pro ſiſtere, & reprimere, vt Lucill. *Suſtinet vt currus bonus ſæpe agitator equóſque.*

Eleg. V.

Ite rates curuæ & leti contexite cauſſas.

Vet. Farn. & Fuluij, *& leti texite cauſſas,* hiatu poëtis non inſolenti, ſi ita viſum librariis noſtris fuiſſet. Ibidem.

Terra parum fuerat, terris adiecimus vndas,
Fortunæ miſeras auximus arte vias.

Eiicienda inſitticia vox eſt, vera eiui repoſita, *Terra parum fuerat fatis, adiecimus vndas.* ita omnes libri & ſententiæ eius elegantiam quiuis videt. Lucanus eadem mente, de Argo:

——fatiſque per illam
Acceſſit mors vna ratem.

Ibidem.

Paullatim ſociûm iacturam fleuit Vlyxes,
In mare cui ſoli non valuere doli.

Alij, *ſolum:* ego coniicio, *ſoliti,* ſcriptum fuiſſe.

Ibidem.

Et miſer inuiſam traxit hiatus aquam.

Lego, *Et niger,* vt μέλαν ὕδωρ, & ſimilia apud Homer.

Eleg. IIX.

Non flebo in cineres arcem ſediſſe paternos
Cadmi, nec ſemper prælia clade pari.

Suſpicor emendandum, *nec ſeptem.* Ita Propert. lib. I. *Longè caſtra tibi, longè miſer agmina ſeptem, Flebis in æterno ſurda iacere ſitu.* Et nota eſt hiſtoria.

Eleg. XII.

Et certamen habent leti, quæ viua ſequatur
Coniugium: pudor eſt non licuiſſe mori.

Scribo, *certamen habent lætæ.* Ibidem.

Pinus & incumbens lætas circumdabat vmbras
Nec fuerat nudas pœna videre Deas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Libentius legerim, *Et fuerat nudas pænè videre deas.* Ea enim felicitas primi illius ſęculi recenſetur, quòd Dij & Deæ vulgò cum gente hominum verſabantur, & tantumnon conſpiciendos ſe dabant. Hæc levia ſunt, fateor, in tantum poëtam: ſed non malè olim ille Græculus ad Auguſtum, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν.

CAPVT XI.

E Caſſina locorum trium correctio.

IN lepida illa fabula quam Caſſinam Plautus inſcripſit, cùm mulierculæ mirum in modum libidinoſum ſenem ludos facerent: hæc in omnibus libris legimus,

Nam niſi ex te ſcio quidquid hoc ſit citò, iam tibi iſtuc
Cerebrum diſpercutiam execrata, ludibrio peſſima adhuc
Quæ me habuiſti.

Nec tamen dubito quin pro illo, *Execrata,* Plautus ſcripſerit *Excetra tu,* id eſt, vipera, maledicto mehercle ſatis conuenienti in malas illas merces. Vſus eodem eſt in Pſeudolo: *En excetra tu, quæ tibi habes tot amicos tam probè oleo onuſtos.* quamquam & ibi plerique omnes libri, *Execrato,* aut *Execrata,* corruptè referant.

Scena ſequenti.

—— nunc quidem gladium ancilla
Intus Caſſinam habere ait qui me atque te interimat.

Omnes planè libri, *qui me atque te inuitet:* idque immutare ſanè religio ſit. Opinor Inuitare eum dixiſſe pro iſto, vitam tollere, vt poëta vetus apud Cicer. Euitare, *Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam euitari.* Ludit in eodem verbo ipſe Plautus Rudente: *Ni iſtunc iſtis inuitaſitis, Vſque adeo, donec quà domum abeat, neſciat.*

Scena cuius initium, Si ſapitis.

Sed eccum egreditur cum corona & lampade
Meus ſocerus, compar, commaritus, villicus.

Apage illud, Socerus. Nam Olympio ſeni illi ſeruus profectò, non ſocer. Niſi animi fallor, *meus ſociennus,* ſcriptum ἀρχαϊκῶς fuit. Sociennus valet Socius. Plaut. Amphitr. *Nam Amphitruonis ſociennum me eſſe volui dicere.* Aulular. *Ibo intrò atque illi ſocienno tuo iam interſtringam gulam.* Iuuat vehementer coniecturam meam Roueri liber, qui *ſocius* refert. gloſſema quaſi illius. Et ſanè ſocium lepidè dixerit, vti & comparem & commaritum. Quippe ambiebat ſenex ille, (ita fabulę argumentum eſt) cupidus & attentus ad rem faciendam, in famula diuidunda pro ſocio Olympioni eſſe, & agrum illum communi impendio arare. Nec repugnabat ſanè homo benignus & minimè aſper Olympio: niſi argutæ mulierculæ ſuppoſiticia Caſſina conſilia illorum omnia turbantes, vetulum illum hircum ſerò docuiſſent quàm verè ab Ennio ſcriptum eſſet, *Stultu' ſt qui cupida cupiens cupienter cupit.*

CAPVT

CAPVT XII.

Ciceronis loci duo, quorum alter ab Alcæo videatur, alter ab Homero.

ITA eſt profectò: multus in Græcorum libris Cicero fuit, nec oratorum tantùm, ſed & poëtarum. Argumẽtum, ſcripta eius illorum quaſi luminibus crebrò diſtincta. In qua claſſe cenſendum videtur illud diuino Oratore ad Brutum,

Magnum opus & arduum, vt ſæpe iam diximus: ſed ingredientibus conſiderandum fuit quid ageremus, nunc quidem quocunque feremur danda nimirum vela ſunt.

cuius loci elegans ſanè ἀλληγορία expreſſa apparet de illis Alcæi,

Ἐκ γῆς χρὴ καπνεῖν πλόον,
Εἴπις δύναιτο κἠν παλαμάων ἔχοι.
Ἐπεὶ δὲ κἀν πόντῳ γένηται,
Τῷ παρόντι τρέχειν ἀνάγκη.

Sicut item quæ III. de Oratore in laudem eloquentis legimus.

In quo igitur homines exhorreſcunt? in quo exclamant? quem ſtupefacti dicentem intuentur? quem Deum, vt ita dicam, inter homines putant?

cui non perſuadeamus, poſtremis verbis imitata ab illo Homeri

Odyſſ. Θ.

Ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὡς εἰσορόωσιν.

quem verſum de viro eloquenti Vlyſſes pronuntiat increpans proteruam Euryali orationem.

CAPVT XIII.

In Plauti Menæchmis locorum aliquot emendatio.

QVOD apud Plautũ Menæchmis eſt, Scena cuius initium, Ni mala.

ME. *Ecquid tu de odore poſſis ſiquid fortè olfeceris*
Facere coniecturam? captum ſit collegium augurum.

vitioſè eſſe arbitror, & perſona inſita legend. *Facere coniecturam:* PE. *captum ſit coll. aug.* ME. *Agedum.* Roganti enim marito, ecquid diuinare de odore poſſet? præclarus ille augur, Egóne? inquit. non ipſum collegium augurum melius coniecturam fecerit.

Sequentem etiam verſum,

Agedum odorare hanc quam ego habeo pallam, quid olet? abſtines?

potiùs eſt ſcribi, *quid olere abſtines?* Scena, Nulla eſt voluptas.

Ego autem homo iracundus animi perditi.

Emendo, *animi perciti.* Scena ſequenti.

Adoleſcens quibus hic pretiis porci væneunt
Sacres ſinceri numos eos à me accipe.

Diſtinguo & lego ex veſtigiis librorum, *Sacres ſinceri?* CY. *nummo.* ME. *eum à me. a.* Approbat Plautus ipſe infrà, *Audin' Menæchme? ſi me*

Universidad de Deusto
Biblioteca

consulas, Nummum illum quem mihi dudum pollicitus dare, Iubeas si sapias porculum afferri tibi.

Ibidem.

Prò sanè loqueris, cùm me appelles nomine.

Scribo, *pro sano loqueris:* eleganter. vt Cæsar De bello Gallico v. *Nihil cum se absente pro sano facturum ratus, qui præsentis imperium contemsisset.* Sed hæc leuiora, ille locus insignis & quasi notæ Opimianæ,

Scena eadem.

ME. *Iámne ille abiuit? edepol haud mendacia*
Tua verba. MES. *exterior esse obseruato modò.*

quem non inuitis Musis quà distinxi, quà correxi, *Tua verba experior esse.* MES. *obseruato modò.* Scena, Potin' vt quiescas.

Potin' vt quiescas si ego tibi hanc hodie probè.

Quidam libri, *sic ego tibi,* alij, *sed ego:* scriptum fuit *sid ego.* more antiquo, addito D. Ibidem.

Fecisti funus absenti me prandio
Cur ausus facere, cui ego æquè ac hæres hæream?

Multarum litterarum vir Iunius noster, *æquè ac Eres hæream,* leg. censuit. Erem interpretatur Erinacium. Sed meo animo Vaticana lectione nihil verius, *æquè ac heres eram.* Venustè. Nam funeri iusta vt fiant, heredis curatio est. Hucrespiciens Parasitus, cui de consumpto prandio ægrius erat, quàm olim Achilli de Patroclo interfecto: hem, inquit, vappa hominis, cur ausus tu sepelire hoc prandium, & illi iusta facere, cùm ego legitimus heres nullus adfuerim? De prandio autem siue cœna, vt de hereditate quapiam (siqui exempla requirit) loquitur idem Plautus Curculione, Sticho, & Trinummo. Scena, Vt hoc vtimur.

Vt hoc vtimur maximè more morum
Molestóque multum, atque vti quique &c.

Emendo, *more moro Molestóque.* Plaut. Milite, *Ego stulta atque mora multum, quæ cum isto fabulem.* vbi itidem titubant libri, & plerique, *moror multum,* vitiosè referunt. Scena, vt ætas mea.

Reliquêre, vt ætas mala merx est, ergo.

Scribendum, *merx est tergo.*

CAPVT. XIV.

Quinctiliani locus correctus: marmor antiquum expressum.

QVOD genus antiquæ scripturæ vel sexcentis locis in Plauto occurrit, vt post vocalem in fine dictionis D additum reperiatur, vt, Med, Ted, Sid, Meritod, & similia: id intellegi haud dubiè Quinctilianus voluit, cùm lib. 1. scripsit,

Latinis veteribus D. plurimis in verbis vltima adiecta, quod manifestum est etiam ex columna rostrata, quæ est Iulio in foro posita.

Sed enim is Quinct. locus insigne mendum continet: quod argumentis facile est peruincere. Ait genus id scripturæ exstare in columna rostrata quæ

quæ est Iulio posita. Duplex vanitas. Nam nec posita vnquam rostrata (quæ naualis victoriæ propria est) Iulio Cæsari fuit: & vt fuerit, cui sano probabitur Cæsarem vnum omnium minimè, vt sic dicã, antiquarium, genus illud scripturæ iampridem desitæ & oblitæ in columna sua exprimi voluisse? Quid multa? conceptis verbis iusiurandum dabo, Quinctilianum scripsisse, *Quæ est Duilio in foro posita.* Conueniunt omnia præclarè. Nam & posita C. Duilio, qui primus Pœnos classe vicit, columna rostrata fuit: & ea etiamnum Quinctiliani ætate exstitit: & genus illud antiquæ scripturæ repræsentauit. Duo priora docet Plinius lib. XXXIV. de columnis, *Item C. Duilio posita est, qui primus naualem triumphum egit de Pœneis quæ est etiam nunc in foro.* Tertium, ostendit fragmentum antiquissimi lapidis in foro Ro. eruti, quem huius ipsius columnæ partem esse omnes humanitate tincti homines mihi assentient.

pugnANDo
eXEMET. LECIONes
AXIMOSQVE, MACISTRATOS L.
ƆVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACELlam
PVCNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM. MAC
EM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. C.
CLASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PA
CVMQVE. EIS. NAVEBOVS. CLASEIS. POENICAS. OMI
SVMAS. COPIAS. CARTAGINIENSIS. PRAESENTE
DICTATORED. OL//////OM. IN. ALTOD. MARID. PVCN.
QVE. NAVE//////T///CVM. SOCIEIS. SEPTEM
//////OSQVE. TRIRESMOSQVE. NAVEIS. X.
aur OM. CAPTOM. NVMEI. ⏀ . ⏀ . ⏀ . D. CIↃ.
argenTOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI.

Ita enim fracta & mutila scriptura habet, quam (nisi quòd postremas aliquot numerorum notas de præda capta omisi) ita cum cura expressi, vt non ipsa Fides possit fidelius. Quæ autem minutis litteris interpretationis caussa adieci, ea sunt à Polybio & à Zonara, qui Segestam à Duilio obsidione liberatam, Macellam Siciliæ opidum expugnatum tradiderunt. Illud monstrum verbi, EXFOCIONT, quid sibi velit, Apollo rogandus est: nisi cui placet eruditissimi St. Pighij amici mei coniectura, qui antiquè pro Exfugiunt, scriptum iudicabat. Quod fractum legitur. OL.////OM, puto fuisse, *ollorom,* id est illorum. CLASES. & NVMEI. scribuntur vnica consonante, quia, vt Festus ait, antiquis geminare consonantes insolens fuit. NAVEBOVS. pro Nauibus quia v. pronunciabant *ou.* Ex quo apud Plautum iocus Menæchmis, *Tu istic, inquam: vin' afferri noctuam, Quæ tu, tu, vsque dicat tibi? nam nos iam defessi sumus.* cetera aliorum ingeniis relinquo. Sed, quod monere me fugit, ad illud Quinct. exemp. emendandus Sex. Rufus videtur in Regione fori Ro. *Columna Duili,* non vt vulgò, *Diui Iuli.*

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XV.

Plauti Epidico versus, & alter Bacchidibus restitutus.

FALSÒ est Epidici initio in libris,
Corpulentior videre atque agilior. TH. *huic gratia.* eamque scripturam non solùm sententia repudiat, sed pænè dicam natura rerum. Quî enim conuenit, vt vnus aliquis corpulentior fiat simul & agilior? imò tardior potiùs. Citra controuersiam igitur rectè vet. Rou. *atque habitior.* Et hunc locum, vt opinio mea fert, in mente Verrius Flaccus habebat, in cuius mutilata Epitoma legimus, *Habitior, pinguior.* Agellius etiam amãs Plautinæ dictionis, Noctium IV. *Censores equitem eius vberrimum atque habitissimum viderunt.* Addatur explendi capitis Bacchidum locus.

Scena, Amiciorem nunc.

Sed satin' ego animum mente sincera gero?
Qui ad hunc modum hìc, hæc quæ futura fabuler?

non dubitarim legere, *satin' ego animi mentem sinceram.* Mens animi, vt Catullus, *Mens animi tantis fluctuat ipsa malis.* & Plautus Cistellar. *Nullam mentem animi habeo: vbi sum, ibi non sum.*

CAPVT XVI.

Corn. Tacitus à mendis aliquot vindicatus.

IN Caij Taciti locis paucis purgandis stat mihi imitari frumentarios, qui cùm aceruos frumenti domi habeant, tamen vt emptorem concilient, eius exemplum pugno solent ostendere: sic ego qui inibi sum, vt, cum Musis volentibus, breui totum Tacitum correctiorẽ edam, eius industriæ meæ leue specimen hoc capite dabo.

Lib. III. Histor. vel vt vulgò lib. XIX.

Ibi Vespasiani virtutem viréque partium adtollit: transfugisse classem inopia commeatuum: aduersas Gallias Hispaniásque &c.

Ad quem locum μακάριος ille corrector Taciti adnotat, In libris erat, In arcto commeatuum: reposui, Inopia. O hominem apertum! qui nihil nos celet: eundem acutum! qui tam εὐστόχως diuinet. Nam quid tam verisimile, per omnes Musas, quàm classem quæ commeatum ex Aegypto & Africa vniuersæ Italiæ supportabat, eam ipsam commeatus laborasse inopia? Sed ille sine omni mala malitia quod sensit id scripsit: nobis ex libris inuestigata veritas est. Nam Vatic. & Farnes. *classem marcem commeatuum.* tolle litteram quæ ex fini præcedentis vocis adhæsit, & scribe, *arcem commeatuum.* manifesta restitutio est. Cęcina enim, ex cuius oratione hæc sunt, cùm hortari ad defectionem milites vellet exemplo classis, En, inquit, illa ipsa classis Rauennas, à qua tanquam arce commeatus vestri dependent, transfugit ad hostem. Simili phrasi apud Cicer. Lex repetũdarum arx sociorum dicitur: Cotyla arx amicorum Antonij: arx caussæ: & similia. Eodem libro, in descriptione pugnæ Cremonẽsis,

At Vi-

At Vitellianus exercitus cui acquiescere Cremonæ, & reciperatis cibo somnóque viribus confectum algore atque inedia hostem posiera die profligare ac proruere ratio fuit: indigus rectoris. &c.

puto superare vocem, legend. que, *ac proruere fuit.* Fuit, id est, licuit: hellenismus pueris notus.

Annal. XII.

Suum quoque fastigium Agrippina altius extollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus & sacris Druidibus antiquitus concessus venerationem augebat fœminæ.

Turpe, Iupiter, glossema. Vnde enim huc ad res Ro. Galli Druides? aut cur illi sacri, quorum religionem alij omnes immanem & barbaram vocant? Sed rectè in iisdem veteribus omissa ea voce legimus, *& sacris antiquitus concessus.* Sacra sunt, Dij ipsi, qui Romæ quot annis Circensium dieb. in carpentis traducebantur. Suetonius Augusto, *Classibus tempestate perditis exclamauit, etiam inuito Neptuno victoriam se adepturum: ac die Circensium proximo solemni pompæ simulacrum Dei detraxit.* Ita Plautum interpretor Milite, *Quæ me ambæ obsecrauerunt, vt te hodie quasi pompam illac præterducerem.* Id enim propriè vocabant pompam. Prudentius, *Fertur per medias vt publica pŏpa plateas Pilento residens molli.*

CAPVT XVII.

Plauti Pœnulo de tribus locis coniectura.

SVAVIS profectò insania nostra est: rex mihi visus sum inuenta correctione Plautini versus Pœnulo,

Scena III.

Quid mihi nunc es auctor Milphio? MIL. *vt me verberes,*
Atque auctionem facias. nam impunius mè
Tibi quidem hercle vendere hasce ædis licet.
AG. *Quid iam?* MIL. *maiorem parte minore habitas mea.*

Lego, *maiorem partem in ore habitas meo.* qua coniectura nihil certius vnquam cortina Phœbi protulit. Cùm enim seruus frequenter ab immodesto illo amatore vapulans, per indignationem dixisset. Vende tandem has ædes tuas: demiratus adolescens insolentiam dictionis, Quî tandem ædes? inquit. Nam, respondet seruus, Ego tibi pro ædibus sum, in cuius ore pugni tui magnam partem sic versantur vt habitare in eo videaris. Notum autem est, Habitandi verbum ita transferri, vt quibus in rebus quis frequens & multus est, in iis habitare dicatur. Nec me fugit Solem illum Galliæ Turnebum legere, *maiorem partem minore habitas mea,* sed (quod manes eius me condonent) tam illepida & tam diuersa à Plauti mente sententia, vt credam id Turnebum ipsum Dicis caussa potius, quàm quia reuera ita sentiret, scripsisse.

Scena, Satis spectatum est.

SY. *Malus es.* MI. *malus sum.* SY. *malè mihi est.* MI. *memorandum esse aliter decet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid est quod malè sit, cui id omne est quod edis quod ames affatim?
Emendandum puto, *memoradum, esse aliter decet.* id est, memora, vt, Iteradum Cicero ad Att. *Iteradum eadem ista mihi.* Sequenti etiam versu magis placeat legi, *Quid est quod malè sit cui domi est, quod edis quod ames?* Habebat enim Sinceraſtus apud lenonem.

Scena, Ita me Di.

Niſi cum pedicis condidiciſtis ſic occraſſari gradu.
Scribo diſtracta voce, *ſic hoc graſſari.* idque perſpicuè verum.

CAPVT XIIX.

Qui ſint Di Semones, in eam rem Varro emendatus.

RIDE ineptias antiquorum. Deos ſuos in certos ordines & quaſi claſſes tranſcripſerunt, vt quemadmodum Romanis patricij maiorum & minorum gentium, ſic illorum Di alij Maiores eſſent, alij Minuti. Maiores, qui præcipua munia in adminiſtratione rerum fungebantur, puta, Iupiter, Saturnus, Iuno, Venus, alij: Minores, qui leuibus curis occupabantur, & *quos vix cælo dignos deputarent ob meriti paupertatem,* vt ait Fulgentius, vt ſunt Priapus, Vertumnus, Pomona, Flora, alij tales. Hos poſtremos Semones appellabant, fortè (ſi placet ineptias Stoicorum ἑτυμολογοῦντα imitari) quaſi ſemihemones. Nam hominem antiqui Hemonem. Varro apud Fulgent. *Semonéque inferius derelicto, Deum de-pinnato attollam orationis eloquio.* Liuius lib. IIX. *Aedes quæ eſſent in palatio diruendas, bona Semoni Sanco cenſuerunt conſecranda.* Hanc vocem in Varronis altero loco apud Nonium, Ruma, pridem reſtituendam cenſui, vbi vulgati,

Varro Cato, vel De liberis educandis. Hiſce manibus lacte fit non vino. Cuninæ propter cunas, Ruminæ propter rumam. id eſt, priſco vocabulo, mammam, à quo ſubrumi etiam nunc dicuntur agni.

Nam quid pote hac lectione vanius? Manibus, inquit, lacte fit non vino. Falſum, & id omnis antiquitas arguit. Virgil. ab Aenea facit Anchiſæ manes placari vino. *Hic duo ritè mero libans carcheſia Baccho, Fundit humi.* Vide & Feſtum in Reſperſum. Iam ſi de manibus Varro locutus, quid ita Cuninam & Ruminam ſubiungit? quas non in Dis manibus, ſed in ſuperis cenſeri liquidum eſt? Sed mihi quidem deierare liquet Varronem ſcripſiſſe, *His Semonibus lacte*, vel etiam, *Dis Semonibus.* Nam Varro eo libro quo educationem liberorum edocuit, inter cetera ſolicitè præcepit, quibus Diuis pro pueris & quomodo faciendum eſſet. Exſtat fragmentum aliud, quod propè afuit ab iſto, apud Nonium in Eduſa, *Cùm primore cibo & potione initiarent pueros, ſacrificabantur ab edulibus Eduſæ, & à potione Potinnæ nutrices.* Ita enim is locus corrigendus, idque appareret ex ipſo Nonio, Sacrificantur. Itaque & hoc loco monet, Cuninæ & Ruminæ vtpote Dis Semonibus lacte tantùm non vino faciendum eſſe. Veteri quippe religione hi minores & quaſi ſemipagani Di non victimis aut vino, ſed lacte duntaxat, libo, & frugibus in patella adpoſitis placabantur,

bantur, nec miſellis illis Iouem comitari licebat μετ' ἀμόμους ἀιθιοπῆας. Itaque peritè ad hunc morem Virgil. *Sinum lactis & hæc tibi liba Priape quotannis Exſpectare ſat eſt.* Et Priapus apud Catullum cautè ſileri iubet, quòd villicus illi interdum hircum aut capellam faceret, ne hunc extraordinarium honorem alij Di inuiderent. *Sanguine hanc etiam mihi (ſed tacebitis) aram Barbatus linit hirculus cornipéſque capella.* Atque adeò de hac ipſa Rumina (malè in eo Rumilia dicitur) Plutarchus in Romulo tradidit, lacte ei fieri ſine vino. Quem vide.

CAPVT XIX.

E Pœnulo Plauti quædam delibata.

IN Prologo
Neu deſignator præter os obambulet.
Diſſignator & Diſſignare ſemper in opt. Vaticano, à quo ſtant lapides.

C. MATIENI. C. F. OVF.
OVICVLÆ
ANNORVM. XXVII.
PRÆCO. IDEM. DISSIGNATOR.

Scena, Negotij ſibi.

AG. *I in malam crucem.* MI. *ibi ſum equidem.*
Lego, *inibi ſum equidem.*
Paucis verbis rem diuinam facito, atque audin' reſpice.
Reſpexit, idem pol Venerem credo facturam tibi.
Magis placet Rou. lectio, *atque audin? reſpice.* AD. *reſpexi.* AG. *idem pol.* Luſit amator in Reſpiciendi verbo, quod interdum opem ferre ſignificat, ex quo Romanis Fortuna Reſpiciens.

Scena, Quid nunc.

Fundáſque, eò præſternebam folia farfari.
Vaticani, *Farferi.* rectè. Pertinuit ad hunc locum adnotatio Feſti, *Farferum virgulti genus.* Sic lego, malè vulgò, *Farſenum*, vel, *Farſenum.*

Scena, Iam tenes.

Di te perdant. MI. *vos quidem herclè commendo, quom quiqui tamen.*
Et bene & benignè facitis quom hero amanti, &c.
Præeunt ad veram ſcripturam Vaticani, in quis eſt, *quidem herclè quomeo quom quiqui.* Lego, *herclè com eo. quiqui tamen.* Alterum illud, *quom*, inculcatum perperam eſt ex verſu ſequenti. Cùm aduocati Milphioni malè precarentur Di te perdant: ille paratus referundæ gratiæ, Imò hercle, inquit, Di vos perdant cum eo. lenonem digito deſignabat.

Scena, Age tu.

Quando id quo ire operam dedimus, impetrauimus.
Omnino leg. *id quoi rei operam.*

Scena, Iam iſtuc.

Vbi tu Leucadio Lesbio, Thaſio, Coo.
Vetuſtate vino edentulo ætatem irriges.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lepidè dictum, vinum sine dentibus, quasi nimia vetustatè. Iisdem verbis Alexis comicus,

Ἐσαι γ' ὅσον ἂν βυλώμεθ', ἔσαι καὶ μάλα
Ἡδὺς γ' ὀδόντας ἐν ἔχων ἥδη σαπρός.

Scena, Ain tu.

Siquidem Antidamarchi quæris adoptaticium.

Quomodo Antidamarchi? Nam statim post Antidamę se adoptaticium nominat. Arbitror coaluisse duas voces, scribendumque, *Antidamæ Demarchi.* Antidamas Demarchi, more Græco, filius videlicet. Res clara ex his versibus, *Hîc me Antidamas hospes tuus Emit me, & is me sibi adoptauit filium. Demarcho item ipse fuit adoptaticius.* Ad versum porrò quod attinet, ne iusto longior fit, iuuandus elisionibus erit.

Scena, Fuit hodie.

—— neque contemsi eius opus hodie.

Scribo, *eius opes.*

Mea fiducia hercle aruspex, patruelis, promisit scio
Libertatem.

Verior lectio, *patruelibus promisit.* ex argumento fabulæ.

Scena, Si ego minam.

Vbi nec leno nec ille redeunt, nec quod eram, quidquam datur.

Emendo, *nec illæ redeunt, nec quod edam.*

CAPVT XX.

Propertius emendatus.

Eleg. XI. lib. IV.

ET *Veij veteres & vos tum regna fuistis,*
Et vestro posita est aurea sella foro.

Qui isti, *& vos?* aut si eosdem Veios intellegit, quæ hæc indecens repetitio? Sed nunquam ille Propertius tam cupidè suam Cynthiam complexus est, quàm ego lectionem in Vaticano codice inuentam, *& Volscium regna fuistis.* Volscûm, pro Volscorum; quid pote melius? Et vos, inquit, Veij olim fuistis, & regna item Volscorum, & in vestro foro aurea sella ius dictum: at *Nunc intra muros pastoris buccina lenti Cantat, & in vestris ossibus arua metunt.* Faciunt libri alij, qui omnes, *regna fuistis,* non, *præda,* habent.

Nomentum & captæ iugera pauca Coræ.

Tres veteres, *iugera terra Coræ.* Vera lectio, *iugera terna.*

Cossus ait. forti melius concurrere campo
Nec mora fit, plano sistit vterque gradu.

Fortè *pleno sistit.* pleno gradu se sistere, militari more. Liber tamen vetus, *gradum,* refert. Si probamus, sententia erit, vterque in plano sistit gradum.

Eleg. X.

—— sed non manserunt hospite Caco
Incolumes, furto polluit ille locum.

Libri veteres, *polluit ille Iouem.* optimè. Intellego Iouem Hospitalem.

Pandite defessis hospita tesqua viris,

Libri mss. *hospita vana.* Quid si, *Hospita nana?* vt poëta vetus, *Ingenij nana per salicta.* id est, parua. Sed nihil affirmo.

Eleg. IX.

Phyllidos iratos in vultum coniicit vngues,
Territa vicinas Theia clamat aquas.

Vatic. *coniicit ignes.* idque comprobat sequens versus de aquis.

Eleg. VII.

Quà numerosa fides, quáque errat turba Cibelles.

Vatic. & Fuluij, *æra rotunda Cibelles.* optimè. intellegit cymbala.

Hæc summa æternis queritur liuere cathenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.

De Andromede loquitur. Itaque legerim, *Hæc sua maternis.*

Eleg. VI.

Et nimium remis audent, propè turpe, Latinis.

Lego, *proh turpe.*

Nam tulit iratos mobilis vna Notos.

Fuluij & Mureti libri, *vnda Notos.* Fortè scribend. *Non tulit i.m. vnda Notos.* vt dicat Apollinem ventos iratos in Antonium duxisse.

Eleg. V.

Sperne fidem, prouolue Deos, mendacia vincant,
Cedant damnosæ iura pudicitiæ.

Supposita lectio. libri omnes, *Frange & damnosæ.* idque germanum.

CAPVT XXI.

Plauti Persa transpositos versus videri.

FVGIT ratio librarios in collocandis versibus istis Plauti.

Scena, Ioui opulento.

Quod ego non magis somniabam, neque opinabar, neque censebam.
Nam herus meus me Eretriam misit, domitos boues vti mercarer.
Eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de cælo.
Dedit argentum, nam ibi mercatum &c.

Neque dubium apud sanos & sobrios homines erit quin hoc ordine disponendi sint, *Quod ego non magis. s. n. o. n. c. Eam fore mihi. o. e. n. q. d. d. c. Nam herus meus. m. E. d. b. v. m. Dedit argentum.*

CAPVT XXII.

Q. Ennij insignes versus apud Agellium emendati.

ENNII versus immortalitate omnium temporum dignissimi exstant apud Agellium lib. XII. de amici veri officio: qui & à verbis eiusmodi sunt, vt in iis vernaculus ille, & sine fuco ac cincinnis natiuus co-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lor, hominem eruditum mirificè delectet: & à rebus ita salubres, vt adolescétium aures circumsonare eiusmodi vocibus multò potius sit, quàm sexcentûm philosophorum præceptis. Sed ij incredibile dictu est quàm deprauati exstent in vulgus: vt non solùm eos emendanti, ex successu prẹmium, sed etiam emendare conanti, ex ipsa audacia laus debeatur.

Sic igitur vulgati,

Hocce locutus vocat, quicum bene sæpe libenter
Mensam sermonésque suos rerúmque suarum
Comiter impertit, magna cum lapsa diei
Parte fuisset, de summis paruísque gerendis
Consilio, induforo, lato, sanctóque Senatu,
Cui res audacter magnas paruásque iocúmque
Eloqueret: quæ tincta malis, & quæ bona dictu
Euomeret, si quid vellet, tutóque locaret:
Quocum multa volup, ac gaudia clámque palámque,
Ingenium cui nulla malum sententia suadet
Vt faceret facinus, lenis, haud malus, idem
Doctus, fidelis, suauis homo, facundus, suóque
Contentus, scitus, atque beatus, secunda loquens in
Tempore, commodus, & verborum vir paucorum,
Multa tenens antiqua, sepulta & sæpe vetustas
Quæ facit, & mores veterésque nouósque tenentem,
Multorum veterum leges diuúmque hominúmque
Prudentem, qui multa loquíue taceréue posset,
Hunc inter pugnas compellat Seruilius sic.

Dij boni! non enim possum quin exclamem: nunquam Hippolytum tam malè equi sui acceperunt, quàm imperiti nebulones hos versus. In quibus singillatim emendandis ne ludam operam; optima ratio est, vt inductis vna litura illis omnibus, adscribam istos partim à libris, partim ab ingenio nostro,

Comiter impertit, magna cum lassus diei
Parti fuuisset de summis rebus gerundis
Consilio, endo foro lato, sanctóque Senatu.
Cui res audacter magnas paruásque iocúmque
Eloqueretur: tincta malis & quæ bona dictu
Euomeret, si quà vellet tutóque locaret.
Qui cùm multa volutat gaudia clámque palámque,
Ingenio cui nulla malum sententia suadet
Vt faceret facinus leuis aut malus: doctus, fidelis,
Suauis homo, facundus, suo contentus, beatus,
Scitus, secunda loquens in tempore, commodus, verbûm
Paucûm, multa tenens antiqua, sepulta, vetusta:
Quæ faciunt mores veteréque nouósque tenentem,
Multarum veterum legum Diuúmque hominúmque
Prudentem, qui dicta loquíue taceréue posit.

Cuius correctionis meæ præcipuas rationes ordine proponam.

Magna

Magna cùm lassus diei. Secutus sum sententiæ ductum, & M. Antonij Mureti fidem, qui in veteri libro disertè sic scriptum vidisse coràm mihi confirmauit. Vaticani quattuor, *Lapsus*, habebant.

Parti fuuisset. Discrepant libri, quorum alij, *Parte fuisset de finibúsque regundis:* plærique *parte. f. de summis reb. g.* sic tamen vt nulli stent à lectione vulgata. Mihi probatur, Parti, pro Parte, more antiquo: & *Fuuisset*, geminatione litteræ productum, vt *Habuuerit, Fuuerit*, apud Plautum: *Fluuida* apud Lucret. *Luuit*, apud Lucill. Si quis malit, *Magnam cùm l. dici Partem fuuisset:* non repugnabo.

Eloqueretur: tincta. Sic libri antiqui omnes habebant, sic ratio flagitabat. Facetos illos nebulones, qui *Eloqueret*, maluerunt, quid aliud existimemus quàm more Impp. solutos legibus fuisse, qui Prisciani regulas tam proteruè migrarint?

Qui cum multa volutat. Sic erat in Vaticanis: quos ita sequor vt non reiiciam tamen vulgatos.

Ingenuo cui. Huius versus emendatio à diuinatione mea est, à qua audacter dissentiet, qui melius inueniet.

Vt faceret facinus. Ab hoc versu sequentes omnes contra leges militiæ turpiter palantes ad signa & ordines retraxi, auctoribus libris. In quibus scire licet ista omnia solutæ orationis more perscripta fuisse, eo tamen verborum ordine quem religiosè seruaui. Vulgati pro arbitrio additis, demptis, inculcatis vocibus sic turbant, vt quatuor istorum versuum nec caput nec pes appareat.

Commodus, verbûm Paucûm. Ita restitui, nisi animi fallor, εὐσόχως: secutus legem versus, & in eo tantùm ab antiquis libris recedens quod illi habebant, *Verborum Paucorum.* Qui insolentem eiusmodi contractionem putabit, is videlicet in veterum scriptis est insolens. Plautus Trucul. *Sequere me, verbûm sat est.* & alibi sexcenties. Sic emendandus, me iudice, Cicero in Bruto. *Plato enim vnus est instar omnium illûm.* pro, illorum. quod comprobant libri, in quibus ferè omnibus est, *Omnium me illum.* Nam qui ex Græcis verbis Antimachi emendarunt, *Instar multorum milium*: ij rogandi videntur ipsi vt suo arbitratu loquantur, Ciceroni in scribendo ne suis verbis præeant. Ceterùm in hoc Ennij versu flagitia illa hominum, quibus omnia antiqua noua & insolita sunt, nouum versum exsculpserant: & quidem (germanos Ennios credas) etiam spondaicum.

Quæ faciunt mores. Non erat hoc quidem disertè in libris, sed quod ratio Latinæ linguæ flagitabat, id scripsi, sicut & in versu sequenti. Nam vulgata lectio eiusmodi est, vt eius auctores ablegandi ad Orbilium videantur, qui eiusmodi discipulis sexcentas infligat prægnantes plagas.

IVSTI

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVSTI LIPSI

ANTIQVARVM LECTIONVM

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

In quo conuiuiorum veterum ritus proponuntur: in eam rem varij scriptores emendantur, explicantur.

CVM instituissem, Lud. Carrio, hoc libro sermonem eum retractare, & quasi retexere, quem ante ipsos annos quinque cum A. Deinio & F. Martinio ocellis Belgicæ nostræ apud me habuimus: in ipso aditu luctuosa & acerba sanè duplicis doloris recordatione sum percussus. Nam & obrrabat adhuc oculis meis illud Deinij immortalitate dignum ingenium, occurrebant iucunda colloquia, & facti ad humanitatem mores: & verò insidebat recens in animo dolor de Martinio, quem pleno iam gradu ad laudem euntem simul & in Italiam venisse & vixisse nunciatum est. Quo quidem nuncio, in animo molli ad dolorem non solùm nouam plagam accepimus, sed etiam obducta illa de Deinio quasi cicatrix sic recruduit: vt vtriusque doloris sensum non nisi in illis obliuionis vadis videamur posse deponere. Equidem in hac cogitatione defixus angebar animo, & commouebar intimis sensibus, ex tot æqualibus quibuscum in prima adolescentia coniunctissimè suauissimeque viximus, alios fato suo defunctos esse, alios publico. qui in hac communium temporum calamitate seiuncti à nobis, & quasi æstu quodam abrepti sunt violentæ tempestatis. Quanquam de duobus illis modica consolatio apud sapientes est, quòd iis temporibus erepti sint, vt si eos reuera amemus, occasum illorum beniuolentia potius quàm misericordia prosequi debeamus. Nam eorum quidem alterum in primo quasi actu futuræ Tragœdiæ: alterum in ipso iam tumultu tanquam è mediis flammis opportuna mors eripuit. Non vidit Deinius flagrantem bello patriam, non amicorum præcipites miserosque casus, non deformatam & vexatam eam ciuitatem cuius solo primum institerat, cuius aërem primum hauserat, non denique interitionem istorum studiorum, quibus ille non modò profligatis, sed ne perculsis quidem voluisset viuere. Iam verò Martinius apud exteros audiuit ista, non vidit: quod ipsum quanquam in animo amanti patriæ valet, ad dolorem vel mærorem potius, tamen haud parum interest è terra spectes naufragium, an iactêris ipse in eadem naui. Itaque illi, mi Carrio, si rectè ratiocinamur, non solùm non miseri

miseri sed etiam beati, quorum virtuti & ingenio cùm clausus in posterum esset quasi campus, festinantes & tanquam quadrigis vecti pertigerunt ad metam: nos potius infelices, qui abreptis ex medio itinere fidissimis comitibus antè in hanc reip. noctem incidimus, quàm quò dirigendus cursus esset eommodè per ætatem scire possemus. Et quomodo adhuc iactemur, vides: vt nihil verius in nos quàm illud conueniat,

Τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται,
Τὸ δ' ἔνθεν. ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσον
Ναὶ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ.

Quæ cùm ita sint, & cùm in hoc ancipiti rerum statu tam multa cottidie impendêre videantur præter naturam præterq; fatum: huc quæso incumbamus, vt huius temporis fluxi breuitatem æternitate famæ pensemus: seiungamusq; nos à profano vulgo, cuius inanes fragilesque curæ à corpore ortæ cum eodem occidunt. Et quanquã, quod sentis ipse, cursum ingenij nostri premat hæc importuna patriæ clades: contineamus tamen nos in illis perennibus studiis, quæ eò tutius amplecti iam possumus, quò cum paucioribus ea riualibus amamus. Amorem verò nostrum integrum inuiolatumq; seruemus, cuius vsum & suauitatem longa absentia mea fortasse imminuit, de magnitudine quidem eius nihil delibauit. Cui amori testificando libri huius munus habebis, consecratum tibi non solùm à viuo Lipsio, sed pœnè dicam oblatum ab illisipsis mortuis, quibus si tenuium harum rerum iam aut sensus aut cura supereſt, nihil erit iucundius quàm hærere in animis nostris memoriam sui, in eaque propaganda cum illorum laude nomen tuum coniungi. Et quoniã olim adolescẽti mihi huius ipsius sermocinationis quoddã quasi ἀποσπασμάτιον excidit, in quo erant nonnulla verniliora, quædam etiam iuueniliter redundantia: minimè miraberis, si accisis iis omnibus, alia attexam vel meliora vel graniora. Vtrumq; enim secutus sum, alterum etiam, vt spero, assecutus. Quam immutandi licentiam mihi & ratio Dialogorum permisit, & verò natura mea imposuit: quæ cùm iam paululũ deferbuerit, & vergere incipiat ad virilem maturitatẽ, vix satis decora in hac ętate videbantur quæ adolescentiæ nomen apud alios excusauit, apud quosdam etiam probauit. Rectè enim, vt opinor, Alexides:

Ὁμοιότατος ἄνθρωπος οἴνῳ τὴν φύσιν
Τρόπον τιν' ἐστί. τὸν γὰρ οἶνον τὸν νέον
Πολλή γ' ἀνάγκη κἀμὲ τὸν ἄνδρ' ἀποζέσαι.
Πρώτιστον ἀφυβρίσαι κἀπανθῆσαι, πάλιν
Σκληρὸν γενέσθαι.

Dedi autem operam, si modò assequi potui, vt veterum Ro. morem in conuiuiis ignotum plerisque exprimerem: tum scriptorum varia loca, quæ illuc facerent, partim illustrata, partim correcta proponerem. Quid effecerim, tu, & post te alij iudicabunt. Nunc si placet ad sermonem ipsum nostrum veniamus: cuius principium ne tam altè petam quàm in Saturnalibus ille Longæuus, sic gesta res est.

Inambulabam à meridie in hortis, otiosum otium meum Plauti fortè lectione oblectans, cùm accurrit puer nuncians Deinium ex Morinis

Universidad de Deusto
Biblioteca

reuertisse, & paullò antè ad portam esse conspectum. Exsilui gaudio, excussoq; Plauto cum soleas & pallium magna voce poposcissem, vt Deinium nec opinantem in hospitio opprimerem: ecce tibi in aditu hortorum ipse Deinius. ad quem accurrens, eumque familiariter complexus, Vt ego te Deini reducem conspicio lubens! inquam: sed satin' saluè? Cùm quidem te saluum complector, inquit. Quid autem res priuata? quid pública? inquam. Priuata, vt volumus, inquit: de rep. quæso sit silentium. Nam neque ego quod audire tibi volenti sit quidquam habeo, & (quod inter nos liceat) ea iam parari videntur, vt verear ne breui nouo Homero opus sit ad nouam malorum Iliada. Melius ominare Deini, inquam, & profectò nondum

Excessere omnes adytis arisq; relictis
Dij quibus imperium hoc steterat.

Attamen, inquit, memento Lipsi; vt istæ ab Oceano nubes minantur, non diu erit quin

Belgica terribili tremet horrida terra tumultu.

Ominantur istuc alij, inquam: vt spero, frustrà: sin autem, mihi tamen aduersus hos fluctus de portu iam prospectum est. Quonam illo? inquit. Æneam imitari constitui, inquam, & incenso Ilio in Italiam demigrare. Tum ille, At videsis Lipsi ne cõmunis Europæ sit ista tempestas, quæ iam quidẽ vrgeri fatis suis videtur. Atq; hîc ego abrumpens sermonem ejus, manuq; prehendens, Quid stamus? inquam, quàm potius in hac cõpluuiata pergula de his aliisq; talibus sedentes fabulamur? Ignosce, inquit, non est operæ. Tum ego, Eia! delicias facis Deini. quid operæ? an non est hic primus dies consecratus Lipsio tuo? Vellem, inquit: sed ita negotium est. nam recens de via ad Valerium & Carrionem cõmunes amicos committere non debeo quin visam. Malè narras, inquam: & iam intellego quam vim habeat illud tuum, Aliorum amicorum vsu te esse, mancipio meũ. nam penes alios quidem vsus & fructus est: mihi quid prẽter nexum supereſt? Non est ita Lipsi, inquit: semihoram hanc tibi dereptam, vsura solidæ noctis pensabo. Nam tu mihi hodie parochus eris, ligna & salem præbebis. Quid hoc perplexi sermonis? inquam. Cænam viaticã vespere mihi debes, inquit: habet enim nescio quid inter amicos nocturna illa λίχνη. Ego verò libẽs volensq; debeo, inquam. Et abeunte iam illo, Spondesne igitur ad cœnam aduentitiam vespere? inquam. ille subridens, Tu quidem, ait, sollennibus verbis rogare emptum videris: sed ne scinde penulam, Spondeo. Vide vt ne demutes, inquam: alioqui ex legibus XII. quoniam mancipio meus esse fateris, duci te iubebo. Ridens ille discessit, ego Plautum reprehendens inambulaui. Nec diu factum est, cùm vnà cum L. Carrione rediens Deinius, Ita vt vadatus, sisto me tibi Lipsi, inquit: sed videsne quàm liberè? qui cõmunem amicũ Carrionem nostrum ausus sum à me dare hospitẽ? sed hospitem ad illud præscriptum Ennij,

Cui res audacter paruas, magnasq; iocumq;.

Et ego ad Carrionem, Mi Carrio, non potuit ipsa opportunitas tam opportunè. Nam ecce tibi præstò puerum hunc, quem ad te arcessendum meditabar mittere. Nihil verò necesse erat, inquit Carrio, nam ego musca

sca sum, vt antiqui loquebantur, inuocatus aduenio. Et admirante me, insolentiam verbi, subiicit Carrio, Itáne assiduus Lipsi in Plauto es, & fugit te hoc verbũ? Nam veteres, Parasitos & eiusmodi nugas hominum qui alienis conuiuiis non vocati superueniebant, facetè Muscas vocarũt. Ita interpretandi Plauti versus, qui pleriq; ænigma videntur, Pœnulo,

Hospitium te aiunt quæritare. CO. *quærito.*
LY. *Ita illi dixerunt qui hinc abierunt modò*
Te quæritare à muscis. CO. *minimè gentium.*
LY. *Quid ita?* CO. *quia à muscis si mihi hospitium quærerem,*
Aduenienti huc irem in carcerem recta via.

Quærebat ille adolescens hospitium à muscis, id est, liberum ab arbitris & aduentoribus. Id enim suprà aduocati dixerant, *Potare amare volt nequi sciat néue arbiter sit.* Addit deinde ludens de carcere. Nam certè in carcerem periculum non erat nequi inuocatus veniret. Inuenio ita locutos & Græcos. Apud Antiphanem comicum parasitus inducitur,

Θύρας μοχλεύειν, σεισμός. εἰσπηδᾶν, ἁρπάς.
Δειπνεῖν ἄκλητος, μιᾷ' μὴ ἐξελθεῖν φρέαρ.

Nec dissimile illud Plauti Mercatore,

Musca est meus pater, nihil potest clam illum haberi,
Nec sacrum nec tam profanum quidquam est quin ibi illico adsit.

Itaque Ægyptios Orus tradit, cùm impudẽtiam signare vellent, muscam pinxisse. In Clemente Alexandr. legi, lib II. pædag. cap. I. parasitos ipsos appellatos muscas. Locum, si vis, vide. Tum ego, Seruas sollenne illud tuum Carrio, vt specimen doctrinæ in quouis sermone appareat. Verùntamen tu non Musca, sed optatus conuiua nobis: qui nisi fuisses, videsne vt in discrimen lex illa Varronis venerat, qua voluit iussit vt ne conuiuæ supra numerum Musarum, néve intra Gratiarum essent? Et conuersus ad Deinium, Dum cœna coquitur, placétne ad hortos? inquam. Nam ne sis nescius habito in veteri meo studio, & hortos (propitiæ mihi Deæ sint si pecco, vel potius, quia pecco) non neglegentius colo quàm Musas. Excipit Carrio, Quasi verò aliquid hac amœnitate ingenij tui dignius sit: & quasi antiquitus non idem Deus studiorum præses fuerit & herbarum. Tum Deinius, Quò tu igitur Venerem ablegas, in cuius tutela hortos esse Romani voluerunt, & ea re Vinalia Rustica a. d. XII. K. Septembris honori Veneris instituerunt? Est etiam mihi in mentem vetus Næuij versus, *Coquus dedit Neptunum, Venerem, Cererem*: in quo vides per Neptunum pisces, per Venerem holera, per Cererem panes ab eadem caussa signari. Est istud, inquit Carrio: sed ab his hortis eôdem ablegata Venus est, quò ille inuerecundus custos, cuius nomen inter homines serios appellari non debet. Nam Lipsij hortos Gratiarum modò & Musarum esse scibis. Subiicio arridens, Nescio quàm Musæi horti mei, Carrio: hoc scio, hortos istos & abducere me sæpe à Musis, & ad easdem reducere, cùm quasi in curriculo studiorum defessa animi mens in his arbustis, & his frugibus mea manu dissitis, iucundè conquiescit. Secundùm hæc intrabamus iam hortum, Cùm Deinium lacinia pallij reprehendens Carrio, Et quò te agis? inquit, vide ne pecces inscius. Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

priusquam intres, leges istas hortuli cognoscendum est, quas illico vides. Et simul digitum intendit ad tabellam. Tum ego, Abstineamus à nugis, inquam: ego hunc Deinium exlegem habebo: intrate modò. Sed Deinius nihil me moratus, derepta, quæ ad superum limen ianuæ tabella, legit hos versus, quos in persona Vertunni pronuntiari fecerat.

Vertunnus custos ad hospitem.

Duas res agere simitu' decretum est mihi:
Et horti leges, & meum nomen eloquar.
Adhibe hospes, sis, vacinas ædes aurium.
Primumdum mi esse nomen Vertunno scies,
Qui clarus clueo Semones inter Deos.
Namque Imperator diuûm atque hominum Iupiter
Nos cæli ciues in tres classes disparat:
Sunt Superi Di, sunt Inferi, & Medioxumi.
Hos alios alia fungi iussit munia,
Mihi cessit hortus. hunc colo, atque istinc malas
Lauernionum cum cura arceo manus.
Sic hominum vsu mea pro parti seruio.
Velut hic nunc hortus, quem factum'st biennium
Postquam meæ tutelæ herus concredidit,
Me venerans, hunc intrortum vt seruarem sibi:
Néve adeò quisquam sine grandi & solido malo,
Præquam lex patitur, hortum frueretur suum.
Eam legem ego dabo, nequi peccet insciens.
Principio edictum' st leniter dictis bonis,
Ne in Iustum iniustus quisquam iniustè cogitet,
Quod promiscam omnes, serui sint an liberi,
Dites inopesq; ab aditu voli arcerier,
Præter Musarum qui initiati sint sacris.
Id adeò honori Musarum placitum dari,
Quarum hortus hic mancupio est, vsu tantùm heri.
Quod tu aliter adire speres, nugas egeris:
Ego sum Vertunnus, omnes verto & arceo.
Primum hoc tenebis. nunc intrastin'? optimè est.
Licet ambules hîc per quadrata compita,
Modò ne transcurrens velut hœdus lasciuias:
Licet acquiescas compluuiata in pergula,
Modò ne ocquiniscens somno fœdè indulgeas.
Viden' hos ad dextram flores variato ordine?
Viden' hos melones mel & delicias heri?
Bonum factum est, tacitus spectes, tacitus gaudeas.
Nam quod surripere quidquam tu te postules,
Frustrà es: nihil est hîc prædæ prædatoribus.
Ne si malè tagax quoquam adieceris manum,
Malum habeas certum, pol, non arbitrarium,
Et tibi pro flore pignus capiatur toga.

Satis

Satis hoc viris edicto dictum deputo:
Nunc res mihi cum matronis. hem quid excidit?
Non res sed verba, ne tu mœchum censeas.
Primùm matrona sine marito exestod hinc.
Ita placet Musis, Græcam consuetudinem
Græcæ reducunt, mulier nequa in publicum
Spectandam se sine arbitro præbeat viro.
Deinde autem vos summates atque nobiles
Quæ syrma à tergo trahitis septenûm pedum,
Mala pestis, mala pernicies horti, abscedite,
Aut tragicam vestem supra femur attollite.
Quid est? facturæ hoc estis, an non? abnuunt.
En hercle vt huius sæcli mores possident!
Videri nolunt: quid si tangi? vltrò annuant.
Iam vos puellæ blandæ, delicatulæ,
Nigriculæ, tenellulæ, integellulæ,
Quas Dominus aduentantes limis adspicit,
Vobis edico, solæ vt ne intretis huc.
Nam dicam ingenuè, noui vos merces malas:
Quarum vna ratio est, steriles intrò ad nos manus
Quas attulistis, grauidas portetis foras.
Quòd siquæ comitem amatorem huc adduxerint:
(Namque omnes norunt, credo, nostræ virgines
Quàm liberæ istiusmodi rerum sient)
Moneo nil præter verba inter se vt misceant,
Neu capita liment, solitis morsiunculis
Et his papillularum oppressiunculis
Abstineant: non est his nugis noster locus.
Postremò canem aut catellam huc nulla adducito,
Melitæi sint, Sardoi, vel Molossici.
Sin aliter, faxo delicata vt accubes
Non hercle mecum aut cum hero, ne frustrà fies,
Sed cum Catello, scin' quem dicam? ferreo.
De lege tantum est: vir, matrona, virgines,
Bonum factum est, edicta vt seruetis mea.

Dum lentè ambulans ista legit Deinius, ego cum Carrione peruenera-mus iam ad vmbratilem pergulam, in qua consedimus, vitandi solis. Accedens mox eôdem Deinius, Ita me Dius Fidius amet, inquit, (nam iurare eum licet, sub dio sumus) lepidum hoc carmen tuum Lipsi, & quod te in Plauti non esse hospitem testetur. Hoc dixerat sedens, & simul vidit in mensa pauculos positos libros: versusque ad Carrionem, En, inquit, nihil opus erat indice Vertunno, hic ornatus sapienti indicio esse poterat de tutela horti. Sed itáne tu Lipsi grauiora studia in hortis? Nullus ego quidē, inquam: sed ita casu euēnit vt cùm puer de te nuntiaret, nescio quid quasi per iocum & ludum legerem in Plauto. Occupat Carrio, Otiosi sumus: nunquid igitur caussæ est, quin vt veteres illi Romani

Universidad de Deusto
Biblioteca

ante cœnam exercebantur lauando, fricando, vngẽdo: item nos aliquid agamus, quod animum iucundè exerceat legendo aut differendo? Et age tu Lipsi, ecquid ex pomeridiana tua lectione audes communicare nobiscum? Cùm dixisset, casu iniicit manum in Senecæ librum, ibidem cum Plauto positum, & renidens, Bene mehercle compositum par, inquit, Seneca cum Plauto. Atqui ne mireris Carrio, inquam, inuenias & in Seneca quod Plautum illustret, & in Plauto quod illum. Eius argumentum Plauti versus Mostellaria,

——*ne miserum! occidi.* SI. *qui?* TR. *quia*
Venit nauis nostræ naui quæ frangat ratem.
SI. *Velim vt velles Tranio. sed quid est negotij?*

quos antea sæpe legeram, sed sic vt quasi per nebulam sententiam eorum perspicerem. At quàm clara res ex Senecæ loco, lib. IX. Epist. LXIIX.

Aspice M. Catonem sacro illi pectori purissimas manus admouentem, & vulnera parum demissa laxantem. Vtrum illi tandem dicturus es, Vellem quæ velles, &, Molestè fero: an, feliciter quod agis?

qui locus quidem vti vnicus est, quod sciam, ad Plautum illustrandum, & ex quo doceri possit, veteres in consolatione & alloquiis amicorum, genus illud sermonis vsurpasse, *Vellem vt velles:* ita vicissim hic Plauti singularis ad Senecæ veram lectionem, quam posui, stabiliendam. Nam in vulgatis libris, *Nollem quæ velles*, imperiti Aristarchi nostri fecerant. Præclara verò monitio, inquit Carrio: sed quoniam in Mostellaria es, porrige quæso librum. Redeo enim in memoriam alterius versus,

Alter versus Mostellar. interpretatus.

Si tibi sat acceptum est fore amicum tibi sempiternum,
Soli gerendum morem censeo, & capiundas crines.

cuius sententiam iamdiu frustrà inquiro. Interpellat Deinius. At si nescis explicauit hoc nuper in Aduersariis suis illud Galliæ decus Turnebus: cui placet Capere crines, esse blandè & amatoriè osculandi caussa capillos prendere, vt & aures solebant. Tum ego: Magnum virum, Deini, nominas, inquam, magnum: & cui fortasse, in his studiis, simile nihil ætas nostra tulit. Nam, non feret, nolo dicere: quia iam nunc est adolescens in Gallia nobilis, qui Turnebi laudi succrescit. De quo quid & quantum augurari debeamus, nisi deprecatus numina læua, non ausim dicere. Sed vt de re, vereor vt conquiescere in hoc Turnebi iudicio hic Carrio possit. Dicit enim sine exemplo, sine teste. Ego putabam, Capere crines, non aliud esse quàm Nubere, & matronã fieri. Nam ornatus matronarum vt alia quædam propria habuit, exempli caussa duplicem vittam, stolam, &c: sic etiam crines peculiari quadam ratione formatos. Itaque Plautus Milite, cùm instrui ancillam ornatu matronarum vult, ait,

Vtique eam ornatam adducas matronarum modo
Capite comto, crines, vittasq; habeat.

Facit huc, opinor, illud Festi, *Senis crinibus nubentes ornantur, quòd is ornatus vetustissimus fuit, quidam quòd eo Vestales virgines ornentur.* Inter hos sermones cùm puer interpellasset de cæna, surgens ego, Eamus, inquam, ad cænam, non illam Pontificiam aut Saliarem aut Adiicialem, sed qualem lex Fannia iussit aut Licinia centenaria. Nam nostra hæc cæna Dubia

bia non erit, & vereor ne nihil nisi terra natum habeat. Eiusmodi cænas, inquit Carrio, Plautus Terrestres appellat. Horatius egregiè, cænas sine sanguine, imitatione Græca, vt opinor. Apud Diphilum Parasitus auguria captans ex fumo colinæ,

Cæna sine sanguine à Græcis.

Ἐὰν δὲ πλάγιος καὶ λεπτὸς, εὐθέως νοσεῖ
Ὅτι τοῦ μοι τὸ δεῖπνον ἀλλ' ἀδ' αἷμ' ἔχει.

Iam intraueramus cænaculum, posco alta voce Aquam manibus. Lauimus, & cùm nescio quid leuiculæ contentionis de loco esset, De digniori loco, inquam ego, more maiorum statim videbimus: nunc te Deini leges hospitij migrare nolo, Regi & Patri cænæ parendum est. Cùm assedissemus igitur, & puer more patrio oua cum lactucis ad cœnam dedisset: statim Deinius, Et quis verò apud maiores Lipsi locus dignior? Tum ego, Heu! creditorem acerbum! vix debere incepi, tu flagitas. Sed hoc potius agamus Deini, & ex præcepto maiorum ab his ouis cænam ordiamur. Et simul porrigebam manum ad oua. Respicit me Carrio, Et quo tandem præcepto? inquit. An non meministi legere, inquam, illud Horatij?

Oua apud antiquos initium cænæ.

——*si collibuisset ab ouo*

Vsque ad mala citaret io Bacchæ. id est, à prima mensa ad postremam, quoniam ab ouis videlicet cænatio inciperet, in pomis desineret. Sic enim maiores soliti sunt. Hinc est quod Catius ille apud Horatium cænarum artem editurus, primum omnium de ouis tradit,

Longa quibus facies ouis erit. In hanc rem & Varro emendandus Endymionibus,

Varro correctius apud Nonium.

Discumbimus mussati, dominus maturat oua, ac cænam committit.

ita enim tribus Nonij locis legendum censeo, aut certè *Dominus maturo ouo cænam committit.* Nonius enim ipse distertim explicat, Committit; id est, incipit: nimirum vt Latinè committi dicuntur ludi. Etiam Apuleius Milesia IX. oua Gustulum ab hac caussa appellauit. Tum Carrio, Teneo de ouis, inquit, & iam scio cur Cicero epistola ad Pætum per iocum scripserit, *Integram famem ad ouum adfero:* de lactucis Lipsi vide ne fallas, quas non incohasse, sed clausisse cænas auorum, vel Hispano poëta teste, potes cognoscere. Idem scriptor Moreti voluit illo versu,

Lactuca cænas veterũ clusit.

Grataq; nobilium requies lactuca ciborum.

Simile quid apud Athenæum memini legere, si is tibi ad manum est. Est verò, inquam: & cùm puero innuissem, adtulit librum, ex quo Carrio ista legit, οἱ μέντοι ἀρχαῖοι πάντες πρὸ τοῦ δειπνεῖν ἐ παρέφερον ἔτε μύτρας ἔτε θρίδακας, ἔτε ἄλλό τι τῶν τοιούτων, ὥσπερ νῦν γίνεται. Tum ego, Bene mones Carrio, inquam, & ita vt dicis, olim res fuit. Postea mos ille mutauit: & quidem iam tum Horatij ætate lactucas in principium cænæ fuisse discimus ex conuiuio Nasidieni, in quo statim ponuntur,

——*acria circum*
Rapula, lactucæ, radices. His dictis, ad me Deinius, Et quid iam Lipsi? soluisne vltrò quod debes de ordine discumbentium? an ex legibus XII. manum tibi endoiacio, & in neruum compingo? Arridens Carrio, Clementer, inquit: nã dies iusti XXX. nondũ elapsi sunt. Tum ego, Vocas me Deini in sermonẽ non tam difficilem, quàm longum: quia tamen dictu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicturus promisi, ne tricari videar, dicam. Et quidem vt res possit intelligi, ordiar paullò altius. Primum omnium scitis veteres Ro. vti & Græcos non sedisse ad mensam, vt nunc solitum est, sed accubuisse. Quem morem etiamnum pleruſque Oriens vsurpat. Hic Deinius, Ne grauare, inquit: in ipso aditu interpellandus es. Nam Homerus certè, aliter ac tu, heroäs illos suos sicut & procos Penelopes sedentes in conuiuio facit. Est in mente versus Odyss.

Veteres accubuisse ad mensam.

Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀολλίζονται ἀοιδοῦ
Ημενοι ἐξείης.

Catullus etiam noster nónne in Nuptiis Pelei de sessione intellegendus est? *Qui postquam niueos flexerunt sedibus artus.* Respondi ego, Ne frustrà sis Deini, de vetustissimis illis & heroicis temporibus nullus hîc loquor: ne id quidem nos turbet, si forte serui aut sordidi Cynici aliquot philosophi ad mensam non accubuerint, quò respexit Plautus Sticho, *potius in subsellio Cynicè accipiemur, quàm in lectis:* nam mihi vulgatũ modò Ro. more exprimere consiliũ est. Quem hunc ferè, quà ex libris, quà ex monumentis veterũ, fuisse collegimus. In cænaculo mensa collocabatur rotunda, humilis: inferiorum quidem hominum tripes & ex simplici ligno, lautiorum citrea, aut acerna, aut lamina argentea intecta: quam pes eburnus fabrè factus, puta in modum Pardi aut Leonis, sustinebat. De priori mensa Tigellius ille apud Horat. adfectata paupertate,

Plautus Sticho illustratus.

——*Modò sit mihi mensa tripes, & Concha salis puri:*

de altera Iuuenalis, ——*Putêre videntur*
Vnguenta atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu.

Circum mensam tres, vt plurimum, lecti erant, ex quo Triclinij nomen. Vel duo etiam, quod Plautus Biclinium: posterior ætas hoc aut aliquid simile Sigma vocauit. Quod cùm esset in formam hemicycli aut lunatæ testudinis exstructum, vocari placuit nomine litteræ Græcæ: quia, vt ex marmoribus liquet, illa ætas sigma litteram vt mediam lunam scribebat, C. Martial.

Sigma quid.

**Nos hæc fusius explicamus in Ritibus conuiualibus.*

Aspice lunata scriptum testudine sigma:
Octo capit, veniat quisquis amicus erit. & lib. x.
Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.

Lampridius, *De croco sigma strauit, cùm summos viros inuitasset ad prandium.* Ij porrò lecti insternebantur aulæis, purpura, aut alia veste stragula, pro copia aut inopia conuiuatoris. Id sub horam cænæ fiebat. Interpellans Deinius, Et quæ, inquit, antiquitus hora cænæ? Puto fuisse dici nonam, inquam. Nam octaua hora lauabantur. Martial.

Hora cænæ.

Nunciat octauam Phariæ sua turba iuuencæ,
Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
Halat. Nona decumbebant. Idem Mart.
Imperat exstructos frangere Nona thoros.

Hinc intelligimus cur reprehensum vt intempestiuum à Satyrico sit,

Exsul ab Octaua Marius bibit, & fruitur Dis
Iratis. Sed priusquam accumberent, togas mutabant vestibus

Vestes ad cænam.

quas

quas à re Cænatoria dixerunt. Petronius, *Cænatoria repetimus, & in proximam cellam ducti sumus, in qua tres lecti strati erant.* Mart. in Apophoreto, Cænatoria,

Nec fora sunt nobis nec sunt vadimonia nota,
Hoc opus est, pictis accubuisse thoris.

Tum etiam soleas pedibus demebant, ne lectum conspurcarent. Intellegendus ita Plautus Truculento,

Exoleare solitos ante discubitũ. Plautus correctus.

Iam rediit animus, deme deme soleas, cedo vinum.

Ita enim explendus addita voce versus est, auctorib. libris. Martialis:

Deposui soleas, adfertur protenus ingens
Inter lactucas oxygarumq; liber. Horatius de Nasidieno inter cænam surgente, *Et soleas posci.* Hic Deinius, Singulíne igitur conuiuæ, inquit, singulares lectos habebant? Minimè gentium, inquam: sed aut terni, aut plerumque quaterni vnum lectum occupabant. Horat.

Quot conuiuæ in vno lecto.

Sæpe tribus lectis videas cænare quaternos.

Si plures, sordidum id & minimè lautum habebatur. Cicero in Pisonem, *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans,* &c. *Græci quini stipati in lectulis, sæpe plures.* Ita fiebat vt ex vna communi mensa vix supra XII. vescerentur. A quo numero illa Augusti famosa cæna apud Sueton. Δωδεκάθεος dicta. Apud Macrobium tamen in cænæ Pontificiæ descriptione in duobus tricliniis decem modò conuiuæ nominantur, vt pareat in magnifico aliquo epulo vix binos lectum vnum occupasse. Iam verò modus accubitus hic erat. Accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta ac iacente: capite leuiter erecto, dorso à puluillis modicè suffulto. Ab hac ratione interpretor & emendo Plauti versum Milite,

Modus accumbendi.

Sed procumbunt, & se percellunt, dimidiati dum appetunt.

Plautus Milite emendatus.

Vt enim apud Horatium fastidiens, &

Languidus, in cubitum sese conuiua reponit: ita contrà inhians & imminens toto corpore in cibum procumbebat, & à decoro illo habitu recedebat. Qualem gestum exprimere voluit Plautus. Iterum Deinius, Sed quis decubitus plurimum? aut quomodo omnes æqua parte ad mensam pertingebant? Vide sis, inquam, hoc modo. Primus decumbebat ad caput lecti, cuius pedes porrigebantur ponè dorsum secundi: secundus verò occiput obuertebat ad vmbilicum primi, puluillo interiecto, pedes iacebant ad tergum tertij: & sic deinceps tertius, sic quartus. Hoc iam tenetis? Agite nunc de loco digniori, vnde hic sermo manauit. Is qui primus & ad caput lecti decumbebat, Summus dicebatur: qui ad pedes, Imus: qui inter istos, Medius. Hinc illa Plautina, *Da puer ab summo.* & Horat. *secutis omnibus imus.* Tum Carrio, Nempe igitur hoc dicis, Summum locum dignissimum antiquitus fuisse? vt in illud Virg.

Inde thoro pater Aeneas sic orsus ab alto. Seruius Altum thorum, locum summum interpretatur, quem ait Pontificalem fuisse. Subiicio ego, Musæ melius quàm vt hoc dicam. Nam ego non Summum, sed Medium locum honorificentissimum habitum confirmo, quidquid illi Seruiani admutilati Commentarij præ se ferant. Cicero Epist. lib. IX. ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pætum, *Accubueram hora nona. Vbi? apud Eutrapelum: & quidem suprame Atticus, infra Verrius, familiares tui.* En, Summus Atticus fuit, Medius Cicero. quid autem clarius, quàm Ciceronem consularem senem dignissimo loco accubuisse? Ita apud Virgil.

——*Aulæis iam se regina superbis*
Aurea composuit sponda, mediamq; locauit. vt decebat reginam. Apud Sallust. III. Hist. *Igitur discubuere, Sertorius interior in medio, super eum Tuscus Fabius Hispaniensis, Senator ex proscriptis: in summo Antonius, & infrà scriba Sertorij Versius, & alter scriba Mæcenas in imo. Medius inter Tarquitium & Ouium Perperna.* Ecce è duobus lectis alterum medium Sertorius occupat vt Imp. alterum Perperna vt conuiuij dominus. Puto ad hunc morem emendandum Plautum Sticho, vbi vulgò,

Plautus emendatur.

Haud postulo equidem med in lecto accumbere,
Scis tu med esse imi subsellij virum.

Scripserim, *medio in lecto.* Neque enim hoc Parasitus dicit se nolle in lecto accumbere, (ita enim exclusissimus à cæna fuisset) sed nolle medium aut summum, satis esse si in imo hæreret. Idq; sequentia Plauti docent. Vt distinctè igitur concludam, si tres conuiuæ in vno lecto, medius dignissimus: proximus honore, Summus. Si quattuor; medium censeri arbitror, proximum à summo. Si duo tantum; dignissimus Summus fuit. Atque ego quidem de hac re ita censeo: nisi quid huic Carrioni secus videatur. Mihine? inquit ille. Tu verè Lipsi ista eruditè. Vtum modò. Censésne tam anxiè ac nunc fit, discrimen istud locorum seruatum antiquis? Quippini, inquam, inprimis anxiè. Audi Senecam. I. vt opinor, De ira: *Minus honorato loco positus irasci cæpisti conuiuatori, vocatori, ipsi qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? Honestiorem te aut turpiorem potest facere puluinus?* Sed satis de nugis: & næ ego exhibitor elegans, qui conuiuas meos sermonibus pasco. Simul innui puero vt secundam cænam adferret. Cumque ille sublatis mensis gallinam rusticanam dedisset, & altrinsecus pullos, cum oliuis, rapulis, cappari: conuersus ego ad conuiuas meos, Ad hunc sanè apparatum nec Structore nec Chironomonte opus erit, Indice multo minus. Venit enim in mentem moris ridiculi apud antiquos. Nam solitum Athenæus tradit domino conuiuij simul ac decubuisset schedam dari, quæ descripta ordine obsonia omnia haberet, vt iam tum sciri posset quid postremum coquus missurus esset. Hac molestia quidem nos carebimus. Et ad Carrionem, visne frater de ista parente trium liberorum? Simul abrupi gallinæ alam, eaque Carrioni anteposita, Mirum, inquam, ni hæc auis ex familia Curionum fuerit, aut certè ex gente Licinia, cuius cognomen manifestè præfert. Nolo tamen frustrà vos esse, hæc tam malè habita gallina cænæ nostræ caput est. Hîc cùm Deinius Carrionem intuens quærere videretur quid esset caput cænæ: occupans ego, Ne id cum damno tuo ignores Deini, dicam. Cænam antiqui in tres partes tribuerunt, siue placet dicere Missus. Primum missum, Antecænam siue Gustationem, siue Gustum dixerunt: secundum, in quo præcipui & lautissimi cibi, propriè Cænam: tertium, in quo bellaria, Mensam pomorum, siue Mensas secundas.

Index cænæ.

Triplex dimissio cænæ.

cundas. Quod quæris igitur, secundi missus præcipuum ferculum, Caput cænæ dictum fuit. Exemplum. Hanc gallinam & hos pullos, & oliuas, & rapula, & capparim, omnia simul, propriè Cænam dixero: caput autem cænæ huius gallinam ipsam. Ita Martial. *Quid propriè caput cænæ.*

——*mullus tibi quattuor emtus*
Librarum cænæ pompa caputq; fuit. Cicero v. Tuscul. *Negauit se iure illo nigro, quod cænæ caput erat, delectatum.* Gemina ratione Græci κεφαλὴν δείπνου appellant. Alexis.

Βοτρυδίου τι χορεῖον ἐν ποτηρίῳ
Ἐπιπαίζεται, κεφαλὴ δὲ δείπνου γίνεται.

Nec absimili metaphora Liuius Fundum Veientanum, caput patrimonij appellauit. Optimè, inquit Deinius: sed possum ex te scire à quibus auctoribus illa distinctio cænæ sit? Potes verò, inquam. De antecæna Macrobius, *Ex indice Metelli pontificis cæna hæc fuit. Antecænam, echinos, ostreas crudas quantum vellent. In cæna, sumina, sinciput aprugnum, patinam piscium, &c.* De gustatione Petronius, *Iussi discubuimus, & gustatione mirifica initiati, vino etiam Falerno inundabamur.* De gustu Martial. *Antecæna.* *Gustatio siue Gustus.*

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo
Vtilis, & porris fila resecta suis.
Et quæ Picenum senserunt frigus oliuæ:
Hæc satis in gustu, cetera nosse cupis?
Mentiar vt venias, pisces, conchylia, sumen. &c.

Tum Carrio, Inuenio etiam Lipsi eam cænæ partem, Prandium, ab Horatio dictam,

—— *Ille salubres*
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet. Hoc enim dicere Catius voluit, initio cænæ ponenda mora esse, quod Galenus & medici probant: non autem nihil sumendum præter mora. Vocarunt antecænam etiam Promulsidem; ideo videlicet quòd daretur ante mulsum. Nam antiqui in conuiuiis non temerè primam sitim nisi mulso sedabant. Quod ipsum principio cænæ vel confectum apponi moris fuit, vel eius loco separatim vinum & mel, vt conuiua quisque pro arbitrio id temperans mulsum sibi conficeret. Hinc apparebit cur Varro scripserit III. De re rust. *Fauus venit in altaria, & mel ad principia conuiuij, & in secundam mensam administratur.* Clarum etiam quid velit Catius apud Horat. *Promulsis.* *Varro explicatus.*

Ausidius forti miscebat mella Falerno,
Mendosè. quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet.

Lusit in hac Promulsidis voce nimium argutè scortillum illud apud Petronium, quæ protracto peculio pueri Gytonis, *Hoc tam rude, inquit, belle eras in promulside libidinis nostræ militabit. Nam hodie post asellum Diaria non sumo.* significans videlicet illud pueri vasculum minutum quasi in antecænam sibi fore, ad libidinem solidam & robustam iritandam. Ab his sermonibus aliquantum silentium fuit: cùm ego ad Deinium, Et quid mi Deini, cæna hæc Pythagorea erit inter mutos? Imò Platonica potius, *Petronij liberius dictum explicatum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

potius, inquit ille. Nam vt olim Timotheus ille dicebat, Τὸν πλάτωνα εὖ δειπνεῖν μᾶλλον εἰς ὑστεραίαν, ἢ τὴν παροῦσαν ἡμέραν: ita nos de tua cœna possumus, in qua ea audimus quæ non solùm postridie, sed ætatem delectent. Τὰ γὰρ τ' ἀναθήματα δαιτός. Hoc est mehercle, inquam renidens: sed tamen Deini si bene nobis cibo non est, at vino erit; & si Cerealia non possumus, Liberalia celebrabimus. Et heus puer, vinum. Acceptoq; cyatho, Hunc, inquam, Deinio & Fortunæ eius Reduci. Cumq; ebibissem: profectò, inquam, verum est verbum vetus, Post sitim & sermonem

Ηδύς τε πίνειν οἶνος Αφροδίτης γάλα.

Et Deinio repletum porgens, Accipe, inquam, amicissimum caput, & fac memineris elegantes illos & auro contrà emendos versus Varronis,

Vino nihil iucundius quidquam cluet.
Hoc continet coagulum conuiuia,
Hoc hilaritatis dulce seminarium,
Hoc ægritudinem ad medendam inuenerunt.

Accepit Deinius, cumq; eduxisset, Te imitabor Lipsi, inquit. Ite curæ ad seueros. Atque en tibi pro suauissimis Latinis istos Græcos:

Ω πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέσατε
Διόνυσε καὶ σοφώτατ' ὡς ἡδύς τις εἶ,
Οταν ταπεινὸν μέγα φρονεῖν ποιῇς μόνος,
Τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθῃς γελᾶν,
Τόν τ' ἀθυμῆ τολμᾶν τι, τὸν δειλὸν, θρασύν.

Conuersisq; iam nobis in solutam hilaritatem, Quia, inquam,

Omnibus modis temperare certum est nostrum hodie conuiuium.

Plautus emendatus. vt ἐν παρέργῳ Plauti Stichum emendem: ecquid auctor es Deini, vt more maiorum huic conuiuio leges scribamus, quas ante crastinum Luciferum sine fraude nemo nostrûm migrarit? Egóne? inquit Deinius. si quidem hoc ab antiquis est, nunquam defugiam auctoritatem. Est verò Deini, inquam, nec à nostris solùm, sed etiam Græcis, & quidem philosophis. Nam Xenocratem in Academia, Aristotelem in Lyceo συμποσιακὸς νόμους scripsisse, Athenæus testabitur. De Romanis verò, iam inde à regum temporibus hunc morem obtinuisse ex Plinio discimus, qui legem Posthumiam regis Numæ commemorat, *Vino rogum ne respergito.* De qua Catullus intellegendus, *Ingere mî calices amariores, Vt lex posthumia iubet magistræ.* Hic Carrio, Vide etiam atque etiam quid adfirmes Lipsi. Nam & illud Catulli aliter adhuc acceptum non ignoras: & verò quis auctor est Numæ legẽ illam conuiualem potius quàm seriam aut politicam fuisse? Respondi ego, At rem tibi auctorem dabo. Nam quî potest vt seriò id Numa vetuerit, cùm constet ex omnibus antiquis, sollenne fuisse vino rogum respergi? Ita Æneas ad Anchisæ tumulum, *duo ritè mero libans carchesia Baccho Fundit humi:* & Festus auctor, Respersum vinum dici, quia vino sepulcrum spargebatur. Nequid tamen dissimulem, Plinius lib. XIV. eam legem vt seriam visus est accepisse. Itaque vt hoc in medio relinquamus, antiquitatem tamen eiusmodi legum ex Ciceronis De senectute est ostendere, apud quem Cato inducitur, *Me verò & magisteria delectant à maioribus instituta, & is sermo qui more maiorum*

Leges conuiuiales.

Catullus interpretatus.

rum à summo adhibetur in poculo. Eandem rem intellexit Cicero in Verrem, *Iste enim prætor seuerus ac diligens, qui populi R. legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus quæ in poculis ponebantur obtemperabat.* Redeo etiam in memoriam Lampridij, apud quem insignis locus ab ignoratione huius moris corruptè legitur: cuius quia verba non suppeditant, age tu puer adfer librum. Ecce igitur in eius Eligabalo hęc verba, *Præfectum vrbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio, ita vt si recusarent, magistri eorum eos cogerent.* Ineptè inculcata voce, cùm scrib. sit, *Magistri eos cogerent.* Qui enim has leges bibendi ferebat, Magister vulgò dicebatur: Varroni etiam Modimperator: Horatio, Arbiter: Plauto, Dictator: Græcis, συμποσιάρχος, βασιλεύς, vel στρατηγός. qua postrema voce & Plautus vsus est Sticho,

Lampridius in Eligabalo correctus.

Quid Magister.

——— *dum ea se exornat, nos volo*
Tamen ludere inter nos: strategum te facio huic conuiuio.

Plautus explicatus.

Hîc arridens Deinius, Vt hæc res est, inquit, video descendendũ in campum Martium esse, & hunc Strategum intra Septa suffragiis populi R. Quiritium creandum. Vocabo tribus. Quem autem eligis tu Lipsi? Excepi ego, Vis palàm designem, an potius per tabellam? Palàm, inquit Deinius. Tum ego, Quod igitur sine fraude legis Cassiæ tabellariæ fiat, ego hûc L. Carrionem Magistrum,* L.L. Scrib. C. palàm renuncio. Tecum sentio, inquit Deinius. Et Carrio, Atqui, inquit, videte Quirites ne vitio creetis, & postèà abdicare cogatis. Quid iam? inquam. Quia, inquit, hæc comitia vestra, præter morem veteris reip. sunt. in qua non suffragiis populi hic Magistratus creari, sed eligi sorte solet. In sortem tali erant. Ita Horatius,

Id est, Tecum scribendarum causſa.

Quomodo magistrum crearent.

Et domus exilis Plutonia, quo simul mearis
Nec regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidam mirabere.

Regna vini, hæc magisteria appellat: & ineptè Luisinus, qui explicat Regna vini talis, id est, tam suauis & generosi. Exstant huius moris vestigia passim in Plauto: vt Mostellaria, cùm Philematium meretrix decumbere vellet, statim quærit,

Vide tali vbi sunt? vbi vnguenta? Et Asinaria,
Iace pater talos, vt porrò nos iaciamus.

Et prorsus id in omni conuiuio obseruabant. Interpellans ego, Bene & prudenter monuisti, inquam: sed cùm varij talorum iactus sint, Venus, Canis, Senio, Chius: quis ex his fuit magistro creando? Propriúsne aliquis? an id in arbitrio ludentium? Imò proprius, inquit Carrio: & qui primus è conuiuis Venerem iecerat, is Magister. Horatius,

Venerẽ iactus Magistrum faciebat.

——— *quis vdo*
Deproperare apio coronas
Curátve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi?

Facit huc dictum illud Catonis apud Plutarchum, Εν δὲ τοῖς δείπνοις ἐπληρῶτο περὶ τῶν μερίδων. εἰ δὲ ἀπολάχοι, πρῶτον αἴρειν τῶν φίλων κελευόντων, ἔλεγε μὴ καλῶς ἔχειν ἀκούσης τῆς Αφροδίτης. Addam pro corollario

Universidad de Deusto
Biblioteca

Plautus explicatus.

insignem locum Plauti, qui multis negotium fecit, Curculione,

Talos arripio, inuoco almam meam nutricem Herculem:
Iacto Basilicum. propino magnum poclum, ille ebibit.

Basilicus iactus.

Ita enim interpungo, nec dubitandum censeo, quin Basilicum iactum, Venereum intellexerit. Cùm enim Græci Magistrum vulgò βασιλέα dicerent: quid caussæ est, quin iactum illum proprium regi creando, Basilicum rectè vocarit? Quòd Herculem Basilicum coniunctim accipiunt, Latinè vt loquar, germanæ nugæ. Nam Herculem nutricem suam Parasitus facetè & optima caussa dixit. de qua plura dicere non est huius loci. Conticuerat Carrio: & Deinius caput quassans, Eleganter quidem ista dicuntur & eruditè, inquit, sed mehercle importunè. Nam hæret planè hæc res, tali desunt nisi quid tu Lipsi expergisceris. Egóne? inquam. sic sine desint: talorum vicem sortiemur alea. Ne Di sirint, inquit Carrio, vt tam apertè contra leges Romanas. quin potius ecce vobis aliud ab antiquis: quos inuenio Magistros interdum sola corollæ impositione dixisse. Nisi cui vestrûm aliter illud Plauti è Persa interpretandum videtur,

Vide lib. 1. cap. XXI.

Plautus explicatus.

Do hanc tibi florentem florenti, tu hic eris
Dictatrix nobis.

Surgens Deinius, O versum opportunum, inquit, & auro contrà non carum! Est verò planissimè ita interpretandus. Et cùm ad aurem mihi quiddam insusurrasset: Ita verò, curabitur, inquam. & statim vocato puero coronam ex rosis plectilem adferri iubeo, eamque allatam accipiens, & Carrioni modicè reluctanti imponens, Cape hoc insigne Regni, inquam, cum Dis bene volentibus: tu huius conuiuij Dictator eris, vti qui Optima lege vnquâ dictator fuit. Quinctius factus sum, inquit, Dictaturam properabam euadere, ab aratro reuocor. Sed tamen parebitur vobis, & quæ res mihi magistratuique meo, huic conuiuio vobisque bene vertat, accipio honorem. Videte modò ne leges meæ præter opinionem vestram sint. Ac deinde post paululam moram, Conuiuij huius lex, inquit, hæc esto.

Conuiuij leges.

I. *Vinum purum putum puer infundito.*
II. *Nymphis in hoc regno aqua & igni interdictum esto.*
III. *A summo ad imum more maiorum bibunto.*
IV. *Patera vinum circumferunto.*
V. *Decem cyathi summa potio sunto.*
VI. *Musis nonum, decumum Apollini libanto.*
VII. *Dominam si quis habessit, indicium facito:*
VIII. *Eius & propitiæ Deæ nomine supra numerum bibito.*
IX. *Dicta, & iocos vsurpanto.*
X. *Ast intra licentiam & conuicia vtraque sunto.*
XI. *Rixæ, clamor, contentio, ad Thracas ablegantor.*
XII. *Eorum vicem carmen aliúdve quid Musæum proferunto.*
XIII. *Deq; eo modicè & modestè anquirunto.*
XIV. *Angeronæ sacra mensa habetor.*
XV. *Dicta, indicta, facta, infecta in vino inscribuntor.*
Qui hasce leges frausus esit, sacer, intestabilis viuito.

Reci-

Recitata lex est, in qua siquid rogaui quod per leges plebeíve scita rogari ius fas non siet. E. H. L. N. R. E. Vos si ita videtur discessionem facite, ego tabellas diribi, & sitellam circumferri iubebo. Atque hîc Deinius, vt videbatur, commotior, Itaque Lipsi, inquit, circumueniri nos ab hoc Solone taciti patimur, qui leges eas tulit, quas vix Euander cum sua matre intellexerit? Aut explicet igitur, & more Ro. legem suadeat, aut me vino ne perferat. Atque adeò nisi hic Lipsius intercedat, ego iamnûc tanquam Augur obnunciaturus sum, & *Ioue tonante* dicturus. Et subridens Carrio, Ego verò nisi caues bone augur, inquit, Cæsarem imitabor, & hunc bibûlum duci iubebo. At Deinius me intuens, *Porrò Quirites! libertatem perdimus.* Sed ego apprehensa manu eius quiescere iubeo, & versus ad Carrionem, tu quidem Magister Sullaturire vidêris, inquam; sed tamen scito, ne ego quidem, *Vti rogas*, dicturus sum nisi lege explicata. Video cum factiosis Tribunis mihi rem esse, inquit Carrio: Dis gratia, quòd legem hanc Romæ non Locris ferimus. alioqui, vt hic Deinius vultu minatur, periculum legislatori à laqueo erat. Sed tamen agite, in summo imperio clemétiam laudari volo, explicabo legem, eamque iterum quasi promulgabo, & faciam vestræ spontis.

Primum & I I. caput meæ legis, quibus vinum merum esse iubeo, & Nymphas, siue placet dicere Lymphas, (ita enim ἀδ ιαφόρως antiqui dixerunt) in exsilium mitto: scire licet esse à Catullo nostro, qui ex lege Posthumia iussit lymphas abire ad seueros. Et rectè Catullus. Lymphatum enim vinum lymphatam mentem efficere putandum est. Hîc Deinius, Vt principium huius legis est, inquit, video nos Caninam cænam minimè habituros. Quippe, subiecit Carrio, Vinalia hodie non Fortinalia agitanda sunt: & placet Plautinus ille Sosia, qui *Hirneam, vt matre fuerat natum, vini eduxit meri.*

De vino merace.

Tertium caput A summo bibere iubet: hoc est, quod Græci dicunt ἐν κύκλῳ πίνειν, ab eo conuiua videlicet qui summus accumbit, ad Imum. Quod quale sit, ex superiore sermone Lipsij licuit cognoscere. Morem hunc Romanis sollennem in omni conuiuio fuisse cùm paullò hilarius inuitare se vellent, facilè ostendero. Plautus Persa,

Quid A summo bibere.

— *Age puere*
A summo septenis cyathis committe hos ludos.

Asinaria,

Da puere ab summo, age tu interibi ab infimo da suauium.

Pertinet huc illud Ciceronis in Catone, *Et is sermo qui more maiorum A summo adhibetur in poculis.* ita enim haud dubiè is locus legendus, exturbata voce quæ in vulgatis insederat, *à summo magistro.*

Iterum Plautus Menæchmis,

Standum est in lecto si quid de summo petas.

Plauti versus correctus.

Interpellaui ego, Et licet monere Magister? inquam. Annuit Carrio. Quod igitur pace tua dicam, inquio, hoc postremum Plauti, alienum ab hac sententia confirmanda est. Nihil enim eo loco Plautus de potione voluit. Videturque melior lectio quàm in libris aliquot antiquis exstare comperi, *siquid de summa petas.* Idq; versuum ipsa ἀκολουθία comprobat,

Cereales

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cereales cœnas dat, ita mensas exstruit,
Tantas struices concinnant patinarias,
Standum est in lecto siquid de summa petas.

De summa, igitur, ἐλλειπτικῶς accipio, patina videlicet aut Struice. Labor, inquit Carrio, vt tibi assentiam: in eam tamen sententiam quã dixi Turnebus id, si commemini, libro VI. accepit. Sed audite sultis cetera.

Paterarum cui vsui antiquis. Varro explicatus,

IV. caput de poculi genere sancit, aliisque exclusis solam pateram potioni huic A summo relinquit. Non temerè. Nam etiam antiquitus patera huic vsui sacra. Varro IV. De L. L. *Præterea in poculis erant pateræ, cò quòd pateant latius ita dictæ. Hisce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinendæ caussa, cùm Magistri fiunt, potio circumfertur, & in sacrificando hoc poculo magistratus dat Deo vinum.* Ergo, inquit Deinius, circumferri potionem, hoc loco Varronis idem censes quod in orbem præberi A summo? Quippini, inquit Carrio. & docet id Plautus Persa,

Et Plautus.

Age circumfer mulsum bibere, da vsque plenis cantharis.

De numero poculorum in bibendo.

V. caput decem cyathos definit, qui numerus arbitrij mei est, fateor, sed tamen imitatione antiqua. Hîc Deinius. Non possum, inquit, Magister quin interpellem, ne si duci quidem me iusseris. Iupiter bone! decémne cyathos? An te leges Cotylis & Tricongiis, aut Ciceronis filio putas scribere? Ridens Carrio, Non puto, inquit, sed estis tamen poëtæ. Quid, malum, poëtæ? inquit Deinius. Sit pudor, & audi saltem Varronem monentem, Est modus matulæ. Imò, inquit Carrio, Venusinum illum potius canentem audio,

Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet suprà
Rixarum metuens tangere Gratia.

Decẽ cyathi summa potio.

Aut nouem igitur Deini bibe, aut nuncium remitte Musis. At tu decem definis, inquit Deinius. Nimirum Plauto auctore, inquit Carrio, in Sticho,

Plautus illustratus.

Vide quot cyathos bibimus? ST. tot quot digiti sunt tibi in manu.
Tibi propino decim, affonde tu tibi inde si sapis.

sic enim eos versus sanè quàm eleganter hîc Lipsius restituit, cùm in libris vulgò sit, *propino * decuma fonte.* Et quid? iámne hoc caput scisco? Imò mane, inquam ego. frustrà es de Plauto. Nam ego in eo versu restituendo defugio auctoritatem. Quis enim Bitias decem crateras? ne tu Carrio me putes, cui placent illa Xenophontis minuta & rorantia pocula, quæ verè habent quiddam πρὸς φιλίαν ἑλκυστικὸν, potius quàm illa immania Lapitharum. Tum Carrio, etiam tu Lipsi ludũ me facis? an dum lex recitaretur peregrinatæ sunt aures tuæ? Quid iam? inquam. Quia enim cyathos decem scripsi, inquit, nõ crateras, ne tu Lapithas aut Centauros somnies, aut illud Nestoris Homerici poculum, quod

**Alij, decupa.*

Ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης
Πλεῖον ἐὸν· Νέστωρ δ' ὀγέρων ἀμογητὶ ἄειρε.

Suetonius explicatus.

Latinè locutum me scito, & more maiorum, apud quos cyathi duo sextantem efficiebant. Sic de Augusti parsimonia Suetonius tradidit, eum quotiens

quotiens largissimè se inuitaret, senos sextantes non excessisse, aut si excessisset, reiecisse. id est, XII. cyathos. De his igitur Augusti sextantibus scito me loqui. Repperisti rimam, inquam ego, sed perge ad legis reliqua.

VI. caput libationem in mensa constituit, quam prisci illi in omni conuiuio religiosè seruabant. Itaque apud Homerum etiam proci,

——— θεοῖσι
Σπείσαντες μακάρεσσι πίον μελιηδέα οἶνον.

& Achilles priusquam biberet

——— λείβε δὲ οἶνον
Οὐρανὸν εἰσανιδών, δῖα δ' ἐλάθετο τερπικέραυνον.

Ex quo more apud Virgilium Dido,

Dixit, & in mensa laticum libauit honores.

& alibi,

In mensam læti libant, Diuósque precantur.

quibus locis mirari est Macrobij otium, qui anxiè in Virgilium inquirit, *Macrobius notatus.* recténe Didonem in mensa libantem fecerit non in ara. Et vix tandem illuc delabitur, vt excusari id posse in reginæ persona concedat, quæ soluta videlicet legibus esset. O hominem acutum! absque quo esset, dicta Virgilio iam dies apud Pontifices erat. Sed enim ille ineptè. Cùm in *Ratio bibendi.* omni libatione sollenne antiquis fuerit vt ex patera leuiter vini aliquid defunderent vel in mensam, vel in terram, vel quemquem alium locum pro re nata. De terra, Virg. V.

——— *duo ritè merò libans Carchesia Baccho*
Fundit humi.

Alibi de mari,

——— *extáque salsos*
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Seruasse hoc priuatim Romanos discimus ex Dione Cassio, qui tradit in multa copia honorum Augusti, etiam hoc decretum, vt per Genium eius vulgò iurarent, & in conuiuiis omnibus pro salute eius libarent. Exprimit hunc ritum libandi optimè anus illa multibiba apud Plautum Curculione, quæ vini quiddam defundens,

Venus, inquit, de paullo paullulum hoc tibi dabo
Haut libenter: nam tibi amantes propinantes
Vinum potantes dant omnes, mihi haud sæpe
Eueniunt tales hereditates.

Ergo vt amatores Veneri, bellatores Marti: quid ni item nos nouem Virginum alumni, Musis & Apollini studiorum præsidi ritè libemus?

De nominandis inter bibendum amicis.

Sequitur caput VII. quod libertatem inter æquales constituit, & dominam aut amicam nominari vult, & in eius nomen vndecimum cyathum permittit. Et assurgens Deinius, Palámne nominari? inquit. Propalàm, inquit Carrio. Meámne amicam? inquit Deinius. En alterum Lycurgum nobis: & quidem vt ille in palestra ad Eurotam nudari virgines voluit, sic iste in conuiuio amores. Sed egóne vt huic legi tuæ paream? non per oculos istos (& simul tãgebat oculos) ne si decem quidem Iustiniani hoc rogassent & perrogassent. Clemẽter Deini, inquit Carrio:

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid enim si hoc à patribus est? Ne si ab auis quidem, inquit Deinius. Quid si à Græcis & Romanis? ait Carrio. Adde à Persis & Medis quoque, inquit Deinius. nugas agis. Nam ego quidē hoc caput antiquo. Hic ego subridens, Deinius noster fortasse eiusmodi amores habet, quales Septimius ille apud Catullum: vt caussa illi sit cur eos tam studiosè nos celet. Sed tu Magister perge suadere quæso, & si quidem hoc ab antiquis est, meum iam punctum habeto. Est verò Lipsi, inquit Carrio, eiusque testem dabo Theocritum, Eid. XIV.

Ἡδὴ δὲ φροίοντος ἔδοξ' ἐπιχείθη ἄκρατον
Ὥ τινος ἤθελ' ἕκαστος· ἔδει μόνον ὥ τινος εἰπεῖν.

& Eid. II.

—— ἀλὲν ἔρωτος
Ἀκράτῳ ἐπεχείτο.

Renidens Deinius, Hoc erat mehercle, inquit, Græculis auctoribus ad has ineptias veniendum erat, quas Romana grauitas longè à se spreuit. Quippe ô bone inquit Carrio, Horatius tibi gentem mutabit, cuius versus esse scibis,

Horatius explicatus.

Vultis seueri me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.

Et Tibullus. Quid delicium illud poëtæ Tibullus?

Sed, Bene Mesallam, sua quisque ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.

Horatius iterum,

Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ.

Hic vinum Murenæ, non'ne ita dixit vt ille Siculus οἶνον Ερωτος? Plautus Sticho,

Et Plautus. *Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium.*

Ita enim loquebantur concisè, pro eo quod esset, Bene vos viuere precor, bene valere. Quin & illud vsurpabant, vt in honorem amici aut amicæ tot cyathos biberent, quot litteræ in eo nomine essent. Martial.

Næuia sex cyathis, septem Iustina bibatur.

& lib. IX.

Martialis Epigramma explicatum.

Nunc mihi dic quis erit, cui, te Calatisse, deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, vt sit
Qui posuit sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da suauia, fiat vt illud
Victor ab Odrysio quod Deus ore tulit.

Cyathorum, rosarum, basiorum numerus respondet his tribus nominibus, *Cæsar Domitianus Delmaticus.* Et quid iam Deini? verone vici nō magis Græcos hunc morem frequentasse quàm nostros? Nisi quid tu aliter habes dicere. Et Deinio reticente: Deinius, inquam ego, iam labascit, & videtur vnà mecum digitum posse tollere. Perge modò.

Iterumque Carrio. IX. caput, X. & XI. temperati conuiuium iocis & dictis volunt: qui cùm velut sal reliquæ vitæ sint, tum in mensa & vino propriè habitant. Hactenus tamen, vt in illis lasciuia vitetur, acerbitas in istis.

XII. & XIII. sanciunt vt epoto poculo ζήτημα aliquod litterarium proponatur, deque eo modicè & minimè anxiè disceptetur. Eiusmodi sermones in conuiuiis agitari & Varro in Satyris Menippæis præcepit: & præiuerunt nobis in hoc Plato & Xenophon, quibus auctoribus non hęc tantùm amœniora studia, sed ipsam philosophiam, tam castam & verecundam virginem, in conuiuium fas sit deducere.

Postrema capita, de silentio quod mensæ debetur, constituunt. Quod silentium Angerona Dea (alij etymon secuti Angenoram appellant) digito ad os admoto Romanis significat, Harpocrates Græcis. Duobus enim locis Mysteriorum religio est, in mensa & in thoro. Et vt concludam cum illo Venusino,

Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub isdem
Sit trabibus, fragilémque mecum
Soluat fasselum.

Explicata lex est: vos Quirites velitis iubeatisne eam latam esse? Vti rogasti, inquam ego. Ergo in eam more maiorum iurate, inquit Carrio, & deinde in æs incidite. Potius, inquit Deinius, quàm Metellum Numidicum imiter, & vt ille de vrbe, sic ego de hoc conuiuio secedam, iurabo. Quoniam ita est, inquit Carrio, audite Quirites, audiat ius, audiat fas. Hæc lex ita vti lingua nuncupaui & vti me dixisse sentio, rata in crastinam diurnam stellam, & sancta esto: qui ei derogarit, obrogarit, abrogaritve, illum à Musarum cœtu, & ab elegantium hominum conuentu sic reiici volo optoque, vt ego eiicio has reliquias vini. Ac cùm vehementius effudisset, sic vt resonaret: An Homerum somnias Carrio, inquam, apud quem post fœdus illud pactum inter Græcos & Troianos, quispiam sic loquitur,

Ὅππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν
Ὣδ' ἐσφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος,
Αὐτῶν καὶ τεκέων.

Quid sit cottabum facere.

Mihi quidem Homerus in mente non erat, inquit, sed id feci meminens moris Græci, qui solent reliquias vini arte quadam in terram elidere vt redderent sonum, idque κοτταβίζειν vocabant. Tum ego, Quin & Latini, Magister, idem vsurparunt, atque hinc Horatius scripsit,

Horatius & Plinius explicati.

Absumet heres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinguet pauimentum superbo
Pontificum potiore cœnis.

Idem Plinius voluit in laudando nobili illo potore Tricongio, quem ait: *Optima fide bibisse, nihilque ad elidendum in pauimento sonum ex vino reliquisse.* Bene iuuas, inquit Carrio, & quanquam perrogata lege, placétne

hoc quasi corollarium adiici? *Qui biberit, ex reliquiis peritè cottabum facito.* Occupans Deinius, Non placet verò, inquit, nolumus hanc fenestram ad fraudem. Siculi habeant suum cottabum, nos Romana simplicitate bibemus. Vt vultis, inquit Carrio: tu modò puer porge vinum, iam pænè irrausi. Allata patera, eduxit sitiens, & cùm mihi impletam traderet: Deinio potius, inquam. Minimè, inquit Carrio. nam ne hoc quidem temerarium est vt à dextra ordiar. Vt enim in veneratione Deorum dextrouorsum circumagi solent, ita in hac quasi sacra sympoſi, moris fuit pateram in dextrum circumferre.

Pocula in dextrum circumferri solita.

Iliad. α.

Μειδήσασα δὲ παιδὸς ἑὸν δέξατο χειρὶ κύπελλον·
Αὐτὰρ ὃ τοῖς ἄλλοισι θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν
Ωνοχόει γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων.

Et in Epigrammate,

Παῖς δ' ἀποπεμπούσῃ προπόσεις τ' ἐπὶ δέξιον ὦμον.

Ausonius ad hunc ritum capiendus Epistol. IX.

Vt solitum, quoties dextræ inuitatio mensæ
Solicitat lenem comi sermone Lyæum.

Mensæ secundæ.

O magnum hominem! inquam ego, & de quo hodie multo plura didicerim quàm de mille philosophis barbatis. Inter hos sermones puer me admonuit de mensis secundis: quas cùm hortensi ferè apparatu attulisset, En vobis horti opes, dapes inemptas, inquam, & tenues: sed tamen vt memini me olim scribere in laudem vitæ rusticæ,

Has inter epulas litteratum si mihi
Fortuna conuiuam duit:
Non me Syracusana fercla iuuerint
Magísue Apicij dapes,
Neque catamiti nectar oblatum manu
Iniuerit ventrem meum
Iucundius, quàm melo si vepallidus
Detur meæ cænæ caput,
Vel Cynara tristis, Italæ've brassicæ
Belgis meis flos insolens.

Atque adeò ecce vobis vtrumque Delicium meum & Melonem, & Brassicam Floridam, vt vulgò vocamus. Verè dixisti Delicium tuum, inquit Carrio. Nam herclè nulla mater tam anxiè vnicam prolem suam habuit, quàm tu melones istos. Hoc studium meum est, inquam, vel si placet, morbus: sed omitte ista, sodes, & quoniam Seruius ait antiquis duas mensas fuisse, vnam epularum, alteram poculorum, iámne tempus videtur vt Plautum audiamus, qui iubet,

——— *manu candida Cantharum dulciferum*
Propinare suauissima amicitia, neque esse alium alij
Odio, nec molestis sermonibus nec morologis vti?

Pocula coronari solita in mensis secundis.

Haut malè mones, inquit Carrio. Atq. adeò, heus puer, huc ex horto coronas. Quid facturus? inquam ego. Quippe ex more veteri, inquit, huic pateræ coronam impositurus. Sic enim in secundis mensis apud Virgil.

Crateras

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

& alio loco,

Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, impleuitque mero.

Tibullus item, cuius locum recitabo vt emendandum arbitror,

Tibullus emẽdatus.

Tunc operata Deo pubes discumbet in herba
Arboris antiquæ quà leuis vmbra cadit:
Aut è veste sua tendet vmbracula, sertis
Vincta, coronatus stabit & ipse calix.

Sic enim libri aliquot vetusti, non vt vulgò, *Aut è veste sacris tendent:* & verò Tibullus dicit pubem redimitam sertis fuisse, non vmbracula ipsa. Di approbent, inquit Deinius: habemus hominem ad conuiuiorum ritus explicandos vnicum. Sed placétne ex eodem more etiam coronas nostro capiti? Apage, inquit Carrio, ebrietatis hoc fuit, non elegantiæ. Meminístin' Plautinum senem admirantem quærere?

——— *quid ego video?*
PS. *Cum corona ebrium Pseudolum tuum.*

Coronæ ebrietatis indicium.

Et in comœdiis semper ebrij coronati inducuntur. Itaque Plauti illud Amphitruone,

Ibo intrò, capiam ornatum qui potius decet.

Plautus correctus.

emendandum te doceo, *qui potis decet.* Quippe iam antè dixerat Mercurius,

Capiam coronam mî in caput, assimulabo med esse ebrium.

Propertius de sua ebriola Cynthia,

Cùm tua præpendent demissæ in pocula sertæ,
Et mea deducta carmina voce legis.

Antiquos Serta, Sertas, & Sertos promiscuè dixisse.

Hîc Deinius repetens illud *Demissæ sertæ*, Sciénsne peccas Magister? inquit: an fugit hoc verbum ab ore tuo? Nam aliter, vide ne dica tibi apud Prætorem grammaticorum scribatur violatæ Latinitatis. Mediatè verò dixi, inquit Carrio, & eius lectionis auctorem habeo Charisium lib. I. qui promiscuè & Serta & Sertas antiquos vsitasse confirmat. Producit exemplum Corn. Seueri,

Huc ades Aonia crinem circumdate serta.

Tum ego, Seruius etiam Deini notauit ad illud Virgil.

——— *sertísque recentibus halant,*

veteribus & Serta & Sertos & Sertas dictum fuisse, sic tamen vt cùm Sertos dicerent, flores intelligerent, cùm Sertas, coronas. Ex his videor posse Plinij locum tentatum ab aliis corrigere lib. XXI.

Plinius emendatus.

Vocabulum tardè communicatum est, inter sacra tantum & bellicos honores coronis nomen suum vindicantibus. Cùm verò è floribus fierent serta, à serendo seruiæ appellabantur.

Nam vetus scriptura concipitur, *à serendo seriue*, Lego littera addita, *serta à serendo sertiue.* Hoc dicit, cùm coronæ olim è floribus fierent, non tamen coronas dictas, sed Serta aut Sertos, ab eo quod sererentur. Turnebo placebat, *à serendo satiuæ.* quod audacter improbo, quia & ipse timidè probat. Et Carrio, Ne Musæ mihi velint, inquit, nisi istud tu Ipsi acutè. sed licétne quærere? Pol! etiam iubere Dictator, inquam. Ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

feratur quæso Plinij exemplar, inquit. Et allato, Amabo te Lipsi, quoniam de coronis agimus, ecquid habes super isto Plinij loco dicere, eodem libro XXI?

Plinij obscurus locus emendatus.

Apud nos huius licentiæ exemplum non est aliud quàm filia D. Augusti, cuius luxuria noctibus coronatum Marsyam litteræ illius Dei gemunt.

Nam Marsyas quis sit, equidem scio, qui cum Apolline de cantu certauit. statuam etiam eius Romano in foro fuisse, vbi causse agerentur, scio. De qua Horat. *non solicitus mihi quod cras*

Surgendum sit manè, obeundus Marsya.

Et Martial.

Ipse potest fieri Marsya causidicus.

Sed quid iste ad luxuriam Iuliæ? aut cur ab ea coronatus? Respondi ego, An tu me Carrio scholas habere putas, & de qualibet re posita more Græco posse dicere? Sed tamen Plinij locum de quo quæris, sic quasi per nebulam videor intelligere. Quid Marsya ad luxuriam Iuliæ? inquis. Dicam. Marsyæ statuam in celeberrima fori parte fuisse rectè autumas. Forum autem Ro. ea ætate nocturnis stupris infame. Itaque sicut propudium illud fœminæ Messalina, noctu ad cellas meretricias furtim commeans, cymbam suam probè onerabat: ita puto hanc Iuliam nocturnam forum Ro. frequentasse, & ad statuam eius Marsyæ ignotis admissariis promiscuè libidinem suam explesse. Testem facio Senecam, De Beneficiis lib. VI. Lege tu puer hûc locum. *Augustus flagitia principalis domus in publicum emisit, admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus vrbem, forum ipsum ac rostra ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse, cotidianum ad Marsyam concursum, cùm ex adultera in quæstuariam versa, ius omnis licentiæ sub ignoto adultero peteret.*

Seneca explicatus.

Ex quibus postremis apparet eam, vt publici iuris scortillum etiam ex libidine quæstum fecisse & æra popposcisse. Et paullulum hîc reticente me, Neque nihil dicis, inquit Carrio, nec tamen omnia. Nam ista nihildum ad coronas. Mane paulisper, inquam, dum vngues mordeo. De coronis sic puto. Vt milites exauctorati arma sua ad Martis, gladiatores rude donati ad Herculis ponebant: ita arbitror & comessatores, & puellas etiam illas quæ Veneri militarent, languidas corollas demtas suo capiti Deo cuipiam in munus dedisse. De comessatoribus, præclarus locus in Diogene Laertio in Xenocrate: quem, scribit: χρυσῷ στεφάνῳ τιμηθέντα ἐπ' ἀθλῳ πολυποσίας τοῖς κατασχοῦσι παρὰ Διονυσίῳ ἐξιόντα θεῖναι πρὸς τὸν ἱδρυμένον Ερμῆν, ἔνθαπερ καὶ τοὺς ἀνθίνους τιθέναι εἰώθεσαν. Et de puellis, argumento sunt versus Plauti Asinaria,

Meretrices cur statuas coronarint.

Plautus explicatus.

Tum si coronas, serta, vnguenta iusserit
Ancillam ferre suam Veneri aut Cupidini,
Tuus seruus seruet Veneri eas det an viro.

Hoc amplius seruasse meretriculas puto (liceat enim aliquid liberius in ioco & vino) vt quotiens pensum absoluissent, aut vt Propertius loquitur, quot itinera nocte vna confecissent, tot corollas ludicro cuipiam & minorum gentium Deo donarent, puta Trephallo, Marsyæ, Hermæ, talibus. Sic votum est in Carmine libero,

Quæ

Quæ si contigerit fruenda nobis,
Totam comparibus Priape nostris
Cingemus tibi mentulam coronis.
Quæ quot nocte viros peregit vna
Tot Verpas tibi dedicat salignas.

& ibidem,

E Carmine libero quædam interpretata.

Vt hinc videatur esse illud Plinij censoria grauitate Iuliam increpantis, quæ vt luxuriæ suæ noctes innotescerent, non dubitarit Marsyam coronare in celeberrima parte vrbis. Sed iam mecastor erubui: age tu puer ocius huc coronam & vinum. Attulit ille corollam plexam ex flore Veneris, qua cùm pateram induissem, Hunc, inquam, florem Liberi amicissimo Deinio & propitiis Musis. Bene viuas, inquit Deinius. Sustinens ego me à bibendo, Et quid hoc responsi noui? inquam. Ita Romani, inquit, inter bibendum precari cuipiam soliti sunt. Huic rei testis Dionis abbreuiator in Commodo. qui scribit Commodum in theatro feras conficientem pulcherrimæ fœminæ manu poculum vini accepisse, & cùm biberet, populum cum Senatu acclamasse τὸ ἐν τοῖς συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι, Ζήσειας. Sic enim Græcè scripsit, cùm exprimere, vt opinor, Latinum illud vellet, Bene viuas, aut Viuas. Talis ea Suidæ nota: Ζήσειας, ἐν τῷ ἀμυχῇ: *Viuas, cùm aliquis vno spiritu educit.* Hoc hodie primum disco, inquam. Et subinde cùm ebibissem, poculumque transferre ad Deinium vellem: assurgens Carrio, Minimè gentium, inquit. Túne vt legem nostram adhuc virginem per vim violes? Ego admirans, Deus bone! violem? inquam. Pax sit legi Iuliæ. Quale est istuc? Quia enim, inquit, educto cyatho zetema aliquod ex lege proponendum fuit. Hui! inquam, Vide sis vt hæc lex in vino scripta est. nam ita me ille Diespiter, vt ista mihi exciderant. Parebitur tamen. Et paulisper meditatus, Quoniam, inquam, ex lege facetum aliquid minimeq; anxium ponēdum est: quæro Quid Fratris & Sororis vocabula antiquis designarint. Ridens Deinius, En mehercle Archimedæa quæstio. quasi hoc nesciuerimus priusquā Theognis nasceretur, vt ait Lucillius. At bona verba Deini, inquam. Nam aliud quiddā ab illo vulgato in mente habeo. Frater & Soror, inter lasciua & ἐρωτικὰ sunt. Admirantibus illis. Sic, inquam, vt puellæ eos quibuscum solitæ essent, & vt propriè loquar, quibus dare consueuissent, Fratres vocarent: & contra Amatores suam comparem cum qua caput limarent, Sororem. Cauete aliter Tibulliana illa acceperitis,

Meadus respondendi inter bibendum, aut propinandum. Dio explicatus.

Quid Frater & Soror significarint antiquis.

Hæc tibi vir quondam nunc frater casta Neæra
Mittit, & accipias munera parua rogat.
Téque suis iurat caram magis esse medullis,
Siue sibi Coniunx siue futura Soror:
Sed potius Coniunx, huius spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

Tibullus explicatus.

Hoc dicit. Hæc tibi mittit Tibullus ille olim futurus tibi legitimus vir, nunc tantùm Amator & Frater. Ita sententiam esse, paratus sum, *Ex animi mei sententia*, iurare. Interpellans Deinius, De iuramento, inquit, facimus gratiam: verumtamen scisne aliter visum elegantissimo Mureto? Scio, inquam: sed secundùm antiquos, si placet, hanc litem demus. Apud

Senecam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Seneca poëta explicatus.

Senecam, Phædra cùm amoris sui indicium verecundè vellet facere,

Matris superbum est nomen & nimium potens,
Nostros humilius nomen affectus decet:
Me vel Sororem Hippolyte vel famulam voca.

non'ne perspicuè in Sororis nomine latebras quæsiuit, cùm Hippolyti amicam se vellet dicere? Prodeat & testis Petronius, in cuius amœnissimis Satyris amplius viginti locis Gyton quidam Frater Olenij nominatur, qui non reapse illi frater erat, πολλῶν γε καὶ δεῖ: sed pullipremoni illi, vt Latinè loquar, officium præstabat, & noctu pro culcitella erat. Patet id ex nequissimæ mulierculæ arguta epistola, *Si vis sanus esse, Gytona roga: recipies inquam neruos tuos, si triduo sine fratre dormieris.* Huius rei

Et Petronius.

Petronius correctus.

inscientia corrupit eiusdem Petronij elegantem locum, quem à me licebit restituas,

Si non fastidis fœminam ornatam, & hoc primum anno virũ expertam, consilio tibi ô iuuenis Sororem. Habes & tu quidem Fratrem, neque enim me piguit quærere, sed quid prohibet & Sororem adoptare eodem gradu veniæ?

Nam vulgati mirificè turbant. Ecce autem cupit illa Circe huic nouo Vlyssi pro Sorore esse. quid hoc est? Ita, inquit, vt Gyton tibi pro Fratre est. Dic quæso clarius. Gyton ille, inquit, *sine quo non potes viuere, ex cuius osculo pendes, quem sic tu amas, quemadmodum ego te volo.* Addam his supernumerarium testem poëtam Hispanum, cuius verecũdiam magis quàm argutias desideremus.

Martialis explicatus.

O quàm blandus es Ammiane matri!
Quàm blanda est tibi mater Ammiane!
Fratrem te vocat, & Soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?
Lusum creditis hoc iocũmque? non est.
Mater quæ cupit esse se Sororem
Nec Matrem iuuat esse nec Sororem.

Lepos huius Epigrammatis in hac significatione est quam dixi. Sicut & illius in hominem mollem,

Quare desine me vocare Fratrem,
Ne te Carmenion vocem Sororem.

Id est, Amicam. Sed & amici ipsi inter sese vocabant Fratres. Quinctilianus in Declam. cccxxi. *Certè quoties blandiri volumus his qui esse amici videntur, nulla adulatio præcedere vltra hoc nomen potest, quàm vt Fratres vocemus.* Conticui. Et Carrio, Auditis, inquit, testibus, labor vt secundum te Lipsi pronunciem: sed quoniam post occasum Solem iudicare leges Rom. vetant, diffindi diem, & ampliari hoc iudicium placet. Non repugno, inquam, si prius à te cauero ampliùs eo nomine neminem, cuius petitio sit, zetema me petiturum. Istuc quidem repromitto, inquit Carrio. Nunc tu Deini ades ad imperandum, vt maiores loquebantur, & hunc à Lipsio cyathum cape. Tuæ vices sunt bibendi & dicendi. Tum Deinius, Vellem Dictator de quæstione Tironi mihi fieri gratiam, cui ad dicendum desunt illa duo quæ Isocrati, φωνὴ καὶ τόλμη. Delicias hominis! inquit Carrio: quasi hic Lipsius ignoret, apud Nymphas tuas alterum istorum

istorum tibi non deesse, alterum etiam superesse. Hau! tacuisse mallem, inquit Deinius. Et postilla cùm bibisset, leni manu pomum adpositum contractans, Vultis aliquid quod in solum mihi venerit? inquit. Hoc tis esse, Quæro quid antiquis Poma significarint. Ego arridens, Hoc quidem Corydon aliquis melius explicauerit, inquam: tu sal & vrbanitas hominis, quin ex lege amœnum aliquid & vrbanum queris? An non hoc tale est? inquit ille: quando Poma quiddam vsque eò vrbanum & vernile antiquis signarunt, vt id apud seuerioris notæ homines promere nemo audeat. Dic quæsò clarius, inquam ego. Si hic Magister morum permittit, inquit, (Carrionem designabat) dicam. Coleos illos non Lanuuinos sed Cliterninos, Poma dixerunt. Pax! inquam ego, honorem mensæ. At tu ne tam apertè poposcisses, inquit, ego me tibi non offerebam. Ita Propertius vsurpauit lib. 1. cùm ad Cynthiam suam ebrius visum venisset,

Pomi verbum inter obscœna antiquos.

Propertius explicatus.

Et modò gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiua cauis poma dabam manibus.

Quæ alia existimatis hæc furtiua poma, nisi illa de quibus in Carmine libero est?

Qualibus Hippomanes rapuit Schœneïda pomis,
Qualibus Hesperidum nobilis hortus erat:
Qualia credibile est spatiantem rure paterno
Nausicaam pleno sæpe tulisse sinu:
Quale fuit malum quod littera pinxit Aconti,
Qua lecta cupido pacta puella viro est:
Taliacumque puer dominus florentis agelli
Imposuit mensæ nude Priape tuæ.

Nam in turpicula hac quam dico allegoria, omnis lepos Epigrammatis eius. Est inter Phallica aliud Epigramma, quod hactenus pro ænigmate Sphyngis fuit, cui ego OEdipus accedam,

Epigramma è Carmine libero restitutum.

Quod mouear non est, quia si furaberis ipse
Grandia mala, tibi mala dabo βραχέα.

Ita enim leg. censeo, & per grandia poma, hortensia illa intellego: per βραχέα, ista minuta de quibus loquor, qualia Catullo teste fuerunt quæ puellæ pernici zonam soluerunt. Eaq; daturum se furi Priapus minatur. Nam quod alij, Mala dare, prima breui intellegunt, quasi dixerit, malè tibi faciam: ariolantur. Neque vsquam Deus hortorum viris aut puellis malum cruciatum interminari solet, sed quiddam libidinosum, & pœnam non pœnam. Lusisse in eodem Plautus videtur Amphitruone,

Plautus explicatus.

Enimuerò prægnati oportet & malum & malum dari,
Vt sit quod obrodat si animo malè esse occœperit.

Ambiguè enim Sosia vel malum Punicum intellexit quod in prægnatium malacia expeti solere Plinius prodidit: vel illud malum quod ceteroqui fœminarum fastidiis paullo efficacius mederi solet. Quale fuit quod apud Virgilium lasciua Galathea, apud Theocritum Cleariста sibi voluerunt, cùm pastorem malo peterent. Ex quo Græcis prouerbij loco μηλοβολεῖν, id est ad Venerem allicere. Scholiastes Aristophanis: μηλοβολεῖν

Universidad de Deusto
Biblioteca

λεῖν ἔλεγον τὸ εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν. ἐπεὶ καὶ τὸ μῆλον Ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερόν.

Propertius explicatus. Hinc iam liquebit de sententia illorum versuum Propertij,

Quamuis Ida Parin pastorem dicat amasse,
Atque inter pecudes accubuisse Deam:
Hoc & Hamadryadum spectauit turba sororum,
Sileníque senes & pater ipse chori.
Cum quibus Idæo legisti poma sub antro,
Supposita excipiens Naïca dona manu.

Quid sit poma legere. Legere enim poma, non aliud est quàm facere illud quod Propertius cum sua Cynthia, Catullus cum Lesbia solent. O te hominem argutè malum! inquam ego. Mihi enim, qui in eo poëta assiduus sum, numquam istud suspicari in mentem venit. At tu, inquit, Seruium accusa, qui mihi ad hanc malitiam præiuit. Nam in illud Virgilij,

Virgilius explicatus. *Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,*

studiosè adnotat, iis verbis poëtam rem obscœnam verecundè velasse, quam Theocritus expressérit liberius. Nec aliud significare illo Epigrammate custos hortorum voluit,

Carmen liberum explicatum. *Rusticus incultè siquid dixisse videbor:*
Da veniam, libros non lego, poma lego.

Simile est apud Catullum Legere olera, apud Ciceronem Legere nuces. Quæ omnia sumpta ab hortis sunt, & ideo tralata ad rem voluptatum, quòd antiqui partes illas inuerecundas Hortum vocarent, aut Saltum. In Phallicis,

Quod meus hortus habet sumas impunè licebit,
Si dederis nobis quod tuus hortus habet.

Idem Græcis est κῆπος. idque Hesychius interpretatur τὸ ἐφήβειον γυναικεῖον. De Saltu, Plautus Cassina,

Vbi illum saltum video obseptum, rogo vt altero sinat ire.

Illum saltum, id est naturam muliebrem. Sed iam parui legi. Nunc ad te Magister, (inquiebat conuersus ad Carrionem) vt ordo postulat, & pateram hanc transferam, & vices sermonis. Tum ego, Túne vt parueris legi? nihil vidi magis, cui meritissimò iam diem dicam apud Censores prostituti pudoris, & apud hunc dictatorem violatæ legis. Age amator in ius ambula. Non ambulo verò, inquit Deinius. Licet antestari? inquam. Et cùm more antiquo auriculam Carrionis prehendissem antestandi caussa: exclamat Deinius, Non licet: quas tu, malum, nugas agis? An non ex lege facetum aliquid proponendum erat? Hoc est mehercle, inquam. Tu facetus, venustus, nepotulus Venerius, qui ea dixeris quæ vtrique nostrûm colorem immutarint. Et nónne caput x. legis Dictatoriæ hanc verborum licentiam satis disertè vetabat? At crede hoc meæ fidei, non ita hæc res abibit. Inter hos sermones cùm Deinius leuiter in bilem, nos in risum vertissemus: accurrit puer nuncians F. Martinium, æqualem nostrum, in ipsis Gratiarum manibus doctum & eductum adolescétem, adfuisse prę foribus, & Deinio, officij caussa voluisse gratulari aduentum. Ego commotior, Martiniúsne noster? inquam. O furcifer! si Iupiter nunc te rapiat, non eripiet ab infortunio. quin tu eum intrare iussisti?

Quippe

Quippe licet, inquit puer: adesse volui dicere. Abi numerò, inquam, & cum quantum potest, adduc, adfer, rape. Nisi quidem ille valentior sit, inquit puer. Suscipit Carrio, Martinij aduentus vt video, hunc Deinium iudicio eripuit: aliter, nunquâ Plautinus ille miles deprensus tam magno periculo apud Periplectomenum fuit, quàm iste apud tribunal meum. Nec tamen absolui reum placet, sed ex more Augurum, *Alio die*, pronunciemus. Introductus iam erat Martinius, & cum illi inter se familiarifactum, inquam, quòd Fortuna huiusce diei nõ paullò maturius te adduxerit. Nam, inquit interpellans Deinius, quæ tu ex Lipsio isto, quæ ex Carrione audiuisses! quot tibi venissent gaudia! Liquet mihi deierare, in vita nũquam tam pulchrè tibi fuisset. Tum ille, An me parasiti personam sumere vultis, & inuocatum adesse in conuiuio? Quanquam de aduentu tuo Deini scissem modò, non refugissem hanc notam, ne si audire quidem debuissem quod illi sodales Catulli. Apud hũc Lipsium enim licere tantum mihi arbitror. Licet verò, Martini, inquã, & semper licebit. Hoc tamẽ opportunè quod reliquiarum aliquid supereſt, & transactis nostris partibus Carrionem licebit audias de quęstione aliqua (sic lex huius conuiuij fuit) disserentem. Cùm surrexisset Carrio, Mane Lipsi, inquit:

Τὰς δ' ἄλλας ἐράνιζ', ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας:

& vidésne vt hic Hesperus nos moneat de discessu? Quid Hesperus? inquam ego, eiusmodi Endymiones Luna deducet. Sedete modò. Hac lege, inquit Carrio, cras singuli ad me vt promittatis; tum hac vespera de litteris silentium sit, meaque quæstio in crastinum quasi comperendinetur. Cumque nos id vultu non nolle significassemus: solus Martinius, Vellem vt vultis, inquit, sed enim aliò promisi. Ad alium licebit renuncies, inquam ego. Et cùm Carrio ad aurem mihi ridens accessisset, & quiddam insusurrasset: Ita, ita, inquam ego: ante discessum legibus conuiuij nostri satisfieri volo: vndecimus cyathus huic Deinio bibẽdus est, & Domina appellanda. Tum Deinius, Quæ hæc conspiratio est? an id agitis vt vino me deponatis? Quid tum? inquam. nempe tibi madido à me corona & lampas erit. Itaque cùm cyathum accepisset, paullulumq; ex eo in mensam libasset, Bene me, bene vos, bene meam Lauram, inquit. Et post eum haustum in hilaritatem effusior addidit hos versus,

Este procul curæ, durum genus, este labores,
Tristis vita meo non facit ingenio.
Me iuuet è dominæ vultu pendere supinum,
Et blandis oculos pascere imaginibus:
Me iuuet impositos mecum languescere flores:
Tu puer huc plenis adde merum cyathis.
Ter tibi sancte puer, tibi ter fit mater Amorum,
Bis tibi ter casto fit mea Laura mero.
Qualis si vitæ ratio mortalibus esset
Incinctis viridi molle caput strophio,
Non ferrum, non arma essent: nec corde micanti
Audisset trepidas pallida virgo tubas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec totiens propriis à ciuibus oppugnata
Soluisset crines Gallia mœsta suos.
At tu, si sapis, hos fructus decerpere vitæ
Elige, & austeris pone modum studiis.
Nam veluti à tenera rosa virgine delibata
Languida collapsis deseritur foliis:
Sic nobis dubiæ rapiuntur gaudia vitæ:
Lipsi cras serum est viuere, viue hodie.

Atque illo finiente, Carrio admirans, Prô Ceres, inquit, tuam fidem! Ebrius es Deini? an furore correptus? an vtrumque? qui sic versus effundis, vt nunquam tale aliquid in Apollinis antro Sibulla. Sed Deinius nihil illum moratus cyathum mihi porrigens & corollam, Accipe Lipsi, inquit, & vtere eâdem libertate qua tibi præiui. Quid fastidis? Age siquid agis. Hem! inquam ego. Etiámne bibam cũ corolla? Sed cedo sanè. Bene mihi, bene vobis, bene Mineruæ meæ. Addidi deinde hos versus,

Este procul Nymphæ, fallax genus, este puellæ,
Vita soluta meo non facit ingenio:
Me iuuet in priscis positum palescere chartis,
Et variis animum pascere ab historiis:
Me iuuet adpositos mecum languescere lychnos.
Tu puer huc plenis funde merum cyathis.
Ter tibi Calliope, tibi ter fit præses Apollo,
Bis tibi ter puro pura Minerua mero.
Qualis si vitæ cursus mortalibus iret,
Incinctis lauri triste caput foliis,
Non crimen, non noxæ essent: & fraude remotæ
Simplicitas niueis prisca triumphet equis.
Externis totiens nec ab artibus expugnata
Soluisset zonam credula virgo suam.
At, tu si sapis, his curis impendere vitam
Appropera, & leuibus pone modum studiis.
Nam velut hæc folia aridulam spreuere corollam,
Quæ temerè in mensam lapsa natare vides:
Sic nobis dubiæ labuntur tempora vitæ;
Deini, cras serum est discere, disce hodie.

Et conuersus ad Carrionem, habes Dictator, inquam, Amœbæum carmen: quod si placet, tene cyathum cum corolla, & vtere exemplo. Ain seriò Lipsi? inquit. ego nominem amicam? Quippini, inquit Deinius, iubente lege. At mi homo, inquit renidens Carrio, scisne Imperatorem veteri SC. solutum esse legibus? Os hominis! inquit Deinius. Facta inante gratia de quæstione est, nunc etiam de amica? Non fiet Carrio: me vide. Et si tu Cęsar es, Catonem inueniſti. Respõdere parabat Carrio, cùm intercedens ego iure potestatis Tribuniciæ, Ne grauare, inquam: vnius cyathi res est. Cùm accepisset igitur, Hunc supremum cyathum, inquit, libemus Dionysio & Somno. Et assurgens post haustum, addidit,

Καὶ σὺ μὲν ἕτω χαῖρε πολυσάφυλ' ὦ Διόνυσε,

Δὸς

Δὸς δ' ἡμᾶς χαίροντας ἐς ὥρας αὖθις ἰκέσθαι,
Ἐκ δ' αὖθ' ὠδῶν εἰς τὰς πολλὰς ἐνιαυτούς.

Sed iam eundum est. Salue tu Lipsi. Surrexit vnà cum Martinio Deinius. Et quid dicemus, inquit, nisi illud vetus?

—— ventum gaudeo ecastor ad te,
Ita hodie hîc accepti fuimus suauibus modis.

Hæc finis sermonum fuit, & ad se quisque discessit.

DEINII TVMVLVS.

Quis tumulus? Deini. quæ circùm hæc agmina? Musæ.
Quæ mulier? puris Simplicitas manibus.
Qui corpus? Charites. animum finxere? Lepôres.
Quis dedit in cineres tot bona? Parca dedit.
Musæ, Simplicitas, Charites, lugete Lepores,
Mortuus est vestro Deinius exitio.

MEMORIAE SACRVM.

A. DEINIO. N. VIRI CLARISSIMI. F.
I. SECVNDI. POETAE. VNICI. COGNATO
MORIBVS SANCTISSIMIS. ET
INGENIO. SVPRA. HOMINEM
PRAEDITO
AD. LITTERARVM. LAVDEM. NATO
HARVNDEM. AETERNO. DAMNO. DENATO
IVSTVS LIPSIVS
AMORIS ET AMICIT. C.
HVNC. TITVLVM. ET. TVMVLVM. P.
HVIC. MON. SIVE. SEPVLCRVM. EST. D. M. A.
HOSPES. MANES. MEOS. NE. LAEDE. VIVOS.
LAESI. NEMINEM.

S. T. T. L.

IVSTI

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVSTI LIPSI

ANTIQVARVM LECTIONVM

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Propertij Elegia De morte Corneliæ emendata.

CORNELIÆ Querelam apud Propertium percurram, & ex ea quædam illustrabo, alia emendabo.

Si cui fama fuit per auita tropæa decori,
Vera Numantinos regna loquuntur auos.

Quæ ista regna vera? Puto additalittera scribendum, *Versa Numantinos.* id est, Euersa. Ad Scipionem Aemilianum, qui Numantiam euertit, Cornelia genus refert.

Turpior assessu non erit vlla meo.

Quidam libri, *Tristior.* rectum vtrumque. Tabella damnatoria, turpis vel tristis dicta. Assessum vocat, quem alij Iudicum consessum.

Defleta & gemitu Cæsaris ossa mea.

Alieni hominis scriptura. Nã libri omnes, *Defensa & gemitu.* Ex quîs probarim, *Defusa &.* Defundi lacrymis, vt, Perfundi & suffundi apud Virgil.

Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat, & lacrymas vidimus ire Deo.

Colotianus liber,

Ille suam natam indignam vixisse sorore.

Vtra harum placet, (mihi quidem posterior magis) sed vtra harum, eandem tamen sententiam eliciendum est. Augustum videlicet recordatione flagitiorum Iuliæ, increpasse eam tacitum, quòd indigna vixisset sanctissima sorore Cornelia. Sed cur soror Iuliæ Cornelia? Ideò quia Scribonia primum maritum Cornelium Scipionem habuit, ex eoque Corneliam: tertium Octauianum Augustum, ex quo famosam Iuliam. Iulia igitur & Cornelia diuerso patre, ab eodem vtero fuerunt.

Te Lepide & te Paulle meum post fata leuamen.
Condita sunt vestro numina nostra sinu.

Fuluij & Mureti libri, *lumina vestra.* optimè. Oculos morientium à proximis claudi Romano ritu sollenne.

Filia tu speciem censuræ nacta paternæ.

Ineptè. Quomodo enim mulier speciem Censuræ gerat? Libri vet. *Specimen.* Itaque lego, *tu specimen censuræ nata paternæ.* Id est, quæ ita nata

nata es vt censuram patris tuis moribus exprimas.

——mihi cymba volenti
Soluitur, auecturis tot mea fata malis.

Libri duo, *Soluar iuncturis*; alij, *Soluitur iuncturis*: Colotianus, *Soluitur, haud vllis stant mea fata:* Vnus, *Soluit iuncturis.* Mihi aqua hæret. Nam illa Colotiana supposita lectio videtur.

CAPVT II.

Plauti Truculentus dimidiato versu augetur.

TRVCVLENTO cùm senex duas ancillas in vinclis haberet, vt certum exquireret de stupro oblato filiæ, in omnibus libris mutilati versus hi leguntur, Scena, Egóne tibi.

Callicles vide quæso homini ne facias iniuriam,
Reus solutus caussam dicit.*

quam lacunam explent Vaticani, sed corruptissimis verbis,

Caussam dicit tam estis victo satines. Ego emendo,

Caussam dicit, testes vinctos attines. præclarè, & cui correctioni firmandæ verbum faciendum non est. Erroris caussa in libris fuit, *Testis.* Ita enim sæpe scriptum repperi, pro Testis. Nihil igitur caussæ est, quin hic versus, qui anteà miserè claudus arcebatur à sacris Romanorum, iamnunc à Pontificum collegio integer & sanus iudicetur.

CAPVT III.

De Ciceronis locis duobus Oratione De aruspicum responsis leuis coniectura.

HOC capite præmittere placet versum illum Plauti,

Capillum promittam optimum est, incipiámque ariolari.

Nam hîc quidem nihil nisi leuiter & incerto animo diuinabo: arbitrium penes lectorem relinquam.

Cicero De arusp. resp.

An si ludius constitit, aut tibicen repentè conticuit, aut puer ille Patrimus & Matrimus; si terram non tenuit, aut tensam aut lorum omisit, aut si Aedilis verbo aut si nutu aberrauit, ludi sunt non ritè facti, &c.

Libri plerique veteres, *verbo aut symbolo aberrauit,* referunt. Ex quo fecerim, *Simpulo.* Quod omnino ex Arnobio firmatur locum hunc æmulante lib. IIII. *In cerimoniis vestris, inquit, rebúsque diuinis, postulationibus locus est, piaculis. dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiæ lapsum aut in verbo quispiam aut sympinio deerrarit. aut si ludicrum constitit, aut tibicen repentè conticuit: aut si patrimus qui ille vocitatur puer, omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit.* Nam quod Sympinio in Arnobio est: scire licet ambiguam in libris esse scriptionem, & passim *Simpinium, Simpuuium, Simpulum,* scribi. In sacrificiis autem publicis, siue Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus siue Dea esset, vinum à magistratu dari solet. Varro IV. de L. L. de Patera loquens, *Et in sacrificando hoc poculo magistratus dat Deo vinum.* In hunc vsum fuisse Simpulum siue Simpuuium docet idem Varro περὶ μέθης. *Non'ne vides ipsos Deos, siquando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana, & tamen tum illi ipsi Libero simpulo vina dari?* Ita enim hæc corrigenda censeo apud Nonium, Simpuuium.

CAPVT IV.

Plauti Pseudolus emendata.

SCENA, Si ex te tacente.
Compressiones artè amantum corporum.
Optimè Vaticani, *amantum comparum.* Lege etiam *artæ*, non *artè*. Compares propriè sunt συζυγοι. vsurpatur in amore de duobus qui inter se amant. Horat.

—— *necdum munia comparis*
Aequare. Catullus.
Nec tantum niueo gauisa est vlla columbo
Compar.

Scena, Pseudole non audis,
Non est iustus quisquam amator nisi qui perpetuat data.
Item Vatic. *Non est vsui quisque.* perspicuè rectum.
Quid ais quantum terra tegit hominum periurissime?
Alij, *Terram tegit.* Ego emendo, *quantum in terra degit.* Littera immutata & syllaba à fine prioris vocis retracta.
Sicut hæc est præstituta numerando argento dies.
Libri veteres, *præstituta summe argento dies.* Lego, *Summa argento.* id est, suprema. In Persa,
Hæc dies summa hodie est mea amica sit ne libera.
Trochaicus autem versus non difficulter sustentabitur, vocali non elisa, nequem numeri moueant.

Scena, Si de damnosis.
—— CA. *meritò esse iratum arbitror,*
Cùm apud te parum stet fides.
Scribo, *parum siet fides.* antiquè: aut certè, *Fide*, pro, Fidei, vt apud Lucret.
Aut aliæ cuius desiderium insideat re.

Scena, Hi loci sunt.
Vt ego oculis rationem capio, quam mihi ita dixit herus.
Legerim, *nam mihi ita.*
Hostis viuos rapere soleo ex acie, ex hoc nomen mihi est.
PS. *Pol te multo magis opinor vasa ahenea ex ædibus.*
Placet Vaticani alterius lectio, *Pol tu viuos? magis opinor.*

CAPVT

CAPVT V.

Nonius aliquot locis purgatus.

NONIVM cùm video, veterum scriptorum triste naufragium videre videor: è quo quasi tabulas aliquot hoc capite conabor colligere.

In Debilo,

Debilo, debilis. Ennius lib. VIII. *Debilo homo.*
Ridicula lectio, siue is Nonij ipsius error, seu potius exscriptorum fuit. Nam haud dubiè scripsit Ennius, *Debil homo*, pari ratione qua Famul, pro Famulus, illo versu,

Reddidit vt summo è regno famul infimus esset.
& alij, Facul, Difficul.

In Matte.

Mactare, honorare. Accius διδασκαλικῶν lib. I.
Sapientiæij, inuictæ gratia atque honoris
Pater, honestè rem mactauit auream.
Vir eruditus tentauit legere —— *atque honor*
Is patrem honestè re mactauit aurea.
vt opinor, frustrà. Nam vera lectio est,
Sapientiæ inuictæ atque honoris gratia,
Patera honestè em mactauit aurea.
Mactare patera, vt apud Cicer. Mactare honoribus. Em, valet antiquè, Eum.

In Auspicaui.

Pacuu. Chryse. Incipio saxum tentans scandere vorticem
In summum, dein hominis partes prospectum aucupo.
Lego, *dein in omnis partes.*

In Senium.

Titinnius Veliterna. Quot pestes, senia, iurgia sesemet diebus emigrarunt.
Sententiam secutus emendo, *sese meis ædibus.*

In Veretur tui.

Pacuuius Hermiona. Tyndareo fieri contumeliam cuius à te veretur maximè acta gratulatione. Nihilne te populi veretur, qui vociferare in via?
Coaluerunt perperam duo exempla, quæ sic cum auctorum nomine distinguo, *veretur maximè. Atta Gratulatione. Nihilne te populi.* Quinctius Atta poëta est comœdiæ veteris, nomen eius sæpe corruptum.

In Olat.

Afranius Fratris. Non potest
Quin illa tacta, longeq; & multis olat
Scribendum censeo, *illa stacta.* Plautus Mostel.
Vbi vnguenta sunt. PHIL. *quid opus est? cum stacta accubo.*

CAPVT VI.

Plauti Truculentus restituta.

VIDITNE quisquam pictum aut fictum aliquid amœnius collo? quio illo serui rustici cum lepida ancilla? In quo vtriusque ingenium

Universidad de Deusto
Biblioteca

nium ita disertim Plautus expressit, vt in illo nil nisi sordes & rus merũ in hac Venerem & lepôres videaris agnoscere. Cui pro parte emendando hoc caput sacrum esto. Scena, Quis illic est.

AST. *comprime.*

ST. *Spero meam quidem hercle, tu quæ solita es comprimas.*

Venusti ioci sententiam restituo, *te qui solitu' st comprimat.* Dixerat enim ancilla rustico inclamanti Comprime, vocem videlicet aut iram: quod ille satis vrbanè conuertens, Ego quidem, inquit meam amicã comprimam, te alius qui solet. Nam ita accepisse rusticum, clarum ex sequẽtib.

Imprudens per ridiculum vt rustico suadet stuprum.
Aduenisti nos huc tentatum cum exornatis ossibus.

Aliquot libri, *sustentatum:* Vaticani sine litura, *Aduenisti huc sistentatum.* Adprobo. Sistentare antiquum verbum pro ostentare, vt in Bacchid. & Mostellar. Extentare.

AST. *nunc places*
Cùm me illi vel in mentiri dicis. ST. *Quid quod te rogo.*

Tricæ Tellanæ in his verbis: fortasse sic extricandæ, *nunc places.* ST. *quàm me illi velim!* AST. *mentiris.* ST. *dicis quod te rogo?*
Vt ego me ruri hamaxari mauelim patulum bouem.

Ex Festo leg. videtur, *patalem bouem.* Is enim adnotat Plautum Patalem bouem vocasse cuius cornua latè pateant.

Sanus si videare dicis contumeliam.

Claudicat versus, & rectè Vatic. *si videare dicam, dicis cont.* nisi placet, *dicam dicis contumeliæ*, vt Dicam scribere.

——— *suam non enim ille meretriculis*
Molliendis rem coëgit, verùm parsimonia.

Lego, *sum. non enim.* hoc primum. Deinde illud Molliendis, aio auctoribus libris falsi damnandum. Nam optimus ille Vatic. *Moniendis:* duo alij, *Monendis.* Vt certum habeam latere in hac scriptura verbum vetustius. Placeret, *Molendis*, vt apud Lucill.

Hunc molere, illam autem vt frumentum vannere cunnis;

sed id lex versus spernit.

Neque istuc in se gestit, ergo coget exanimem mali.

Bene & aptè ex coniectura restitui, *Istuc ipse gestit, ergo coget examen mali.* Examẽ mali, vis mali. Poëta vetus, *Classis cita texitur, exitium examẽ rapit.*

CAPVT VII.

Seneca in libello De Breuitate vitæ emendatus.

APVD Senecam in Syntagmate de Breuitate vitæ legimus vulgò, *Modò intra paucos dies illos quibus C. Cæsar perit, si quis inferis sensus est, hoc gratissimè ferens, quòd decedebat populo Ro. superstite, septem aut octo certè dierum cibaria supereſſe, dum ille potens nauibus iungit, & viribus imperij ludit, aderat vltimum malorum obsessis quoque alimentorum egestas. Exitio pænè ac fame constitit, & quæ famem sequitur, rerum omnium ruina, furiosi & externi & infeliciter superbi regis imitatio.* quem

quem totum locum ad historiæ fidem sic emendandum censeo. *hoc grauissimè ferens, q. d. p. r. s. s. a. o. c. d. cibaria superfuere. Dum ille pontes nauibus iungit, & viribus imperij illudit*, &c. Citra controuersiam enim Seneca factum illud insanum C. Caligulæ in mente habuit. qui ad exemplum Xerxis inter Puteolos & Baulos pontem nauibus inædificauit spatio III. ∞. passuum. In quo opere dum vniuersa classis occupatur, Romæ capitalis pænè fames coorta. Vide Xiphilinum in Caligula.

CAPVT VIII.

Plauti Pseudolus emendatus.

SCENA, Di immortales,

Nam ipsa opportunitas non potuit opportunius
Aduenire, quàm hæc cauata est mihi opportunè epistola.

Cauare epistolam, non Plauti elegantiam olet, sed sordes & rus merum. Emendarim ipse, *quàm hæc allata.* Vitij caussa fuit, quod repetita ex priori dictione littera scriptum fuit, callata.

Scena, Dulcia atque.

Dic vtrum spémne an salutem te salutem Pseudole?

Veteres libri consensu, *spémne an matrem te.*

Sed istic seruus ex Carysto qui aduenit, qui sapit?

CH. *Vsque à cunalibus.* PS. *manuleatam tunicam habere hominem decet.*

Turnebus libro XX. magno consensu totius caueæ, vt ait, emendat, *Hircum ab alis.* A quo tamen vnus spectator dissentio. Nam ad eam sententiam quam effici homo doctissimus vult, sequens responsio Pseudoli hilum non facit. Veteres Cunas & Cunabula inter obscœnos intellectus habuisse videntur, fortasse quia alluditur ad Cunnum. Plautus infrà de cinædo, *Quid ais? túne etiam cubitare solitus es in cunis puer?* Puto igitur istuc Charinum allúdere, nec aliud dicere quàm seruum illum postremis partibus sapere, illis quibus peculium solet facere. Docere id liquidò sequens responsum Pseudoli de manuleata tunica videtur. Nam pueri meritorij siue cinædi, vt internosci possent, tunicas cum manicis more mulierum gestabant, non aliter quàm meretrices togas. Scipio Africanus in Sulpicium, *Qui in conuiuiis cum amatore cum cheirodota tunica accubuerit: eúmne quisquam dubitet quin fecerit quod cinædi solent?*

Plautus Pœnulo,

Quis hic est cum tunicis longis quasi puer cauponius?

Seneca in epistolis: *Mirum est aliquid fortiter dici ab homine mollitiem professo. ita enim plerique iudicant. Apud me verò Epicurus est & fortis, licet manuleatus sit.* Scena, Forum coquinum.

Nam ego cicilendrum quando in patina scindidi.

Vnus Vatic. *in patinas indidi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT IX.

Varro duobus locis restitutus.

EXPERIRI placet ecquid Varroni mederi possim apud Nonium, in Virgines,

Varro περὶ ἐξαγωγῆς. Quam sympathiam lubiat oculos haberet, quid imaginum interesset puer vtrum esse deuirginatum vsurus an monuce ῥώσας purus dum cogito.

quem locum doctissimus Iunius emendat, *Q. s. lubidinis oculi haberent, quid magnum interesset, puerum vtrum esset deuirginatum vsurus, an μόνον ἐρώσας purus dum cogito.* Eruditè. Nec tamen negabit ipse Iunius propius à scriptura veteri abesse, *Q. s. lumbi ad oculos haberent, quid inguinum interesset.* &c. Nam *Lubiat*, in *Lumbi ad*, facilis lapsus, & *Inguinum*, pro *Imaginum* sententia comprobat. Tentabo alium eiusdem argumenti locum apud Nonium, in Mulierauit,

Varro γνῶθι σεαυτὸν. Et rex & misellus ille pauper amat, habetq; ignem intus acrem, hic ephebetum mulierauit: hic ad me deca adolescentem cubiculum pudoris primus polluit.

de quo alij aliter: ego ex ductu litterarum legerim, *hic effœtum mulierauit: hic Canimedæo adolescenti cubiculum.* Sententia, meo animo, commoda. Vterque, inquit, amat, rex & pauper: hoc interest, quòd ille in exoleto aliquo sitim restinguat: iste rex integellum & Ganymedi similem adolescentem polluat. Cubiculum porrò pudoris quam partem in puero nominet, non opinor Apollinem Delphicum consulendum esse.

CAPVT X.

Plauti Pseudolo locorum duùm cum Græcis comparatio.

QVOD Plautus sanè quàm lepidè scripsit Pseudolo in persona glorioſi illius coqui, Scena, Forum coquinum,

Nam ego ita conuiuis cœnam conditam dabo
Hodie, atque ita suauitate condiam,
Vt quisque quidque conditum gustauerit
Ipsos sibi faciam vt digitos prærodat suos.

idem planissimè alter coquus de se prædicat apud Alexidem.

Θαυμαζὸν ἐμὸν εὕρημα πᾶνυ, πολλὴν δ' ἐγὼ
Εἰν παραθῶσοι, προσπατεδὴ τὰς δακτύλας
Σαυτῷ γε χαίρων.

Sicut & illud quòd apud Philemonem comicum coquus gloriatur diuina se quædam & ad immortalitatem vnica condimenta repperisse,

Ἅπαντες οἱ φαγόντες ἐγένοντ' αὖ θεοί.
Ἀθανασίαν εὕρηκα, τὰς ἥδη νεκρὰς,
Ὅταν ὀσφρανθῶσιν, ποιήσω ζῆν πάλιν.

non minus lepidè eâdem illa Scena Latina Musa expressit,

BA. *Quid tu? diuinis condimentis vtere?*

Quis

Quis prorogare vitam possis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? COQ. audacter dicito.
Nam vel ducenos annos poterunt viuere
Meas qui esitabunt escas quas condiuero.

CAPVT XI.

E Propertij libro I. complures loci obseruati.

VENIO ad Propertium, ocellum, & vt sic dicam smaragdum poëtarum, è cuius lib. I. carptim quædam delibabo.

Eleg. II.

Littora natiuis pellucent picta lapillis.

Falsò supposita vox est. Nam libri omnes veteres, *persuadent picta.* & vetus Fuluij in ora, *aliàs, Collucent.*

Eleg. III.

Dum me iucundis lapsam sopor impulit alis.

Vatic. *lassam sopor.* Eleg. IV.

Tu licet Antiopæ formam Nycteïdos, & tu
Spartanam referas laudibus Hermionem.

Quattuor mss. *Spartanæ. r. l. Hermionæ.*

Et te circum omnes alias irata puellas
Deferet; heu nullo limine carus eris.

Libri vet. *Differet.* optimè. vide Nonium.

Eleg. V.

Quod si fortè tuis non est contraria votis,
At tibi curarum millia quanta dabit?

Vatic. & Farn. *Quod. s. forte ruis n. e. c. nostris.* Mureti, *forte tuis n. e. c. nostris.* Ex quibus, nisi vanitatẽ vulgatæ lectionis nihil extrico. Nisi placet,

Quod si fortè animis n. e. contraria nostris,
Ah tibi. Eleg. VI.
Vlteriusq; domos vadere Memnonias.

Vetus Farnes. *vadere in emonias.* Æmonia ora quæ sit, notum, & anteà Riphæos montes nominauit. Cogitent docti.

Nam tua non ætas vnquam seruiuit amori.

Veteres omnes, *cessauit amori.* & ea germanissima lectio.

Lydia Pactoli tingit aratra liquor.

Optimi & doctissimi Turnebi coniecturam, *tingit arata.* comprobant Farn. & Fuluij libri. Vetus Mureti in ora, *cingit arata.*

Eleg. VII.

Te quoque si certo puer hic percusserit arcu,
Quod nolim, nostros euiolasse Deos.

Admonui olim in illis iuuenilibus Variarum libris, *heu voluisse*, legendum videri: Canterus noster, *eualuisse*, probat. Sed libri omnes, *euiolasse*, præter Vatic. qui, *te violasse*, refert.

Nec tibi subiiciet carmina sæuus amor.

Fuluij & Mureti libri, *ferus amor.* rectè.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eleg. VIII.

Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.

Insolens locutio, Cælum plantis siue pedibus tangere: vide ne verius sit legi, *sidera palmis.* Eleg. IX.

I quæso & tristes istos depone libellos.

Libri, *compone libellos.* bene & propriè.

Tum magis Armenias cupies accedere tigres.

Vet. Ful. *cuperes accedere.* Mureti, *cupias.* Vereor ne Propert. scripserit, *capiare accedere.* vt Varro, *capiuntur sequi matribus.*

Dicere quo pereas, sæpe in amore iuuat.

Tres veteres, *in amore leuat.*

Eleg. X.

Vidimus in longam ducere verba moram.

Libri, *Vidimus in longa d. v. mora.*

Possum ego diuisos iterum coniungere amantes.

Veteres, *diuersos iterum.* bene & propriè. Vide Canteri nostri Lectiones.

Hoc magis effecto sæpe fruare bono.

Fuluij & Farn. *affecto.* Probo vulgatam. Veteres enim Effectus & Effectum dixerunt, vt, Successus & Successum. Plautus Pseudolo, *Hos fugitastis Quirites successis bonis.*

Eleg. XI.

Aut teneat clausam tenui natitantis in vnda.

Hæc lectio ab elegantissimo Mureto est, & sanè eius liber scriptus, *natantis,* habebat. Alij omnes, *Teutantis,* vel, *Tuetantis.* Vaticano est, *Tuctantis,* cum interpretatione hac, *Insula vel fluuius paruulus.*

Eleg. XV.

Sæpe ego multa tuæ leuitatis damna timebam.

Mira varietas librorū. Vet. Farn. *leuitatis signa.* Mureti, *leuitatis iura.* Vatic. *dura.* Postremam veram arbitror, & puto disting. *multa tuæ leuitatis, dura, timebam. Multa leuitatis,* Græcanicum est. *Dura,* autem, vt illud,

At nunc, dura, paras Phrygias nunc ire per vndas.

Et potes externos manibus componere crines.

Non dubito quin scrib. sit, *hesternos.* frequenti lapsu.

Eleg. XVI.

Te non vlla meæ læsit petulantia linguæ
Quæ solet irato dicere tuta loco.

Putaui aliquando emendandum, *turba loco.* libri omnes, *tota loco.*

Eleg. XIIX.

Quid tantum merui? quæ te mihi carmina mutant?

Fortè scrib. *crimina mutant.* idq; sequentia probant.

An tua quod peperit nobis iniuria curas?

Emendandum opinor, *At tua quot peperit.* Hæc leuia & nebulæ cyatho non emenda quibusdam visum iri scio: mihi tamen satis est ea esse in Propertium. Rectè autem ille Siculus,

——ἐν δ' ὀλβίῳ ὄλβια πάντα.

CAPVT

CAPVT XII.

Plauti versus Truculento de opinione correctus.

FOEDE corruptus Truculenti versus est,

Scena, Eo mihi amare.

Non enim possunt militares pueri & à vio educier.

cuius emendationem spisso & vix inueni: nisi fallor, inueni tamen. Nam cùm in Vaticanis sit, *puereetanio educier,* non longè ab ea scriptura abiens, legend. censeo, *Prutanio exducier.* Quippe fabula hæc acta Athenis. In qua vrbe cùm πρυτανεῖον fuerit, in quo bene meritis de publica re victus daretur: nónne εὔλογον videtur meretricē istuc respexisse, & facetè militi obtrusisse, non posse statim militares liberos publicitus in Prutanio ali? Quod autem Turnebus leg. censuit, *à via educier:* monuerat id sanè iam ante eum Alciatus, nec tamen cuiquam cui pectus sapit, probauerat.

CAPVT XIII.

De Ciceronis locis duobus Epist. ad Q. Frat. coniectura.

QVOD sine fraude mea liceat, post Manutium & Lambinum duos illos quasi primæ sententiæ Consulares, quid de Ciceronis duobus locis censeam, ego imi subsellij Senator liberè promam.

Ad Q. Fr. lib. II. epist. XII.

De Pompeio assentior tibi, vel tu potius mihi. nam vt scis iampridem istum canto Cæsarem.

Non dissentiunt libri: ego tamen imbibi Ciceronem scripsisse, *iampridem istunc ante Cæsarem.* Monuerat videlicet Q. Frater Ciceronem, vt Pompeij amicitiam foueret, néve ita se daret Cæsari, vt obliuisceretur illius: respondet Cicero, Ego verò parebo tibi, vel potius iampridē parui. Nam Pompeium olim colere cœpi ante Cæsarem. Facilis verò & perfrequens librariorum lapsus, *istum canto* littera à fine dictionis ad initium ablegata. Vnde nata vulgata lectio, quam nunc apud sapientes iudices denatam volo. Lib. III. epist. II.

Interim ipso decimo die quo ipsum oportebat hostium numerum & militum renunciare, in re hæsit summa infrequentia.

Lambinus emendat, *inrepsit summa.* Probauerim ipse, *mirè hæsit summa in frequentia.* Hæsisse autem frequenti Senatu Gabinium scribit, quia plures milites amiserat, quàm cæciderat hostes. D.E.R.I.C.

CAPVT XIV.

Plauti Miles emendata.

SCENA, Mihi ad enarrandum.

Hoc opidum Ephesus' st, idem est miles meus herus.

Fortè leg. *inde est miles:* vel, *indidem.* vt significet eum Ephesium esse.

Vbi sumus prouecti in altum, id quod volunt,
Capiunt prædones nauim.

Vide-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Videtur vox abesse, leg. que, *id quod di volunt*. Sic enim in rebus subitis loqui solent. Scena, Nisi Herclè,

Domi habet hortum & condimenta ad omnes mores maleficos.

Mirè variant libri. E Vatic. vnus, *omnes molis milificos*: alter, *omne olus milificos*. Aldi editio, *molis mellifica*. Latet ὕπουλον vlcus.

——*feriens femur*

Dextrum ita vehementer quod acta ægrè suppetit.

Puto verum, *quod tactu ægrè*. pro, Tactui. Vnus tamen Vatic. *quod ictu*.

Curre in obsidium perduellis, nostris præsidium para.

Libri mei consentiunt cum Camerarij, *Cor in obsidium*. ex quo vir ille doctissimus, & qui primus ad Plautum iuuandum signum sustulit, legit, *Coge in*. Ego antiquam scripturam reponendâ putem, *Corre in*. pro Curre.

Scena, Nisi quidem ego,

Dum ego in tegulis sum, illac hæc se hospitio edit foras.

Legerim, *illæc se hospitio dedit foras*.

SCE. *quidum? quia ludo luto?*

Rectè Vatic. *quia luto iam*. Iocus fuit in vicina pronuntiatione litterarum D. & T. vt & apud Cicer. II. De Oratore.

CAPVT XV.

Liuius aliquot locis restitutus.

LIVIVS lib. IV.

Placet tollendæ ambitionis caussa Tribunos legem promulgare ne cui album vestimentum addere petitionis caussa liceret.

Sordes & quisquiliæ sermonis, *addere vestimentum*. Libri vet. *album inuestimentum*. Scribendum diuisim, *in vestimentum*. Vetuit autem lex album addi in vestem, id est, cretam, gypsum, & similia, quibus togas suas ornare petituri solent. ex quo & nomen manauit Candidati. Res nota. Bonus Rhenanus Inuestimentum interpretatur ab Inuestiendo, quo verbo IC.tos vsos ait. Acumen hominis!

Liuius eodem libro, infrà.

Ipse in sinistrum cornu quod incendio similius quàm prælio territum cesserat flammis, accurrit: claraq; voce, Fumóne victi, inquit, velut examen apum loco vestro exacti inermi cedetis hosti?

Hæret intricata sententia. Vir doctissimus Sigonius, *Similius*, pro verisimilius positum censet. Ego putarim aliunde inculcatam eam vocem, & sic leg. *Quod incendio quàm prælio territum*. id est, potius incendio quàm prælio territum. Phrasis est perfrequés antiquis, quam vnus Tacitus sexcenties vsus reperitur, Plautus, & alij. Infrà.

Clamor dissonus, impar, segnis, sæpe iteratus, incerto clamore prodidit pauorem animorum.

Rectè Sigonius monuit de vitio. Quæ est enim hæc forma dicendi? Clamor incerto clamore prodidit. Reponit igitur ipse, *incerto tenore*. ad sententiam, rectè: ad scripturam, sanè quàm licenter. Arbitror verius, *incerto clangore*.

CAPVT

CAPVT XVI.

Plauti Truculentus correcta.

SCENA, Eo mihi amare.

Eo mihi amare, fero supplicium damnis ad amicam meam.

Ex Roueriano colligebam, *Eu mihi, amare, f. s. iam bis ad amicam.*

PH. *At ego ad te ibam.* ST. *ad me delicia herclè verò serio.*

Insita persona lego, *ad me delicia?* PH. *Herclè verò, seriò.* STR. *Quanquam.*

Paullò superius.

Supplicium ad te hanc minam fero auri, si mihi ridespice.

Turneb. diuisim, *rides, spice*. Fortè leg. *sed me redespice*. antiquè D. interposita pro Respice, vt Antidhac, Medecum, Postidea, &c. pro Antehac, Mecum, Postea. Sanè paullò pòst miles iterum ad illam auersam, *Respice ergo, accipe hoc.*

Quanquam hic horridus est, quanquam hic squallidus' st, at est bellus mihi.

Vaticani auctiores, *Q. hic qualis est, quam hic horridus citus bellum mihi*. In Aldi editione, *citus bellum init*. Veram lectionem facile est eruere, *Q. hic squalis. e. quanquam h. h. scitus, bellus' st mihi.*

CAPVT XVII.

Nonius Marcellus carptim emendatus.

IN voce, Enixæ,

ENIXÆ dicuntur fœminæ nitendi, hoc est conandi, & dolendi labore perfunctæ, nixis quæ religionum genera parientibus præsunt.

Haud dubiè leg. *à Nixis, quæ religionum*. Deriuat enim Enixas à Nixiis diuis, de quibus Festus, *Nixij Dij appellantur tria signa in Capitolio ante cellam Minervæ genibus nixa, velut præsidentes parientium nixibus.*

Non. In Petauristæ,

Petauristæ à veteribus dicebantur, qui saltibus vel schœnis leuioribus mouerentur.

Lego, *vel schemis leuioribus*. sicut & in voce Sanniones, *Sanniones dicuntur à sanniis qui sunt in dictis fatui & in motibus & in schemis*. malè vulgò, *Scœnis*. In Adolere,

Et adultum, quod est auctum, & aucta ætate, vt aliqua caussa maius solito factum.

Scribo, *quod est auctum, & aut ætate, aut aliqua.*

In Extrebare,

Plautus Astraba, Cùm incuriosum locaretur terebratum quidem pertundis.

Interpretatio Nonij irrepsit in verba Plauti. Nam sic leg. *Plautus Astraba, cùm in curiosum iocaretur: Terebratum.*

In Prolubium,

Prolubium est patêre amicitiam & fidem.

Mutilatus hîc Nonius est, & perspicuè scrib. *Prolubium est lubido*. deinde exemplum, *Prolubium est petere amicitiam*. ita lego.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Proletarij,

Tunc Marcus præco primùm proletarios armauit.

Quid præconi cum cura belli? Emendo, *Marcius prætor.*

In Augificat,

Ennius Andromacha, Quid sit seditio, tabésne an numeros augificat suos?

Lego, *Quid sit? seditio tabétne*, id est languétne, deficit?

In Inibi,

Pacuuius Iliona, Profectò aut inibi est, tam iam potiuntur frugum.

Emendo, *aut iam potiuntur Frugum.* id est Phrygum.

CAPVT XIIX.

Litteram I. cum V. sæpe locum commutare, eiúsque generis menda aliquanta sublata.

SVSPECTVM genus dicendi habeo quod apud Plautum Persæ initio legitur,

Quin mihi imperet, quin me suis negotiis præfulciat.

& labor vt existimem Plautum scripsisse, Præfuciat, id est, Præficiat, V. pro I. tam crebra harum litterarum alterna migratione, vt mirari iure id nemo possit. Etsi non nego vulgatam ferri etiam posse, & commodè interpretari. Apud Nonium Apisci, Lucillius,

Vt ego effutiam, quod ego te inprimis cupere apisci intelligo.

corrigo, *efficiam.* neque rectè vir doctus, *effugiam.*

Plautus Capteiueis, Scena, Iam ego.

Quid diuitiæ sunt ne optumæ? PHI. *vnde excoquat seuum senex.*

Legend. *suntne opimæ.* & id sequens responsum Philocratis liquidò conuincit, qui ad eam vocem alluſit. Apud Nonium, Diuidiæ, Accius, *Ne horũ diuidiæ & discordiæ dissupent & disturbent tantas etiam optumas ciuium diuitias.* item emendo, *tantas & tam opimas.*

Plautus Pœnulo, Scena, Fuit hodie.

——quásque è patria

Perdidi paruas, redde his vbertatem, inuictæ præmium vt esse sciam pietati.

elegans & certi iuris emendatio, *redde his libertatem.* Infrà eâdem Pœnulo, *Iniuriarum multo induci satius est*, Legend. *multam dici.* vt suprà memini monere.

CAPVT XIX.

Ciceronis Epistolæ ad Atticum restitutæ.

IN Epistolis ad Atticum post illos quasi III. viros rei litterariæ constituendæ, Victorium, Manutium, Lambinum, monebo quædam, leuia per se & tenuia, sed tamen magna, ideò quòd præterita ab illis magnis.

Lib. XII. Epist. XXI.

De hortis quoniam probas, effice aliquid: rationes meas nosti. si verò etiam à Faberio recedit, nihil negotij est.

Lambinus, *à Faberio procedit.* Manutius, *res cedit.* Ego scripserim, *recîdis.* id est, aufers, abscindis. Loquitur de nomine Fabriano.

Ibidem.

Ibidem.

Ne Silius quidem quidquam vtitur, & iis vsuris facillimè sustentabitur.

Lego, *& is vsuris.* intellegit Silium diuitem facilè vsuris duci posse, sine parata pecunia.

Epist. XXII.

Enitar, si quo modo potero, vt præter me nemo dolorem eum sentiat, si vllo modo poterit, ne tu quidem.

Fortè scrib. *præter te nemo.* probant sequentia.

Epist. XL.

Sed tamen auidè sum affectus de fano: quod nisi, non dico effectum erit, sed fieri videro, audebo hoc dicere, incursabit in te dolor meus.

Traiectis verbis leg. puto, *quod nisi, non dico fieri videro, sed effectum erit.* Et id ad cupiditatem Ciceronis exprimendam inprimis facit.

Lib. XIII. Epist. XXXI.

Quæ cogitatio si non incidisset (mihi crede istuc vt cetera) non laborarem.

Mutata distinctione concinnior sententia efficitur, *si non incidisset, (mihi crede) istuc vt cetera non lab.*

Epist. XXXIII.

Sed casu sermo à Capitone de augenda vrbe. a ponte Muluio Tiberim duci secundum montes Vaticanos.

Omnes planè veteres, etiam ille Bessarionis, *Tiberim pauci secundum.* Ex quo Manutius diuinat, *pandi.* Ego arbitror leuem caussam fuisse libris omnibus deprauandis. Scriptum erat in archetypo aliquo, *pduci*, concisè prima syllaba, pro *perduci.* Mansit p. nudum, & ex d. littera, remoto temone factum est, a. Hinc illud ænigma. *pauci.* ad quod soluendum OEdipo opus erat, nisi ego Dauus accessem. Idem error in omnibus Taciti libris, De vita Agricolæ,

Paucos numero circum trepidos ignorantia, cælum ipsum ac mare & syluas ignota omnia circumspectantes clausos quodammodo ac vinctos alij nobis tradiderunt.

cùm certè leg. sit, *ac vinctos dij nobis.* sed diuulso temone, factæ sunt ex d. duæ litteræ, a. l. Epist. XXXVII.

Noui nihil sanè nisi Hircium cum Quincto accerrimè pro me litigasse: omnibus eum locis facere, maximéque in conuiuiis. cùm multa de me, tum reãire ad patrem.

Lambinus deleto verbo, *omnibus eum locis maximeq; in con.* ego immutabo, *eum locis furere, maximeq;.* leg. censeo.

Epist. XL.

Sed coram. magna enim res & multæ cautionis. cras igitur, nisi quid à te commotus.

Aut leg. *nisi quid à te commonitus:* aut, quod probabilius, vltima vox ad principium sequentis epistolæ ableganda est, hoc modo, *Commotus venit ille ad me.* Vide.

Lib. XIV. Epist. I.

In sermonem se post Idus Mart. præterquam Lepidi venisse nemini.

Lambinus aliter: ego lego, *venisse neminis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epist. XVI.

Perpaucis diebus in Pompeianum, pòst in hæc Puteolana & Cumana regna renauigare.

Lambinus, *regna renauigaturus.* Aptius ad scripturam veterem arbitror, *renauigaro.*

Epist. XIIX.

De Herode tibi assentior. Saufeium legisse vellem.

Vetus liber quo vsus sum Romæ à P. Manutio, *Saufeij legisse.* optimè. intelligitur, Librum aut Scripta.

Epist. XIX.

Venio ad recentiores litteras tuas. quanquam de Seruio iam rescripsi me facere magnam πρᾶξιν Dolabellæ. mihi mehercle ita videtur, non potuisse maior. &c.

Emendo, & distinguo, *iam rescripsi. men' facere m. π. Dolabellæ? mihi mehercle.* Atticus leuiter admonuerat Ciceronem eum videri nimium amplius laudibus factum illud Dolabellæ tollere: illi parti respondet.

Lib. XV. Epist. IV.

Redeamus igitur quoniam sæpe vsurpas ad Tusculanas disputationes. Saufeium pete celemus: ego nunquam indicabo.

Lambinus, *Saufeium de re celemus.* Lego, *Saufeium per te celemus.* Saufeium, inquit, hominem Epicureum vide vt tu celes de Tusculanis libris, in quibus tam acriter contra illam sectam: ego quidem nullus indicaro.

Epist. XVI.

Tu velim si quid tibi est à tuis scriptum, quod pertineat ad me, certiorem me facias.

Alter Vatic. *siquid tibi est à Statio scriptum.* Fuit Statius libertus Quincti.

Epist. XIIX.

Tamen cùm profectus essem, & in lacu nauigarem, Tironem statui ad te esse mittendum.

Duo Vatic. *& in lacuna vigilarem.* Suspicari libet, *in illa cura vigilarem.*

Epist. XX.

Dolabellæ mandata sint quælibet, modò aliquid vel quod Niciæ nunciem. quis enim hæc, vt scribis anteno×? non dubitare quenquam prudenter quin meus discessus desperationis sit non legationis?

Lambinus edidit, *vt scribis, ante nos? Nunc dubitare.* Maneo in coniectura mea veteri, *quis enim hæc? Vt scribis, autumo non dubitare quenquam prudentem.*

Lib. XVI. Epist. I.

Nonis Quinctil. veni in Puteolanum iens ad Brutum. in Nesside hæc scripsi.

Legend. *iens ad Brutum in Nesidem.* Brutus enim in Neside erat: post hanc Epistolam, statim illuc Cicero. Vide seq. Epist. & IV.

Ibidem.

Itáne Nonis Iuliis? mehercule istis. sed stomachari totum diem licet.

Ex Vatic. altero qui habet, *de hercule istis*, suspicabar leuiter scrib. *Di hercule istis.* Dij, inquit, malè faciant istis curatoribus ludorum Bruti, qui Nonas Iulias nominarint. Nam Bruti inscientis nulla culpa.

Epist.

Epist. IIX.

Et rem gerit palàm: centuriat Capuæ, dinumerat. iam iamq; video bellum.

Placeret, *centurias Capuæ dinumerat.*

CAPVT XX.

Plauti Miles emendatur.

SCENA, Rem omnem.

Postquam admisere aures meæ tuæ moram orationis.

Vatic. vnus, *Postquam adhiberem*, alter, *adhibere.* Puto rectum, *adhibêre.* Bibere sermonem alicuius, frequens tralatio Plauto.

Quas me iussisti adducere; & quo ornatu. AC. *heus noster.* BA. *esto. Paleutrio Acroteleutium salutat.*

Vitiosa distinctio. Scribe, *heus, noster esto.* PA. *Paleutrio Ac.* Noster esto, familiaris locutio alterius laudandi vel confirmandi. Trucul.

Tanto melior, noster esto, sed de tuo viuito.

Bacchid. —— *Puero sic dicit pater,*

Noster esto, dum te poteris defensare iniuria. Virgil. II.

Noster eris, mihiq; hæc edissere vera roganti.

—— *ni ludificata lepidè*

Ero, culpam omnem in me imponito.

Laudat hunc locum Nonius in Ludificata, sed turpiter corrupta scriptura: LVDIFICATA *ero hominem, pro ludificata lepidè ero, culpam omnem in me imponit*, Emendandum verò, LVDIFICATA *ero pro Ludificauero.* Plaut. *Ni ludificata lepidè ero, &c.*

Quid tibi ego mittam muneris? AC. *dátne ab se mulier operam?*

Rectius Vaticani, & vetus editio, *des ne aliæ mulieri operam.* id est, ne cum alia muliere delicias facias. Appositè enim ita optat illa quæ seni huic ad lectum & pro concubina erat.

Scena, Volúptas est.

Quid ea? ingenua? an festuca facta?

Id est, Reueráne ingenua est? an per festucam ingenua facta? id est, liberta. Nam qui per vindictam manumittebantur, iis festuca imponi solet. Allusit Agellius lib. XX. *conferens vim illam ciuilem & festucariam cum vi bellica & cruenta.*

CAPVT XXI.

In Senecæ Ludo de morte Claudij quædam animaduersa.

IN Ludo Senecæ fugit interpretes quis L. Licinius sit nominatus his verbis,

Hunc ego reddo tibi Lugduni natum, vbi L. Licinius multos annos regnauit.

Puto autem Licinium illum intellegi, qui ab Augusto præfectus Gallis fuit, de cuius intolerabili in Gallos regno vide Dionem Cassium lib. LIV.

Scilicet hic pius & iustus quoniam Druidarum perfidæ gentis Gallicæ immanem religionem, à qua ciues submoueram, prorsus exstirpauit?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc totum, *perfidæ gentis Gallicæ*, quis negarit ineptum glossema esse? Nam Druidæ sacerdotes Gallorũ sunt, nõ gens aliqua Galliæ peculiaris.

Adiudicatur C. Cæsari: illum Æacus donat. Is Menandro liberto suo tradidit, vt à cognitionibus abesset.

Scribo, *vt à cognitionibus esset.* Libertorum officia erant, A studiis, Ab epistolis, A rationibus, &c. Itaque irridens Seneca temeritatem & imperitiam Claudij in cognoscendo & iudicando, ait εἱρωνικῶς illum traditum Menãdro liberto Æaci, vt scilicet homo prudẽs illi A cognitionib. esset.

CAPVT XXII.

Plauti Miles correcta.

SCENA, Cohibete intrà.

Lautam vis, an quæ nondum sit lauta?

Ambigi de sententia video. Opinor ipse per Lautam, intellegi fæminam quæ muliebris patientiæ legem iam acceperit: per Illautam, virginem, & quæ iugum nondum tulerit. Nam moribus Ro. virgines à lauationibus & balneis publicis arcebantur: sicut & pueri ante pubertatem. Inde Iuuenalis, *Nec pueri credunt nisi qui nondum æra lauantur.* potest tamen & simplicius, ac fortasse verius capi, Lauta pro eleganti, munda: vt sequentia addita sint per vanum, vt solet, iocum.

Quasiq; hoc anulum animo suæ ancillæ dederit.

Repugnant huic scripturæ libri. Vaticani duo, *hunc anulum famæ suæ ancillæ.* Cassinas, *fame se.* Tu diuina.

Memineris ne Philocomasium nomines. PL. *quam nominem?*

PA. *Dicam iam.* PL. *nempe eandem quæ dudum c. c.*

Vatic. vnus, PA. *Diceam.* PL. *nempe.* alter, *Glicerim.* idque verum puto, aut certè, *Gliceram.* Argumento est argumentum fabulæ. Simulabatur enim aduenisse Athenis germana soror Philocomasij, cui Glycere nomen esset: eam Pleusidippes iubetur ad nauim arcessere. Suprà, *Quis igitur vocare?* PH. *Glycere nomen est.* Frequens porrò in libris error d. pro cl. vt Dinia pro Clinia, & similia.

Scena, Quantas res.

Si falsa dixeris loris excruciabere.

Ita edidit Camerarius contra libros, qui, *nocio excruciabere*, referunt. Fortè, *ocius exer.*

IVSTI

IVSTI LIPSI
ANTIQVARVM LECTIONVM
LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

E Plauti Casina quædam delibata.

FLORIFERIS *vt apes in saltibus omnia libant:* itidem mihi libet ex illo Musarum & Gratiarum horto (Plautum dico) quasi flores aliquot ad texendam huius capitis corollam deligere.

Scena, Face Chaline.

CL. *Tace Chaline.* CH. *comprime istum.* OL. *imò istunc.*

Mancus ab aliquot verbis est versus, idq; numeri clamãt. Censeri enim in trochaicis debet. Vaticani habent, *imò istunc qui dicit dare.* Lego, *qui didicit dare.* Liberior paullò iocus est, vt solet Plautus. Cùm alter seruus dixisset, Comprime istum, ne obloquatur videlicet: alter id mimicè conuertens, imò hunc, inquit, potius, qui solitus est à puero dare. Dandi verbum inter Priapeia est, conuenitque propriè in mulieres cùm dant illud quod *Dent licet assiduè, nil tamen inde perit.* Hîc etiam de viro qui muliebre officium functus.

Credo hercle hodie deuorabit sortes, si attigerit.

Scribo, *deuotabit.* Scena, Non mihi licere.

Ita te aggerunda ceruum aqua faciam probè.

Alij, *curuum aqua.* Lego, *cernuum.*

Scena, Sequimini.

Nam peculi probam nihil habere addecet
Clam viro: & quod habet partum, ei haud commodi est.

Lego & distinguo, *& quod habet, partum ei haud commodè est.*

Scena, Stultitia magna.

Non matronarum est officium sed meretricum.

Vt versus constet, legend. *matronarum o.e.s. meretricium.* Vt, Ciuitatium, Hominium, antiqui.

Scena, Nulla sum.

——*quid est nisi hæc meraclo*
Se vspiam percussit flore Libyco.

Quis iste flos Libycus? Siculæ gerræ. Haud dubiè scrib. *flore Liberi.* Totidem pænè verbis Ennius apud Fulgentium, *Hæc anus se sauciauit flore Liberi. Meraclo*, valet, meraculo, nisi placet legi *meraco.*

——*neq; e*

Universidad de Deusto
Biblioteca

—— neque se tuam neque se suam
Neque viri vitam sinet in crastinum protolli.

Scribe, *sinere in.* Scena, Sensim super attollet
Quid est? OL. *pectus mihi agit nunc hæc cubito.*

Suspicor ἀρχαϊκῶς Plautum scripsisse, *mihi tagit*, pro Tangit. & paullò pòst, *qui bellè hanc tracto non tagit.*

CAPVT II.

De Ciceronis locis tribus coniectura facta.

NON sum pertinax: eripi mihi tamen difficulter potest, quin Ciceronis lib. I. De finibus, in versu Lucilij,

Municipem Ponti Tritanni centurionum:

quin eo, inquam, versu confusè scriptum sit, *Tritanni*, pro *Titi Anni.* Nam Tritannius monstrum nominis à finibus Ro. imperij in extremos barbaros amandandum. etsi in Plinio tamen Tritanum, gladiatorem lego. lib. VII. cap. XX. At Pontius, Titius, Annius, gentilia & nota Ro. nomina. Libro etiam III. De Oratore,

At Q. Velocius puer didicerat, sed quod erat aptus ad illud, totumq; cognorat, fuit vt est apud Lucillium,

—— quamuis bonus ipse
Samnis in ludo at rudibus caussis satis asper.

vulgata hæc scriptura diuersa abit à libris sinceris, qui omnes, *rudibus cuuis*, aut *cunis*, præferunt. Ex quo Lambinus, *cuiuis.* Ipse confirmo scribend. *rudibus, ciuis satis asper.* Hac sententia. Magister ille Samnitium bonus lanista & doctor: sed hoc tantum, nec aliud curat: at Q. Velocius quamuis & ipse bonus Samnis, & aptus gladiatorio ludo ac rudibus, tamen nihilo minus ciuis diligens, nauus & experiens. Id enim valet, Ciuis asper. Martial. *Sanè certus & asper homo est*
Procuratorem vultu qui præferat ipso.

Eodem libro inferius,

Aut cùm intellegi volumus ex toto partem, vt cùm vnam turmam equitatum populi Ro. dicimus: aut ex vno plures, vt,
At Romanus homo tamenetsi res bene gesta est,
Corde suo trepidat. aut cùm ex pluribus intelligitur vnus,
Nos sumus Romani qui fuimus Rutuli.

Postremum hunc versum persuasum mihi est Ennium (eius enim hi versus sunt) de se ipso pronũtiasse, prædicantem beneficium acceptæ ciuitatis Romanæ. Cicero, *Ergo illum qui hæc fecerat, Rudium hominem maiores nostri in ciuitatem receperunt.* Quod si est: quis hærebit quin emendandus sit, *qui fuimus Rudy.* Nam ex Ciceronis verbis clarum est de vno solo intellegi. Annotat doctissimus Lambinus in antiquis esse, *qui fuimus ante Rutilli.* ex quo suspicio est ne fortè scribend. sit, *qui fuuimus antè Rudæi*, versu Heroico. Nam Strabo lib. VI. disertim Ennij patriam Rodæos nominat. seu, quod verius, *Rudini.* Ita enim Ausonius:

Vnde Rudinus ait, diuûm domus altisonum cæl.

CAPVT

CAPVT III.

Plauti Truculentus emendata.

IN Prologo,

De vestris magnis atque amœnis mœnibus.

Vaticani, *De mueris magnis.* Lego, *De mœris.* antiquè, vt *Cœrare*, pro Curare, *Mœnera*, & similia.

Scena, Non omnis ætas.

Quid peierandum est etiam præter munera.

Alter Vatic. *perietandum.* optimus ille, *perierandum.* rectè, & eam eius verbi perpetuam scripturam esse debere censeo: quando & Periuria dicimus, non Peiuria.

Qui nostræ ætati tempestiuo temperent.

Veteres, *Temperint.* vt Edint, & talia.

Triplo plus scortorum esse eam quàm ponderum.

Vaticani tres, *Eriplus scortorum.* Fortè legend. *Æri plus scortorum esse iam.* quasi dicat, argentarias sic obsideri à scortis, vt æs iam minus ponderum habeat quàm eiusmodi nebulonum. Nisi placet, *Triplum scortorum.*

Scena, Ad fores.

Quia te adducturam huc dixeras eum ipsum.

Vatic. *adduciturum.* antiqua ratione, vt Atteritum.

Nimis otiosum hominem arbitror esse te. D I. *quinam arbitrare?*

Iidem, *quianam arbitr.* Rectè & vt Virgil.

Heu quiánam tanti cinxerunt æquora nimbi?
Nam aduorsum legem à me ob meam scripturam pecudem accepit.
AST. *Plerique idem quod tu facis faciunt rei malè gerentes.*

Rouerij liber, *pecudem accepit Æráque.* AST, *Idem quod.* Probo vehementer. Æra vocabant multã pecuniariam quam portitores aut scripturarij imponerent. Varro apud Nonium, *Æs defraudasse cauponem, cauponam luto obleuisse, tum portitores æra indixe.* Ita lego, *Indixe*, pro Indixisse.

—— si arationes
Ambituris, qui arare solent ad eos verò ire melius est.

Libri non erubescunt, iiq́ue Romana simplicitate hîc liberam sententiam exprimunt, *qui arari solent ad pueros ire.* Intellegit de cinædis, qui arari metaphoricôs dicuntur. Vnde Lucretio telum Priapi, Vomer. & Virgilio pars illa in fœminis, Sulci.

Qui alterum incusat probri, eum ipsum se intueri oportet.

Vaticani, *probri, sumpsit intueri.* Nimirum Plautina scriptura fuit, *eumpsed intueri*, vel, *eum sed*, d. addito.

In melle sunt linguæ vestræ atque orationes.

Alter Vatic. *In medie sunt.* alter, *In medio.* Suspicari quis possit de antiqua scriptura, *In medde.* id est, *Melle.* d. pro l. vt Dacrumæ, Vdysses, Dapsilis, Cadamitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT IV.

Agellij Noctes aliquot maculis liberatæ.

AD hanc nocturnam lucubrationem Noctes Atticæ mihi boni nominis cauſſa vocandę ſunt, quas deſultorio more percurrens emendabo. Lib. III. cap. III. De Comœdiis Plauti.

Sed enim Saturionem & Aditum & tertiam quandam, &c.

Leg. *& Addictum.* Lib. XV. cap. XII. verba ex oratione C. Gracchi.

Biennium enim fui in prouincia: ſi vlla meretrix domũ meam introiuit &c.

Totam hanc partem orationis Gracchi Plutarchus quaſi de induſtria conuertit in Gracchis. Quem vide. Sed enim aut apud eum corruptè ſcribitur Gracchum dum Quæſtor eſſet triennium in prouincia manſiſſe: aut hîc non rectè legemus, *Biennium enim fui*, ſed, *Triennium.*

Lib. X. cap. XXV.

Telorum, iaculorum, gladiorumq́, vocabula, &c. libitum fortè nobis eſt ſedentibus in rheda conquirere, neque itidem aliarum ineptiarum vacantem ſtupentemq́, animum occupare.

Scribo, *conquirere, inque vicem aliarum.*

Lib. XIX. cap. X. verſus Ennij.

Otioſo initio animus neſcit quid velit.

Lego, *Otioſo in otio.*

Lib. XVI. cap. IV. verba Cincij.

Miles cùm die qui prædictus eſt aberat, neque excuſatus erat, infrequens dabatur.

Emendo, *infrequens dicebatur.* Plautus alluſit Truculento,

Vbi nil det, pro infrequente eum mittas militia domum.

Lib. XX. cap. vltimo.

Nos verò (vt cœtus noſter eſt) incuriosè & immeditatè, ac propè etiam ſubruſticè &c.

Omnino legend. *vt captus noſter eſt.*

CAPVT V.

Plauti Miles emendata.

SCENA, Præcepta facito.

—— ne tu hercle obſecro opinor
Reſipiſce, ſi ad herum hæc res peruenerit, peribis pulchrè.

Aliquot verbis auctior alter Vatic.

Ne tu hercle opinor magnum malum
Obſecro reperies, ſi ad herum h.r.p.periſti pulchrè.

Scena, Satin' abiit, tranſpoſiti verſus videntur, & hoc ordine legendi,

Ita ſum coactus Periplectomene vt neſciam
Vtrum me poſtulare prius tecum æquum ſiet,
An me expurgare hîc tibi videatur æquius,
Niſi iſtæc non eſt hæc.

Ibidem.

Ibidem.

Licétne. PE. *inquire iubeo & placitè noſcita.*

Ex Caſſinati colligitur, PE. *quin te iubeo, at.*

Nam è ſummo puteo ſimilior nunquam poteſt.

In eodem rectiſſimè, *Nam ex vno puteo.*

Nunc demum me inſipientem factum eſſe arbitror.

Scribo ex Vatic. *à me inſipienter.*

Scena, Cohibete.

Cur non vis? nam procreare liberos lepidiſſimum eſt,

Aliquot vereres, *Lepidus ſonus*, Lego, *Lepidum' ſt onus.*

Nam bona vxor ſi ea quidem deducta eſt vſquam gentium.

Leg. *educta eſt.*

Bona mea inhiant, certatim dona mittunt & munera.

E Vaticanis germana lectio eruitur, *Certatim nutricant & munerant.*

Bonos herclè vt malos deſcripſit mores.

Vaticani, *Bonus bene vt.* rectè.

Scena, Quantas res.

Vidi, bacchabatur auia, quaſſabant cadi.

Puto leg. *bacchabatur aula.* facili errore, i, pro l. Turnebus legit, *hama.* vas aquarium inquit: vt Iuuenal.

Diſpoſitis prædiues hamis.

CAPVT VI.

Senecæ duo loci correcti.

SENECA philoſophus lib. II. De Tranquillitate vitæ cùm docere vellet ſapientem ſupra omnia humana eſſe,

Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander intrauit: non Capitolium, arcémve. habent iſta hoſtile veſtigium: illa quæ ſapientem tuentur, à flamma & ab incurſu tuta ſunt.

Emendant alij, *Patent iſta hoſtili veſtigio.* ego puto fuiſſe, *Pauent iſta hoſtile veſt.* frequenti errore, *Pabent*, b. pro v.

Ibidem, de C. Caligula.

Tanta illi palloris inſaniam teſtantis fœditas erat, tanta oculorum ſub fronte ſimul latentium toruitas, tanta capitis deſtituti, &c.

Eſt qui legat, *ſub fronte anili latentium.* Rectam lectionem arbitror, *ſub fronte ſima latentium.* id eſt, turpiter depreſſa, & vt capellarũ nares, iacéte.

CAPVT VII.

Conatus Plautini verſus emendandi Truculento.

SCENA, Mirum videtur.

Heus tu, iam poſtquam in vrbem crebrò commeo,
Dicax ſum factus, iam ſum cauillator probus.
AST. *Quid id eſt amabo? iſtæcce ridicularia*
Cauillationes vis fortaſſe dicere?
ST. *Ita vt panxillum differt à cauillulis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

priores versus in vitio esse, manifesta res ex sequentibus. Rusticum enim illum verbum aliquod absurdè & imperitè pronútiasse, paret ex eo quòd vrbana ancilla quasi diuinando mẽtem eius persequitur. Adde quòd secundus versus in legem iambici trimetri committit syllaba abundanti. Elegantissimi vir ingenij M. Antonius Muretus leg. censebat, (ita enim in sermone ab eo accepi) *Dicax sum factus, iam sum villator probus.* Rusticum enim illum truncasse capita dictionum, vt Rabonem pro Arrabonem, & Coniam pro Ciconiam diceret, sequentes versus docent. Ab eodem igitur exemplo, hîc (inquiebat Muretus) Villator, pro Cauillator erit. Probo & amplector, ita Musæ me ament, amicissimi hominis εὐτροχίαν: quid tamen mihi leuiter videatur, non celabo Lectorem. Putarim leg. *iam sum cauliator Probus.* Nam hominẽ à villa & rure sumpsisse quiddam de copia domestica, & ad caulas ouium suarum alludentem Cauliatorem, pro, Cauillatorem dixisse, quid ni probabile sit? Et ad hoc exemplum versum illum è sequentibus emendarim, qui ceteroqui mirè friget, *Ita vt pauxillum differat à caululis.* quo rusticus quasi ἐτυμολογεῖ suum illud, Cauliator. Harum sententiarum vtra melior, verior, Senatum litteratorum hominum arbitrari volo.

CAPVT IIX.

Mos antiquus apud Dionem explicatus.

QVÆRI memini quid Dio Cassius lib. LIII. iis verbis voluisset, Χαριζομένων δ' αὐτῷ ἄλλων ἄλλα, Σέξτος τὶς Παπίριος πάντας ἐξενίκησεν. ἐν γὰρ τῷ συνεδρίῳ ἑαυτόν τε οἱ τὸν τῶν Ἰβήρων τρόπον καθωσίωσε καὶ τοῖς ἄλλοις συνεβούλευε τοῦτο ποιῆσαι.

Et post pauca, addit,

ἀφ' ἧπερ καὶ νῦν προτρεπόμενοι τὸν κρατοῦντα, λέγειν εἰώθαμεν, ὅτι σοὶ καθωσιώμεθα.

quæ postrema eruditus interpres ita nuper conuertit, *Vnde tractum vt hodie etiam qui imperatorem verbis adhortantur, se ei dicant esse sacros.* Sed quis in veteri historia vnquã legit? Sacri tibi sumus Imperator. Arbitror igitur Dionem ita vertendum, *Deuotos se illi dicant*, & in mente eũ habuisse morem antiquæ adulationis quo solent cùm in sermonibus ad Imp. tum in statuis eius semper illud sollenne addere, *Deuoti numini maiestatiq; tuæ.* Plena exemplorum monumenta. Romæ in Farnes. ædibus,

D. CAESARI
GORDIANO
FELICI. INVICTO
AVGVSTO
NVMESIVS. QVINTILIANVS. V. P.
AB. EPISTVLIS. LATINIS
DEVOTVS. NVMINI
MAIESTATIQ. EIVS.

Idem in sexcentis lapidibus inscriptum vidimus cum his notis, D.N.M. Q.E. Quin vulgò etiam ita loquebantur in gratiis habendis. Seneca De benef.

benef. lib. III. cap. IIII. *Nemo non victuram in animo suo memoriam dixit. nemo non deditum se & deuotum professus est, & si quod aliud humilius verbum quo se oppigneraret, inuênit.* Hunc igitur illorum temporum morem Dio ab Apudio illo manasse tradidit, qui Hispanorum exemplo se pro salute Augusti deuouit. Hispanorum, inquam: & ita rectè Dio scripsit. Frustra est vir doctus qui id in Gallos tantùm auctoritate Cæsaris adductus conuenire existimat. Vide Plutarchum in Sertorio.

CAPVT IX.

Pseudolus Plauti correcta.

SCENA, Minus malum.
Sed vt occæpisti perge operam experirier.
Lego, *opera experirier.* Scena, Malus & nequam.
HA. *Tun' is es?* SI. *chlamydate caue sis tibi à curio infortunio.*
Atque in hunc intende digitum, hic leno est.

Quod istud Curium infortunium? an à cura ductum? vt Agnus Curio, in Aulularia. an potius est legi, *Curtio infortunio?* Nam Curtium scimus cùm Romæ terra hiasset, & postulionẽ Di manes vellent, immisso equo præcipitasse in foueam. Itaque cùm vulgò vtamur, In foueam decidere, pro, Decipi, Induci: fortè an Plautus idem per ambages indicans, Curtium infortunium dixit, id est, caue ne Curtij exemplo in foueam præcipitere. Plautus idem Persa,

Videsis ego ille doctus leno pænè in foueam decidi. & alibi.
Scena, Quid hoc?
Pergitin pergere? ah sæuiendum mihi
Hodie est. magnum hoc vitium vino est.

Præclarè vet. Rouerij, *ah sedendum mihi.* Cùm enim pulchrè madidus Pseudolus introducatur, nec vini vim pedes sustinerent; quis non videt Sedendi verbum huic sententiæ esse?

Profectò ædepol ego nunc probè habeo madulsam.

Festi epitome, *Madulsa, ebrius, à Græco μαδ ἄν deductũ, vel quia sit madidus vino.* Si hoc rectè Festus, quis hærebit quin recta mea correctio sit, *probè habeo madulsa?* Probè habeo, id est, dulce mihi est. Vel etiã, *Abeo madulsa.*

Ita victu excurato, ita mundiciis digni ah,
Itaque in loco festiuo sumus festiuè accepti. Lego, *dignè ah.* Nam hoc hominis ebrij ebriosa oratio dicit, dignè se & festiuè acceptos.
Itaque dum enitor, pax, iam pænè inquinaui pallium, nimiæ tum
Voluptati ædepol fui ob casum.

Alter Vat. *pallium temeto. Voluptati.* quam lectionem repudiandam non arbitror.

CAPVT X.

E Propertio cursim quædam decerpta, & Ennius emendatus.

LIBRO qui vulgò quartus est, Eleg. I.
Quà nebulosa cauo rorat Meuania campo,
Et lacus æstiuis intepet Vmber aquis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scandentisq; axis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille meo.

Doctissimus Canterus noster emendauit, *Scandentisq; arcis consurgit*: vt suprà, *Scandentes siquis cernet de vallibus arces.*

A quo & ipse sensi ante inspectos libros. At enim illi omnes quasi conspiratione facta, *Scandentisq; asis*. Et fallit me meum augurium, an inuenta veritas est? Arbitror rectam scripturam, *Scandentisq; Asis*. Asin, vel si placet Asum, nomen montis cuiuspiam accipio, qui Propertij patriæ adhæreret. Testem laudo vitam Propertij scriptam, quæ est in libro Fuluij his verbis: *Propertius Vmber ex Asisio opido, dicto ab Aso monte sibi opposito: pater periit bello ciuili, &c.* Quin & versu illo quem Canterus laudat, vetus Mureti habet, *Scandentes asis siquis*. Silio tamen libro VIII. Asis fluuius est.

Ossaq; legisti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse lares.

Vatic. *cogeris esse*. Lego, *isse*.

Eleg. II.

Nec me turba iuuat, nec templo lætor eburno.

Vatic. *Hæc me*. eaque germana lectio. Infrà,

——facite vt Romana per æuum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus: te qui ad vadimonia curris
Non moror, hæc spatiis vltima meta meis.

Recta sententia, non recta lectio. Nam veteres omnes disertim *vltima creta*: vnus, *vltima cura*. Creta vera scriptura est. vt enim veteres metam in Circo Calcem vocarunt, ita ab Augusto ætas posterior, Cretam. Seneca lib. XIX. Epistol. *Deinde transit ad ea quæ consuetudo sæculi immutauit, tanquam quod ait Cicero: Quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione reuocati: hanc quam nunc in Circo Cretam vocamus, antiqui Calcem vocabant*. Caussam appellationis è Plinio cognoscimus, quoniam meta creta notari solet. Lib. XXXV. *Est & vilissima creta qua Circum præducere ad victoriæ notam, pedesq; venalium trans mare aduectorum denotare instituerunt maiores*. Inde apud Lucret.

Præscripta ad candida calcis. Varronem, *Nemini*
Fortuna currum à carcere anima missum leui.
Inoffensum per æquor candidum ad calcem subit.

Ita apud Nonium lego, in Calx.

Eleg. III.

Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in gladios vellera secta suos.

Beroaldus interpretatur, secta, inquit, in gladios suos, quia paludamento purpureo indutus pugnabat in Tyrios, à quibus ea dona erant. Ridiculè. Amicus autem noster, gladios, virgas interpretatur, intellegens, vt opinor, virgatas tunicas. Frustrà. Corrupta enim lectio est, & præeunte Farnes. libro qui habet, *in gradios*, emendanda, *in radios*. Radij conueniunt ad lanificium, non gladij. Virgil.

Excussi

Excussi manibus radij, reuolutaque pensa.

Geminus error insedit Ennij versum ex Annali VII. apud Nonium in Gracilentum,

Deducunt habiles gladios filo gracilento.

Quippe scrib. *radios*. Nam filum, & deducere, verba sunt eius artis quæ Mineruæ dicatur. Scripserit autem hoc fortè Ennius de Lucretia, quam cum ancillis pensum facientem regius adulter inuênit.

CAPVT XI.

Plauti Cassina liberiores aliquot versus emendati.

Hoc capite vereor equidem vt habeam propitias Musas: quòd eiusmodi quædam proponenda sint, quæ ab illarum virginali verecundia immane quantum discrepent. Dabitur tamen hoc Plauto: siquis Cato est, aut spectet Floralia, aut abeat.

Scena, Neque quò fugiam.

Ita nunc pudeo, atque ita nunc paueo, atque ita irridiculum sumus amabo.

Lego, *irridiculo sumus ambo*. De se loquitur seruus & de sene.

Vbi intro hanc nouam deduxisti.

Vaticani, *Vbi intus h. n. deduxi*. rectè.

Senex ad te decumbem.

Idem, *abs te dec*. Fortè, *Sine abs te*. verba Olympionis ad falsam Cassinam.

Respecto identidem ne semel.

Vatic. *ne senex.*

——forem abdo, ne senex me opprimat.

Scribend. *forem obdo.*

——age audacter
Quam debuisti, inde volo memorare, quid est factum?

Vetus Rouerij, *Quomodo te habuisti*. Vaticani, vt vulgati, nisi quòd, *nicte*, pro, *inde*. Lego, *Quando habuisti hinc te volo*. Scriptum enim fuit, *Quand' abuisti*. Habere propriè vsurpauit, vt Græci interdum τὸ ἔχειν, & vt Petronius respondens argutæ epistolæ scortilli illius, *Paralysim tamen cauere iubes: tanquam maior fieri possit, quæ abstulit mihi, per quod etiam te habere potui.* * *Adherat maxumum* *

Lego, *Ah, erat.*

Sed cùm cogito non habuit gladium, nam & esse frigidius eloquere.

Ex Vatic. scribo, *nam esset frigidus*. MV. *eloquere*.

SER. *At pudet*. MV. *num radix fuit?*

Vatican. MV. *memini, radix fuit.*

Nimis tu quidem herclè immerito meo mihi hæc facis.

Addendæ voces duæ à Vatic. *herclè audax es: immerito.*

Volo vt obuertam cubiti sim.

Totum locum ex vestigiis Rouer. libri lego,

Tollo vt obuertam cubitissim: verbum nullum mutit.
Surgo vt ineam, atque illi impingo suauium.
MV. *Perlepidè narras*. OL. *illa quasi sentis &c.*
Continuò astanti pectus mihi pedibus percutit.

Sup-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Supplendus versus auctorib. Vatic. *Continuò in genua astanti.* Schema illud libidinis tangit, de quo Lucianus in Asino.

Scena, Maximo ego.

Vbi tu es qui colere mores Massilienses postulas?

Athenæus de Massilienſibus, ἀχημονοῦσι δὲ ἐν διὰ τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς μαλακίαν, διὰ τρυφὴν γυναικωδῶς ζῶντες. ὅθεν καὶ παροιμία παρῆλθεν, πλέουσις εἰς Μασσιλίαν.

*Nunc tu si vis mè proba est occasio**
perisse herclè, age accede huc.

Vatican. *Nunc tu sine his subiectare me.* Restituo,

——*sine os sublectare me, proba est occasio.*

Peristi herclè. Sublectare os, est ludos aliquem & iocum facere. germanissima Plauti phrasis. Milite,

Vt ludo? MI. *quid ego vt sublecto os?*

CAPVT XII.

Ciceronis trina fragmenta restituta.

LAVDAT Nonius Ciceronis Epistolas ad Cæsarem iuniorem, & ex iis hæc verba,

Ne res duceretur, fecimus vt Hercules Antianus in aliũ locũ transferretur. Emendo, *Hercules Antæanus.* Nota est fabula de lucta Herculis cum Antæo. Statua igitur Herculis quæ hoc argumentum referebat, Hercules Antæanus à Cicerone dicta. Plinius eam in vrbe inter laudatas agnoscit lib. XXXIII. *Polycletus fecit Mercurium qui Lysimachiæ: Herculem qui Romæ, Antæum à terra sustinentem.*

Apud eundem Nonium, in Censa.

Cicero Consulatu suo, Quorum luxuries fortunata censa peperit.

Mira deprauatio. Nam Ciceronis libri De Consulatu carmine hexametro scripti fuerunt. At hîc quod vestigium versus? Lego, *Q. luxuries fortunai censa perêdit.* Loquitur de coniuratis, qui per luxuriam patrita & auita bona comederant.

Oratione contra C. Antonium & Catilinam ex Asconio.

Quid ego vt violaueris prouinciam prædicem, cuncto populo Romano clamante ac resistente? Nam vt illic te gesseris non audeo dicere, quoniam absolutus es.

Puto leg. *Quid ego vt inuolaueris p.p. c. populo reclamante.* & id sequentia planè probant.

CAPVT XIII.

Plauti Asinaria antiqua scriptura reposita, alia quædam correcta.

SCENA, Cur me retentas.

Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.

Optimus ille Vatic. *Monerulam.* quam scripturam solicitare mihi sanè religio sit. Nam antiquos scilicet r. pro. d. vsitasse, Aruocatos, Arfines, Arfari.

Arfari. vt Priscianus adnotat. Ita emendo apud Nonium, in Sublegere, Turpilij, *Qui mea verba venatur pestis, arcedat, & sermonem hinc sublegat.* Vulgò, *ars cædat.* Eadem Plauti scena.

Quem te autem nominem Deum? LE. *fortunam atque obsequelam.*

Vatic. *atque obsequentem.* Eleganter: seruus vocari se Fortunam vult, & quidẽ quia obsequebatur amori & voluntati heri sui, cognométo Obsequentem. Colebatur autẽ Romæ Fortuna obsequens: eoq; allusum est.

Dabuntur, animo sis bono, facilè exoptata obtingent.

In verbo notissimo non temerarium est quòd variant libri. Opt. Vaticanus, *face, exoptata.* alius, *Facie exoptata.* Equidem pignus in omnes fortunas meas dederim, Plautum scripsisse, *Faciem, exoptata obt.* antiquè, pro, Faciam. Veteres, Faciem, Dicem, pro Faciam, Dicam, scripsisse auctor Quinctil. lib. I. Corrige Festum, *Recipiem, pro recipiam, apud Catonem, vt alia eiusmodi complura.* ineptè vulgò, *Recipie.* &, *Attingem pro attingam posuere.* non *Attinge.* & *Dicem pro Dicam antiqui posuere.* non *Dice.* Lego ita apud Nonium in Putre, versus Titinnij,

Date pensam lanam, qui non reddet tempori
Putatam rectè, faciem vt multetur malo.

Scena, Ain tu.

Quid fatere? DE. *me ex amore huius corruptum esse oppido.*

Vatic. optimus, *correptum esse.*

Scena, Siccine hoc fit.

Sordido vitam oblectabas pane, in pannis inopia.

Lego vnita voce, *Inpannis, inopia.* Inpannem vocat qui caret pannis: Inopiam, antiquè pro Inopem. Ita poëta vetus apud Nonium, Depannis dixit, non vt Nonius somniat diuisim, De pannibus, pro Pannis.

Scena, Vbi ego nunc.

Placidè ergo vnumquidque rogita, vt acquiescam.

Vaticani, *vnumquidque derogita.* voce composita, vt Dememorare apud alium nescio quem poëtam.

Scena, Quid hoc est negotij.

Iamnunc secunda mihi facis, scibam huic te capitulo hodie
Facturum satis pro iniuria.

Fortè leg. *secundas mihi facis.* Secundas facere, aut secundas agere, quid sit, docet Seneca III. De ira, *Optimum iudicauit, quidquid dixisset sequi, & secundas agere. Non tulit Cœlius assentientem,* &c. Tractum à Comœdis primis & secundis.

CAPVT XIV.

Nonius Marcellus emendatus.

NONIVS in voce, Senium,

Nonius Gallinaria: Opere quæ actor, cantor, cursor, senium sonticum.

Lego, *Operæ, coactor, cantor.* In Tenacia.

Ennius Hectoris lytris: Ducet quadrupedum iugo inuitum domæ infrena, & iugo valida, quorum tenacia infrenari nimis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adiutus à Vaticano codice emendo, *Duce quadrupedem iugo inuitum, doma infrenum, & iunge validè: equorum tenacia infrenari minis nequit.*

Ibidem.

Afranius priuigno: Vixisti durus, difficilis, tenax.

Expleo trimetrum ex Vatic. *Vixisti tristis, durus.*

In Illicere.

Nauius Lycurgo: Alis sublime alios saltus illicitè.

Lego, *illicit. Alis*, antiquè pro Alius.

In Caluitur.

Caluitur dictum est frustratur. tractum à caluis mimis, quòd sint omnibus frustratui.

Libri vett. *caluis mimicis.* Scribo, *inimicis.* Cùm enim inimicos crinibus trahere soleamus, vnde vulgata illa comica phrasis, Inuolare in capillos: putat Nonius inde dictum Caluitur, quòd inimici calui frustrà capillis traherentur. In Merenda.

Afranius Fratriis: Merendam occurro cautè, cùm veni iuuat.

Lego, *Merendam accurro lautè, quod Venus iuuet.*

In Tintinnire.

Nigidius lib. XVIII. *Itaque ex ære in Saliaribus Altanus tintinnat. id est, sonat.*

Scribo, *Albanus.* intellego de monte Albano, quem Nigidius ait resonare ex crepitu æris in Saliaribus, siue Armilustro.

In Silicernium.

Varro Meleagris: Funus exequiati laude ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus.

Legend. *funus exsequiati, lautè ad.*

In Auerruncare.

Pacuuius Medo: Possum ego istam capite cladem auerruncassere.

Puto scribend. *istanc à te cladem.*

In Cognomen.

Afranius Diuort. Letium genus cognominationis morborum cognominis.

Emendo, *Leti omne genus cognominationi morborum cognomen est.* vel, *cognomine est.*

CAPVT XV.

Miles Plauti correcta.

SCENA, Iámne est,
Iámne est ante ædes circus, vbi sunt ludificandi mihi?

Non displicet alterius Vatic. lectio --*ante ædes hircus qui est ludificandus mihi.* Senes per contumeliam Hircos vocabant, vt Menæchmis,

Post autem illic hircus alius qui sæpe ætate in sua
Perdidit ciuem innocentem falso testimonio.

Quanquam prior illa lectio valdè etiam proba, & imaginis notæ.

Priúsne quàm illam oculis tuis? PX. *ideo id quod credo tibi.*
Cùm hæc locutus. illa autẽ absens adigit me vt amem herclè hanc quidẽ.
PA. *Nihil tu amasis, mihi hæc desponsa est.*

Fœdè

Fœdè acceptus locus. Vaticani habent, *Cùm hæc elocutam illam autem absentem subigit me vt*, Putarim legend. & distinguend.

—— PX. *video, idq; credo tibi:*
Eecum hæc elocutam. PA. *illam autem absentem?* PX. *subigit me vt.*

Decorum videlicet in libidinoso milite seruans Plautus facit eum ad conspectum ancillulæ statim adhinnire: quem reprehendens quasi Paleutrio, Minimè gentium, inquit, túne vt huic te des priusquam illam absentem videris?

Aut facturum aut non facturum: quid illam miseram & amicam crucias?

Optimè Vatic. *illam miseram animi crucias.*

Atq; adeo audin' tu, dicito doctè & cordatè. MI. *cura aliud.*

Libri vett. MI. *vt cor ei saliat.* idque germanum. Alludit enim ancilla ad id quod seruus dixerat, *Cordatè:* in amore autem vehementi cor subsilire solet. Lucian. de Syria dea, ὡς δὲ ἡ μητρυιὴ ἀπίκετο, τήν τε χροιὴν ἠλλάξατο, καὶ ἱδρώειν ἄρξατο, καὶ τρόμῳ ἔχετο, καὶ ἡ καρδίη ἀνεστάλλετο. τὰ δὲ γιγνόμενα ἐμφανέα τῷ ἐντρῷ τὸν ἔρωτα ἐποίεε.

CAPVT XVI.

De armis ancilibus vetus religio explicata: Tacitus & Suetonius illustrati.

MAGNA religione olim & singulari ceremonia Arma ancilia fuerunt, quæ cælo delapsa tanquam pignus imperij à Romanis seruabantur. Ea quotannis statо tempore per sacerdotes alioq; primores vrbis quos Magister Saliorum dilegisset per vrbem circumferebantur, ac demum certo die condebantur. Id fiebat mense Martio. explicantque hunc ritum Dionysius lib. II. & Plutarchus in Numa. Cetеrùm iis diebus omnibus quibus ancilia mouebantur, tanta religio homines, vel superstitio potius, habebat, nihil vt publicè geri, non arma capi, non castra moueri, non iter suscipi fas esset: & qui eam consuetudinem migrasset, sacer improbusque haberetur, tum etiam quod egisset infelix infaustumque capiti eius crederetur. Ad hunc morem pertinet Taciti locus Histor. I. *Fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemq; nondum conditorum ancilium adferrent: aspernatus omnem cunctationem vt Neroni quoque exitiosam, & Cæcina iam Alpes transgressus exstimulabat.* & Suetonij lib. VIII. *Expeditionem autem impigrè & præpropere suscepit, sed & motis necdum conditis ancilibus.* Nam quòd eruditissimus Turnebus censuit morem fuisse vt Romani duces ad bellum profecturi irent prius ad templum Martis, atque ibi motis ancilibus dicerent, Mars vigila, deinde arma iterum conderent: Othonem quidem igitur mouisse arma non condidisse, idq; religiosum habitum: logi sunt. neque aliud in ea re fuisse, quàm id quod posui, docet Liuius lib. XXXII. *Statiua deinde ad Hellespontum aliquamdiu habuerunt, quia dies fortè quibus ancilia mouentur religiosi ad iter inciderant. Iidem dies P. Scipionem propiore etiam religione, quia Salius erat, seiunxerant ab exercitu.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XVII.

Stichus Plauti emendata.

SCENA, Quísnam obsecro.
Quid ego, cui misero medullam ventris percepit fames.
Lego, *perrepit fames.* —— *age tu ocius*
Pinge, humum consperge ante ædis.
Scribo, *Tinge humum.* Horat. *vino tinget pauimentum superbo.*
Alij pisces depurgate quos piscator attulit.
Fortè, *piscato rettuli.* Loquitur enim puer ipse qui à piscatu cum piscibus redierat.

CAPVT XIIX.

Suetonij lib. I. quædam à libro veteri restituta.

SVETONII trium librorum vetustum & nimium bonæ notæ exemplar in Vaticano adseruatur. In eius primore libro quod dignum adnotatione visum fuit, hoc capite dabo.

Cap. XXIV.

Crassum Pompeiumq; in vrbem prouinciæ suæ Lucam extractos compulit vt detrudendi Domitij caussa Consulatum alterũ peterent: perfecitq; vtrumq;, & vt in quinquennium sibi imperium propagaretur. Qua fiducia &c.
Alio & longè meliori verborum ordine ille vetus, *alterum peterent, & vt in quinquennium sibi Imperium propagaretur. Perfecitq; vtrumque. Qua fiducia.* Ibidem.
Ad legiones quas à rep. acceperat alias publico alias priuato sumptu addidit.
Aberat à veteri hoc totum, *alias publico:* & puto supereſſe.

Cap. XXV.

Galliam in prouinciæ formam redegit, eique in singulos annos stipendij nomen imposuit.
Admutilatum locum sic explet vetus, *eiq;* CCCC. *in singulos annos stipendij nomine imposuit.* id est, quadringenties sestertium. Verum id esse docebit Eutropius lib. VI. De Cæsare, *Galliæ autem tributi nomine annuum imperauit sestertiũm quadringenties.*

Cap. XXXIIX.

Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos super bina H-S, quæ initiò ciuilis tumultus numerauerat, in equites vicena quaterna millia N. dedit.
Illud, *in equites*, abest à veteri, & planissimè sententia repudiat.

CAPVT XIX.

Plautina Scena in Pœnulo emendata.

QVAM Scenam clarissimus Sambucus Plautinæ Pœnulo à fine addidit, eam in Vaticanis libris & ipse perscriptam repperi. De cuius germanitate etsi ambigi posse video, tamen cuius cuius ea est, non indignam certè iudico è qua monstra aliquot lectionum leui manu tollamus. Primum autem animaduertendum, vniuersam Scenam Iambicis trimetris scriptam, & sic distinguendam,

Quam rem agitis miles, qui lubet patruo meo
Loqui inclementer, ne mirere mulieres
Quòd eum sequuntur, modò cognouit filias.
atque ita deinceps.
Suas hasce esse amissas. LY. *Hem quod v.*
Vaticani, *esse ambas.*
Vtrum is est nouellæ nouellicus in seruitute.
Portenta verborum. Scribe, *Vtrumuis est vel leno vel Lycus.*
Ita enim superiori Scena. *Quis hic est?*
AG. *Vtrumuis est, & leno & Lycus.*
Aurum, argentum, collum, lenostris res nunc debes simul.
Optimè Vatic. *leno tris res.* id est, tres.
Ego pænè tibi me purgatum volo.
Scribo, *pænæ.*
—— aut auri mihi reddas omnia.
Vatic. benè, *reddas minam.*
Aurum cras sat referam tuum
Lego, *cras at te referã.* pro, ad te. Reliqua errata lector tua spõte aduertes.

CAPVT XX.

In Propertio paucula animaduersa.

QVOD in Propertij omnibus libris legitur Eleg. XVIII. lib. III.
Tu quoque qui æstiuos spatiosius exigis ignes
Phœbe moraturæ contrahe lucis iter.
Nox mihi prima venit, primæ data tempora noctis
Longius in primo Luna morare thoro.
eripi mihi difficilè potest quin perperam & transuerso ordine legatur, potiusque Propertius scripserit,
Nox mihi prima. v. p. d. t. n.
Phœbe m. c. l. i.
Tu quoque qui æst. s. e. i. Sicut eiusdem Elegiæ versum illum,
Testis sidereæ torta corona deæ. retrahendũ inferius iudico post illũ.
Et quibus imposuit soluit mox vincla libido,
Testis sidereæ t. c. d. altero illo, *Contineant n. o. p. f.* superius in eius locum ablegato. Hoc enim dicit, Quàm facilè amor soluatur quem sola libido iunxit, testatur Ariadna illa cuius à Theseo desertæ corona in cælo adspicitur. Sed hæc docti iudicabunt.

Eleg. XXV. lib. II.

Vidistis quandam Argiua prodire figura,
Vidistis nostras: vtraque forma rapit.
Lego, *Vidistis nostra.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibidem.

Vidistis pleno teneram candore puellam.
Vidistis fusco: dulcis vterque color.

Fuluij & Mureti liber, *ducit vterque⏑*. optimè, id est, delectat.

Eleg. XXVI.

Quæq; tibi excepi tum Dea leucothoe⏑.

Benè libri, *iam Dea.*

Ibidem.

Et tibi præ inuidia Nereides increpitarent.

Libri, *Et tibi ob inuidiam.* Eleg. XXVII. porrò quæ in vulgatis est, libri antiqui coniungunt cum priori, idque approbo.

Eleg. XXIIX.

Munera Dianæ debita redde choro.

Veteres, *redde choros.* rectè. Nam in Dianæ honorem accensis tædis saltare solent. Propertius,

Cùm videt accensis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ.

Eleg. XXXII.

Hoc vtinam spatiere loco, quocunque vagaris
Cynthia, sed tibi me credere fama vetat.

Fuluij & Vatican. *quodcumque vacabis.* Farn. diserte, *vagabis.* idq; rectum. Antiqui promiscuè, Vago & Vagor dixerunt. Vide Nonium.

Nam quid Prænestis dubias ô Cynthia sortes.

Vatic. Farnes. *quid Prænesti.*

CAPVT XXI.

Truculentus percursa.

SCENA, Ite, ite.

Bonorum hamaxagogæ. Satinne qui amat &c.

Ex libris scrib. *Bonorum exagogæ.*

Qui bona sua pro stercore habet, foras iubet ferri, metuit
Publicos, mundissimum sit.

Lego, *mundissimus' st.* Ludens ait amatorem metuere Ædiles quibus cura viarum & publicæ munditiei erat, ideoq; mundissimũ suis in rebus esse.

*Abundat. at hoc saltem seruat * vbi ea est apparet. huic des.*
Quamtumuis, nusquam apparet.

Vatic. *saltem seruat mecum illi subest apparet.* cuius vestigia vnà cum sententia secutus emendo, *at hoc saltem seruat mare, quod illi subest apparet: huic des.* Mulierem meretricem mari comparat, magis etiam voracem esse adductis dein caussis ostendit.

Iubeo vos valere. PH. *noster Geta.*

Vaticani, *vos saluere⏑.* Paullò antè,

Velut meretrix meum herum miserum sua blanditia intulit
In pauperiem.

Scribo, *Impulit in paup.*

Adde

Adde istoc iam hercle ego te hic hac offatim offutiam.

Lego, *offatim confuciam.* siue, *conficiam,* v. pro I.

Si tu ad legionem bellator clues, at ego in culina clueo.

Vetetes, *in culina aue:* alij, *aues.* Roueri cod. *ares.* & id germanissimum arbitror. Ares Græcè Mars.

Scena, Date soleas.

Num quidpiam auarum mutat mores mulierum?

Vatic. *auarum vt ad mores.* perspicuè verum.

Scena, Mirum videtur.

Lepidè mecastor nuncias, sed dic mihi,
Habent? ST. *Parasitum te fortasse dicere⏑.*
AST. *Intellexisti lepidè quid ego dicerem.*

Puto corrig. *Habén'?* ST. *περὶ σίτου te fortasse⏑.* Amat enim Plautus in hac fabula abuti Græcas voces. Sententia quidem concinna est. Meretricula principiò de obsonio solicita, sine quo friget Venus, Haben'? inquit: ille autem rusticellus vt catum se & facetum faceret, occupans respondere; Intellego, inquit, de cibo quæris: ego verò ad eam rem habeo.

Scena, Egóne tibi.

Pro filiolo. CA. *pro filiolo.* DI. *i obsecro vostram fidem.*

Error omnium librorum. Lege, sub persona Callicli. *pro filiolo? dij obsecro vostr.*

Scena, Blitea.

DI. *Mulier assum. profectu' st.* PH. *quid agitur voluptas mea?*

Lego & interpungo, *assum.* PH. *profectò is est: quid agitur?*

Id quoque interim futatim nomen commemorabitur.

Scribo, *furatim,* siue, *furtim,* ex sententia.

CAPVT XXII.

Nonius Marcellus emendatus.

VERSVS Attij apud Nonium, in Seges, leguntur tentati ab eruditissimo Iunio, quorum partem corrigendam censeo sic,

Fortè ante auroram radiorum ardentum indicem
Cùm è somno in.s. agrestes cornutos cient
Vt rorulentas terras ferro, rosidas. &c.

Cornutos vocat boues, ἐπιθετον pro re.

In Nubentes.

Nubentes veteri lege Ro. asses tres ad maritum venientes solebant ferre⏑, atque vnum quem in manu tenerent tanquam emendi caussa marito dare⏑: alium quem in pede haberent, in foco Larium familiarium ponere: tertium in sacciperione cùm condidissent compito vicinali solere resonare⏑.

Omnino legend. *solere donare⏑.*

In Portulaca.

Varro Disipl. lib. VIII. *Manducata portulaca cito tollit.*

Puto leg. *sitim tollit.*

In Lurcones.

Pomponius Syris: Lapatium nullum vescebatur, lardum lurcabat lubens.

Lego,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lego, *nullius veſcebatur.* Nullus, pro Non, Comicorum more.

In Vitulantes

Vitulantes veteres gaudentes dixerunt, dictum à bonæ vitæ commodo.
Fortè, *à boue vitæ commodo.* Nam antiqui Italum vel vitulum, bouem dixerunt, & quòd eum in lætis rebus mactarent, tractum inde Vitulari. Macrobius tamen deriuat à Vitula Dea quæ lætitiæ præeſt.

In Delirare.

Lucill. Quapropter deliro & cupidè officium fungor ruderum.
Vetus Vatican. *fungor ruberum.* Lego, *fungor Iberum.* Nam Lucillius in Hiſpaniam cum prætore profectus.

In Circus.

Accius Andromeda: Quot luna circulos annuos inſtitit,
Vatic. *anno in curſu inſtitit.* lego, *annuo.*

In Inuolare.

Lucill. lib. xxx. *Inde canino ritu oculiſq; inuoluem.*
Scrib. *oculʼ óſque inuolem.* pro, oculos.

In Vituperare.

Lectum eſt autem & vitium dare, hoc eſt vnicuique rei culpam ampliare.

In Lictores.

Lego, *culpam applicare.*
Lictoris proprietatem à ligando dictam vetuſtas putat: ita enim carnificis officium antiquitus fungebatur.
Emendo, *Ii enim c.o.a. fungebantur.*

In Proletarij.

Tunc Marcus præco primùm proletarios armauit.
Legendum, *Marcius Prætor.*

In Euallare.

Titinnius Prælia: Qua ego hodie extorrem hanc domo faciam pilatricem pallia euallauit: ô pulchrè.
Scrib. puto, *Quia e. h. e. h. d. f. pilatricem pallij, euallauero pulchrè.*

In Minitabiliter.

Attius Ænea: Galleci voce canora fremitu peragrant minitabiliter.
Lego, *Gallei voce.* Loquitur de Gallis matris Deûm.

In Profligare.

Profligare verbum paſsiuum ad vſum trahi cœptum.
Emendo, *paſsim ad vſum.*

APPROBATIO.

Omnia ſincera ſunt, neque quidquam habet quod offendere poſſit pium ac Catholicum lectorem.

VValtherus vander Stegen S. Theol. Licentiatus & Eccleſiæ Antuerpienſis Canonicus.

INDEX

INDEX EORVM QVÆ SINGVLIS LIBRIS TRACTANTVR.

LIBRO PRIMO

CAP. I. In Plauti Amphitruone antiquam vocem reponendam videri.
CAP. II. Nonius Marcellus emẽdatus.
CAP. III. Truculentus Plauti correcta, & verſibus duobus aucta.
CAP. IIII. Propertij Elegia de raptu Hylæ emendata.
CAP. V. Plautus Trinũmo emendatus.
CAP. VI. Germanicæ gentis nomen apud Dionem Caſſium reſtitutum.
CAP. VII. Aſinaria Plauti de locis duobus coniectura.
CAP. IIX. Petronij Arbitri aliquammulti loci de opinione emendati.
CAP. IX. Elegans iocus Plauti Perſa reſtitutus.
CAP. X. In Agellio duũm locorũ correctio, tertij in ordinem veterẽ reſtitutio.
CAP. XI. Plauti miles emendata.
CAP. XII. Quæ ſit in Cicerone aquaria prouincia, & cur in ea adclamari ſolitũ.
CAP. XIII. Plauti Miles correcta.
CAP. XIV. Ex Tragœdia Senecæ quæ Octauia inſcribitur menda aliquot ſublata.
CAP. XV. Plauti Truculento antiqua vox, & alio verſu vetus ſcribendi ratio repoſita.
CAP. XVI. E Corn. Tacito Dialogo De cauſſis corruptæ eloquentiæ, loci duo emendati.
CAP. XVII. Plauti Pſeudolo verſus de coniectura correctus.
CAP. XIIX. Varro in Fragmentis emendatus.
CAP. XIX. Miles Plauti correcta, & antiqua vox reſtituta.
CAP. XX. In Propertio antiqua ſcriptura repoſita, alia quædã carptim adnotata.
CAP. XXI. Plauti Curculione verſus dũo reſtituti: & cur paraſitus Herculem nutricem inuocet, explicatum.
CAP. XXII. T. Linij locus auxilio libri veteris, & alij tres à coniectura reſtituti.
CAP. XIIII. Acuta ſententia Plauti verſus apud Nonium repoſita.

LIBRO SECVNDO.

CAP. I. Plauti Pſeudolo elegans locus reſtitutus.
CAP. II. De Ciceronis locis aliquot è libris De legib. iudicatum.
CAP. III. Plauti Rudente verſus quattuor à coniectura correcti.
CAP. IV. Nonij Marcelli aliquammulti loci purgati.
CAP. V. Plautinæ Militis verſus, & alter Pœnuli emendatus.
CAP. VI. Apud Macrobium elegans Ciceronis iocus reſtitutus: ſimilis error è Suetonio ſublatus.
CAP. VII. Plauti Aſinaria antiqua vox, & alio verſu Græcanicum genus dicendi repoſitum.
CAP. IIX. De Iano Gemino à Nerone clauſo, in eoque Tacitum à Suetonio diſſentire.
CAP. IX. Plautus in Moſtellaria verſu vno auctus & idem Pſeudolo.
CAP. X. Propertij verſus complures emendati.
CAP. XI. E Caſſina locorum trium correctio.
CAP. XII. Ciceronis loci duo, quorum alter ab Alcæo videatur, alter ab Homero.
CAP. XIII. Plauti Mænechmis locorum aliquot emendatio.
CAP. XIV. Quinctiliani locus correctus: marmor antiquum expreſſum.
CAP. XV. Plauti Epidico verſus, & alter Bacchidibus reſtitutus.
CAP. XVI. Corn. Tacitus à mendis aliquot vindicatus.
CAP. XVII. Plauti Pœnulo de tribus locis coniectura.
CAP. XIIX. Qui ſint dij Semones, & in eam rem Varro emendatus.
CAP. XIX. E Pœnulo Plauti quædam delibata.
CAP. XX. Propertius emendatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XXI. Plauti Perſa tranſpoſitos verſus videri.
CAP. XXII. Q. Ennij inſignes verſus apud Agellium emendati.

LIBRO TERTIO.

Sermo conuiuialis, in quo conuiuiorum veterum ritus proponuntur; in eam rē varij ſcriptores emendātur, explicantur.

LIBRO QVARTO.

CAP. I. Propertij Elegia de morte Corneliæ emendata.
CAP. II. Plauti Truculentus dimidiato verſu augetur.
CAP. III. De Ciceronis duobus locis Oratione de Aruſpicum reſponſis leuis coniectura.
CAP. IV. Plauti Pſeudolus emendata.
CAP. V. Nonius aliquot locis purgatus.
CAP. VI. Plauti Truculētus reſtituta.
CAP. VII. Seneca in libello De Breuitate vitæ, duobus locis emendatus.
CAP. IIX. Plauti Pſeudolus emendata.
CAP. IX. Varro duobus locis reſtitutus.
CAP. X. Plauti Pſeudolo locorū duūm cum Græcis comparatio.
CAP. XI. E Propertij libro I. complures loci obſeruati.
CAP. XII. Plauti verſus Truculento de opinione correctus.
CAP. XIII. De Ciceronis locis duobus Epiſtolis ad Q. Fratrem coniectura.
CAP. XIV. Plauti Miles emendata.
CAP. XV. Liuius aliquot locis reſtitutus.
CAP. XVI. Plauti Truculentus correcta.
CAP. XVII. Nonius Marcellus carptim emendatus.
CAP. XIIX. Litteram I. cum V. ſæpe locum commutare, eiuſq; generis menda aliquanta ſublata.
CAP. XIX. Ciceronis Epiſtolæ ad Atticum reſtitutę.
CAP. XX. Plauti Miles emendatur.
CAP. XXI. In Senecæ ludo De morte Claudij quædam animaduerſa.
CAP. XXII. Plauti Miles correcta.

LIBRO QVINCTO.

CAP. I. E Plauti Caſſina quædam delibata.
CAP. II. De Ciceronis locis tribus coniectura facta.
CAP. III. Plauti Truculētus emēdata.
CAP. IV. Agellij noctes aliquot maculis liberatæ.
CAP. V. Plauti Miles emendata.
CAP. VI. Senecæ duo loci correcti.
CAP. VII. Conatus Plautini verſus emendandi Trucul.
CAP. IIX. Mos antiquus apud Dionem explicatus.
CAP. IX. Pſeudolus Plauti correcta.
CAP. X. E Propertio curſim quædam decerpta.
CAP. XI. Plauti Caſſina liberiores aliquot verſus emendati.
CAP. XII. Ciceronis trina fragmenta reſtituta.
CAP. XIII. Plauti Aſinaria antiqua ſcriptura repoſita, alia quædam correcta.
CAP. XIV. Nonius Marcellus emendatus.
CAP. XV. Miles Plauti correcta.
CAP. XVI. De armis ancilibus vetus religio explicata: Tacitus & Suetonius illuſtrati.
CAP. XVII. Stichus Plauti emendata.
CAP. XIIX. Suetonij lib. I. quædam à veteri codice reſtituta.
CAP. XIX. Plautina Scena in Pœnulo emendata.
CAP. XX. In Propertio paucula animaduerſa.
CAP. XXI. Truculentus percurſa.
CAP. XXII. Nonius Marcellus emendatus.

FINIS.

IVSTI LIPSI

EPISTOLICARVM QVAESTIONVM LIBRI V.

In quis ad varios ſcriptores, pleræque ad T. Liuium, Notæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD AMPLISSIMVM BRABANTIÆ CANCELLARIVM.

QVAESIVI, VIR AMPLISSIME, cui libri huius munus deferrem: nec inueni cui magis vellem, cui magis deberem, quàm tibi. Vellem, quia vnus eximiè inter Belgas intelligis hoc genus antiquæ doctrinæ, & quia intellegis, amas: deberem autem, propter illustres & in ore omnium virtutes tuas. Et virtutes dico publicas priuatasque. Multos iam annos in summo isto patriæ tribunali quasi clauum Iustitiæ tenes. tenes autem ita, vt, quod admirabile sit in tam varia & in diffusa iurisdictione, effugeris non solùm querelas bonorum, sed etiam calumnias improborum. Meritò. amant enim homines te, quia hominem in iure deponis: & libenter acquiescunt decretis tuis, quia tu Iustitiæ non excedis. Iubet illa sententias æquabiliter promere? tu promis. nihil tribuere gratiæ, aut metui? non tribuis. premere noxios, tegere innocentes? tu facis. nec vnquam salutarem dextram tuam aut bonis defuisse sensimus, aut malis adfuisse. Iam verò antiqua & ignota propè huic sæculo laus incorrupti tribunalis, propriè est tua. Absit à scriptis meis vanitas: sed mehercle prodeat animosus ille corruptor Macedo, aut alter Epirotes: scient mirabunturque etiam Belgicam habere Fabricium & Curium suum. Et hæ quidem virtutes in publicum spectant: sunt aliæ domesticæ, & penatium, vt sic dicam, tuorum. de quibus cùm dicere admiratio mea iubeat, vetat modestia tua. & parebitur potiùs tibi. Tu tantùm, vir maxime, libens volensque accipe hoc litterarium munus, animi mei & virtutis tuæ testimonium. quod æternum fortasse non erit; ego tamen mitto, tamquam futurum. Louanij. a. d. xv. Kal. VII^bres. ∞. IↃ. LXXVI.

AD LECTOREM.

POST *Cornelium Tacitum editum & Antiquas, sustinui me paullisper à scribendo: & haud scio, Lector, an potius fuerit etiam nunc abstinere. adeò non solùm tempora iniqua litteris sunt, sed etiam iudicia hominum. Vtinam fallar! sed vt hæ res fluunt, Domitiani edicto opus non erit; bonæ artes breui in exsilium ibunt sua sponte. Ego tamen in mediis turbis, Quæstiones has Epistolicas quasi è quercu exsculpsi; ita inscriptas veterum aliquot exemplo. nec scio an titulus operi planè respondeat: vel potius, ne mentiar, non respondet. pleraque enim adfirmamus, non quærimus, & verius fuerat Epistolicæ Correctiones. Sed de titulo, non est tanti: rem vide. Vt in Antiquis meis nuper pluria Plautina, ita hîc adsperси Liuiana occasione libri veteris apud me, quem cum cura inspeximus, cum fide expressimus. & erit, si Musæ annuent, vt eius auxilio in principe historico breui conemur maiora. Hæc te rogo. Primum, si in his mille, & quæ excurrunt, emendationibus, paucæ aliquot vel dubiæ videbuntur, vel non bonæ: ignoscas, hactenus, si meliorum maior sit numerus. Deinde autem, cùm iudicare de Notis nostris voles: ne graue sit diuertere ad scriptorem ipsum, & cum eius lectione correctionem nostram componere. Non rarò enim res magnas monemus vno verbo, quæ fugiunt lectorem festinantem & quasi fugientem. Vt autem pictura idoneo loco posita lumen suum accipit: sic Obseruationes nostræ illustrantur collatæ ad libros. Quod supereſt, seruaui Laurentium illam legem, Nequid alienum tollerem in armum. sciens quidem. nam tale quid si peccatum à me est sine dolo: litem aut vim fieri veto, & quisque habeat res suas. Illi qui scriptorem aliquem, quasi rem mancupi, possident, & tangi eum ab altero iniuriam suam putant; aut qui fremere & indignari solent eadem in mentem venisse nobis: non me mouent. Credo enim illis solis fontes Musarum pateant: nobis etiam riuuli sint occlusi. aut si Troianis sui dij, non sint & Græcis. Aequius Aiax ille apud Pacuuium,*

De virtute ego cernundi do potestatem omnibus.

Quod felix & faustum sit, hodie xxix. meum natalem adspicio. testor Naturæ meæ deum, in iis quæ edidi quæq; edam, si minus conspicuæ doctrinæ, at certè ingenui animi notæ semper comparebunt. Concludam Epistolam versu:

Si quisquam est, qui probari se cupiat probis,
Oratione, vita, scriptis denique:
In his audacter nomen profiteor meum.
A puero eductus, doctus, liberaliter;
Mores maiorum simul & doctrinam institi.
Amico amicus, beniuolenti beniuolus,
Ingenuæ frontis, oris & cordis probi,
Ad gloriam grassatus vera sum via.
Nec ego istos mores nôui sæculi noui,

Suspi-

Suspicioſos, fraudulentos, duplices:
Qui fronte hilaro, corde tristi obambulant;
Qui gaudent, siquid alteri euênit mali;
Qui mærent, siquid alteri euênit boni.
Quos placitum est, laudant; quos placitum est, vituperant:
Veróne an falsò, cicum non interduint.
Procul hæc à nobis. edepol haut dicam dolo,
Tales inimicos mî, quàm amicos malui.
Placet vera virtus. „ Virtus rebus omnibus
Anteit profectò. non peribit, cùm perit, „
Quem penes est virtus. Virtus'st immortalitas. „
Postinde cùm iam flos ætatis surgeret,
Et spatia extrema ingrederer adoleſcentiæ:
Magis magisque impendiosè litteras
Amare occœpi, assiduus legere, scribere.
Cùm interea, vterque demoritur parens, loci.
Ego hanc occasionem ad studium Musicum
Esse ratus, concepi iter ad oras Italas,
Germaniamque in terram, & terram Galliam
Quasi ad mercatum litterarum pergere.
Concepi, perficique. dis est gratia,
Lætitiam peperit, parietque, hic mihi labos.
Deinde autem scripsi. scripta diuolgata sunt
Amicûm suasu, non meapte audacia.
Tamen, vt nunc res est, haut me famæ pænitet.
At vos fauete, & date crescendi copiam
Ingeniis quæ se publico applicant bono.
Si nullius famam vnquam læsi per iocum,
Si nullius sublegi scripta per dolum,
Neque lites vllus vnquam aut pugnam cœpij:
(Nec id qui faciunt, dico palàm, mihi placent)
Æquum est ab æquis me par impetrassere.
Ab iniquis porrò, haud æquum est, æqua postulem.
Valeant iniqui, & mali habeant magnum malum.

INDEX

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX EPISTOLARVM LIBRI PRIMI.

Ep. I. IACOBO CVIACIO, I. C.
II. IOSEPHO SCALIGERO, IVLI. F.
III. CAROLO SIGONIO.
IV. IOACHIMO CAMERARIO.
V. IANO LERNVTIO.
VI. M. ANT. MVRETO.
VII. LVDOVICO CARRIONI.
IIX. IOSEPHO SCALIGERO, IVLI. F.
IX. STEPHANO PIGHIO.
X. VICTORI GISELINO.
XI. FRANCISCO ROALDO.
XII. LAEVINO TORRENTIO.
XIII. CAROLO LANGIO.
XIV. IANO LERNVTIO.
XV. PETRO PYTHOEO.
XVI. AVGERIO BVSBEKIO.
XVII. CHRISTOPHORO PLANTINO.
XIIX. CLAVDIO PVTEANO.
XIX. PETRO DANIELI.
XX. ANTONIO OISELO.
XXI. IOSEPHO SCALIGERO, IVLI. F.
XXII. PETRO PYTHOEO.

IVSTI

IVSTI LIPSI

EPISTOLICARVM QVÆSTIONVM LIBER PRIMVS.

EPISTOLA I.

IVSTVS LIPSIVS IACOBO CVIACIO, IC.

IN Pandectis, Cuiaci, tangi video morem antiquum, nec mihi penitùs perſpectum, nec vulgò cognitum. De quo tamen iudicium meum ſuſpenſa manu proferam: ſi non aliud, vt eliciam tuum. Tit. de Pœnis. L. XXIIX. Caliſtratus ait:

Solent quidam qui volgò ſe Iuuenes appellant, in quibuſdam ciuitatibus turbulentibus ſe adclamationibus popularium accommodare. qui ſi amplius nihil admiſerint, fuſtibus cæſi dimittuntur, aut etiam ſpectaculis eis interdicitur. quod ſi ita correcti in eiſdem deprehendantur, exſilio puniendi ſunt.

Qui iſti iuuenes? Et ſanè, puto eos pertinuiſſe ad Circum & Theatra. Ait enim: *aut etiam ſpectaculis interdicitur.* Cùm autem in ſpectaculis variæ partes & ſtudia populi eſſent, huic hiſtrioni, aut illi aurigæ fauentis; quæ ſæpè in apertam ſeditionem deſierunt: fuiſſe quoſdam quaſi duces theatralium motuum, qui in quaque factione ſigniferi eſſent turbarum & clamorum. Quorum alij vulgò Iuuenes dicti ſint, fortaſſe & alij Veteres. Res tota originem habuiſſe videtur à Nerone, de quo Suetonius:

Captus modulatis Alexandrinorum laudationibus, plures Alexandria euocauit. Neque eò ſequius adoleſcentes equeſtris ordinis, & quinque amplius millia è plebe robuſtiſſimæ iuuentutis vndique elegit, qui diuiſi in factiones, plauſuum genera condiſcerent, (bombos, & imbrices, & teſtas vocabant) operámque nauarent cantanti ſibi.

Quid iuuenes in Pandectis.

Cur ita dicti?

Similia Tacitus, qui iuuenes Auguſtanos dictos eos ſcribit. Nec dubito quin hinc cauſſa Iuuenum appellationis. Marmor eſt Capuæ,

TI. CLAVDIO
TI. F. PAL
RVFINO. EQVO
PVBL. PRAEF. FABR
II. VIR. Q. HONORE
QVINQV. IVVENES
AVG. PATRONO
QVORVM. HONORE

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONTENTVS. IMPENSA
SVA. POSVIT

* *Etsi hoc quoque cognomen ad* II. *viros referri potest, siue debet.*

Id est, * *Iuuenes Augustani*, vel *Augustales*. De hisdem inscriptio hæc est Lanuuij,

M. AVR. AVG. LIB
AGILIO. SEPTENTRIO
NI. PANTOMIMO. SVI
TEMPORIS. PRIMO. SACERDO
TI. SYNHODI. APOLLINIS. PA
RASITO. ALVMNO. FAVSTINAE
AVG. PRODVCTO. AB. IMP. M.
AVREL. COMMODO. ANTONI
NO. PIO. FELICE. AVGVSTO
ORNAMENTIS. DECVRIONAT.
DECRETO. ORDINIS. EXORNATO
ET. ALLECTO. INTER. IVVENES
S. P. Q. LANIVINVS

Et alia:

COLLEGIVM IVVENVM BRIXIANORVM.

Posui & alios fuisse, qui contraria appellatione Veteres sint dicti: sed ambigens. Aliquid suggerebat lapis, qui Spoletij,

M. SEPTIMIO
M. F. HOR
SEPTIMIANO
EQVO. PVBL. IIII. VIR. I. D.
PRAEF. FABR. ROMAE
DEC. IIII. SCAMILLAR
OPERAE. VETERES
A. SCAENA. PATRONO. OB
MERITA. EIVS. L. D. D. D.

Operæ à scæna. Tacitus explicatus.

Nam operæ à scæna, vt Tacitus Annali I. *Percennius quidam erat in castris dux theatralium operarum, procax lingua, & miscere cœtus histrionali studio doctus.* At quod in alio lapide prope Aemiliam est, CVRATORI. LVSVS, IVVENVM. dubito an referendum ad ludicrum Troiæ sit.

Iuuenes pro militibus.

Etiam alia significatione, nec trita, Iuuenes reperio, pro militibus vt videtur siue iuuentute militari. In Epistola Gordiani Imp. ad Senatum: *Inuitum me P. C. Iuuenes quibus Africa tuenda commissa est, ad imperium vocarunt.* Iterumque in eiusdem vita: *Appellato igitur Gordiano Imperatore, Iuuenes, qui auctores huius fatalioris erant, statuas ad Maximini deiecerunt.* Quo sensu Iuniores Augustinus dixit lib. III. de Ciuitat. cap. vlt. de militibus qui peste absumpti: *Tunc Vticæ ex triginta millibus Iuniorum quæ ibi erant, decem remansisse confirmant.* Intellegit enim Romanos, qui ad præsidium Africæ ibi relicti, vt ex Orosio aliisque clarum. Etiam in lapidibus Iuniores mihi lecti: sed quod cognomen & discriminis nota fuit

fuit inter VI. viros. quorum alij Seniores, alij Iuniores. Mediolani lapis: *Iuniores & Seniores Seueri.*

Q. VITELLII. SATVRNINI
VITELLII
VERANIVS. ET. CONSTANS
VI. VIR. IVNIORES
PATRI. OPTIMO

Ibidem:

P. VALERIO. P. L. PAL.
TACITO
VI. VIR. SENIORI. ET
AVGVSTALI.

Et sæpius alibi: Nec aliud super hac re legi. Tu Iac. Cuiaci, fatente inuidia, princeps Ic.torum, aut doce me errantem, aut confirma rectè sentientem.

EPIST. II.

I. LIPSIVS IOSEPHO SCALIGERO IVLI. F.

AVSONIANAS lectiones tuas, mi Scaliger, vidimus. Quæris quid sentiam?

[redacted]

Sed in Ausonij, non rectè habere hic locus videbatur.

Solæ memoriæ negotium sparsa colligere, & integrare lacerata. quod ridere magis, quàm laudare possis. pro quo si per Sigillaria in auctione veniret, neque Afranius nauci daret, nec Stichum suum Plautus offerret. *Ausonius emendatus.*

Cur enim tam vilis Plauti Stichus, vt cũ Afraniano nauci comparetur? Vide ne cõiectura, quæ mihi legenti sub manu, quod aiunt, nata est, vera sit: *nec cicum suum Plautus.* Et verò adlusit Ausonius Plauti locũ Rudente, *Plauti Cicum.*

Eluas tu an exungare cicum non interduim.

Cicum, leue quiddam, vt Hilum. Laudas ex tuis Glossis, Cicum ῥοᾶς *Glossæ vetères correctæ.* ὑμήν. in Glossario H. Stephani reperio *Cicum* γρύκοκκος, vitiosè, pro γρύ, κόκκος. Quod Græci ἐδὲ γρύ, Latini, nec cicum: & κόκκος eâdem notione apud Græcos. Timon syllographus:

πτωχὸς μὲν φρένας εἰμί, νόᾳ δ' ἐμοὶ οὔτε ἓν κόκκος.
Exsensum mihi pectus, & haud hilum mihi mentis.

De Manilio fac promissa appareant: vnicè autem, de Plauto. [redacted]

EPISTOLA III.

I. LIPSIVS CAROLO SIGONIO V. C.

LIVIVM manusc. C. Sigoni, his diebus è media morte eripui, modico pretio è vespillonum manibus extortum. Non possum aliud dicere

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ea emptione quàm deos mihi adfuisse. Perbonum enim exemplar est, &, vt ex notis aliquot eius linguæ coniecturam ineo, ex Hispaniis olim aduectum. Caroli Viruli fuisse titulus ait, illius, quem acerbè Erasmus exagitauit. Aude mihi credere, Sigoni: raræ ex tuis libris, raræ ex Vallæ aut Rhenani emendationes sunt, quas non reperiam in isto. Non paucæ & præter illas eruuntur: quas tamen modicè coniecturis adiuuemus. Specimen & quasi gustum tibi dabo hæc pauca.

In Liuio quatuor loci restituti.

Lib. XXVI.

1. *Tribunos plebis appellauit flamen. vetustum ius sacerdotij repetebat: datum id cum toga prætexta, & sella curuli C. Flaminio esse.*

Quis iste Flaminius, qui solus legem faciat? Rectè vetus, *& sella curuli, & flaminio.* Nam Flaminium, sacerdotium ipsum.

Lib. XXVIII.

11. *Tesseram vesperi per castra dedit, vt ante lucem viri equique pransi essent, armatus eques frenatos stratosque teneret equos.*

Ait, *viri equiq; pransi.* Nouum verò vt etiam equi prandere dicantur. Vetus, *viri equiq; curatæ pransi.* Lego, *curati & pransi.* hoc ad viros, illud ad equos rettulit. Lib. XXIX.

111. *Quando igitur adolescens quid sentires non dissimulasti, vicarium tibi expediam, cui tu arma equumq; & cetera instrumenta militiæ tradas, & tecum hinc extemplo domum ducas, exerceas, docēdum cures, equo tradito armisq;.*

Iam antè linea dixerat, *equum armaq; tradas:* addit iterum, *equo tradito armisq;.* bene mehercle & solicitè monet Scipio. Sed glossema est, quod non reperias sine libro. Abest à veteri, *tradito.* rectissimè. Docere equo, docere armis, eleganter. & duo Scipio edixit, vt traderent arma & equos: deinde vt iuuenes illos equestris militiæ ignaros, docerent vti equo, & armis ad equum. Lib. XXX.

1V. *Seruati Cos. decus Cœlius ad seruum natione Ligurem delegat. Malim equidem de filio verũ esse, quod & plures tradidere auctores: seruũ fama obtinuit.*

Certè falsum. communis enim fama de filio, non seruo: & ita scriptores præter Cœlium. Bene igitur mss. *tradidere auctores set fama:* si tamen ablegata littera ad priorem syllabam legas, *& fama.* Vale.

EPIST. IV.

I. LIPSIVS IOACHIMO CAMERARIO.

CVR negem? laudari à te Ennianos illos versus correctos à me fum gauisus. Petis vt illiusmodi argumenti mittam alia, & nominatim si quid in Plauto

[illegible]

Parebo tamen:

Plautus Rudēs correctus.

sed cum Pythagoreâ exceptione, ἃ δι δάσκειν, ἀλλὰ κοινωνεῖσθαι. Vide sis mihi hunc locum Plauti Rudente, Scæna, Exi è fano.

1. *Tũne hic falsis virginales liberos parentibus*
Subiectos habebis, atque indigno quæstu conteres?

Felles virginalis.

Libri vett. *Tũne hic fallis.* Scribo, *Fellis virginalis*, siue *felles.* Felles virginales

nales appellat lenones, tracto conuicio à rapacitate eius animalis.

Idem, Persa,

Sequere hac. DOR. *sceleſta felles virginaria.*

Ita enim versu illo personas distinguo. Sic apud Ausonium felles pullaria est, subulo Lucillij, à rapiendis pueris siue pullis. Eruditus poëta, vt sexcenta alia, sumpsit à Plauto.

Felles pullaria.

Quis Marcus? Felles nuper pullaria dictus. 11.
Corrupit totum qui puerile secus.

In Plauti altero versu legerim, *Sublectos habebis:* Nam sublegere, surripere est. Tu iudicabis, cui Plautus non minus debet, quàm Musæ Latinæ Plauto. Quod extrema epistola ais in illo Varronis, *Persarum montes, non atria diuitis Crassi,* malle te, *diuitis Cræsi.* quia præcessit externa gens Persarum, & vt παρηχήσει tacitè Crassum petat: propè est vt adsentiar. Super Gellij nomine litem meritò rides: & est id reuera, quod Varro ait, caprinum prœlium.

De Varronis versu coniectura Camerarij.

EPIST. V.

I. LIPSIVS IANO LERNVTIO.

QVID censes tu? non melius de Martiale Scaliger iudicauit, qui versus eius candidos, numerosos, plenos, Epigrammata multa diuina dicit: quàm ille, qui scurram de triuio appellat? Nollem excidisset viro magno hoc iudicium iudicij dissimile. Nihil ad Catullum Martialis, scio: sed & hoc scio, Epigrammata illa nec in triuio nata, nec omnia in triclinio. Multa fœda, obscœna in Martiale: & mehercle in vno Catulli libello non pudiciora, sed pauciora. Ignorat sæculum illud, qui hoc accusat. Sunt & ioci aliquot leues, vulgati, pueriles: sed meliorum maior est numerus. Faceret è re litteraria, siquis, more veterum Criticorum, dilectum Epigrammatum eius haberet; & bonis adfigeret laudis notam, aliis culpæ. Potuisset hoc Douza noster, qui poëtam illum non solùm feliciter expressit, sed etiam correxit. Posses & tu, Lernuti, quem scio æmulari vrbanitatem & acumen Martialis, sed numeris Catulli. Siquid tale vnquam cogitabis, vide si vsui tibi esse poterunt hæ Notæ.

Martialis complures loci emendati & explicati.

Libro XIV. qui Apophoreta. In Lemmate, Batrachomyomachia.

Perlege Mæonio cantatas carmine ranas, 1.
Et frontem nugis soluere disce meis.

Iunij Anglicanum exemplar, *Et frontem forris:* emendat ipse, *formis.* sed verum erit, *foriis.* Foriæ quid sint vide in Nonio. vsurpantur, vt quisquiliæ, burræ. Varro. *Quinitporis Clodiani forias ac poëmata gargaridians dixes, ô Fortuna, ô fors Fortuna.* Lemmate, Corculum.

Pauper cauſidicus nullos referentia nummos 11.
Carmina cùm ſcribas, accipe cor quod habes.

Lego, *cor quod abest.* Cor non habere dicitur, qui desipit. quod facere ait causidicum pauperem, qui versus potius scribat, quàm causas agat, ex quibus lucrum facere possit. Cor igitur, non cordato homini mittit. Notum de Scipione Nasica, cui cognomen à sapientia Corculo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Libro XIII. qui Xenia, Lemmate, Porphyrio.

III. *Nomen habet magni volucris tam parua gigantis,*
Et nomen Prasini Porphyrionis habet.

Idem Iunij liber, *Prasini Purpurionis*. Latet omnis lepor Epigrammatis in leui menda. scribe, *Prasinus Purpureonis*. Quid mirum, inquit, si parua volucris nomen gigantis ferat: cum & Auriga factionis Prasinæ, Purpureo nomen habeat? Scimus fuisse factiones aurigarum, coloribus discretas, Russatam, Prasinam, Venetam, Albam, siue Albatam. Contra rem igitur, vt auriga Prasinus vocaretur Purpureo, non aliter quàm vt auicula, gigas. Simile est in illo Epigr. *Si Veneto Prasinóue faues, quid coccina sumis? Ne fias ista transfuga sorte vide.* Sciendum autem quempiam eius sæculi celebrem aurigam Purpureonem dictum.

Factiones aurigarũ.

Libro VIII. Epigr. VI.

IV. *Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti*
Ficta Saguntino cymbia malo luto.
Argenti furiosa sui cùm stemmata narrat,
Garrulus, & verbis mucida vina facit.

Scribo, *Argenti fumosa sui.*
vt Iuuenal. *Fumosos equitum cum Dictatore magistros,*
& Cicero, *Fumosas imagines.*

Epigram. LII.

V. *Tonsorem puerum, sed arte talem*
Qualis nec thalamis fuit Neronis,
Drusorum cui contigere barbæ.

Thalamus nomẽ viri. Puto leg. *Qualis nec Thalamus fuit Neronis.* vt sit nomen tonsoris Neronis. Lapis Romæ in æde Mariæ,

ANTISTIAE. OBSECRATIONI. FECIT
ANTISTIA. FLORENTINA. ET. THALA
MVS. CAESARIS. ET. SCANTIA. PRIMI
TIVA. PARENTES. AEIVS.

Epigr. LVIII. in Artemidorum,

VI. *Cum tibi tam crassæ sint Artemidore lacernæ,*
Possum te Sagarim iure vocare meum.

Quid Sagari. Non epigramma est, sed ænigma. & quid est, Sagarim? Fortasse, *Sagarum*. Nec scio an ita dicti, qui munus aliquod theatrale fungerentur, de quibus inscriptio ista in Delphiniorum domo,

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIANO. AVG. GERM.
DACICO. PONT. MAX. TRIB. POT. VIII.
IMP. IIII. COS. P. P. OPTVMO. PRINCIPI
SAGARI. THEATRI. MARCELLI
CVLTORES. DOMVS. AVG.

Vltrà nihil scio. Reperio sanè Sagarios, vt in veteri illa inscriptione:

C. TERENTIO. C. L. PAMPHILO
SAGARIO. POST. AEDEM. CASTORIS.

Item

Item Sagariam facere in Apuleio & Ictis: sed alio longè sensu, pro negotiatione sagorum. Itaque nihil etiam extrico.

Lib. IX. Epigr. XLV.

Alciden modò Vindicis rogabam VII.
Esset cuius opus labórque felix.

Malo, *Alcides*. nec enim Herculem ipsum Martialis rogabat, sed alium cuius opus ille Hercules esset. apparet ex sequentibus.

Epigr. LXXXVII.

Languidior nostri siquando est Paullus Atili, IIX.
Non se, conuiuas abstinet ille suos.

Lego, *noster siquando*. de Paullo ad Atilium scribit.

Lib. X. Epigr. LI.

Quos Faustine dies, qualem tibi Roma Rauennam IX.
Abstulit? ô soles, ô tunicata quies!

Tunicatam quietem doctissimus Iunius accipit, liberam ab opera togata, qua domi se continere, nec sportulæ spe prosequi potentiores liberum esset. sed aliò, me iudice, respexit Martialis. Nam in municipiis togam induere vix solebant, tunica contenti. Martialis lib. I. *Quid quies tunicata.*

Egisti vitam semper Line municipalem,
Qua nihil omnino dulcius esse potest:
Idibus & raris togula est excussa Kalendis,
Duxit ad æstates syntheses vna decem.

Plinius ad amicum, qui rure agebat: *Quousque regnabis? quousque vigilabis cùm voles? dormies quamdiu voles? quousque calcei nusquam? Toga feriata? liber totos dies?* Sic enim is locus corrigendus, lib. VII. Epist. Ita & Iuuen. intelligendus, Sat. III.

Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus.

Epigr. LXII. Ad Ludimagistrum.

Sic te frequentes audiant capillati
Et delicatæ diligat chorus mensæ. X.

Quid si legas, *chorus Musæ?* & intellegas pueros deditos Musis? quod videtur ad rem aptius quàm * *mensæ.* ** Quod retineri tamẽ potest, & pædagogia capi.*

Libro XI. Ep. VI.

Te volet inuictus pro libertate Camillus. XI.

Magis sententiam explebit, *præ libertate*. dicere voluit, Camillus te principem malet, quàm suam illam libertatem.

Epigr. LI.

Silius Arpino tandem succurrit agello, XII.
Silius & vatem non minus ipse tulit.

Fortè scribendum, *& vatem, non minor ipse, colit.* quod sanè argutum erit præ illo vulgato.

Lib. I. Epigr. LXIV.

Quæris quis hic sit? excidit mihi nomen. XIII.

Acuta Epigrammatis clausula. Ludit in verbo Excidendi, & cùm oblitus nomen videatur, tamen ait se in ipso id versu ignarum posuisse. & *Excidit, verbum ambiguũ.*

imuit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

innuit, credo, illum versum *Fuscos colores, Galbanos habet mores*, vt verum huic homini nomen Fuscus fuerit, aut Galba.

Epigr. LXXXVII.

XIV. *Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus,*
Cœpit, quod poterat, Clinicus esse modò.

Clinici medici. Lego, *quo poterat, Clinicus esse, modo.* Medicorum titulus erat Clinicus. Inscriptio Assisij,

P. DECIMIVS. P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI. VIR.

& hoc est quod Plinius ait, Hippocratem instituisse medicinam eam quæ Clinice vocatur. Clinicos à lecto constat dictos. in quo ludens Martialis ait, qui vespillo erat factum esse Clinicum, quia scilicet Vespillones mortuos efferunt in lecto.

Epigram. CXLVII.

XV. *Prætor ait, scis me scorpo Thalióque daturum.*
Atque vtinam centum milia sola darem.

Thallus, & Flauius Scorpus agitatores. Scribendum, *Thallóque.* eius Thalli mentio est in veteri inscript. Romæ in ædibus Cecchinorum, de Diocle agitatore,

CENTVM. VICTORIAS. CONSECVTVS. EST. VICTOR. C. III. SINGVLARVM VICIT. LXXXIII. ADHVC. AVGENS. GLORIAM. TITVLI. SVI. PRAECESSIT. THALLVM. FACTIONIS. SVAE. QVI. PRIMVS. IN. FACTIONE. RVSSATA. In eadem inscript. & Scorpus nominatur, FACTIONIS. PRASINAE. VICTOR. ∞. XXV. ET. FLAVIVS. SCORPVS. VICTOR. II. XL. VIII.

Libro XII. Epigr. LXXI.

XVI. *Lintea ferret apro vacuus cùm vernula nuper*
Et suprà Togulam lusca sederet anus,
Atque olei stillam donaret Opelicus vnctor;
Nudorum tetricus Censor & asper erat.

Vdi pro bibaculis. Omnino scribendum, *Vdorum tetricus.* id est, carpebat madidos & vdos, quique in balneis biberent. Sequentia clarè docent.

Libro V. Ep. CXX.

XVII. *Ponetur digitis tenendus vstis*
Nigra coliculus virens patella.

Lego, *digitis tenendus vnctis.* propter oleum quod coliculis superfundi solitum.

Epigram. CXXIIII.

XVIII. *Quid promittebas mihi millia, Gaure, ducenta*
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
An potes, & non vis? rogo non est turpius istud?
I, tibi dispereas, Gaure pusillus homo es.

In postremis versibus nescio quid non est merum. In Iunij libro, *Si*, legitur, non, *I.* Distinguo & lego, *An potes, & non vis, rogo? non est turpius istud Si tibi, dispereas Gaure. p. h. es.*

Lib. VII. Epigr. XLIII. Ad Ouidium.

XIX. *Quis Maximus Cæsonius, & quo ordine damnatus.*

Maximus ille tuus, Ouidi, Cæsonius hic est
Cuius adhuc vultum viuida cera tenet.
Hunc Nero damnauit, sed tu damnare Neronem
Ausus es, & profugi, non tua fata sequi.
Aequora per Scyllæ magnus comes exsulis isti,
Qui modò noluerat consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo,
Audiet hæc præsens venturáque turba, fuisse
Illi te, Senecæ quod fuit ille suo.

eiusdem rei est epigramma sequens. Historiam huius damnati Cæsonij repperi apud Tacitum lib. XV. qui tamen emendationem à Martiali accipiet, vt iste lucem ab illo. *At Cadicia vxor Sceuini, & Cæsennius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se tantùm pœna experti.* vbi lego, *Cæsonius Maximus.* Damnatus fuit in Pisoniana coniuratione: & hic ille, quem exsulem Ouidius secutus.

Libro II. Epigram. II. XX.

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodq; Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos,
Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

Vetus Iunij, *Quæ datur ex chartis.* lego, *Cattis.* Suet. *Expeditiones partim sponte susceptit, partim necessariò. sponte, in Cattos: necessariò vnam in Sarmatas.* & post: *De Cattis Dacisque post varia prœlia duplicem triumphum egit.* Verum est igitur, *Cattis*; eò magis quòd inquit, *Nobilius domito tribuit Germania Rheno.* Confirmandum hoc visum fuit, quia doctissimo Belgarum Iunio, *Dacis*, magis placuit.

Libro III. Epigr. XXV.

Cessatis pueri, nihílque nostris XXI.
Veterno resináque pigriores.

Epigramma est in pigros nautas. cuius sententia tota pendula est defectu, vt videtur, verbi. Sed lego, *nihílque mostis.* nam in aliis libris est, *nostis.* Frequentia ista veteribus, Flestis, Terstis, Decrestis, &c. apud ipsum Ciceronem in Verrinis, *Glebam non commossent.* Sequenti versu lego cum Turnebo, *Veientone asináque.*

EPIST. VI.

I. LIPSIVS M. ANTONIO MVRETO.

NARRO tibi, M. Antoni. Delectauit me emendatio Liuiana lib. XXII. *Liuius emendatus duobus locis.*

Eos qui Cannusium perfugerant muliercula nomine Busa, genere clara ac diuitiis, mœnibus tantùm tectisque à Cannusinis acceptos, frumento, veste, i.

Universidad de Deusto
Biblioteca

viatico etiam iuuit. pro qua ei munificentia, postea bello perfecto, ab Senatu honores habiti sunt.

Hæc lectio à Sigonij coniectura manauit. Nam libri & scripti omnes, & vulgati, habent, *Mulier Paulla, nomine Busa.* Glareanus hærere se faretur. Nam Busam huic mulieri nomen fuisse, non Paulam, Liuius infrà, & Valerius item testantur. Sigonius ablegata voce scindit nodum, non soluit. At ego transposita littera rem extrico, *Mulier Apula, nomine Busa.* Valerius lib. IIII. *Itaque eiusdem temporis femina, Busa nomine, regionis autem Apuliæ ditissima.*

Eodem libro, inferiùs:

II. Supplicia. *Et Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum missus, quibus precibus supplicationibúsque deos possent placare.*

Liuius, qui apud me, *supplicíisque.* præclarè. confirmat & Sigonij Codex, qui, *supplices deos,* corrupte. Supplicium pro supplicatione ex Sallustio vulgò notum.

EPIST. VII.

I. LIPSIVS LVD. CARRIONI.

DIC sodes. ausus es hoc facinus? ludificari me? deserere Lipsium, die tam festo, iacentem hîc in villa? *--vbi non homo, Sed campus atque aër.* Nisi tu homines censes collegas illos in mensa nostros: quos sine fremitu non intueor, nuper terræ filios, nunc Mæcenates, Agrippas. Vide quæ via ad potentiam, ad opes sit. *At me litterulas stulti docuere parentes.* Sed nondum omnium dierum soles occiderunt, aiebat olim Philippus: & herclè me iam ista inania, nisi dum in oculos incurrunt, non mouent. Scio veram animi quietem à Deo primùm, deinde à sapientia & litteris esse. quæ quoniam non apud istos; sint Crœsi & Crassi licet,

— non hos Pactolus aureas
Vndas agens eripiet vmquam è miseriis.

Cicero de legibus correctus. Fui his diebus in Cicerone de Legibus. Libro II. hæc notaui:

Mulieres genas ne raduntο, néue lessum funeris ergo habento. Hoc veteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti genus aliquod funebris: Aelius lessum quasi lugubrem eiulationem, vt vox ipsa significat. quod eò magis probo, quia lex Solonis idipsum vetat.

Subest vitium. Primò Aelij & Acilij sententiam confundit, & vtrumq; de vestimento funebri suspicari ait: statim diuidit, & Aelium, Ploratum, interpretantem facit. Pugnant ista. nisi si posterius âlio de Aelio senserit Cicero. quod nõ arbitror. Placet corrigi, *Sex. Aelius L. Acilius non satis se intelligere dixerunt; sed Acilius suspicarì vestimẽti,* &c. voce Acilij inserta, quæ repetita elabi facilè exscribentibus potuit. Dubitauit vterque super significatione Lessi; sed alter vestem, alter eiulationem tamen interpretatus est. Inibi:

Iam cetera in XII. de minuendo sumptu translata sunt de Solonis ferè legibus. Extenuato igitur sumptu tribus riciniis & clauis purpureis, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.

Quod

Quod de Riciniis scribit non omnes capiunt. ne ille quidem magnus Belgicæ Papinianus, Ræuardus. Accipiunt enim vulgò quasi lex vetet non plures quàm tres feminas riciniis indutas in funere esse. Errant. Doceo primum ex Varrone, cuius Fragmentum est lib. III. De vita P.R. *Vt dum supra terram essent, riciniis lugerent: funere ipso, vt pullis pallis amictæ.* Ecce. Riciniorum vsus in luctu quidem, non tamen in ipso funere, vt Varro ait, sed Pallæ. Malè igitur Ricinia ad funus trãsferunt. Ratio etiam talis legis inepta. Si enim propinquę riciniis indutę: quid fiet si plures tribus sint? & quidem eodem gradu, vt si filiæ. an tres tantùm riciniis induentur? Alia mens X. virorum fuit, vt equidem sentio. Solonis lex funebris erat, quæ in Plutarcho legitur: ἀναγιζειν δὲ βοῦν ἐκ εἴασεν, οὐδὲ συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν. hoc postremum vertisse Romanos Solones puto, *tria ricinia.* hoc sensu, ne plus quàm tres vestes cum mortuo aut conderentur, aut vrerentur. Scimus morem hac in re veterum. Homerus de Achillis funere Odyss ω.

Καίεο δ' ἐν τ' ἐσθῆτι θεῶν.

Apud Virgilium in Miseni,

Purpureáque super vestes velamina nota
Inijciunt.

Suetonius in Cæsare, *Scenici artifices vestem quam ex instrumẽto triumphorum ad præsentem vsum induerant, detractã sibi atque discissam iniecere flammæ.* Hieronymus lib. II. Epistolarum: *Cur mortuos vestros auratis obuoluitis vestibus? cur ambitio inter luctus lacrimasq; non cessat? an cadauera diuitum, nisi in serico, putrescere nesciunt?* Festi locus restabat, qui iuuare illorum mentem videbatur. nõ iuuat, si rectè distinxeris & legeris. *Ricinium omne vestimentum quadratum ij qui duodecim interpretati sunt esse dixerũt. Ver. togam qua mulieres vtebantur prætextam clauo purpureo.* id est, *Verrius, togam.* ita corrigo, cùm vetus scriptura sit, *vir toga qua.* Sæpe iste abbreuiator, Verrij sententias cum aliorum cõponit. quod & hîc. Quod scripsi suprà, *Mulieres genas ne radũto,* non dubitabis credo germanũ esse. Festi Fragm. *Radere g ..... lege* XI. *id est, vnguib .....* Plinius, *Malæ homini tantùm, quas Prisci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi à feminis eas vetante.* vbi vox, *vetante,* adiecta mihi ab imperito videtur. Nam interdicto hîc valet, cùm interdictum sit. genus loquendi Salustiò, Tacito, frequens. Hoc dixi, ne capere te Lambinus possit, qui, *genas ne carpunto,* temerè ex vno Seruio reposuit. Radere genas Festus videtur interpretari voluisse, vnguibus cruentare, scindere.

Quæsitum de sententia legis è XII.

Festus emẽdatus.

Confirmata vulgata in Cicerone lectio.

Plinij glossema lib. XI. cap. XXXVII.

EPIST. IIX.

I. LIPSIVS IOSEPHO SCALIGERO IVLI F.

QVÆREBAT à me nuper, [redacted] Scaliger, adolescens doctus litteras veteres, quid in Varronis fragmento essent Aquilinæ pateræ? locum producebat ex lib. I. De vita pop. Rom.

Item erant vasa vinaria, sini, cymbia, aquilinæ paterę, gutti, sextarij, simpuuium.

Varro emẽdatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non mentiar. conticui. opinor & Varro ipſe, ſiquis rogaſſet. Abiit ille: ego conſideraui intentius, &, niſi me fallit, repperi. Lego enim, *cymbia, culignæ, pateræ*. Nugas agam, ſi te nunc doceam cauſſam erroris, adhæſiſſe litteram à fine vocis factumque *aculignæ*, inde vulgatum illud. nugæ, inquam, iſta. ſicut & illud, Culignam Feſto vas eſſe potorium. nota hæc tibi. illud non nugæ, Liuio adſerendam eam vocem videri:

Lib. XXVI.

Et Liuius. *Qui curuli ſella ſederunt, equi ornamenta, & libras pondo vt ſalinum patellámque deorum cauſſa habere poſſint.*

Nam vetus omnis lectio, *vt lignum*. Salini vocem primus repoſuiſſe fatetur Laurentius Valla, homo cætera non inſulſus, & de Liuio certè ſupra opinionem vulgi bene meritus. Quam ipſam ferri poſſe, nihil nego. Culignam autem ſacris opus fuiſſe ſcis ad vinum libandum: vt patellam, ad fruges imponendas. Varro, *Menſæ anteponebantur cum culigna ac vino, in quis quæ veniebant ad fætam amicæ gratulatum dis mactabant*. Cui loco lucem valdè Tertullianus facit, De Anima: *Dum in partu Lucinæ & Dianæ eiulatur, dum per totam hebdomadam Iunoni menſa proponitur, dum vltima die Fata ſcribundo aduocantur.*

Culigna in ſacris.

EPIST. IX.

I. LIPSIVS STEPHANO PIGHIO.

PECCO, mi Pighi, & pecco largiter qui reduci tibi & iam, vt audio & opto, in hiſdem regionibus conſtituto verbo non ſim gratulatus. Viennæ inita amicitia ſancta mihi eſt: eritque, dum ero. De te niſi idem ſperem, iniuriam fecero ſimpliciſſimis moribus tuis. Iſſcanum meum me tenet, & in tot circumſtantibus turbis quietem ſequor ſtudiorum. Nunc in Liuio eram. in quo vide mihi quæſo hos locos.

Tres Liuij loci emendati.

Lib. XXI. In Alorci oratione.

I. *Aurum argentúmque omne publicum priuatúmque ad ſe iubet deferri: coniugum veſtrarúm, corpora ac liberorum veſtrorum ſeruat inuiolata, ſi inermes cum binis veſtimentis velitis à Sagunto exire.*

Non dubito legere, *cum priuis veſtimentis*. Priuum, ſingulum. Nam aliquot lineis ſuprà in iiſdem conditionibus eſt, *traditóque omni auro atque argento egreſſi vrbe cum ſingulis veſtimentis*. Reſtituo eam vocem in Quadrigario apud Nonium, Reticulum. *Claud. lib. I. Priuiſque ductoribus indit reticula galearia*. vulg. *Prius hiſce auctoribus inde.*

Infrà poſt tranſitum Annibalis per Alpes.

II. *Et Annibal mouit ex Taurinis, incertus quæ pars ſequenda eſſet, Gallos præſertim ſe ſecuturos ratus.*

Liuius meus, *præſentem eſſe*. itaque lego, *incertos q. p. ſ. eſſet Gallos, præſentem ſeſe ſecuturos ratus*. Galli incerti Romanorum partem an Pœnorum ſequerentur. nec de Annibale iſta. Eos præſentia ſua motum iri Annibal haud fruſtrà exiſtimabat.

Eodem libro.

III. *Quod vbi Annibal accepit, laxatamque pugnam, & receſſum à caſtris vidit, extemplo*

extemplo equitibus dextra lævaq; emiſſis in hoſtem, ipſe de his caſtris erupit. Quid eſt, *de his caſtris?* Nihil iuuant libri. audacter tamen leg. adfirmo, *ipſe mediis caſtris*. Nam ita Liuius rem narrat ſuperiùs, *Annibal paucis propugnatoribus in vallo portiſque poſitis, ceteros confertos in media caſtra recepit*. Illud etiam, *& receſſum à caſtris*, velim legi, *& ire ceſim à caſtris*. Tu iudica, mi amiciſſime Pighi.

EPIST. X.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

SCRIBAM liberè, mi Victor. nimium taces diu. Facilius à Sigalione vocem, quàm à te epiſtolam expreſſero. quo merito meo? aut, vt delabar ad Propertium,

Quis te mutauit tantus Deus?

Certè non hoc animi tui amica effuſio, non verba pollicebantur cùm proximè in Iſſcano adeſſes. Quò quidem, quaſi de compacto, vix biduum poſt diſceſſum tuum, venit Carrio noſter. qui cùm mihi multa de amore tuo & ſolicitudine erga abſentē me narraſſet, ita vt animus tuus peregrinari mecum videretur: ſenſi intimo pectori inſtillari quiddam, quo planè & cōmotus ſum & exhilaratus. Veniebat in mētem Tragici illud,

τῶν γὰρ ἐκδήμων φίλων
Δεῖται κατ' οἶκον ὄντας ἐκπονεῖν τύχας.

Ego à longa peregrinatione vix compoſui animum. Tango libros, ſed, vt ille ait, vellicatim & ſaltuatim. Itaque in Plinij lib. XIV. cap. XIV. vide quid herè notauerim. Ait:

In Plinio coniectura.

Quibus vinis auctoritas fuerit ſua in menſa M. Varro his verbis tradit: L. Lucullus puer apud patrem nunquam lautum conuiuium vidit in quo plus ſemel Græcum vinum daretur. &c.

Verba ipſa Varronis ſi inſpicis, hærebis. Nihil enim de menſa ſua Varro. nec id agitur. ſed de ætatis ſuæ dilectu in vino ſcribit. Inclino vt legam, *ſua in memoria*. Cauſſa vitij fuit in epitome ſcribendi, *in mēa*. hoc illi fungi *in menſa* interpretati ſunt. Simili error in Taciti Annal. XVI. *Et quantum nunc ſæuitia accuſationis, tantum iræ P. Egnatius conciuit*. cùm in archetypo fuiſſet, *quantum mīæ*, id valebat, *miſericordiæ*. Vale, mi ocelle, mi Victor: & Lernutio deliciis vtriuſque noſtrūm à me ſalutem.

EPIST. XI.

I. LIPSIVS FRANCISCO ROALDO I. C.

ITA viuam & valeam, Roalde, vt vna Scaligeri laudatio (nam omitto famam aliorum) ſic me tibi adiunxit, vt te doctrinæ cauſſa in paucis Gallis & amem, & admirer. Animum meum teſtari volo has breues, ſed de litteris, litteras. Quæro à te rectè emendauerim legem illam Numæ, quæ in Feſto ſic legitur?

Lex Numæ reſtituitur.

Sei hominem fulminibus occiſit, em ſupra genua nei tollito.

Scaliger tuus voluit, *Fulmin Iouis*. vix credo, quamquam telum Iouis

Universidad de Deusto
Biblioteca

fulmen,& in tutela eius censeatur,vix inquam credo Numam eo ambitu locutum. Legerim, *Fulminis occisit.* antiquè. Sic enim nominandi casu dicebant,pro Fulmen: vt Vulturis, pro vultur Ennius, Prisciano & Carisio testibus,*Vulturis in siluis miserum mandebat hemonem.* & Oscinis pro Oscen Cicero. Auctor idem Carisius,lib. I. ex Plinio. Vale.

EPIST. XII.

I. LIPSIVS LAEVINO TORRENTIO, V C.

MAGNA nobis, vir clarissime, & opinio & exspectatio est de Commentariis ad Suetonium tuis. mihi præter ceteros: quia nunc cùm maximè Commentarium Cornelianum habebam in manibus. cui scriptori scis cum Suetonio pleramque historiam esse communem. Nec dubitabam quin laborem meum multis partibus minueret labor tuus. Nescio quid tale etiam de Liuio meditor. in quo pauculas Notas has facio iudicij tui.

Nota quaterna ad Liuium.

Lib. XXI. non longè ab initio.

I. *Medius Asdrubal inter patrem & filium octo fermè annos imperium obtinuit,flore ætatis, vt ferunt, primò Amilcari conciliatus: gener inde ob altam indolem profectus animi adscitus.*

Meus liber, *profectò animadscitus.* Sigonij, *animi profecto.* Lego, *prouecto annis adscitus.* hoc sensu, Amilcar prouectus iam ætate Asdrubalem generum adsciuit. Vulgata quidem illa dura, mediusfidius, compositio est.

Infrà,post concionem Annibalis ad milites.

II. *His adhortationibus cùm vtrimque accensi ad certamen militum animi essent, Romani ponte Ticinum iungunt, tutandique pontis caussa castellum superimponunt.*

A veteri abest vox, *caussa.* nimium bene. idque genus sermonis à me in Taciti notatum.

Pòst, de Sempronio coss.

III. *Tum collega cunctante, equitatum suum, mille peditum iaculatoribus fermè admistis,ad defendendum Gallicum agrum trans Trebiam mittit. Ij sparsos & incompositos oneratosque præda plerosque cùm inuasissent.*

In mss. *incompositos ad hoc carauis præda.* Liuij germana lectio erit, *incompositos,ad hoc graues præda.* Nam antiqui librarij, C, pro G.

Infrà,de rebus in Hispania gestis.

IV. *Et Scipio raptim ad famam nouorum hostium agmine acto, cùm in paucos præfectos paululum animaduertisset: præsidio Tarracone modico relicto, Emporias cum classe rediit.*

Quid est hoc, *paululum animaduertisset?* non sic Latini. dixisset potius, leuiter, modicè, clementer. quid, quòd & historia repugnat? Nam Polybius eandem rem tangens libro III. auctores fugæ & acceptæ cladis more patrio ait punitos, τὰς αἰτίας τῶν συμβεβηκότων, inquit, κατὰ τὰς παρ' αὐτοῖς ἐθισμὰς κολάσας. nec ignotus in talibus delictis militiæ mos. Planissimè igitur scribend. *palàm animaduertisset.*

EPIST.

EPIST. XIII.

I. LIPSIVS CAROLO LANGIO.

SOLINVM Diuæi nostri ad te mitto, vetus sanè & bonæ fidei exemplar. De hortis tuis curam non deposui. videbo siquid his locis eruetur. Tu vicissim mitte quæso Trochaicum illud Carmen ad me. ita hortis tuis ætatem bene sit, mi Langi: & ita superes Alcinum & Adonim istis diuitiis. Quòd Senecam adornas: gaudeo. in eo vide has notas.

Seneca quatuor locis emendatus.

De Ira lib. III. cap. XXII.

I. *Audierat omnia Antigonus, vtpote cùm inter dicentes & audientem paulum interesset. quem ille leuiter commouit. & longiùs discedite, inquit, ne vos rex audiat.*

Emendo, *& audientem aulæum interesset, quod ille.* Antigonus in tabernaculo erat: milites in excubiis, velo discreti. Scriptum neglegenter, *aulum:* inde alius *paulum.* Polybius, nisi fallor, de hac ipsa re, apud Suidam: ἀκέων ταῦτα πάντα διὰ τῆς αὐλαίας ὁ βασιλεύς, ἐγέλα.

Lib. I. de Clementia, cap. III.

II. *Nunc in tres partes omnem hanc materiam diuidam. Prima erit manumissionis: secunda quæ naturam habitumque clementiæ demonstret: tertia,* &c.

Ridicula lectio, & nusquam gentium hîc Seneca de manumissione. Scripserat, cùm vniuersum opus partiretur, *Prima erit manuductionis.* Manuductio, χειραγωγία, εἰσαγωγὴ, & sic Cicero eam vocem vsus. At boni viri Manumissionis maluerunt: qui eiusmodi emblemata plura Senecæ addiderunt.

De Tranquillitate vitæ lib. II. cap. XIIII.

III. *Ille pusilli animi est, qui sibi placet, quòd hostiario liberè respondit, & virgam eius fregit, quod ad dominum accessit & petiit thronum.*

Alias *petiit thorum.* Scribo, *lorum.* Nam seruis puniendis lora poscebantur. Plenæ comœdiæ. Plautus Captiueis:

Plautus explicatus.

——*Colaphe, Cordalio, Corax*
Ite istuc atque efferte lora. LOR. *num lignatum mittimur?*

Et vt eum locum explicem, senex castigando Tyndaro lora clamat, illi autem ioco, quasi ambigentes, ad lignationem referunt. Nam & lignatum ituri ferebant securim & lora. Cato II. Orig.

Cato emendatus.

Quin aquatum, vt lignatum, iubentur ire: securim atque lorum ferunt. gelum crassum excidunt, eum loro colligatum auferunt.

Sic emendo elegantem hunc locum apud Nonium, Gelu. Loquebatur Cato de regionis cuiuspiam immani frigore: vbi qui aquatum irent, proinde adornarentur vt qui lignatum apud Romanos.

De Ira III. cap. XVIII.

IV. *Deinde adeò impatiens fuit differendæ voluptatis, quam ingens crudelitas sine dilatione poscebat, vt in Xysto maternorum hortorum qui porticum à ripa separat.*

Puto leg. *portieum Euripo separat.* Nam Euripi & Nili in ædificiis diuitum istorum crebri. Tu videbis doctissime Langi.

EPIST.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. XIV.

I. LIPSIVS IANO LERNVTIO.

APAGE, mi Lernuti. ego verò non amo istam verecundiam quæ te abstinuit à scribendo. Tot menses tu ex Italia redieris, & verbum nullum ad Lipsium? Hoc verum fuit? per Giselinum me potius res tuas quàm per te cognoscere? Mihi crede. parauerã me ad acriter inclamandum, cùm vidi adiunctos epistolæ versus tuos. versus tam lepidè, tam suauiter factos, vt putarem canere Sirenum concordiam. Itaque illi mihi Minerua fuerunt, & posui iram. De illo Aretalogo quod scribis: non moueor. scis quosdam ex Aeneæ gente esse, qui nostratium laudi non faueant. Vidi in iis locis magnæ famæ virum, qui Turnebum omni sermone premeret, meipsum à scriptis eius absterreret. & tu meam vicem dolebis? Desine, & eiusmodi sermones habeamus pro merenda Cyprij bouis. Plauti hunc locum considera.

Pseudolo, Scena, Pseudole non audis.

Plauti versus emendatur.

—— PS. *non licet*

Colloqui te? BA. *at mihi non lubet.* CA. *sin tuam est quippiam in rem?*
BA. *licet*
Ne obsecro viuere, an non licet? PS. *vah, manta.* BA. *omitte.*

Viuendi verbum hîc nego conuenire. lego potius, *Licétne obsecro bitere.* Adolescens & seruus lenonem morabantur. indignatus ille, & hem, inquit, liberúmne mihi est ire quò instituí, an non? Phrasis à more vulgi. *Bitere.* Bitere autem & Betere scis antiquos dixisse: vt & Imbitere pro inire, Epidico Plauti: Combito, pro Commeo VI. Varronis De lingua Latina. Vnde etiam Festo Bitienses sunt, multum peregrinantes. Fons erroris tralatitius, V, pro B. & in hoc quidem paullò remotiore verbo in libris ferè perpetuus. Vale mi Lernuti, meum delicium.

EPIST. XV.

I. LIPSIVS PETRO PYTHOEO.

MENTIVNTVR, Pythœe, qui negant amorem in ignotis esse. De me sentio. ignotum, inuisum te amo: & amaui iamtum, ex quo scripta tua legi, notas elegantissimi ingenij & exquisitæ doctrinæ. Et vtinam propiùs abesset Sequana tuus! salutaremus profectò inter nos, nec tu ex scriptis meis, sed ex fronte & vultu videres amorem. Quod quia non licet, hoc certè quod licet, amorem ortum à litteris foueamus litteris. Initium à me sit. De Spartiani hoc loco, quæro quid sentias.

Conatus corrigendi Spartiani. I.

In Hadriano.

Corrupisse eum Traiani libertos, curasse delicatos, eosdémque sepelisse, per ea tempora quibus in aula familiarior fuit, opinio multa firmauit.

Quid verò homines sepulti profuerint ad gratiam? Nam quòd tu alibi, *deligatos*, probare videris, id est, vinctos: ignosce, non probo. nec hoc quidquam ad emerendum adoptionis fauorem. Legendum puto, *curasse delicatos, eosdémque sæpe pilasse*, vel *depilasse*. Delicatos vocat pueros à lecto

à lecto & cyathis, quorum amori aiunt Traianum fuisse obnoxium: ideoque facetè Iulianus in Saturnal. facit Ganymedem in cælo, à Traiano tentari. Eos notum est pilos solitos euellere, vt essent corpore leui. hoc nunc vilissimum munus functus Hadrianus. Ita Eligabalum notat Lampridius: *In balneis cum mulieribus fuisse, ita vt ipse eas psilotro curaret.* Et Suetonius de Domitiano cap. XXII. *Erat fama*, inquit, *quasi concubinas ipse diuelleret, natarétque inter vulgatissimas meretrices.* At pilare pro depilare etiam Festus agnoscit.

Quid item de isto Capitolini in Antonino philosopho.

Sed multum ex iis Frontoni detulit, cui & statuam in senatu petiit. Procu- II.
lum verò vsque ad proconsulatum prouexit. Honoribus in se receptis philosophiæ operam dedit.

Emendo, *prouexit oneribus in se receptis. Philosophiæ d. o.* Imperatores cùm viro bono & pauperi honores mandabant, plurimùm, onera & impensas in se recipiebant: & exærario suo aut publico largiebantur ad ludos, & ceteram pompam. Id dicebant, sine impendio creari. Mamertini Panegyrico ad Iulianum. *Refertur nuncius consulem me creatum sine impendio, quod iamdiu paucis: sine labore, quod nonnumquam.* quanquam hic locus in aliam sententiam valere possit. Sed Vopiscus clarè, in Epistola Valeriani ad Aurelianum: *Sperare te cum eodem Vlpio Crinito consulatum conuenit sumptu publico.* Spartianus in Hadriano: *Ac statim Pannoniis imposuit, decreto consulatu cum sumptibus.* Et de Imperatore ipso onus in se recipiente, Dio in Alexandro: *Me*, inquit, *Consulem designauit, & sumptus quos postulat ea dignitas se facturum recepit.*

EPIST. XVI.

I. LIPSIVS AVGERIO BVSBEQVIO, VIRO NOBILI, EXLEGATO BYZANTINO.

ADSENTIOR tibi, vir nobilissime, illam semilunam Turcarum (quod genti solemne militiæ signum, quasi Romanis Aquila, est) originem à Byzantinis habuisse. Vidi apud te primum, & postea complures alios nummos æreos, in quorum parte Luna media esset, cum inscriptione BYZANTIΩN. Itaque vt Athenienſium Noctua, aliarum gentium aliud insigne fuit: sic Byzantiorum Luna. quam magnus ille rex in signa sua transtulit, signum victæ gentis, penes quam Orientis imperium esset. Liuij duos locos vicissim facio iudicij tui.

Cur Luna in Labaris Turcarum?

Lib. XXVIII. post Cattulonem vrbem deditam.

Liuius corrigitur. I.

Mitior ea victoria fuit. nec tantumdem noxæ admissum erat, & aliquantum iræ lenierat voluntaria deditio. Martius inde in Barbaros siqui nondum perdomiti erant, sub ius ditionemque redigendos, missus. Scipio Carthaginem ad vota soluenda dis rediit.

Liuius meus clamat interpolatum fœdè hunc locum esse. Ille sic: *voluntaria deditio. Inde in B. s. n. p. erant. s. i. d. redigendos legatis missis Scipio Carthag. &c.* Pura pura Liuij & scriptura & historia. Qui Martij nomen intruserunt, legatorũ eiecerunt: putarunt vnicũ Martium missum, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnius illius res gestæ postea narrantur. Boni viri non audiunt scilicet Liuium ipsum stătem à lectione scripta, aliquam multis infrà lineis: *Res*, inquit, *interim nihilominus ab legatis gerebantur. Martius superato Bæti amne, &c.* At à quibus legatis, si missus solus Martius? Sed aliorum nõ meminit Liuius. quid mirũ? si leuia gesserint, nec scriptione magno opere digna?

Eodem libro, de seditione militum ad Sucronem.

11. *Cùm alios subinde recentes nuncios non mortis modò sed etiam funeris exspectarent, neque superueniret quisquam, euanescerétque rumor temerè ortus: tum primi auctores requiri cœpti. & subirascentes quoque vt credidisse potius temerè, quàm finxisse rem talem videri possent.*

Coniectura in Liuio. Rhenani Spirense exemplar habuit, *& subtrantesse quoque.* meum, *& subtrahentes quoque.* Ille primus reposuit, *& subirascentes.* addidit gloriæ caussa, à nemine hactenus locum istum intellectum. verissimè. sic tamen vt à se computet. Quis enim non videt nihilo secius hærere sententiam? nec esse quò illud, *subirascentes*, applicetur? Hᾶ δεῖσιωπᾶν, ἢ λέγειν ἀμελῶντα. ait ille. Emendo, *& subornant eos quoque.* vel, *& subdiderant.* facili sententia, & audebo dicere, Liuij germana. nisi quid tu aliter, vir nobilissime, censebis.

EPIST. XVII.

I. LIPSIVS CHRISTOPHORO PLANTINO.

QVID ais? Io. Goropius Becanus vixit? Dolui mehercle & litterarum caussa, & magis patriæ. quam in hac præcipiti ruina rerum spoliari optimis quibusque ciuibus, quid aliud quàm cælestium iram arbitremur? Nam ipsius vicem cur lugeamus? aut quid miserius illo, qui miserum eum dicet tot miseriis ereptum?

* At nos decebat doctos à sapientia, Desiere natum. * Latos, bonisq; votis, mittere è domo.

* Ἐχρῆν μὲν ἡμᾶς σύλλογον ποιεμένες
Τὸν φῦντα θρηνεῖν:

illum autem verè iam, quod Græci exprimunt, beatum

* χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Quamquam doleo etiam dolorem tuum. qui amicum amisisti rebus tuis & fide sæpe & consilio salutarem. Coloniam veni ipsis Kalendis Martiis. Peregrinationes meas causssam sermonibus dedisse, nollem factum. sed quis ille Thales, qui hoc statu rerum neminem offendat? Valet in his illud Comici,

Ne admittam culpam, ego meo sum promus pectori:
Suspicio est in pectore alieno sita.

Tacitum meis Scholiis illustratum vix tandem mitto ad te. scriptorem nescio an priuatim tibi vtilem, publicè certè. & hoc satis est apud te. Vt enim senex ille in Synephebis.

Serit arbores quæ alteri prosint sæculo:

sic tu libros diuulgas, quorũ fructus non in sinum tuum, sed ad remp. redundent. Vale. Coloniæ Vbiorum. a. d. III. Non. Mart. ↀ. IↃ. LXXIV.

EPIST.

EPIST. XIIX.

I. LIPSIVS CLAVDIO PVTEANO.

LVCTABAR his diebus cum Nonij vitiis. melius erat cum hydra. victoriæ certior spes fuisset. Cùm multa sustulissem, sexcenta tanta reliqui. In iis quæ sustuli, hæc sunt.

In Conquinisceré:

Nonius Marcellus varijs locis correctus. *Plautus Cistellaria: Faciundum est puerile officium, conquiniscam ad cistulam. Idem: & dolosi idem conquinisce, sis, istuc ceueto simul.*

Posterioris exempli prodigiosa corruptio: at certa correctio ista, *Idem Pseudolo: Si conquinisset istic, conquinisito Simul.* Illud, *& dolo*, corruptè pro, *Pseudolo.* reliqua clarent, exstatque in eapse comœdia is versus: ne diutius errent, qui inter fragmenta retulerunt. Plautus.

In Delica.

Cæcilius. *Cæcilius Obolostate: Si linguas decem Habeam, vix habeam te satis qui audem ache Immò verò hic ante solitus sum delicat.*

Exempla bina coaluisse censeo, & lego, —*si linguas decem Habeam, vix habeam, rem satis qui delicem. Idem Pausimacho: Immò verò hic ante, soli dum sumus, delica.* Vox vna perierat: titulus comœdiæ in versum irrepserat, & prior correctio certa: posterior arbitrij tui esto.

In Auscultare.

Idem. *Cæcilius Embono: Audire ignoti quod imperant soleo non auscultare.*

Restituo, *Cæcil. Emporo.* Scripsit Emporon Græco nomine, vt Plautus Mercatorem. Ibidem,

Põponius. *Pomponius Asia: Atque auscultare disce si nescis loqui.*

Lego, *Pompon: Asta, atque ausc.* Nouumnon est, vt fabulæ nomen Nonius omittat. Idem vereor ne euenerit in Plauti Scematico.

In Limare.

Plautina comœdia falsus titulus. *Plautus Scematico: Nam pater tuus numquam cum illa etiam limabit caput.*

& ausim legere, *Plautus schematiῶς: Nam p. t. n. c. i. e. limauit caput.* Illud, *σχηματικῶς*, dico à Nonio additum, qui monere nos voluit figuratè à Plauto dictum Limare caput, pro *συνθασιάζειν*. Certè Scematicum Plauti nemo homo præter Nonium hic appellat.

In Gallulare.

Nonius. *Gallulare, pubescere. Nouius Exod. Puerum mulieri præstare nemo scit quantum melior sit cuius vox gallulascit, cuius iam ramus roborascit.*

Hoc totum, *Puerum mulieri præstare*, separandum à poëtæ Nouij verbis est, additum quasi scholium à Marcello. Initium igitur versus, *Nemo scit.* & appellat Ramum id quo viri sumus.

Similis menda in Carere.

Turpilius. *Carere etiam rem bonam dici potest. Turpil. Demetrio: Dolentis personæ eos parentes careo.*

Illud, *dolentis personæ*, interpretamentum Nonij est.

In Concelebrare.

Ipse Nonius. *Concelebrare diu amare: dictum à celebritate. Lucil. lib. xxx. Multis inductus sermonibus concelebrarunt.*

 Lego,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lego, *Concelebrare, difamare.* & Lucilij versum, *Multis endo locis.* Nonij interpretatio an vera sit, videro: ita certè scripsit. Nisi placet, *Concelebrare, diuulgare.*

In Toruiter.

Pomponius. *Pomponius Auctorato: Occidit taurum toruiter me amores amauit.* Scrib. *toruiter, me amore sauciauit.* Narratio mulierculæ quæ auctoratum ad bestias amare cœpit, cùm vidisset strenuè ab eo taurum occidi. Liquet ex titulo comœdiæ.

In Contrahi.

Ipse Nonius. *Contrahi dictū est honestè quadā tristitia liberari, & solicitudine aut mærore.* Inepta lectio, quasi dicas, dolore est gaudere. Scribo, *quadam tristitia vibrari.* Docent Nonij exempla.

EPIST. XIX.

I. LIPSIVS PETRO DANIELI.

In Liuio Medixtutichus. VT apud Pœnos Suffetes fui, apud Gallos Vergobreti fuerunt: sic apud Campanos summi magistratus nomen Mediastuticus in Liuio ter quater legimus. Corruptè. nec dubitandum vltrà censeo, quin vbique *Medixtutichus* scribendum. Primum, ex fide libri mei veteris, qui in hoc Liuij loco Libro XXIV.

Præerat Statius Metius missus ab Cn. Magio Atellano, qui eo anno Mediastuticus erat.

sine litura præfert, *Medixtutichus.* Deinde auctoritate Ennij apud Festū,

Summus ibi capitur Medix, occiditur alter.

interpretatur Festus, apud Oscos nomen magistratus. Vellem & hoc addidisset, truncatam eam vocem ab Ennio, vt solet, cùm integrum esset nomen Medixtutichus. Quod ait apud Oscos, non te mouebit. cùm scias Oscorum gentem in Campaniæ parte fuisse. & quamuis gens ipsa perierit, vt Strabo ait, linguam tamen mansisse. De Ennio, sanè nihil illi tam familiare quàm dimidiatas voces vsurpare pro totis.

Ennij mos in trūcandis verbis.

Hinc illa Ausonij,

Ennius vt memorat replet te lætificum gau.

valet, gaudium. &

Vnde Rudinus ait diuūm domus altisonum cæl.

valet, cælum. Putem ita emendandum illud Ennij apud Nonium,

Idem emēdatus apud Nonium. *Rastros deinde Fabric carpsit caussa poliendi*
Agri.

Fabric. pro Fabricius. quanquam viri docti, *dentifabres* maluerunt. Sic in Saliari carmine, *Pa, pro parte, Po, pro populo* positum, Festus adnotauit. A Græcis hoc imitatum docent cum alia, tum Strabonis locus lib. VIII. παραδείγμασι δὲ χρῶνται τῇ μὲν ποιητῇ, τοῦ Κρῖ, καὶ Δῶ, καὶ Μαψ. Καὶ ἔτι, Ἵππυς δ' Αὐτομέδων τε καὶ Ἄλκιμος, ἀντὶ τοῦ Ἀλκιμέδων. Ησίοδος δὲ, ὅτι τὸ βριθὸ καὶ τὸ βριαρὸν, Βρῖ λέγει. Σοφοκλῆς δὲ καὶ Ιων τὸ ῥάδιον, ῥᾳ. Επίχαρμος δὲ, τὸ λίαν, λί: Συρακὼ δὲ, τὰς Συρακώσας. Ευφορίων δὲ καὶ τὸν ἥλιον, λέγει ἥλ. Εἰς ἄνεμον δὲ τὰ πηδάλια —τὰ πηδάλια Ἄρατος φησί. Hem, quod me fugerat, restituenda illa vox in Liuij XXIII.

Iterum Liuius.

Iam

Iam Campani eò frequentes ex composito conuenerant: nec procul inde in occulto Marius Alfius qui summus magistratus erat Campanis, cum xiiij. millibus militum habebat castra.

Nam Liuius mss. *Marius Alfius edixit vti qui summus.* Ex duabus vocibus iunctim scribo, *Medixtutichus.* Dubitare quis possit ne illa (*qui summus magistratus erat Campanis*) glossema sint. sicut & lib. XXVI. In eodem glossema indicatum.

Mediastuticus [qui summus magistratus apud Campanos est] eo anno Seppius Lesius erat.

Sed hoc pono, non adfirmo. Vale eruditissime Daniel.

EPIST. XX.

I. LIPSIVS ANTONIO OISELO.

ARNOBIVS Christiani nominis scriptorum quasi Varro est. antiquæ & reconditæ doctrinæ, quà in rebus, quà in verbis. Ab eius adytis nihil est quod vulgum arceamus: emanebit sua sponte. In eo his diebus pauca ista adnotabam. Emēdatur Arnobius.

Libro I.

Qui Faunos, qui fatuas, ciuitatúmque Genios, qui Pausos reuerentur atque Bellonas. I.

Emendabam, *qui Faunos, qui Fatuas.* Fatuam deam nouimus, Fauni vxorem. & cum fatuis hîc nullum litigium, sed cum deorum ridiculis nominibus. Eodem libro.

Quinimò, vt verius proloquar, haruspices has fabulas, coniectores, arioli, II. *& numquam non vani concinnauere fanatici. qui ne suæ artes intereant, ac ne stipes exiguas consultoribus excutiant iam raris: siquando nos vellerem vexire in inuidiam compererunt, indignantur declamitántque. in templis iam raritas summa est. tacent cærimoniæ.*

Hæret sententia. concinnabam sic, *siquando nos bellorum venire in i.* Caussa erroris in alternatione v. B. At Christiani cùm nouæ religionis nomine malè audirent: in eos sacrificuli bellorum & publicæ calamitatis inuidiam conflabant.

Libro VI.

Inter deos videmus leones toruissima facie, mero oblita minio, & nomine III. *frugi seriò nuncupari.*

Quod verò illud nomen frugi quo Leones nominarent? Scribo *& nomine truci.* Trux nomen, ipse Leo. Leones autem in dis cultos fuisse, aut certè eorum faciem, docet etiam Minutius. *Item boum capita & veruecum immolatis & colitis: de capro etiam & homine mixtos deos: & leonum & canum vultu deos dedicatis.* Et egregiè Porphyrius: περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς. Διὸ, inquit εἰς τὴν θεοποιΐαν παρέλαβον πᾶν ζῶον, καὶ ὁμοίως πανταχοῦ μίξαν θηρία καὶ ἀνθρώπους, καὶ πάλιν ὀρνέων ζώματα καὶ ἀνθρώπων. εἰκάσαι γὰρ τις παρ' αὐτοῖς μεχρὶ τραχήλου ἀνθρωποειδὴς. τὸ δὲ πρόσωπον ὀρνέου ἢ λέοντος, ἢ ἄλλου τινὸς ζώου κεκτημένον. καὶ πάλιν αὖ κεφαλὴ ἀνθρώπειος, καὶ ἄλλων τινῶν ζώων μέρη. Imò ipsos leones habitos Aegyptiis inter deos, disertè apud Aelianum reperies libro XII. cap. VII. Peto iudices, doctissime Oiseli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. XXI.

I. LIPSIVS IOSEPHO SCALIGERO IVLI F.

EGO ita sentiõ. Liuium, siquem alium scriptorem variè interpolatum, & oblitum esse glossis. Multitudo correctorum hoc fecit, iamdudum à Petrarcha: qui primus, vt opinor, auorum æuo sudauit in hac palæstra. Sed in iis odorandis & diiudicandis opus est accurato iudicio, mi Scaliger: hoc est tuo. Vide an rectè indagauerim istud,

Lib XXII. de Minutij & militum seditione ob Fabij moram.

Insigne è Liuio glossema sublatum, indicio libri.

Vt verò ad Vulturnum flumen castra sunt posita, exurebaturq; amœnissimus Italiæ ager, villæq; passim incendiis fumabant, per iuga Massici montis Fabio ducente, propè de integro est orta seditio: ac duces seditionis accensi quidam. fuerat enim silentium per paucos dies. quia cùm celerius solito ductum agmen fuisset, festinari ad prohibendam populationibus Cãpaniam credebant.

Non quilibet, sed tu Scaliger vides illa, *ac duces seditionis accensi quidam*, esse quisquilias. Quid enim ait? an duces seditionis inflammatos esse? non agnosco Latinum sermonem. An genus militum, quod Accensos vocabant, duces seditionis? hoc quidem etiam nugacius. Omnino explicare me non poteram, absque codice scripto fuisset. qui habet, *Propè de integro seditio ac* [*de seditione*] *accensi quidam fuerãt enim per paucos dies.* Ecce fontem: illud, *de seditione*, nota marginalis fuit: inuerecundè irrepserat, & stultius emendata est, *duces seditionis*. Primum hoc tolle: remoue & illa quæ liber omittit, *est orta*, vt rem factam habeas, illud, *quidam*, corrige, *quieti*, (nam abest à veteri vox, *silentium*) & lege, *prope de integro seditio accensa. quieti fuerant enim per paucos dies.* puto germanam Liuij lectionem habebis. Hoc si probo tibi, de aliis sanè manum non verterim.

EPIST XXII.

I. LIPSIVS PETRO PYTHOEO.

PANEGYRICOS illos Principum inferiorum B. Rhenanus dedit. sed, di boni, quàm non emendatos! Culpa exemplaris fortasse, sed & culpa aliqua ipsius: qui neglexerit Cuspiniani Viennensem editionem inspicere. in qua quid dicam pleraque emendatiora esse? imò verba, lineas, paginas totas, ab isto omissas. Sunt tamen & in illo exemplari suæ culpæ: quarum partim è Panegyrico Constantino Constantij F. dicto, sic conabar tollere. Pag. 159.

E Panegyricis multa sublata cõplures.

I. *Ancipiti periculo clausos obsessosq; peiora experiri armis coëgisti, adeò quà omnis eruptio tentauerat, cecidisti, vt ipse etiam dux cũ parte copiarum, &c.*

Lego, *adeoq; omnes qui eruptionem tentauerant cecidisti.* At paullum suprà in iis verbis, *teliscq; missilibus:* duæ ferè paginæ absunt historiam omnem obsidionis continentes. quæ tamen sunt in Viennensi editione, Anni D. XIII. Illinc petantur. Pag. 159.

II. *Spectans ex edito monte Xerxes nauale certamen, Augustus aliquid agens vicit apud Actium. Fuit etiam qui sublatus in scalas inuicem nexas, concurrentes eminus vidit acies.*

Scrib.

Scrib. *Augustus aliud agens.* id manifestè ex sententia tota liquebit. Non vsquequaque verò tamen hoc dicit. Nam Augustus etsi aliâs timidus, tamen Actiaco prœlio dextro cornu ipse præfuit. Pag. 163.

III. *At enim tu idipsum de ardore totius exercitus sentiens non sine vlla hæsitandi mora, quà breuissimum per Eos iter est, rapto agmine aduolasti.*

Delenda negatio, leg. que, *sentiens, sine:* & pòst, *per Eos.* illud *Eos*, gentis aliquod nomen aut regionis fuisse liquet. Quod quærendum.

Pag. 164.

IV. *Hæc est fiducia Imperatoris inuicti, & suorum mentibus freti, non dubitare nec trahere bellum, sed proximum quodque pugnæ tẽpus putare victoriam. Non enim res erat tibi vtique maximo cum Hannibale victore, vt post res asperas locum tempúsque captares, sed vrgere te successus tuos, &c.*

Primum lego, *non ductare.* vt ductare bellum, Sallustius: deinde *res erat tibi, vti Q. Maximo.* elegans & certa emendatio. Non cunctandum tibi, inquit, vt olim Q. Fabio Maximo contra Annibalem. Ibidem:

V. *Itaq. iam id timebatur ne ille conterritus his rebus, grauiter afflictus, & in arctum redactus boni consuleret, & debitas reip. pœnas obsidione differret.*

Scribo, *ille conterritus, suis rebus g. afflictis & in a. redactis mora consuleret.*

Pag. 166.

VI. *Reperto igitur & trucidato corpore vniuersus in gaudia & vindictam pop. Ro. exarsit, nec desicca tota vrbe qua fuffixum hasta ferebatur caput id piaculare fœdari.*

Quomodo trucidatur Maxentius iam mortuus & fluuio mersus? Rectè Diuæus historiarum istarum diligens, *truncato corpore.* abscissum enim caput fuit. Statim emendo, *nec desiit à tota.* Pag. 167.

VII. *Felices qui te propius aspicerent, longius positi nominabant: quos præterieras, loci quem occupauerant pœnitebat: vicissim omnes inde dicto accedere, insequi, certare innumerabilis multitudo, & impulsu vario fluctuare.*

Non negabis verum esse, *vicissim homines in relicto accedere.* Sic enim fieri solet in eiusmodi spectaculis, alij sua loca deserunt, alij occupant.

Ibidem.

VIII. *Et tantum sibi hominum animi post illam sexennij cladem supereſſe memorabant.*

Omnino leg. *tantum ibi hominum, a. p. i. s. c. supereſſe mirabantur.* Vix putabatur, ait, tantà multitudo supereſſe lætitiæ Maxentij

In Mamertini Genethliaco, pag. 328.

IX. *At enim quanto hoc est lætabilius ac melius, quod de prosperitate sæculi vestri certatim omnium hominum circumfertur: barbariæ Darnia sed inuicem dimicaturi vicerunt barbari. Sed consanguineos suos tam innumeros vobis tam nouos ex omni hostium genere successus fortuna suppeditat.*

Mera monstra. Diuæus ex vestigiis Viennensis libri, optimè restituit, *omnium hominum ore circumfertur. Barbari ad arma concurrunt: sed inuicem* dimicaturi. vicerunt Barbari: sed consanguineos suos. Tam innumeros vobis t. n.*

**Ludis scilicet gladiatoriis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX EPISTOLARVM
LIBRI II.

I. MARCO ET GVIDONI LAVRINIS.
II. LVDOVICO CARRIONI.
III. IACOBO SVSIO.
IV. NICOLAO BRYARDO.
V. FVLVIO VRSINO.
VI. VICTORI GISELINO.
VII. PETRO FABRO I. C.
IIX. ADOLPHO MEKERCHO.
IX. THEODORO PVLMANNO.
X. VICTORI GISELINO.
XI. CAROLO SIGONIO.
XII. FRANCISCO NANSIO.
XIII. GVLIELMO PANTINO.
XIV. CASPARI SCHETO.
XV. IOANNI BEROTIO.
XVI. VICTORI GISELINO.
XVII. BARNABAE BRISSONIO.
XIIX. ANDREAE SCHOTTO.
XIX. GERARDO FALKENBVRGIO.
XX. IACOBO CRVQVIO.
XXI. HVBERTO GOLTZIO.
XXII. NICOLAO BRYARDO.
XXIII. TVRCONIO ET MALDECHEMIO.
XXIV. LVD. CARRIONI.
XXV. VICTORI GISELINO.
XXVI. IOANNI LEVNCLAVVIO.

IVSTI LIPSI
EPISTOLICARVM QVÆSTIONVM
LIBER SECVNDVS.

EPISTOLA I.

I. LIPSIVS MARCO ET GVIDONI LAVRINIS NOBILISS FRATRIBVS.

EATERI debemus. Brugæ veſtræ Belgij noſtri ſidus ſunt, pariter vt olim Græciæ oculus, Athenæ. Nuſquam à multis annis ingeniorum felicior prouentus: nuſquam doctrinæ vberior ſeges. In qua eruditorum luce vos, Laurini fratres, ſic eminetis,

Vt pura nocturno renidet
Luna mari Gnidiúſue Gyges.

Ea te auſus ſum mittere ad vos Notas aliquot ſuper Liuij pugna Cannenſi. non docendi cauſſa, non: ſed explorandi iudicij veſtri. *Liuij locus de pugna Cannenſi emẽdatur, & illuſtratur.*

Pugna Cannenſis libro XXII.

Serui duo, Formiani vnus, alter Sidicini equitis, qui Seruilio atque Atilio Coſ. inter pabulatores accepti à Numidis fuerant.

Leg. *excepti*. & ita mſs. liber. I.

Sed per eundem Lucanum Statilium omnibus vltrà caſtra tranſg; montes exploratis, cùm relatum eſſet viſum procul hoſtium agmen, tum die inſequenti eius inſequendi conſilia agitari cœpta. II.

Mira narratio. feſtinabant ſequi Annibalem: & ecce cùm omnia tuta renuntiarentur, non dicam rem, ſed conſilium ſequendi in diem alterum reiiciunt. Vetus præfert, *tum die ſequenti eo conſilia agitare*. inculcatis illis vocibus, omiſſis. Facilis reſtitutio, *tum de inſequendo eo conſilia a. c.* Statim,

Annibal ſpem nactus loci ad equeſtrem pugnam, qua parte virium inuictus erat, facturus copiam pugnandi Conſulibus, dirigit aciem, laceſſitq; Numidarum procurſatione hoſtem. III.

Vetus, *facturos copiam pugnandi conſules*. optimè, ſic tamen vt antè emendes, *ſpem nactus loco ad*. Et planè hoc Liuius dicere voluit.

Ante ceteros armati (is gentium harum habitus tum magnitudine corporum tum ſpecie terribilis erat) Galli ſuper vmbilicum erant nudi: Hiſpani lineis, prætextis purpura, tunicis, candore miro fulgentibus conſtiterunt. IV.

Fœdè interpolatus locus. Lectio vetus, *aũ telus aiatus gentium harum tum magnitudiñe*. Puto leg. *Ante alia ornatus gentium harum, tum m.c. tum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

s. terribilis erat. Galli, &c. Quidquid præter hæc est, Liuij non est. Expressa omnia pænè ad verbum è Polybio, ἡ τῶν Κελτῶν γυμνῶν, τῶν δ' Ἰβήρων λίνοις περιπορφύροις χιτωνίσκοις κεκοσμημένων κατὰ τὰ πατρία, ξενίζουσαν ἅμα καὶ καταπληκτικὴν συνέβαινε γίνεσθαι τὴν ὄψιν. Itaque dubito, quia in Polybio, ὄψις: ne ex illo *aiatus*, faciendum, *aspectus*. Similia istis in libro suo Valla repperisse videtur.

v. *Sol, seu de industria ita locatis, seu fortè ita stando, peropportunè vtrique parti obliquus erat.*

Mss. *seu quod fortè ita stare.* scribo, *starent.* cetera rectè.

vi. *Frontibus enim aduersis concurrendum erat. quia nullo circà ad euagãdum relicto spatio, hinc amnis, hinc peditũ acies claudebant, in directum vtrimque nitentes stantibus ac confertis postremò turbatis equis, vir virum amplexus detrahebat equo.*

A veteri absunt ista, *postremò turbatis.* & certè scioli nebulonis glossema fuit. Nihil ad hanc rem turbatio equorum. Nam quod ait, *stantibus:* dixit ad discrimen, quia non vt in equestri pugna procursantibus.

vii. *Sub equestris finem certaminis coörta est peditum pugna. primò & viribus & animis pares constabant ordines Gallis Hispanisque. tandem Romani diu ac sæpe consilio agitabant qua fronte acieque densa impellerent hostium cuneum nimis tenuem eóque parum validum à ceteris prominentem acie. impulsis deinde ac trepidè, &c.*

Ait, *diu sæpe consilio agitabant.* Hem! tempus illud ferebat scilicet vt diu consilia agitarentur? imò res potius. quid deinde post consilium? ait, *impulsis deinde ac trepidè referentibus pedem.* nec narrat vel verbo quomodo hæc gesta. Quid multa? vulgata lectio, meræ nugæ. Libro meo abest vox, *agitabant.* & pro, *impellerent*, scribitur, *inpuluere.* En vobis veram lectionem, *Tandem Romani diu ac sæpe conniſi, obliqua fronte acieq; densa impulêre hostium cuneum.* Palmaria hæc correctio est. quod ad scripturam, ex illis *consilio qua:* quàm facilè, *conniſi obliqua?* & *inpuluere*, manifestò, *impulêre.* At illud sequens, *à ceteris prominentem acie*, legitur in v. *à prominentem acie cetera.* Lego, *à cetera prom. acie.* Tota narratio Liuij intelligetur ex ratione aciei instructæ. quæ expressa breuiter apud Plutarchum est, ἐν δὲ τῇ μάχῃ στρατηγήμασιν ἐχρήσατο. ὁ γὰρ ἦν ἰσχυρότατον αὐτῶν καὶ μαχιμώτατον τῆς δυνάμεως, ἑκατέρωσε τοῦ μέσου τάξας, τὸ μέσον αὐτὸς συνέπωλήρωσεν ἐκ τῶν ἀχρειοτάτων, ἐμβόλῳ τούτῳ προέχοντι πολὺ τῆς ἄλλης φάλαγγος χρησάμενος. εἴρητο δὲ τοῖς κρατίστοις, ὅταν τούτους διακόψαντες οἱ Ρωμαῖοι καὶ φερόμενοι πρὸς τὸ εἶκον, ἐκφερομένου τοῦ μέσου καὶ κόλπον λαμβάνοντος, ἐντὸς γένωνται τῆς φάλαγγος, ὀξέως ἑκατέρωθεν ἐπιστρέψαντας, ἐμβαλεῖν τε πλαγίοις, καὶ περιπλῦσειν ὄπισθεν συγκλείοντας. ὁ δὴ καὶ δοκεῖ τὸν πλεῖστον ἀπεργάσασθαι φόνον. ὡς γὰρ ἐνέδωκε τὸ μέσον, καὶ τοὺς Ρωμαίους ἐδέξαντο διώκοντας. ἡ δὲ φάλαγξ τοῦ Αννίβου μεταβαλοῦσα τὸ σχῆμα, μηνοειδὴς ἐγεγόνει. καὶ τῶν ἐπιλέκτων οἱ ταξίαρχοι, ταχὺ τὰς μὲν ἐπ' ἀσπίδα, τὰς δ' ἐπὶ δόρυ κλίναντες, προσέπεσον κατὰ τὰ γυμνὰ πάντας, &c. Eadem Polybius, sed diffusius. Ceterum illud Liuij, *cuneum à cetera prominentem acie*, vertit Plutarchus, ἐμβόλῳ προέχοντι τῆς ἄλλης φάλαγγος. nequis de restitutione dubiter.

viii. *In mediam primam aciem illati, postremò nullo resistente ad subsidia Afro-*

rum peruenerunt. qui vtrimque reductis alis constiterant, mediique Galli Hispanique steterunt aliquantum prominente acie.

Vetus, *mediam primùm.* &, *mediaq; Galli.* &, *steterant.*

ix. *Afri circà iam cornua vim fecerant, irruentibusq; incautè in medium Romanis circumdedere alas.*

Iterum interpolata lectio. Scripsit Liuius, *Afri circà, iam cornua fecerant.* & ita vetus. at illi boni correctores dum putant, Circà, ad cornua referendum, &, *vim*, vocem intrudunt: sententiæ profectò vim fecerunt. Dixit, Circà, vt antè, *nullo circà ad euagandum loco.*

x. *Omissis Gallis Hispanisq; quorum terga ceciderant, etiam aduersus Afros integram pugnam ineunt.*

Absunt mss. τὸ, *etiam*, & *integram.* rectè.

xi. *Ne vt reus inteream, caussaq; consulatus accusator collegæ existam.*

Fortè, *ne aut reus inteream, caussave consulatus.* etsi suspectum est illud, *consulatus.*

xii. *Hæc exigentem prius turba fugientium ciuium, deinde hostes oppressere Consulem ignorantes quis esset.*

Antiqua omnis lectio, *Hæc exagentis.* Vulgata lectio à Valla est. Sigonius mauult, *exequentem.* Ego, *fatagentes.* & sequentia distinguo, *oppressere. Consulem ignorantes quis esset, obruerunt telis: Lentulum,* &c.

xiii. *Lentulum in tumultum abripuit equus.*

In mss. tantùm, *Lentulum abripuit equus.*

xiv. *Ad Cannas fugientem Consulem vix quinquaginta secuti sunt: alterius morientis prope totus exercitus fugit.*

Scribo, *exercitus fuit.* Non aliud dicit, quàm, Varronem fugientem pauci comitati: Æmilio morienti propè omnis exercitus commoritur. Hæc ad Liuij locum hunc habui. qui & ipse è Cannensi pugna elapsus videri poterat: ira multa vulnera & labes in vna pagina præferebat. Valete nobilissimi fratres, Belgarum magnum decus.

EPIST. II.

I. LIPSIVS LVDOVICO CARRIONI.

An Cõmentarij belli Gallici, ipsa Cæsaris?

VIDE quid adfirmes, mi Carrio. vt Commentarij Cæsaris, non sint Cæsaris? ταυτὶ προσδοκᾶς πείσειν ἐμέ; Mitte opinionem, inquis, & rem ipsam puta. Parebo. Primum ais in libris scriptis ἐπιγραφὴν vidisse sic conceptam, *Commentarij Iulij Celsi.* idq; præter alios conspici in libro collegij Attrebatensis, Louanij. & sanè idem Diuæus noster adfirmabat. Adducis & scriptores superioris æui: Vincentium in Speculo, qui pontem illum Rhenanum describens à Cæsare libro IIII. celebratum, Iulium Celsum laudat, non Cæsarem. Ioannem Episcopum Salisberiensem, qui libro suo De nugis curialium ante annos plusminus CD. scripto, item nominat Iulium Celsum. Vidi & ipse nescio quam Margaretam Poëticam (vt iuuem te) in qua multa ex hisdem Commentariis fragmenta citantur, sed semper nomine Iulij Celsi. Iubes postremò stilum ipsum considerare me. & ais in istis Commentariis multa soluta, hiantia,

tia, superflua reperiri, à Cæsaris illo terso & Attico stilo, quem Cicero immensum laudauit, diuersa. Hæc ferè tua sunt. & fatebor, mouisti me, sed non demouisti. Quin *Iulius aliquis Celsus manus attulerit Cæsari, quædam reciderit, addiderit, quædam interpolarit, numquam infitebor: vt Cæsarem totum immutarit sic quasi Iustinus Trogum, ignosce, ne tua quidem caussa possum credere. De stilo quod ais: si verum quærimus, hi De bello Gallico discrepant aliquantum ab illis de Ciuili, filo orationis. & fieri potest vt interpolati sint, vt dixi: non tamen ita vt similitudo oris prorsus euanuerit. & quamuis gemini non sint, fratres tamen esse ex ipsa ratione scribendi agnoscas. De hac re ita censeo.

* Certè in quibusdam antiquis libris sine Commentariorum legitur. *Iulius Celsus Constantinus legi Cæsaris Commentarios.*

EPIST. III.

I. LIPSIVS IACOBO SVSIO, VIRO NOBILI.

Et mihi discendi cupiditas innata est, & tibi, vir nobilissime, docendi facultas quem ita versatum cum cura in omni genere scriptorum scimus, vt possis tuo iure dicere, quod ille Apollo Ennij,

—— à me omes Belgæ consilium expetunt
In litteris incerti: quos ego mea ope ex
Incertis certos, compotésque consili
Dimitto.

Plinius tribus in locis expendatus. I. Itaque peto rescribas quid de hoc Plinij loco existimes,

Lib. XVII. cap. XI.

Hæc & similia quaternos pedes oportet demitti; ceteris sat est si altitudinis pedes ternos effecerint. [Excide inquit radicem istam Papyrius Cursor Imp. ad terrorem Prænestinorum prætoris.] Distringi securius se teste, innoxium abradi partes quæ se nudauerint terra.

Verba quæ lineis inclusi historiam tangunt, quam Liuius lib. IX. rettulit, *Prænestinus prætor per timorem segnius suos ex subsidiis duxerat in primam aciem: quem cùm inambulans ante tabernaculum vocari iussisset: lictorem expedire securim iussit. ad quam vocem exanimi stante Prænestino, Agedum lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus.* At cùm hoc capite Plinij nil nisi de transferendis arboribus aut serēdis agatur, quem locum habere hic historia potuit? cuius sanè nec caput nec pes comparet. Suspicor hoc totū glossema esse: vnde ortum, aut qua caussa, ignoro. Sequentia lego, *Distringi securius, sed & innoxium abradi.* Abradebant enim arbores: atque ita Seneca emendandus epistola LXXXVII. *parum autem arboris antequam obruat, radit:* (malè in libris, *radix:*) *ex omni enim materia quæ nudata est, vt ait, exeunt radices nouæ.*

Libro XXIX cap. II.

II. *Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, posses à nubentibus attingi iubentes.*

Lego, *à nubentibus ea cingi iubentes.* Docet Plutarchus, ἡ νύμφη δὲ εἰσφέρει μὲν ἠλακάτην, ἢ τὴν ἄτρακτον, ἐρίῳ δὲ τὴν θύραν περιςέφει τοῦ ἀνδρός. Dixit, περιςέφει, quod Plinius, cingi.

Lib.

Lib. XLIX. cap. IV.

Ac primum omnium oraculis maiori ex parte agemus. cur enim non videantur oracula à certissimo die maximeq; veridico vsu profecta? III.

Verius erit, *à certissimo Deo.* Vsus enim ille deus, qui oracula agricolis dictat.

EPIST. IV.

I. LIPSIVS NICOLAO BRYARDO, V. NOBILI.

Multa me Brugas trahunt. opidi, vt in Belgio pulcherrimi, videndi cupiditas; amicorum importunæ preces, imo iussa: alia quædam priuata: sed ne viuam, & nullam è Musis habeam propitiam, nisi ante omnes, Bryarde, tu. Non dicam vulgata illa, quia amo te, quia amari me sentio à te. communia hæc cum aliis: sed quia Plautum vnicè amari cognoui à te, illud delicium, & illum, vt sic dicam, pullum Romanæ Musę. Nec tu mireris, si hoc mirer. An ego non mirer Plautum vnum tibi in manibus, in sinu esse, quem ne omnes quidem qui litteras ex professo tangunt, audent tangere? Nam de nobilitate vestra, magna & rara res, si eam ad historias, ad nummos, & eiusmodi studiorum bellaria possimus allicere. Plautus in litterarum quasi penetrali est, quò non nisi initiati accedāt, & qui à se *Spernat profanum vulgus & arceat.* Itaque ardeo, mihi crede, cupiditate videndi, audiendi tui, de Plauto colloquendi. In quo elegantem locum emendasse te puto, *Plauti à Bryardo correctio.*

Persa.

Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriosè.
TO. *Sed quis hic ansatus ambulat?* SA. *magnificè consecrabor.* *Consecrare.*

Legis tu, *magnificè conscreabor.* Nihil verius, in gestu illo glorioso exprimendo etiam Conscreatio adhibetur, siue Exscreatio. idq; iamnum vulgò solemus. At ille stipes Nonius Consecrabor pro Consecrabo adnotat. tam aptè ad sententiam quàm Aristophanis Bombalobombax. Nisi censes tamen emendandum Nonium, *Conscreabor pro conscreabo.* quod transposita littera facile est. Vale. *Et Nonij.*

EPIST. V.

I. LIPSIVS FVLVIO VRSINO, V. C.

Vervsne ad me nuntius accidit, Laurentium Gambaram obisse? non verus spero, nec Musę permittant. Si tamen est: doleo primum vtriusque nostrūm caussa, qui amicum: deinde Italiæ vestræ, quæ poëtam amisit. & amisit eo tempore, quo opus minimè fuit. Vides enim illa regio vestra quàm nunc hoc genere ornamenti non abundet. Idem in Europa reliqua est. in qua, an bello, an qua alia caussa, iacent omnes litteræ. Apud nos quidē magna, vel potius vnica doctrina est, triduanum Ic. cum profiteri: cum Euripidæo Cyclope sentire,

τὰ δ' ἄλλα κόμποι, κ' λόγων εὐμορφίαι.

Sed aut illi insigniter sapiunt cum suo iudicio: aut nos insigniter insanimus Nobis tamen nostra sponsa, quam vereor ne iam vsu, emptione, confarreatione nostram, ægrè possimus dimittere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Liuio hæc notabam Lib. XXIII. ab initio.

I. *Ab vrbe oppugnanda Pœnum absterruere conspecta mœnia, haudquaquam prompta oppugnanti.*

Scriptus codex, *Pœnum abstinuere.* eleganter. Arnobius: *Iouem cum patre bella conseruisse ciuilia, atque eum iure abstinuisse regali.* Ac scio ego Plautum & veteres vulgò ita locutos. Valla, seu quis alius vellem abstinuisset ab hoc loco manum.

II. *Quod sæpe, inquit, optastis Campani vt supplicij sumendi vobis ex improbo ac detestabili Senatu potestas esset.*

Videtur librarius vetus scribere voluisse, *intestabili.* sed mutauit. nota est formula, Improbus intestabilisque esto.

III. *Tunc Pacuuius: Video quæ sententia de hoc sit data, eiicitur pro malo atque improbo bonum senatorem & iustum eligite.*

Manss. *iustum substituite.*

IV. *Hinc senatores omissa libertatis dignitatisq; memoria plebem affari, salutare, benignè inuitare, apparatis accipere epulis, eius caussas suscipere, ei semper parati adesse: secundum eum in lite, iudicem dare, qui magis popularis aptiorq; in vulgus fauori conciliando esset.*

Vetus, *secundum ea militem iudices dare.* Omnino scrib. *secundum eum, litem iudices dare, qui.* Dare litem secundum aliquem, merum Latium. Iudices igitur, inquit, caussam illi plerumq; addicebant, qui aptissimus ad conciliandũ vulgus. De quibus arbitrari te, doctissime Fului, volo. Valo.

EPIST. VI.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

Tv verò, mi Victor, tardum nomen es: nolo dicere, malum. vt pro me ne interpellem: quantum queri Carrionem censes de obstinato silentio tuo? Noli aliorsum hoc accipere: sed credo mehercules Angeronam matrem fuisse tibi, & Harpocratem patrem. His parentibus renatum te Pythagoram nouum.. præsertim cùm huius sapientiæ discipulos iam habeas duos, Lernutium inquam & Modium. qui in quinquennali sua ἐχεμυθίᾳ sunt, opinor: ita ad litteras nostras verbum non respondent, ne Mu quidem Lucilianum. Ridebis tu? at ille seriò ringitur. De me, facilis res est, veni modò, & quod polliceris, purga te coram. Sunt ioca, sunt seria, quæ in sinum tuum cupio effundere: sinum, & amore, & fide mihi perspectum. Cum te Castore, Pollucem exspectabo Lernutium. Mihi crede.. non illæ ipsæ stellæ tam gratæ nautis turbante mari adfulgent, quàm mihi vos.

——πιστὸς ἐν ναυσὶ ἀνὴρ
Κρείσσων γαλήνης ναυτίλοισιν εἰσορᾶν.

Varronis bina glossemata.

Varronis locus apud Nonium Febris,

Febris proprietatem [habet à feritate morbi vel mali, vt à calendo calorem vel candorem.] Varro Andabatis: Aperiendam putat, idq; alterum appellamus à calendo calorem, alterum à feruore febrim.

glossemate inquinatus est. Nonius scripserat, *Febris proprietatem Varro Anda-*

batis aperiendam putat: Idq; alterum, quidquid præterea est, à mala manu est, nec dictum à Nonio nec pictum. Minusculam febrim, Calorem propriè appellari vult. quo exemplo Iuuenalis:

——*sentire calorem*
Si cœpit locuples Gallita aut Paccius orbi.

Simile in Cibarium:

Varro Modio: In cubiculo [dormire mallem scilicet] potius vinum meum cibarium, quàm ego dominus cubarem.

Quod inclusi, interpretamentum vacerræ cuiuspiam, distorta mente non pedibus. Reliqua Varronis clara, nec egent correctionis. tantùm interrogandi nota addatur.

EPIST. VII.

I. LIPSIVS PETRO FABRO, I. C.

Qvem locum nuper in Pandectis emendare visus sum, eius te iudicem capio clarissime Faber: vel arbitrum potius. quando in illiusmodi rebus non hoc directũ *Si paret*, sed illud arbitrarium *Quod æquius melius* sequendum videtur.

Pomponius l. CCXLV. De diuersis reg. iuris. *In Pandectis conie-ctura.*

Statuæ adfixæ basibus structilibus, aut tabulæ religatæ catenis, aut ergà parietem adfixæ non sunt ædium: ornatus enim ædium caussa parantur, non quò ædes perficiantur. Idem Labeo ait, Prothyrum quod in ædibus interdum fieri solet, non est ædium.

Florentina lectio concipitur, *in ædibus iterum qui fieri solet.* Lego, *in ædibus vterimque.* siue, *vtrimque.* Nam Latini Prothyra appellarunt, quæ Græcis Diathyra. Ea sunt repagula è ferro, lapide, vel qua alia re vtrimque depacta, arcendis à vestibulo ædium vehiculis & equis. Hoc ipsum Papinianus Velamen dixit, l. quæsitum. De instr. vel instrum. leg. *Sient,* inquit, *Prothyron domus si velamen est, instrumento domus continetur.* Alia Prothyra sunt illa, de quibus Nou. CIIII. & CII. quod accuratè, vt iuris pleraque omnia, explicauit amicus tuus Iac. Cuiacius, vir & laude nostra & sæculo maior. Vale. *Prothyra.*

EPIST. IIX.

I. LIPSIVS ADOLPHO MEKERCHO.

Qvod pater ille vatum de Asteropæo dixit, περιδέξιον fuisse: idem de te, clarissime Mekerche, iure vsurpauerim. qui & in rep. & in literis sic versaris, vt in altero horum vnus esse videaris. Itaque non refugi petere à te, quod ab otioso debuissem, quid de his Liuij locis sentires, *Liuius emendatus.*

Lib. XXIII. Varro ad Campanos.

Itaque non iuuetis nos in bello oportet Campani, sed cum Pœnis bellum pro nobis suscipiatis. I.

Lectio vetus, *sed pœne bellum suscipiatis.* vtraque recta, hæc fortasse germanior.

In

Universidad de Deusto
Biblioteca

In eadem oratione.

II. *Pulchrum erit, Campani, prolapſum clade Romanum imperium, veſtra fide, veſtris viribus retentum ac recuperatum eſſe. Triginta millia peditum, quattuor equitum arbitror ex Campania vos ſcripſiſſe: iam pecuniæ affatim eſſe frumentique. qui ſi parem fortunæ veſtræ fidem habetis, &c.*

Ego verò iſta nec Liuium ſcripſiſſe puto, nec Varronem dixiſſe. Falſa enim. nec Campani tunc vllum militem conſcriptum habebant, niſi qui in Romanis caſtris fuiſſent. nedum vt xxx. millia. Quod quiſpiam ad vetuſta tempora referat: nihil eſt. Liber manſ. leuiter diſſentit. ſed ex quo veritas erui poſſit: *arbitror ex Campania ſcripſiſſe*, omittitq; illud, *vos.* & ſtatim, *affatim eſt*. Emendo, *arbitror ex Campania ſcribi poſſe*. poſtremas voces procliue fuit confundere in vnam. & deinde, *Iam pecuniæ affatim eſt*. Omnia certè hæc ad præſentem fortunam Campanorum referenda ſunt: aut Varro nugas tota cohortatione ſua egerit.

III. *Marius concione aduocata edixit vt frequẽtes cum coniugibus ac liberis irent obuiam Annibali. Ab aduerſis id non obedienter modo, ſed enixè factum.*

Codex ſcriptus, *Ab vniuerſis id.* bene.

IV. *Annibal vrbem ingreſſus Senatum extemplò poſtulat. precantibusq; inde primoribus Campanorum, nequid eo die ferè gereret, diemq; vt ipſe aduentu ſuo feſtum lætus ac libens celebraret.*

Vetus, *eo die ferre gereret.* ſed Ferè nos dictum à Fero putamus, & capimus hîc Sæuè, Ferociter.

V. *Cœperunt epulari de die, & conuiuium non ex more Punico, aut militari diſciplina eſſe: ſed vt in ciuitate atque etiam domo diu ad varias omnium voluptatum illecebras inſtructum.*

Hærent interpretes. Sigonius emendat, *domo diuite.* pace eius liceat: alia eſt ſententia Liuij. poſtremam vocem mutãdum erat, leg. q́ue, *inſtructa.* Nam hoc dixit: conuiuium fuiſſe, quale veriſimile eſt in ciuitate atque etiam diuitis hoſpitis domo facta & longo vſu docta ad voluptates.

EPIST. IX.

I. LIPSIVS THEODORO PVLMANNO.

Iuuenalis laus.

IVVENALEM Poëtam à Scaligero patre, in Satyra præpoſitum Horatio, vidi qui indignaretur. At ille, me iudice, inter multa certi & elegantis iudicij, nihil verius protulit. Vtinam de poëta populari ſuo (Catullum inquio) tam commodè iudicaſſet! in quo quæ ille reprehendit, numquam, ſat ſcio, probaret huic filio ſuo Culpas potius eſſe, quàm Laudes. Nam quòd Balthazaris Caſtilionæi vnam elegiam præ multis Propertianis ponit: *Non obtuſa adeò geſtamus pectora Pœni*, vt neſciamus amico hoc datum, non vero. Sed de Iuuenali, verè iudicat. Ardore, altitudine, libertate, id eſt ſuo quodam genere ſupra Horatium eſt: quod ipſum maximè Satyræ proprium videtur. Tangit vitia, obiurgat, inclamat: rarò iocos, ſæpius acerbos ſales miſcet. Quæ omnia in Horatio contrà. qui placidus, lenis, quietus, monet ſæpius quàm caſtigat. Sed ita præclarè tamen hoc ipſum: vt in ea parte & arte nihil poſſit ſupra eum. Sed omiſſa comparatione, tu in Iuuenali hæc vide.

——Satyra

——Satyra VI. hi verſus:

Si nihil eſt ſeruis incurritur: abſtuleris ſpem
Seruorum, veniet conductus aquarius.

videntur mihi ab Ariſtophane eſſe in Θεσμοφορ. apud quem Mneſilochus ſimulata mulier, eadem de hoc ſexu fatetur: *Eiuſdem locus ab Ariſtophane.*

Ταῦτ' ἐδεπώσποτ' ἐφορᾶτ' Ευριπίδης.
Οὐδ' ὡς ὑπὸ τῶν δἀλωντε κ' ὠρεωκόμων,
Σωσοδοῦ μεθ', ἣν μ' ἤγαγεν ἕτερον, ἀ λέγει.

Sunt & multa alia ab hoc Comico imitata. illud acutè,

——*iurat* *Et alter.*
Hipponam, & facies olida ad præſepia pictas.

à iuramenti forma mores exprimit, vt puer Ariſtophanius in Nubibus,

Νὴ τὸν Ποσειδῶ τουτονὶ τὸν ἵππιον.

& indignans pater, μὴ μοιγε τοῦτον μηδαμῶς τὸν ἵππιον. *Varia lectio in duobus verſibus.*

Illo verſu Sat. II.

Nec galeam quaſſas nec terram cuſpide pulſas,

vidi mſs. in quo, *nec tempora cuſpide.* & ſcio in more militari eſſe, haſtis ſcuta galeamque concutiendi in ira.

In Sat. XI.

——*omnis*
Conuictus, thermæ, ſtationes, omne tribunal.

Idem ſchidium, *Conuentus, turmæ.* Hæc leuia habui, mi Pulmanne, in Iuuenalem. ne plura poſſim, tu effeciſti, qui omnia minima maxima, cum cura adnotaſti. Vale.

EPIST. X.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

OFACINVS, ô ſcelus! tam infeliciter perierit vtrique noſtrûm fragmentum illud Agellij? equidem nullus accepi. Nec tamen dixerint, vt perierit. Bene ſi fraus abeſt: & negligentia mera nuncij ſi peccatum eſt; vbiubi delituit, tenebrio ille eruetur. Quanquam moleſta mora Epiſtolicis meis. O Muſæ, ô di! cur ego non adſum diem vnum Douſæ, Lernutio, tibi? quos vnos mihi propemodum (patiamini hoc vobis in os dici) & in germanum modum duco amicos. Nam alij quidam quos noſti,

-iſtoc more atque exemplo viuunt, quos cùm cenſeas
Eſſe amicos, reperiuntur falſi falſimoniis:
Factioſa lingua, ignaua opera, ſubleſta fide.

vt ait poëta ille, de quo breui videor dicturus, Noſter. De Oda fac promiſſa compareant: Lernutij exemplum vide. cuius vxoris ventri verminanti, iamnunc faueo. In Seneca hæc conſidera.

Lib II. de Beneficiis, cap. XXIX. *Seneca emendationes quatuor. I.*

Et quidam profeſſi ſapientiam queruntur, quòd ſolidior ſit cutis belluis, decentior damis, denſior vrſis, mollior fibris: quòd ſagacitate nos narium canes vincant, quòd acie luminum aquilæ, ſpatio ætatis corui, multa animalia nandi felicitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ verò felicitas in nando? Vereor vt decurtata vox sit, leg. que, *diuinandi.* Approbat ipse Seneca, qui statim adiungit, *futuri scientia.*

Lib. IV. cap. VI.

II. *Ille deus non est qui paucas boues, sed qui per totum orbem armenta dispersit: qui non calamo tantum canere, & agreste atque inconditum carmen ad aliquam tantum oblectationem modulari docuit: sed tot artes, &c.*

Non negabis verum esse, *ad aliquantam oblectationem.*

Cap. XXX.

III. *Quid nuper Fabium Persicum, cuius osculum etiam impediret viri vota boni, sacerdotem non in vno collegio fecit, nisi Verrucosi, &c.*

Seneca scriptus qui apud me, *Osculum etiam impodici deuotabam.* Fortè, *etiam impudici deuitabant.* Notat hominem opicum, & capitis sui prodigum. Simile est illud Suetonij de Q. Rhemmio: *quē flagrasse ait vsque ad infamiam oris dictoq; non inficeto notatum cuiusdam, qui cùm in turba osculum sibi ingerentem quamquam refugiens deuitare non posset, Vis tu, inquit, magister quotiens festinantem aliquem vides abligurire?*

Lib. IV. Quæst. Naturalium initio.

IV. *Sic ergo formare vt scias non posse te consequi vt sis impenetrabilis, cùm omnia cauero per ornamenta fiet.*

Lego, *cùm omnia caueris, per ornamenta feriet.* eleganter ductum à gladiatoribus. quorum arma hic, ornamenta.

EPIST. XI.

I. LIPSIVS CAROLO SIGONIO.

Dubitatũ in Liuij loco.

AENIGMA ad te adfero: para Hortensij Sphingem. Liuij II. de Valerij domo:

Delata confestim omnis materia infra Veliam, & vbi nunc Vicus publicus est, domus in infimo cliuo ædificata.

Stabiliri ea lectio Plutarchi fide videtur, καὶ κατεσκεύασεν οἰκίαν ἐκείνης μετριωτέραν. ὅπου νῦν ἱερόν ἐστι Οὐίκου φωλικοῦ ὀνομαζόμενον. sed videtur tãtùm: in re contrà est. Ait enim, ὅπου ἱερόν ἐστι. at dic mihi, quis templum audiuit Vici publici? aut quis eo nomine deus? Sed & Varro refutat apud Asconium, Commentario in L. Pisonem: *Varronem autem tradere M. Valerio, quia sæpius vicerat, ædis in palatio tributas L. Higinius dicit in libro priore De viris claris: & P. Valerio Volesi filio Poplicolæ, ædes publicas sub Velia vbi nunc ædes Victoriæ est, populum ex lege* (scribe, *ea lege*) *quam ipse tulerat, concessisse.* Ecce. nónne clarè, vbi nunc ædes Victoriæ est? nihil autem de Vico. Sed & nescio quid aliud monstri alunt veteres libri. Rhenani codex, *vbi nunc vicæ pocæ*: meus, *vicepotæ.* Anne igitur, *vbi nunc Victoriæ est*, in Liuio ex Asconij fide legimus? quæ sanè simplex & aperta veritas videtur. an remotius aliquod verbum etiam indagandum est, quod turbarit exscriptores? Et videndum herculè ne *Vicepotæ* retinendum: quo ipso tamen nomine Victoriam dixerint prisci. Vox ea quidem etiam in Senecæ ludo De morte Claudij: *Proximus interrogatur sententiam Diespiter Vicepotæ filius.* Et iuuat aliquid Isidorus, qui obseruat antiquos *Viciam,*

Vicepotæ dea.

ciam, Victoriam dixisse. Composita igitur vox fuerit, à Vicia & Posse: quasi vincendi dea illa potens. Ios. tamen Scaliger in Catullum Senecæ isto loco quem dixi, *Niceporæ* agnoscit Græca voce, quasi τῆ Νικηφορᾶ. Quidquid sit, alterutrum hîc eligam, *Vbi nunc Vicepotæ est*, siue *Niceporæ*: & intellegam ædem. Plutarchum etiam emendem ad Liuij exemplum. Sed hoc somnium, fortasse & istud lib. XXIII. Siue, Niceporæ.

Latoq;, vt solet, ad populum, vt equum ascendere liceret, præter duas vrbanas legiones, quæ principio anni à Consulibus conscriptæ fuerãt, & seruorum delectum, cohortesq; ex agro Piceno & Gallico collectas, ad vltimum propè desperatæ reip. auxilium, cùm honesta vtilibus cedunt, descendit equo, dixitque: Qui capitalem fraudem ausi quiq; pecuniæ iudicati, &c. Et alter, si fortè, correctum.

Quid illud, *descendit equo?* An in vrbe Dictator equum ascendebat? & vt id fuerit, an ex equo edicere non potuit? campæ, & flocci. Scribo, & dist. *ad vltimum propè desperatæ reip. auxilium, cùm honesta vtilibus cedunt, descendit, edixitque.* Scriptum fortasse fuit, *ecdixitque.* At homines acutos mouit, quòd antea legerant latum fuisse vt equum ascendere liceret. Itaque facetè iterum equo detrahunt, propter illud *descendit.* quod Liuius ita dixit, vt vulgò, Ad extrema descendere.

EPIST. XII.

I. LIPSIVS FRANCISCO NANSIO, V. C.

NIHIL est aut te humanius, Nansi, aut litteris tuis amabilius. ad quas tamen, quod fieri posse non putabam, addidit nescio quid suæ Veneris lator Modius. ita multa mihi de te, de rebus tuis apposite & εὐτραπέλως narrauit. Planè adolescens est ad illud poëtæ Siculi φιλόμωσος, ἐρωτικός, εἰς ἄκρον ἁδής. Plautum meum quod scribis auidè istic expectari: sanè nollem. noui ipse me: &, di boni, res quanta! Itaque valdè vereor vt fitim vestram promissis accendere, reapse non possim restinguere. Video quid duobus magnis viris acciderit qui ante annos XV. vter Plautum ederet, epistolis concertabant inter se. Hem! rideo, Galba ait, cantherio. & quid hoc aliud est, quàm Iunonem Lucinam clamare, fœtu nondum concepto? De Sisennæ loco, & Gorytis: fateor, erraui dum interpretor cum Nonio. Vtinam ne plura in iis libris sint theta tuo digna! Plauti Persa duos locos facio iudicij tui.

Scena, Probati:

Nugipolyloquides, argentiextenebronides,
Tedigniloquides, nummorum expalponides. Restituta vox in Plauti Persa.

Ficta nomina Aristophanis morem & Græcorum. pro re præsenti tamen sententiam præferre debent. Itaque altero versu legerim, *Techniloquides*, quasi qui loquitur technas.

Scena, Satin' Athenæ.

DO. *Ne sis plora, libera eris actutum si crebrò cades.*
Vin' mea esse? VI. *dum quidem ne nimis diu tua sim, volò.* Et distinctio versus.

Illud, *si crebrò cades*, turpiculam aliquam sententiam habere posse videtur: sed, me Iupiter, inuenustam, *Plenam ruris & inficetiarum.* nec persuadeor

Universidad de Deusto
Biblioteca

suadeor Cadendi verbum Latinos sic abusos. Puto personas omissas, confusas etiam voces. quas sic concinno: *actutum.* VI. *sic reor.* DO. *ades, Vin mea esse?* Peto rescribas.

EPIST. XIII.

I. LIPSIVS GVLIELMO PANTINO, MEDICO.

PLINII libros qui Pandectas appellauerit, me iudice haud errauerit. Omnia ille vir legit, vidit, sciuit: & in vnum volumen Græciam & Latium conclusit. paullò mehercle felicius, quàm Trax ille Imperator veteres leges. In eius scriptis quia assiduum esse te audio, si probare hanc emendationem meam poteris, quæro.

Lib. IX. cap. XV.

De Plinij loco quæstū. *Silurus grassatur vbicunque est, omne animal appetens, equos natantes sæpe demergens, præcipuè in Mæno Germaniæ amne prope Lisboum. Et in Danubio mario extrahitur porculo marino simillimus.*

Addubitat Hermolaus, *prope Visbium*, ne legendum sit: & *AEno*, non *Mæno*. quòd Ptolemæus Visbium opidum ad Ænum collocet. Vir magnus errat in re tota. nullum hic opidum quærendum, sed sic, ni fallor, leg. *Germaniæ amne. Protelis boum & in Danubio Mario extrahitur.* Agit de inusitata magnitudine aliquot piscium, & in iis ponit Marionem Danubij. adeò, inquit, vt necesse sit, protelis boum immane corpus extrahi. Siue etiam: *Mæno Germaniæ amne protelis boum & in Danubio extrahitur.* voce omissa, cuius correctionem non video. Certè vt ad Silurum ipsum id referamus non ad nescio quem Marionem (qui Gelenij inuētum est) inducit me Ælianus, qui libro XIII. cap. XXV. Silurum piscem extrahi & capi boum iugo scribit clarè. Quod autē Plinius hîc Protelis dixit, paullo antè de Attilo Padi aiebat, *catenato captus hamo, nec nisi boum iugis extractus.* Et Lampridius in Eligabalo: *Pisces ex viuariis suis bubus traxit.*

EPIST. XIV.

I. LIPSIVS CASPARI SCHETO, V. AMPLISSIMO.

SI est vt vllæ litteræ, iis qui in rebus gerendis versantur, conueniant: certè historia est. Nam poësim, eloquētiam, alias elegantias, quāquam ingenium admittat, negotia ferè excludunt: historia nec esse ipsa sine negotiis potuit (rerum enim gestarum narratio omnis est, nō otij aut quietis:) & amat inprimis habitare apud eos qui tractant negotia. Meritò. res enim gerere, prouincias, regna administrare, nemo sine prudentia potest: prudentia ex vsu est, vsus ab exemplis. At si Italia aut Hispania lustrata, paucorum annorum notata exempla (quantulum enim est quod homines viuimus?) præbere hunc vsum censentur: quid de historia, di boni, sentiemus? in qua non vnius æui aut vrbis exempla, sed omnium temporum, omnium gentium, quasi in diffuso theatro res gestæ spectantur. Itaque non pecco, Schete, si Liuianas aliquot Notas mitto ad te. ad te, inquam, quem scimus non solùm historiæ veteris, sed etiam, (quod admirabile sit in illa vi occupationum) poëseos peramantem.

Lib.

Lib XXII. de cunctatione Fabij.

Neque vniuerso periculo summa rerum committebatur: & parua momenta leuium certaminum ex tuto cæptorum, finitimorum receptu, assuefaciebant territum pristinis cladibus militem minus iam tandem aut virtutis aut fortunæ pœnitere suæ. I. Iuius restitutus. I.

Arbitror leg. *finitimo receptu.* & hoc dixit, certamina ex tuto fuisse cœpta, vt facilis receptus in vicina castra esset.

Pòst, in Oratione Minutij:

Audendo agendóque res Romana creuit, non his sensibus consiliisve, quæ timidi cauta vocant. II.

Bene vetus liber, *non his segnibus consiliis quæ.*

Infrà:

Romanus primo aduentu, incognitus antè, ab re clementi liberaliq; initium fecerat: & Acedux vir prudens haud frustrà videbatur socios mutasse. III.

Scriptum meum, & *Abelox.* idq; verum hominis Hispani nomen. Polybius vbique, Ἀβίλυξ quod tamen bonus interpres ille mutandum sibi in Acedux putauit. Ibid. de Minutio:

Deinde castra ipsa propius hostem mouit, duo fermè à Gerione millia, in tumulum hosti conspectum. IV.

Melius liber ms. *tumulum hostium in conspectu.*

EPIST. XV.

I. LIPSIVS IOANNI BEROTIO, I. C.

NON frustrà Romani consecrarunt Fortunam huiusce diei. Nauis nos nuper coniunxit, &, qui antea nunquam videramus inter nos, amicos dimisit. Tantam vim habet vel studiorum similitudo, vel illud in moribus come & humanum. quod in te ita eximiè elucet, vt omnis sermo, gestus, vultus ipse tuus nescio quid habeant ad amorem ἑλκυστικὸν. At inter alia, quàm me affecerunt illæ de Præfecto vrbis vestræ verissimę laudes! O magnum virum! vel heroëm potius, qui in tot circumstantibus turbis audet habitare in libris! qui Pindarum sua lingua, qui Polybium loquentes, non dimittit è manibus! Et hunc nos mediocriter doctum, aut Dicis caussa versari credemus in litteris? Iterum dico. O non nostri sæculi virum, & dignum, quem illiusipsius Pindari præconium celebret — καὶ παγκάρπου ἐσσὶ χθόνος δι' ὅλου πόντου.

Sed tu, mi Beroti, quem delectant historiæ, de his Iulij Capitolini locis quid sentias scribe.

In Vita M. Antonini

Conatus duūm locorum Capitolini emend.

Educatus est in Hadriani gremio, qui illum, vt suprà diximus, Verissimum nominabat, & qui ei honorem etiam publicè sexenni detulit. I.

Inepta hercle lectio. cui probes Imperatorem populi Rom. puerum sexennem honore adfecisse? Antiquitus excusi, *honorem qui & publicis exenniis detulit:* alij, *enceniis:* alij, *xeniis*, emendant. mihi placet vnicè, *qui est publicis x. enniis.* id est, decennnis. Decennalia festa, Quinquennalia, Vicesimalia celebrari solita in honorem Impp. constat. earumq; rerum

Decennia publica.

Universidad de Deusto
Biblioteca

origo ab Augusto. Romæ, in arcu Constantini, & diffusè Dio Cassius. Sunt & nummi VOTIS. X. &, SACRIS. X. &, FESTIS. X. Antonino igitur honos publicis decenniis habitus, quia nomen eius cum nominibus Imperatoriis, votis publicis insertum. Non malè etiam legeris, *honorem quinetiam.* pro illis, *qui &.*

ibidem:

II. *Fuit autem vitæ indulgentia, vt cogeretur nonnumquam vel in venationes pergere, vel in theatrum descendere, vel spectaculis interesse.*

Attende, & sensi idonei nihil elicies. Lego, *Fuit autem vnicæ diligentiæ: vt cogeretur.* Certè hoc dicere voluit, Tam adsiduum in studiis & rebus Antoninum fuisse, vt abstrahi & tantumnon cogi debuerit ad animum laxandum.

EPIST. XVI.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

SALVA res. repertus Agellius. & nos naufragium, nuntius euasit lumbifragium: quod meherclè illi vappæ imminebat, nisi liber comparuisset. De Oda, quoniam velle cœpi, vide ne tergiuerseris. Imitor enim M. Brutum. quod volo, valdè volo. Fragmentum tuum cœpi conferre. video ita bonum esse, vt nihil possit suprà. plures paginæ essent motis locis fide dò. Accipe specimen cap XI. lib. Noni, vel, vt fragmentum, Decimi. Inscriptio capitis in eo, *De Valerio Coruino, & vnde Coruini.* nec vltrà.

Agellius aliquã mut libri correctus.

I. *Adolescens tali genere editus L. Furio, Claudio Appio Coss. fit Tribunus militaris.*

Emendant, *Italo genere.* malè. Sciendum enim non esse hæc verba Agellij, sed antiqui cuiuspiã Annalium scriptoris, cuius tamen nomen omissum & miror, & indignor. Itaq; cùm anteà parentes nominasset Valerij & decora gentis, subiecit, *tali genere.* nimirum quale memoratum. Hoc verum est. amico tamen cuidam meo nulla vi persuadere hoc potui.

II. *Agrum Pontinum insederunt: instruebanturq; acies à Consulibus, de vi ac multitudine hostium satagentibus.*

Scriptum tuum, *Pomptinum.* & sequentia sic: *instruebanturq; acies, Consulibus de vi ac multitudine hostium satisagentibus.* optimè.

III. *Dux interea Gallorum vasta & ardua proceritate armisq; auro præfulgentibus, gratia dimicandi ingrediens, & manu telum reciprocans, incedebat. perq; contemptum & superbiam circumspiciens despiciensq; omnia, &c.*

Musæa planè oratio, à qua scribenda vix abstineo manum. at quàm turpe in ea mendum! Vetus, *auro præfulgentibus, grandia ingrediens, & manu t. r.* Insanùm bene. & insanit qui hoc non videt. Grandia ingredi, Græcanicum. vt ἡρῷον βαδίζειν, ἡμερόσν γελάσαι. similia. expressit superbi nebulonis gressum: & ipsum adeò Homeri versum (opportunè moneo (Ἥτε μακρὰ βιβᾶς, ἀραδὰων δολιχόσκιον ἔγχος. Ammianus etiam imitatus: *Humeros extentans, grandiáque incedens, Oti frater & Ephialtis.* Amplius in Gellio ibidem:

IV. *Coruus repentè improuisus aduolat, & super Galeam Tribuni insistit, atq; in*

in aduersarij os atque oculos pugnare incipit, insibilat, obturbat, vnguibus manum laniabat, & prospectum alis arcebat.

Scidæ, *insilibat, obturbabat.* Turbauit correctores, ἀρχαικῶς illud, *insilibat.* feceruntque, *insibilat.* facetè, quasi coruorum id esset. nec viderunt saltem subsequi, *laniabat, arcebat,* modo præterito. In isdem est, *aliàs arcebat.* approbo.

V. *Sic tribunus spectante vtroque exercitu & sua virtute nixus, & opera alitis propugnantis, ducem hostium ferocissimum vicit.*

Illic est, *opera alitis propugnatus,* παθητικῶς. nec dubitabis germanum id esse.

VI. *In eius statuæ capite corui simulacrum est, rei pugnæq;, quam diximus, monimentum.*

Scriptum, *vt diximus.*

EPIST. XVII.

I. LIPSIVS BARNABAE BRISSONIO, V. C.

QVIS Musas nouit, & Brissonium non nouit? Nec di sirint, vt indictus nobis sis, clarissimum Galliæ lumen. Liuij locum, quem emendasse recto iudicio videbar, facio iudicij tui.

Libro XXV. initio.

Et aliquot publici sacerdotes mortui eo anno sunt, L. Cornelius Lentulus Pontifex maximus, & C. Papirius C. F. Masso Pontifex, & P. Furius Philus augur, & C. Papirius, L. Fuluius Masso decemuir sacrorum.

Notarũ interpretatio vitiando Liuio.

De vitio Liuius index est. Vt enim hæc lectio concipitur, quinque sacerdotes eo anno mortui fuerint: at Liuius in adiunctis verbis, quattuor tantùm suffectos tradit. *In Lentuli,* inquit, *locum M. Cornelius Cethegus, in Papirij Cn. Seruilius Cæpio, Pontifices suffecti sunt: augur creatus L. Quintius Flamininus, decemuir sacrorum L. Cornelius Lentulus.* Quid igitur fiet L. Fuluio? Liber meus scriptus, *C. Papirius Lemasso decemuir.* Aperta correctio erit, *C. Papirius L. F. Masso.* tantùm F. mutauerat in E. Ablegandus igitur iste L. Fuluius, natus ex notis. & scimus Massones cognomen Fuluiæ gentis non esse, sed Papiriæ.

EPIST. XIIX.

I. LIPSIVS ANDREAE SCHOTTO.

OMITTE contumeliam. Terentius vt antistet Plauto? Ita censet, inquis, amicus meus vir doctus & grauis. Hoc malo, quàm vt tu. sed quis ille tantus, cuius causa Criticorum veterum iudicia rescindantur? cui præ M. Varrone debeamus credere? Ait Plauti seruile ingenium esse: Terenti liberale. Quid seruile dicat nescio. scio Plautinam prosapiam: sed quid hoc? probet ille ex tabulis censoriis Afrum eum fuisse ingenuum. An quia seruos in Comœdiam inducit? scilicet non solet fieri. vellem tamen istius causa paullò plures Lorarios. Ait plebeia & humi-

Plauti cum Terentio cõparatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& humilia eius scripta. Samius iste Lucumo, quod laus est, vitium facit, nisi fortè nouo præcepto docebit ille nos Tragœdiam humilẽ, Comœdiam altam esse debere. Quod cùm faciet, concedam etiam Tribunum plebei esse debere optimatem. Nam Comœdia cui scribitur, quàm plebi? Adeò vt, quamquam in communi consessu patrum & equitum, sæpius tamen summam caueam spectare actor debeat quàm Orchestram. Ea caussa cur in Plauto pleraque ex moribus, ex verbis, ex iocis infimæ plebis. At Terentius in hoc genere æquabilior, & magis, vt sic dixerim, vnius fili. Fateor. sed vsurpabo de eo vetus dictũ, Terentius nihil peccat, nisi quod non peccat. Hac æquabilitate censuram Cæsaris meruit:

Lenibus atque vtinam scriptis adiuncta foret vis
Comica, vt æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac despectus parte iaceres.
Vnum hoc maceror & doleo tibi deesse Terenti.

Hæc vis & varietas in Plauto est. nunc ille adsurgit, nunc submittit: nunc protrita, nunc grandiora dicit: proponit vitia, & castigat: locos communes, τὰ ἠθικὰ ἢ πολιτικὰ admiscet. aliud quidem agens, sed quasi hoc vnum agens. & hæc omnia tanquam sale venustissimis iocis adspergit. Quæ certè Terentius per somnium non cogitat, per iocum non tentat. Atqui sermone Terentius lectior est, purior, elegantior. & hoc iam commune doctorum iudicium est, vt qui aliter sentiat, nihil sentiat. Mira res tamen. Credo Terentius Varro (& cùm nomen posui, satis est) de lingua Latina iudicare non potuit. cuius proprietatem cùm tot libris inquireret, homo ineptus non quater Terentium nominat: ille pistor Plautus omnes paginas implet. Quod magis mirêre, cùm dedita opera quid in Comicis singulis propriè emineret, iudicare vellet, sic ait: *Cæcilius in argumentis palmam poscit, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus.* Et vides? propria Plauti laus sermo est, Varrone quidem iudice. quem qui non audit, cur ego eum audiam? Quod aiunt in Lælio Ciceronis scribi, Terentij se verbis libenter vti, certè. sed quid tum? quasi illeipse Cicero minus libenter vtatur verba Plauti. Et tamen sciant hoc non Ciceronem dicere, sed Lælium. Lælium, inquam, qui fabulas Terentij creditus est ipse composuisse: ne miremur suam supellectilem paterfamilias si libenter vtatur. Venio ad caput & quasi arcem comparationis. Obscæni in Plauto ioci, mores molles & lasciui, Massilia digni vel Tarento: Terentius totus pudicus, castus, verecundus, & quem à sacris suis Vesta non arceat. Et hercle si moribus nostris Plautum defendo: sudabo. si moribus antiquis: rem factam habeo Quærebant enim ista Patres, Equites, Plebs: prurientibus auribus ad Theatra conueniebant. & quæ in Mimis palàm fieri spectauerant, audire in Comœdiis volebant. Hæc res plausum, hæc palmam merebatur. Terentium ipsum verecundia abstinuisse putant ab istis? imò natura nec ille venustè dicere noluit, sed inuita Venere non potuit. Et tamen miserum hac parte Plautum. ille vnus premitur: Aristophanem nemo vexat, cuius Comœdiæ tot tam inuerecundis iocis refertæ sunt, vt si Plautum componas, iures præ illo Vestalem Maximam fuisse. Idem diceremus si Afranius, si Pomponius, si Cæcilius, si Nouius exsta-

De iocis Plautinis.

rent. Quod moribus nostris fœda hæc, illicita, intestabilia aiunt: scimus ista. sed tu audi me, præteruehere ista quasi Sirenum scopulos, & aspice, non lege. Liuia viros nudos castæ fœminæ nihil differre à statuis aiebat: tu tam molli libidine es, quem nudi aliquot ioci abripiant? Corrumpunt tamen ista adolescentes, inquiunt. & Camerarij exemplo tollenda, eradenda sunt. Minimè gentium, me quidem iudice. Adolescentes hæc legunt, viri tantùm intellegunt. ita obscurè pleraque illa turpicula scripta sunt. Si igitur qui hæc capiunt, constantiori iam ætate sunt quàm vt decipi possint: & qui decipi possunt, omnino non capiunt: cur scalpellum adhibeatur, & vnius omnium Latinissimi scriptoris membra violentur? Superest Horatij iudiciũ. quod, obsecro, Horatij caussa omittatur. Concludam. Terentium ipsum amo, admiror: sed Plautum magis: vterque adolescentibus in sinu, in manu, in oculis sit: cõferantur etiam, si placet, inter se, tantum alter ille ne præferatur. Magistellos istos, qui vulgò aliter sentiunt, plorare iubeo, te amicissime Schotte valere.

EPIST. XIX.

I. LIPSIVS GERARDO FALKENBVRGIO.

NON mentiar Falkenburgi. & litteræ me tuæ, & iudicium delectarunt. illæ, quia plenæ amicissimi amoris; istud, laudis: quam & si agnoscere in me non potui, tamen amare vt ab amore tuo profectam debui. Munus Redigeri planè regium. & profectò, vt ille Siculus ait,

Τίς τῶν νῦν τοιὸς δε; τίς εὖ εἰπόντα φιλασεῖ;

Nam nullo antè sæculo, mi Falkenburgi, magis despretæ iacuerũt nostrę litteræ, quàm isto. Litteræ autem? imò omnis pudor, probitas, virtus.

Τοιαῦτ' ὀ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται.

cuius finem adhuc nulli videmus. Nam illa de pace spes, Plauti verbo, decollauit. Nos ad litteras confugimus vt ad aras, maximè ad illas seueriores quæ mederi affecto animo possint, non solùm delectare. Eo in genere principem Senecam in Latinis deputo. hominem sanè doctum, sed sapientiæ tamen quàm scientiæ clarioris. In eo carptim hæc notabam.

De consolatione ad Martiam, cap. VIII.

Manet quidem tibi Martia ingens tristitia, & iam videtur duxisse callum, non illa concitata qualis in illo fuit; sed pertinax & obstinata.

Seneca bis corrigitur. 1.

Vir doctus Pincianus emendat, *qualis in Liuia fuit.* non negabis verius esse, *qualis initio fuit.* nec id coniectura, sed res est.

Epistola LXXXIX.

Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit: ait nihil esse. Circa eadem 11.
fere Pyrrhonij versantur & Megarici, & Cretici, & Academici, qui nouam scientiam induxerunt nihil scire.

Hæremus in Philosophis Creticis. Aliis, *Cretici*, placent. at tu certum puta, *Eretrici*. Nam & hi de non scientia idem Pyrrhoniis & Megaricis senserunt. Cicero III. de Oratore: *Fuerunt etiam alia genera philosophorum qui se omnes Socraticos esse dicebant, Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorũ.* Priora etiã Senecę legerim, *omnia negotia vno negotio deiecit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. XX.

I. LIPSIVS IACOBO CRVQVIO.

HORATIO, mi Cruqui, in Lyricis meritò illud Homericum dabimus, -εἷς οἰωνὸς ἄριστος. Nemo illi proximus, nemo secundus: aut siqui fuerunt, eos ante ætatem nostram vita defecit. In eo laudabilis mehercle opera tua. cui ornandæ quid præterea promiseris, & quid debere diutius non possis, non meminimus solùm, sed etiam, si pateris, exigimus. Scis quàm multi germana illâ antiquitate delectentur. expedi igitur, cum Musis volentibus, Acronem nobis: & ex Horatio æternæ tuæ coronæ, is quasi lemniscus addatur. Liuius me habebat. Eius vnam vocem tribus locis restituebam.

Exscensionis vox tribus Liuij locis reponenda.

Libro XXI.

1. *Repetenti Siciliam consuli excursio hostium in agrum Vibonensem facta nuntiatur: litteraq; à Senatu de transitu Annibalis in Italiam, & vt primo quoque tempore collegæ auxilium ferret, traduntur.*

Liber mans. *exscensio hostium*, germanum & familiare de egressu nauium Liuio verbum.

Lib. XXVII.

11. *Dum hæc Romæ geruntur M. Valerius Messalla quinquaginta nauibus cùm ante lucem ad Africam accessisset, improuiso in agrum Vticensem excursionem fecit, eumq; latè depopulatus.*

Idem codex, *ascensionem fecit*. scribo, *exscensionem*.

Lib. XXII.

111. *Cn. Seruilius Consul cum classe nauium circumuectus Sardiniæ & Corsicæ oram & obsidibus vtrimque acceptis in Africam transmisit, & priusquam in continentem descensiones faceret, Meninge insula vastata, &c.*

Pariter puto leg. *exscensiones*. Arbiter esto, mi Cruqui.

EPIST. XXI.

I. LIPSIVS HVBERTO GOLTZIO.

VIDI Fastos Consulares tuos. quid magis miter? diligentiam in quærendis tot nummis? felicitatem in reperiendis? an manum & artem in exprimendis? Et vt duo priora Laurini fratres sibi vindicent, quorum diligentia & sumptu omnis illa vis collecta nummorum: tertium certè proprium est tuum, nec erit qui ex ea laude quidquam decerpat. Macte Goltzi. & alij sine seruiant huic sæculo & vulgo: tu veterum magistratus, titulos, vrbes, triumphos nobis sculpe & Musis. Mihi crede. æternabis vnà cum illis nomen tuum. Expedi, si potes, dubitationem, quæ his diebus nata mihi. Admonitus libro tuo euoluebam Antiquitates meas. reperio nummûm duorum inscriptionem (& vidisse puto Romæ apud peritum harum rerum virum Nicolaum Florentium) ANTONI. IMP. A. XL. III. VIR. R. P. C. adiuncta Leonis effigies erat. item alterius ex ÆTC, LVGDVNI. A. XL. Quærebâ quid esset illud A. XL? & an reppererim, vide.

De inscriptione Nummorum Antonij quæstum.

vide. Puto significari nummos eos percussos Lugduni à gentibus Galliæ quadraginta. Docuit me Strabo lib. IV. de Lugduno, ἠγόρ, inquit, ἐμπορείῳ χρῶνται ἡ χαράττουσιν τὸ νόμισμα ἐνταῦθα οἱ τῶν Ρωμαίων ἡγεμόνες. τότε ἱερὸν τὸ ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ Σεβαστῷ, πρὸ ταυτῆς ἵδρυται τῆς πόλεως. ἔστι δὲ βωμὸς ἀξιόλογος ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν ἐθνῶν ξ τὸν ἀριθμόν. Ex his de moneta res clara: turbat nihilo secius me numerus gentium. nummi enim illi, XL. tantùm: at Strabo, vt vides, LX. Tacitus verò etiam liberalior LXIV. Galliæ gentes ponit. Sic enim locus ille capiendus fuit Annali tertio, non de vrbibus: *At Romæ non Treueros modò & Æduos, sed quattuor & sexaginta Galliarum ciuitates defciuisse audiebatur.* Quod superest, aræ Lugdunensis, cuius hic Strabo, etiam Dio meminit lib. LIV. & festi ad eam annui. Iuuenalis etiam,

Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Quot populi Galliæ.

Tacitus explicatus.

Et Iuuenalis.

EPIST. XXII.

I. LIPSIVS NICOLAO BRYARDO, V. N.

EGO verò Appulei lectionem abhorrendam non censeo, quidquid isti de Arpinati schola inuestes pueri dicant. Ciceronem admiranturne laudo. & scilicet nos eo modo non scripsimus, aut scribere nunc, si res ferat, non possimus. Sed non hoc agitur. & vt dem illis ad eloquetiam Ciceronem vnicum esse: intelligere & sapere tamen est à multis. Quamquam illum ipsum Appulei stilum quòd contemnunt: vellem parcius. Et eamus ab istis discipulis ad iudices ex lege Pompeia triginta annorum. tumidus fortasse, vegrandis, & adfectatæ elegantiæ scriptor est: at certè doctus litteras & mores veteres, & in sermone ipso Plauti inprimis imitator. Itaque ille nescio quis Rhetorista, qui rudere illum dixit non loqui: probet prius de Plauto, & credam de Appuleio. Sed ille Afer fuit, & est nimirum etiam nunc in Italia odium Pœnorum. Tibi, mi Bryarde, cùm pleraque omnis eius phrasis sit à Plauto, pauca exempli caussa selegi. ea maximè quæ in ipso Appuleio egere emendationis videbantur.

De Appuleio.

Loci eius aliquot correcti, & offensi à Plauto esse.

In Apologia.

1. *Ego verò quietis & concordiæ & pietatis auctor, conciliator, fauissor, non modò noua odia non serui, sed vetera quoque funditus exstirpaui.*

Scrib. *conciliator, fauitor*, vt illud Plauti, *Sicui fauitores delegatos viderint.* & Cautio, pro Cautio, Varronis.

Ibidem:

11. *Omnes isti quos nominaui, & siqui præterea fuerunt dolo memorandi, si cum hac vna Rufini fallacia contendantur, machi prorsus & bachones videbũtur.*

Scrib. *Macci prorsus & Buccones.* Maccus & Bucco personæ sordidæ, fatuæ, stultæ, poëtis Atellanarum. Sic Pomponius Bucconem Adoptatum & Auctoratum: Nouius Maccum exsulem, Pomponius Maccum & Maccos geminos inscripsit. Plautus, *Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones.*

Ibidem:

111. *Superest ea pars epistolæ, quæ similiter pro me scripta, in memetipsum vertit cornua.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Interpretantur inuicem Plauti & Appulei ista:

Nimisq́, ego illum hominem metuo & formido malè
Ne malus item erga me sit, vt erga illum fuit:
Ne in re secunda nunc mi obuertat cornua.

Appuleius in eadem Apologia:

IV. *Nam cùm vndique versum tabulis flagitaretur, & quasi insanus ab hominibus obuiis teneretur, flax inquit, negat posse dissoluere, anulos aureos & omnia insignia dignitatis abiicit.*

Pax. Restituenda est Plauti vox, *Pax, inquit: negat posse dissoluere.* & vsus est pulcherrimè. Interiectio comprimentis est, & quasi cum verecundia silentium sibi aut alteri imponentis. Consule Plautum, qui sæpe vsurpat. vt & Græci comici. Hesychius, πὰξ, ἐπὶ τῷ τὸ τέλος ἔχειν.

V. *Et suscepta contra matrem simultas non ipsi vitio vortenda sit, sed socero eius Eccili Herennio Rufino.*

Inepti exscriptores, quasi hominis si nomen esset. at comicũ est demonstrandi, Eccille, & Eccilli, Eccillum: sicut, Ella, ellum. quæ vox restituenda in Afranij versu apud Nonium Concedere. *Atque etiam incendit hoc, procul concessero.* Leg. q́ue. *Atque ellam incedit huc, procul c.*

Eccillum. Afranius emẽdatus.

Libro De deo Socratis.

VI. *Neque enim in emendis equis faleras considerauimus, & haltei polimiam inspicimus, & ornatissimæ ceruicis diuitias contemplamur.*

Politia, pro eleganti munditia. Lego, *haltei politiam.* Verbum vetus. ex quo censoria nota impolitię apud Agelliũ. vel *polimina* potius, quod monuit & subiecit fide librivir doctus.

Ibidem:

VII. *Hos Græco nomine Dæmonas nuncupant, inter mortales cælicolasq́, vectores hinc precum, inde donorum: qui vltrò citroq́, portant hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam vtrimque interpretes & salutigeri. per hos eosdem vt Plato in symposio autumat, cuncta denunciata, & magorum varia miracula reguntur.*

Salutigeri, insternũcij. Ait, *interpretes & salutigeri.* quod erit explicandæ & firmandæ Plautinæ lectioni Aulularia, *Ancillas, muliones, mulos, pedisequas, Salutigerulos pueros*, vbi tentant immutare alij, *Sandaligerulos.* Statim etiam lego, *cuncta deũm nunciata.*

De Asino lib. IX.

VIII. *Nec dubiò me lanceis illis & venabulis imò verò & bipennibus quæ facilè famuli subministrabant, membratim compilassent.*

Concipilasse. Reponendum Plauti verbum, *Concipilassent.*

Lib. VIII.

IX. *Iam iamq́, vicinos vndiq́, partientes, turpissimam scænam patefaciunt.*

Arciere. Lego, *vndique arcientes.* quod valet, accientes. notat Prisc.

Et initio eiusdem libri.

X. *Iamq́, sermonibus assiduis & conuersatione frequenti, nonnumquam etiam cœna poculoq́, communi carior cariorq́, factus, in profundam Romam cupidinis sese paulatim nescius præcipitauerat.*

Hæc est vetus lectio: Beroaldus substituit, *foueam Cupidinis*, aut inquit, *Rotam.* Verum puto, *æromnam.* & Cupidinis ærumnã legi apud Plautum.

Lib.

Lib. III.

Specta denique quàm paruis, quamq́, futilibus tanta res procuretur. Hercules Anethi modicum cum lauri foliis, &c. XI.

Dormiuit ille magnus interpres. Vetus lectio, *Herculis.* leg. *tanta res procuretur herbulis. Anethi.*

Lib. I.

Vis, inquit, vnum vel alterum, imò plurima eius audire facta? Nam vt sæ-ament efflictim non modò incolæ, verumetiam Indi vel Æthiopes vtrique vel ipsi Antichthones, folia sunt artis & nugæ meræ: sed quod in conspectu plurium perpetrauit, audi. XII.

Egregia hîc imitatio Plauti erat, si per correctores licuisset. Dico scripsisse Appuleium, *folia sunt farferi, & nugæ meræ.* Sumpsit ex illis Pœnuli militaribus nugis, Folia Farferi.

——— *viscum legioni dedi*
Fundasq́, eò præsternebam folia farferi.

& vsurpat prouerbij vicem. Folia artis, quid sint, sanè ignoro. Hæc pauca misi è sexcentis. Nam vt omnia Plautina notentur: mihi scribendi fastidium sit, tibi legendi.

EPIST. XXIII.

I. LIPSIVS TVRCONIO ET MALDECHEMIO, NOBILISS. IVVENIBVS.

VIX est vt risum teneam, quotiens Laurentij Vallæ ad Liuium lego. Non quin pleraque bona, & bono iudicio moneat: sed quia ad regem Alphonsum (qui tum Siciliam, Italiæ & Hispaniæ partem, regnum habebat: sed me iudice, dignus erat imperio nõ vnius orbis) Notas suas, plurimum, dirigat: illum testem emendati loci cuiuspiam, illum arbitrum & iudicem appellet. Quinetiam memini, litigasse se ait super correctione quapiam cum Antonio Panormita, & nescio quo Iacobo Curlo: regem ipsum se interposuisse; item secundum Vallam dedisse; curasse eumpse locum in suo codice emendari. Similia de Cardinali Columna refert. Et dicite nobilissimi iuuenes, non hæc ridicula sæculo nostro? Scilicet nunc, non dicam Dynastis, sed è plebe nobilibus ista curæ sint? illi audiant, quid in Liuio emendetur: nedum vt diiudicent? Spernunt litteras, spernunt historias: & ad summam valet illud, *Nil nisi Cecropides.* Sed melius magnus ille rex, cui nunquam, vt aiunt, dies elapsus sine tractatione litterarum. bene prudenterq́ue & vos, qui & domi historiam legitis, & publicè, me doctore, auditis. Macti hac industria: & credite nobis, hæc vera est ad prudentiam & laudem via.

Liuij ille locus de prodito Tarento, lib. XXV.

Eadem fermè hora Tarentum fama peruenerat Numidas equites paucos popularibus agros, terroremq́, latè agrestibus iniecisse: Ad quem nuncium nihil vltrà motus Præfectus Romanus, quàm vt partem equitum postera die luce prima iuberet exire ad arcendum populationibus hostem. interea adeò nihil obedienter curatum est, vt contrà pro argumento fuerit illa procursatio Numidarum, Annibalem exercitumq́, castris non mouisse. Auxilio libri Liuius corrigitur.

non vacat mẽda, in iis verbis, *adeò nihil obedienter curatum est.* Quomodo

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim de obedientia equitum querela esse potest? Luce prima iussi erant exire. at nocte opidum ab Annibale captum. quomodo vult Liuius vt paruerint mandatis? Sed nec sequentia faciunt huic sententiæ. Consului librum mss. in eo est, *nihil obedient⁹ cura est*. Ex iis vestigiis quis negabit verum esse, *nihil ob id intenta cura est* Eo nuntio, inquit, adeò non aucta cura est in custodienda vrbe, vt contrà egerint neglegentius, &c. Perperam concreuerant voces, litteris tamen ferè comparentibus.

EPIST. XXIV.

I. LIPSIVS. LVDOVICO CARRIONI.

HEVS tu. vbi fides? Nonis aiebas te in Issæano futurum, Kalendæ iam labuntur. quid accidit, vt falleres? Nam quòd Louanij me exspectes: non potest hac æstate. Res priuatæ constituendæ, agelluli obeundi, locandi; multa corrigenda, quæ in diuturna absentia mea mutauerat, Fatebor etiam, nescio quid ἕλκυστικὸν habet hoc heredium. Hic cunabula, hic locus natalis meus est: hic infantia mea vagit: hanc terram tetigi, hunc aërem primum hausi. Et vis addam, in quo ingemiscas? hic herè celebraui XXVIII. meum natalem, nisi quòd tu abesses, cetera lætus & volens. De Senecæ ludo, parui Magister: percurri, & quæ sub acumen stili inciderunt, notaui. Sunt ista:

Seneca in διηκολο-χυνθόσει emendatur pluries.

Quis vnquam ab historico iure auctores exegit?

I. Omnis scripta lectio, *iuratores exegit*. rectè. Iuratores, restes dixerunt, quia produci solent iurati. Falluntur qui aliter in Plauti Pœnulo aut explicant aut legunt, *Vos iuratores estis quæso operam date*.

II. *Quæritę ab eo qui Drusillam euntem in cælum vidit. idem Claudium vidisse dicet.*

Nihil interpretes. Notat Liuium Geminum Senatorẽ, de quo Dio LIX.

III. *Hæc Apollo. at Lachesis quæ & ipsa homini formosissmo faueret, fecit illud plena manu, & Neroni multos annos de suo donat.*

Auctior voce Seneca mss. qui penes me est, *fecit, & plena orditur manu*, optimè. Ordiendi verbum proprium artis Mineruæ.

IV. *Tum Hercules primo aspectu sanè perturbatus est, vt qui etiam non omnia monstra timuerit.*

Eleganter corrigetur, *monstra domuerit*. Similis iocus illi qui sequitur: *Putauit sibi x. tertium laborem venisse*.

V. *Si mehercules à Saturno petisset hoc beneficium cuius mensem toto anno celebrauit Saturnalia eius princeps non tulisset.*

Liber mss. *Saturnus eius princeps*. At nihil mihi diuini aut humani, Carrio, vltrà accredas, nisi corruptus à glossemate locus fuit, sic corrigendus, *cuius mensem toto anno celebrauit princeps, non tulisset*. Clara omnia: & ludit in Claudium qui seruis & libertis, quod Saturnalibus solet, regnum permisit. Illud, *Saturnalia eius*, χολιαστικῶς adiectũ erat his verbis, *cuius mẽsem.*

VI. *Illum deum à Ioue, qui quantum in illo fuit, &c.*

Codex mss. *deum Iane qui*. Lego, *illum deum sanè*. εἰρωνικῶς, Facite certè, si placet, hunc deum, qui, &c.

Damna-

Damnatum incesti L. Silanum generum suum occidit: Oropenq; sororẽ suam festiuissimam omnium puellarum quam omnes Venerem vocarent maluit Iunonem vocare. VII.

Hæc obscuriora folio Sibyllæ Turnebus ait. quæ enim ista Orope? Et ille quidem satis regiè, quod soluere non potest, abscindit, legitque, *occidit: sororemq; suam*, voce omissa. Iunij codex vt & meus, *Oro per quod*. clara veritas est, *oro propter quid?* In tota parte huius sermonis interpellationes & dialogismi sunt. Cur, inquit, Silanum occidit? Leui caussa: quia ille fatuus Iuniam Caluinam sororem suam Iunonem solet dicere. Id valet, pro vxore habere. Nam mariti blandientes vxorculas, Iunones appellabant. Plautus, *Eia mea Iuno haud decet te tristem esse tuo Ioui.* Scribit eandem vulgò Venerem appellatam, quia meretrix, &, vt Tacitus ait, procax femina & lasciua.

Quare, inquit, quæro enim sororem suam stultè studere, Athenis dimidium licet Alexandriæ totum. VIII.

Vetus lectio, *quare, inquit, quæro inquit sororem*. Eam secutus lego, *quare, inquis, quare iniit sororem suam? Stulte, stulte, Athenis d.l.* Iterum dialogismus. alter quasi excusans Claudium, Meritò occidit: cur enim scelus ille sororem diuisit? & irridens alter, O stulte, inquit, quasi ignores Athenis, &c. Athenis dimidium, Alexandriæ totum, quid valeat, rectè Turneb. lib. XIIX.

Quia Romæ, inquit, mures molas lingunt, hic nobis curua corrigit. IX.

Suspicatur in postremis verbis Rhenanus de sensu obscæno. Hominem acutum! qui videt quod nusquam est. Dubitat tamen an corrig. sit, *hic nos scurra Cæsar regit*. Ego quiescere illum vnico Plinij loco iubeo Epist. lib. v. *Interim tota ciuitate Nepotis edictum carpitur, laudatur. multi, inuenimus qui curua corrigeret. quid? ante hunc Prætores non fuerunt? quis autem hic est, qui emẽdet publicos mores?* Dictum igitur est in censorẽ importunũ. *Dictum vetus expl.*

Ego patres C. interrogare vobis permiseram: vos mera mapalia fecistis: volo vt seruetis disciplinam curiæ. X.

Mapalia dici de solutè viuentibus Festus notat: id esse huic lectioni stabiliendæ Turnebus & Scaliger censent. Peream, nisi à meipse dissentire mauelim, quàm à talibus viris. Scripta lectio tamen mea est, *mera nupcialia*. Nuptiales sermones, impuri & minimè virginales: quid autem? nonne eius notæ multa in Claudium antè dicta?

Hic qualiscunque est, quid de nobis existimauit. XI.

Scrib. *existimabit?*

Tum D. Augustus surrexit sententiæ suæ loco dicendæ. XII.

Ab eodem libro abest, *loco*. rectè. intelligitur, caussa.

Omnisq; generis æneatorum tanta turba, tantus conuentus. XIII.

Malo, *concentus*.

Vbi iacebat Cerberus, velut ait Horatius, bellua centiceps. XIV.

Vide ne desit quidpiam: scripserit q; Seneca, *Cerberus, triceps, vel, vt ait Horatius, bellua c.* mihi nescio quid tale subolebat.

EPIST.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. XXV.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

FAVEBO lingua. & ô rem pulchram! ô nuntium lætum!
Ὡς ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ χαίρομαι!
Speratámne habet, imò dictam, pactam, sponsam, Giselinus meus? Iam tandem vir es. bona Iuno faueat, bona Venus faueat. Nocturnus etiam & Lunus (nam Lunam mihi hac in re dicere sanè religio sit) prima noctu volétes sient propitij. Adsit & ille hortorum deus, ne sis Petronij Lorum in aqua. Epithalamium carmen tibi scripsi, in quod Ausonij exemplo intexere conabar totam scænam nuptialem. dico veterum more. & confecta res est, nisi quòd limam exspectat. Priora Plautinis numeris sunt: hęc, quid enim vetat gustum dare me tibi? Catulliana.

Ex Epithalamio versu fragmẽta.

O Columen patriæ, ô Belgi lux vnica nostri
VICTOR, in optato te diua Salacia portu
Iam locat, & tutam firmant retinacula nauim.
Iam bona nox oritur, iam Vesperus affulgescit
Diu sperata ferens genialis gaudia lecti.
Hymen ô hymenæe, hymen faue, ô hymenæe.
O decus eximium nuptis nunc, antè puellis
Iam voti damnare, & damnetur quoque mater.
Præsest illa dies tota quam mente petistis,
Qua digno coniuncta viro connubia læta
Concelebres, velentq; tuos noua flamea vultus.
Hymen ô hymenæe, hymen f. ô h.
Coniuge te virgo digna, & tu virgine coniux:
Alter Musarum, Charitum decus altera: & ambo
Præstantes animi, præstantes corporis ambo.
Iungite felices dextras rumore secundo,
Iungite, flexanimo perfusi pectus amore.
Hymen ô hymenæe, h. f. ô h.
Nulla ætas meliore iugo commisit amantes:
Nullus amans vnquam tantum insaniuit amorem,
Nec sic falsiparens OEtæo exarsit in oeri,
Nec furor Empedoclis Siculam delapsus in AEtnam:
Quantus amor Caium, & Caiam quantus adurit.
Hymen ô hymenæe, h. f. ô h.
Fallor? an ancillatur nox tibi? non ego fallor.
Et solito citius Phœbum decesse sorori
Contuor, & subitis cælum prætexier vmbris.
I bone, quò tua te coniux vocat. hoc licet ipsa
Dissimulet, licitoq; etiam nunc pugnet amori.
Hymen ô hymenæe, h. f. ô h.
Ite agite, Herculeo connectite brachia nodo,
Ludite, & insomni noctem traducite somno,
Festis motibus & gannitibus alternantes.

Sic

Sic Venus ipsa iubet: Veneris ne spernite numen
O pueri, grauis est dea. sed vos dicite mecum,
Hymen ô hymenæe, h. f. ô h.

Erant plura, sed verebar vt nimium Romana. Seruabo vel in aduentum tuum: vel si id vxor tua recusat, meum.

EPIST. XXVI.

I. LIPSIVS IOANNI LEVNCLAVVIO.

SI te doctrinæ (alia in) causa non amarem, Leunclavvi; possem Sambuci. qui sic de me meritus est, vt amandos omnes putem, quos insigniter amat ipse. Sed in te nihil opus conciliatore aut interprete amoris. ea virtus, ea doctrina tua est, vt ament te omnes, qui litteras amant. Perge modò, & cùm iam in Germania vestra doctrina humanior, vt antiqui loquebãtur, delinquat: tu quasi tiro succrescę veteranę glorię Camerarij & Sambuci.

Hæc in Liuio vide. Lib. XXVII. *Ad Liuium Nota.* I.

Inter multas magnasq; res, quæ nunc secundæ, nunc aduersæ occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinæ quidem arcis excidit memoria.

In vet. inuenio, *cecultabant cogitationes*: quid velit ea scriptura, nescio. An, *solicitabant?*

II. *Dona tulere togam, & tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram auream ex quinque pondo factam.*

Idem liber, *pateram ex quinque pondo auri factam.* Lego, *auri facti.*

III. *Improuiso in agrum Vticensem excursionem fecit, eumq; late depopulatus, multis mortalibus cum alia omnis generis præda captis, ad naues rediit.*

Auctior membro vno meus liber, *captis, multis occisis, ad naues rediit.* nec dubiè hoc Liuio posthac addendum.

IV. *Romæ intra cellam ædis Fortis fortunæ de capite signum, quod in corona erat, in manus sponte sua prolapsum.*

Vetus, *irritus cellam.* suspicari possis fuisse, *intus cellam.* more veterum. & quod sequitur, *vulturemq; frequenti foro in tabernam deuolasse*, in eo scribitur, *volturiumq;*. rectè.

V. *Et plebeis ludis biduum instauratum ab Q. Manlio & M. Cæcilio Metello Ædilibus pl. & tria signa ad Cereris ædem dederunt.*

Vet. *ad Cereris fidem.* legend. *ad Cereris, eidem dederunt.*

De Asdrubalis transitu per Alpes.

VI. *Et cùm per munita pleraq; transitu fratris, quæ antea inuia fuerant, ducebat: tum etiam duodecim annorum assuetudine peruiis Alpibus factis, intermitiora iam hominum transibat ingenia. inusitati namque antea alienigenis, nec videre ipsi aduenam in sua terra assueti omni generi humano insociabiles erant.*

Dico Liuium scripsisse, *inusitati namque antea.* Restituendum id verbi in Plauti Pseudolo, *Atque eum qui non hic visitatus sæpe sit.* vtitur & aliàs Plautus vt Curcul. *-quid lenonem Cappadocem? annuo visitasse.* Liuius iterum lib. IIII. *Noua erupit acies inaudita ante id tempus, inusitataq;.* Et libro V. *Gentem inusitatam, accolas Gallos esse.* Ita enim vtrobique meus codex, contra vulgatos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX EPISTOLARVM LIBRI III.

I. IACOBO SVSIO.
II. PETRO PYTHOEO.
III. IANO LERNVTIO.
IV. CAROLO SIGONIO.
V. LVDOVICO CARRIONI.
VI. IOSEPHO SCALIGERO.
VII. IOANNI CRATONI A CRAFTHEIM.
IIX. PETRO DIVAEO.
IX. VICTORI GISELINO.
X. IOACH. CAMERARIO IOACH. F.
XI. GERARDO FALKENBVRGIO.
XII. FRANCISCO MODIO.
XIII. IOANNI FLEMINGO.
XIV. M. ANT. MVRETO.
XV. LVDOVICO CARRIONI.
XVI. CORNELIO VALERIO.
XVII. GERARDO FALKENBVRGIO.
XIIX. GVLIELMO BREVGELIO.
XIX. AVGVSTINO HVNNAEO.
XX. VICTORI GISELINO.
XXI. MART. ANTONIO DELRIO.
XXII. STEPHANO PIGHIO.
XXIII. LVD. CARRIONI.
XXIV. VICTORI GISELINO.

IVSTI

IVSTI LIPSI EPISTOLICARVM QVÆSTIONVM LIBER TERTIVS.

EPISTOLA I.

I. LIPSIVS IACOBO SVSIO, V. N.

TV verò, Susi, dissimilis nobilium nostrorum. & vt illorum vnica studia, canes, aues, equi: sic tuæ deliciæ, stilus, libri, Musæ. Illorum iudicio, si eruditionis fama accedat, quasi capite censa fiat nobilitas: tuo, domesticæ imagines nouo titulo auctæ. Verè iudicas, Susi. nec quidquam pulchrius, quàm quibus genere antistes, ante eos virtute & doctrina esse. In his Liuij locis iuua me, sodes, iudicio.

Tves ad Liuium notæ.

Lib XXIII. in oratione Minutij.

I. *Strepunt aures clamoribus plorantium sociorum, sæpius nos quàm deorum inuocantium opem: nos hic pecorum more per æstiuos saltus deuiosq; colles exercitum ducimus, conditi nubibus siluisq;.*

Non est dubium quin hunc Liuij locum Nonius Marcellus in mente habuerit in voce, Calles. *Callis feminino genere. Liuius lib. xij. Nisi pecorum modo fert angusto saltu per deuias calles.* ita enim corruptè legitur, facili emendatione existis. Quod si est, emendandum certè in Liuio, *deuiasq; calles.* Ne dubitare possis, in editione Io. Antonij Episcop. Alerienses, ad Paulum II. Venetum, anni ∞. CCCC. LXX. disertè est, *Calles.* At quod Nonius legisse videtur, *angustos saltus*, in Liuio veteri inuenio, *vestinos saltus.* an à Vestinis populis? an legendum, *vestitos?* Vestinum sanè saltum idem Liuius nominat libro X. Statim:

Nonius Marcellus corrigitur.

II. *Nec Annibalem fefellit suis se artibus peti. itaq; cùm per Casilinum euadere non posset, petendiq; montes & iugum Callicolæ superandum esset.*

Scriptus liber, *petendumq. montes.* & id mea fide germanum esto. Simile illi, —*pacem Troiano ab rege petendum.* & exempla in Lucretio, Varrone, & crebrò in Tertulliano obuia. Statim:

III. *Et primo cùm procul cernerent, veluti flammas spirantium miraculo attoniti constiterunt. deinde vt humana apparuit fraus, tum verò insidias rati esse cum multo maximoq; strepitu concitant se in fugam.*

Ait, *cum multo maximoq;.* & mirum si Orbilius hoc inultum sineret. certè non sic Latini. Dico truncam vocem esse, leg. que, *cum tumultu maximoq; strepitu.* siue placet, *tumulto*, antiquè. vt enim vulgò scriptores, Tumulti: item Tumulto dicebant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. II.

I. LIPSIVS PETRO PYTHOEO, V. C.

VT in vita, sic in studiis iuuat seueritati adsperſa comitas. Ea causſa frequenter soleo à grauioribus libris, animum quasi in ludum mittere ad scriptores amœniores. Quo in numero Petronium repono: quidquid dicant isti frontis seueræ. Et tua fide, Pythœe: vidistin' quidquam venustius, argutius, post natas Musas? Non ego. abesset tantum nuda illa nequitia. qua tamen nihil offendor. ioci me delectant, vrbanitas capit: cetera nec in animo nec in moribus meis magis labem relinquũt, quàm olim in flumine vestigium, cymba. Vt vina apposita vinosum mouent; inuinium, vt antiqui loquebantur, non mouent: sic ista animũ iam antè improbum fortasse incitent, casto & castigato non adhærent. Et sunt tamen inter Musæos homines qui hunc scriptorem fuisse velint. à quibus nos certè, mi Pythœe, dissentimus. Meæ sententiæ testes has Notas do. quæ, cuicuimodi illæ, non nisi ab eo qui cum cura legerit, eruantur.

Petronij laus.

In conuiuio Trimalcionis.

Ideò corrigitur sapiculè.

I. *Ceterum in promulsi dari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat in altera parte oliuas nigras, in altera albas.*

Aliàs, *in promulside danda.* sed legendum, *in promulsidariis.* Vlpianus De auro & arg. leg. promulsidaria vasa appellat. hic Promulsidaria intellegit cibos qui in Gustu.

II. *Et modò quid fuit? ignoscet mihi Genius tuus, noluisses de manu eius panem accipere. Nunc, nec quid, nec quare. in cælum abiit. & Trimalcionis topanta est. ad summam mero meridie si dixerit illi tenebras esse, credet.*

Notatum prouerbiũ. omnia erat.

Emendant, *Trimalcionis hierophanta est.* at ego, *Trimalcioni τὰ πάντα ἐστί.* Vsurpauit prouerbium, quo Varro in Sesquiulysse, *Hic enim omnia erat, item sacerdos, prætor, parochus, denique idem Senatus, idem populi caput.* Demosthenes, πᾶν ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς. Lucianus amorem Stratonices in Combabum exprimens: ἦν οἱ πάντα Κόμβαβος ἦν.

III. *Et poëtarum cœpit esse mentio, diuq; summa carminis penes Mopsum Thracem memorata est.*

Legerim, *inmorata est.*

IV. *Negauit hoc Eumolpus fieri posse, quia magna, inquit, nauigia portibus se curuatis insinuant.*

Arbitror scrib. *portibus se grauatim insinuant.*

V. *Quia nosti Venerem tuam, superbiam captas, vendisque amplexus non commodos.*

Lego, *vendisq; amplexus, non commodas.*

VI. *Quid est, inquit, nunquid te osculum meum offendit? nunquid spiritus ieiunio macer? nunquid alarum negligens sudor? Puto, si hæc non sunt, nunquid Gytona times?*

Videtur aptius, *ieiunio macet? nunquid alarum negligens sudor putet? Si hæc.*

VII. *Balneoq; præterito modica vnctione vsus, mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumq; sine iure ceruicibus, hausi parcius merum.*

Vide

Vide ne verum sit, *sine iure struicibus,* voce Plautina. Quamquam vulgatam lectionem tamen firmare Athenęus videatur lib. III. qui Capite De ostreis, expeti ceruices earum ostendit in cibis, & non semel nominat τραχήλους πορφυρῶν, κηρύκων, &c. Vale.

EPIST. III.

I. LIPSIVS IANO LERNVTIO.

ITA QVE vxorem duxit Giselinus noster? mehercle gaudeo. Varro *Quid enim est,* inquit, *quod homo masculus libentius videre debeat quàm bellam vxorem?* Et accedit quòd duxit bonis bene natam, quòd honestis moribus, & dote. ita non erit Næuij —— *pannum positum in purpura.* Sed tu, mi Lernuti, quid agis? silent enim litteræ tuæ, non etiam, vt opinor, Musæ. Et viden' debere te Epithalamium carmen amico? quidquid erit, ne cela. In Carmine lugubri ad Liuiam De morte Drusi (quod C. Pedonis Albinouani ex iure Quiritium esse aio, non Ouidij) pauca & leuia quædam notaui. nec miraberis, a cap. leg.

Carmen Albinouani percursum.

I. *At miseranda parens suprema neque oscula fixit,*
Frigida nec mouit membra tremente sinu.

Malo, *nec fouit.*

II. *Non animam apposito fugientem excepit hiatu,*
Nec traxit cæcas per tua membra comas.

Imò, *sectas comas,* aut, *læsas,* aut tale aliud.

III. *Quos primùm vidi fasces in funere vidi,*
Et vidi euersos indiciumq; mali.

Lego, *versos,* aut, *inuersos.* ita enim in luctu ritus antiquus. Tacitus Annali III. *Præcedebant incompta signa, versi fasces.*

IV. *Quid petiit? vult ille tibi vt sua facta placerent,*
Magnaq; laudatus præmia mortis habet.

Bene emendaui, *Quod petiit, tulit ille, tibi.* benè inquam & aptè Dicit. Quòd vnum Drusus voluit, vt tibi Augusto placeret, id iam consecutus est. laudas ecce mortuum: & laudas publicè.

V. *Flamma diu contata caput contingere sacrum*
Errauit posito lenta subusq; thoro.

Fortasse, *lenta subitq;.* errauit flamma, & tandem lenta subiit.

VI. *Adde quod est absens fœtus: nec cernere nati*
Semineces oculos sustinuere tui.

Dico legend. *absens functus.* clamat sententia. Pars, ait, solatij est quòd in oculis tuis & sinu non sit mortuus: & audisti dolorem tuum Liuia, non vidisti.

VII. *Nec meritis quidquam illa iuuant: magis affuit illis*
Mater honos, titulis omnia plena vides.

Lego, *adfluit illis.* non illi me iuuant meritis suis: potius à me nouus honos ipsis venit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. IV.

I. LIPSIVS CAROLO SIGONIO.

MAGNA verò industria tua, Sigoni, in Liuio castigando fuit, magna. & profectò

——si linguas decem
Habeam, vix habeam rem satis qui delicem,

vt ait Cæcilius. nec tamen hoc negabis, ex tanta messe non paucas spicas esse reliqui erroris. Quo in numero vide ne hæc sint, lib. XXIII.

Addubitatum in Liuij loco.

Annibal Acerris direptis atque incensis cùm à Casilino Dictatorem Romanum legionesq; nunc accipi nunciassent: nequis tam propinquis hostium castris Capuam quoque recurrat, exercitum ad Casilinum ducit.

Confusa historia, non apta verba. Primum, quid est, *Dictatorem accipi à Casilino?* quis sic loquitur? dixisset, à Casilinensibus, ferremus. vt omittam, acceptum numquam esse. Theani castra habuit, ibiq; hibernauit, Liuio ipso inferius narrante. Deinde, quod illud tantum periculũ, siquis Capuam recurrat, ciuitatẽ Annibali sociam & amicam? Liuius ista non scripsit. Vetus lectio, *legionesq; minus accipi.* Valla voluit, *legionesq; nouas acciri.* Puto melius, *legionesq; eminus aspici.* leuissima mutatione. Illa sequentia, *Capuam quoque recurrat*, meus liber effert, *Capue quoq. recurrerant.* Lego, *nequid tam propinquis h.c. Capuæ quoq. occurreret.* Dicit. Annibal audito dictatorem vicinum esse, & à Casilino tãtumnon aspici signa legionum: metuens ne quid & Capuæ accideret, exercitum propius Casilinum mouit.

Eodem libro infrà:

Idem vocem auctus.

L. Furium Prætorem cum classe ex Africa Lilybæum venisse. ipsum grauiter saucium in discrimine vltimo vitæ esse.

Vetus, *ipsum grauiter ictum saucium.* lego, *grauiter relictum saucium.*

Tum legit qui Ædiles, Tribuni, Prætores, Quæstoréve fuerant, tum ex iis qui spolia ex Ro. hoste fixa domi haberent.

Manutij coniectura firmata libro.

Acutè Manutius emendarat, *Ædiles, Tribunip. Quæstores.* Prætorum voce deleta. quia iam antea de curuli magistratu egerat. at ea correctio disertim in meo codice exstat. nequis vltrà ambigat.

EPIST. V.

I. LIPSIVS LVDOVICO CARRIONI.

RIDEBIS? an indignaberis? sed indignare potius: aut mehercules ego indignabor. Melissa mea, deliciũ illud caniculæ, pessimo furto mihi periit. præ cuius ingenio & fide, ille Vlyssis, Lysimachi, aut Sabini canis, meræ nugæ. Amabo te, dic Lernutio, dic Modio, Hendecasyllabos parent. Ridebis. & núquam te tam Maccum credidi, inquies. Sed tamen ego melius, quàm Cælius ille Calcagninus. cui felles in deliciis fuit, idq; publicis monumẽtis testatũ reliquit. Bryardi Cõmentarios accepi. illi tu

Dices, pro meritis gratum me & munem fore.

Sallu-

Sallustium in manibus tibi esse, gaudeo. De eius loco,

Confirmata correctio Sallustiana.

Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus sicut instituo prater nomen nihil est additamenti.

olim pueri scripsimus leg. videri, *in statua.* nec demuto. quamquam vir doctus Pythœus, *sicut in Staieno*, emendet, intelligens illum C. Staienum Ligurem qui se Ælium Pacetum adoptauerat, de quo Cicero. At meum illud Euripides comprobat, qui pariter vt Sallustius ignauos nobiles cum statuis componit.

Electra:

——τῇ δ' ὁμιλίᾳ βροτὼς
Κρινεῖτε, κ᾽ τοῖς ἤθεσιν τὰς εὐγενεῖς.
Οἱ γὰρ τοιῶτοι τὰς πόλεις οἰκοῦσιν εὖ
Καὶ δῶμα θ᾽. αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν
Ἀγάλματ᾽ ἀγορᾶς εἰσίν.

Nec dissimile illud Iuuenalis,

Nil nisi Cecropides truncoq; simillimus Hermæ.

EPIST. VI.

I. LIPSIVS IOSEPHO SCALIGERO IVLI. F.

QVI his litteris se dediderunt, Scaliger: ij sunt profectò, quod dici solet, muli Mariani. Sentis ipse. noctu, diu, habitandum in libris: peruolutandum omne genus scriptorum. Et leuia ista. quanto nobis ambitu conquirendi libri scripti? quod tædium illud conferendi? Nam quòd vicarium ponas, & alienis oculis istæc agas: proinde est, quasi alieno ore comedas, bibas. Itaque amemus ipsi nos: tamen qui hæc negligunt vulgi doctrina contenti, non dicam verius, certè beatius docti sunt. Quid enim, obsecro, assequimur? Dices,

Sapiens virtuti honorem præmium, haud prædam petit.

Vtinam ergo id esset! & honos saltem labori huic haberetur! Sed cur dissimulem? cùm omnia fecerimus, erit qui nos luculenter laudatos putabit, & Grammaticos dicet. Non est alia consolatio quàm illa Antigenidæ, Mihi & Musis. Ergo tibi hæc, mi Scaliger canam, collegæ nobis in eodem vel studio, vel morbo. In Agellio ista vide.

Complures in Agellio emendationes.

Lib. IX. cap. II.

Ad Herodem adiit nobis præsentibus palliatus quispiam & crinitus, barbaq; I. propè ad pubem vsq. porrecta, ac petit æs sibi dari εἰς ἀρτυς emendos scilicet.

Membranis, quas à Victore Giselino eximiè bonas accepi, aberant ista, *emendos scilicet.* nec dubium, quin glossema sit.

Interibi aliquot ex iis qui cum Herode erant, erraticum esse hominem dicere, & nullius rei.

Eædem, *& nulli rei.* sic apud Plautum, *alirei.*

Demus, inquit, huic aliquid æris, cuiusmodi est.

Optimè illic, *cuicuimodi est.* Cicero pro Roscio, & alij. Statim pòst, *animalia spurca atque probrosa*, in scripto est, *atque probra.* & vide ne veteres ita dixerint. III.

Cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. III.

xv. *Cuius virtute industriaq; Macedones locupletissimo imperio aucti.*
Scidæ, *Macetæ*. & id, tu Scaliger iam nos docuisti.

v. *Et cuius vim atque arma toti Græciæ cauendam inclytæ illæ Demosthenis orationes concionésque notificant.*
Illæ, *concionésque vocificant*. disertim, & ad oram eadem vox, quasi notandi causſa, reposita. Dictum est, vt Rumificant. Varro III. De re Rustica, *Itaque insectantes à se eiiciunt fucos: quos vocificantes plures, persequuntur etiam paucæ.*

vi. *Spero enim fore vt eductus eruditusq; abs te, dignus existat & nobis & rerum istarum successione.*
Melius membranæ, *susceptione*.

Cap. IIII.

vii. *Adductusq; mira atque insperata vtilitate, libros plurimos ære pauco emo.*
Legend. *insperata vilitate, libros multos*. atque ita in scriptis.

xix. *Is ne rudis omnino & ἀνήκοος in eiusmodi rerum auditionibus reperiatur.*
In isdem, *auditiones reperiatur*. & agnosco phrasim veterem.

xx. *Alios item esse homines singularis velocitatis, vestigia pedum retrò habentes.*
Scidæ, *singulariæ velocitatis*. vtitur eam vocem Agellius alias & Turpil. *Homo vnica natura & singularia.*

x. *In terra Albania gigni homines qui in pueritia canescunt.*
Non temerarium est, quod ibi scribitur, *in pueria*. Ne errorem suspiceris, in margine repetita vox est. & id eius libri olim scriptor solitus in rarioribus vocibus.

xi. *Homines qui Monomeri appellantur, singulis cruribus saltuatim currentes.*
Scripta lectio, *qui monocoli*. emendandum haud dubiè *monosceli*. & ita Plinius.

xii. *Quæ profectò faciunt vt neque respuenda sit notissima illa veterum poëtarum de Cænide & Cæneo cantilena.*
Membro auctior lectio in membranis, *neque respuenda, neque ridenda sit.*

xiii. *Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus.*
Scribunt illæ, *c. Asini*. non rectè, vt opinor. Locum enim indicare voluit.

EPIST. VII.

I. LIPSIVS IOANNI CRATONI, V. C.

QVOD vtrumque rarum in aula est, & tractas ipse litteras, clarissime Crato; & amas litteratos. Alterum admirationem nostram; alterum meretur amorem. Cui pro parte mea testando, hæc Liuiana ad te quasi iudicem misi.

In oratione Martij apud Liuium quædam emendata.

Libro XXV. De concione Martij ad milites.

1. *Ne tamen subita res & nocturnus terror etiamnum suæ fortunæ consilium perturbaret, alloquendos adhortandósque sibi milites ratus, concione aduocata ita disseruit.*
Elegan-

Elegantèr in meo libro, *nocturnus terror, & non suæ fortunæ consilium.* Non enim fortunæ illius afflictæ videbatur & propemodum desperatæ, vltrò aggredi hostium castra. Ibidem.

Cogor omnium vestrum vicem, quod difficillimū in luctu est, vnus consolari. II.
Vetus, *vnus consulere*. verissimè. Aliis luctu & metu debilitatis, summa consiliorum ad vnum Martium venerat. At illud vulgatum, si attendis, ne Latinum quidem est

Non lamentis lacrimísque tamquam extinctos prosequi. viuunt enim vigéntque fama rerum gestarum. III.
Malo lectionem veterem, *viuunt enim viuéntque.*

Scio audax videri consilium: sed in rebus asperis & tenuibus fortissima quæque consilia tutissima sunt. IV.
Sigonio placet induci voces, *& tenuibus*. ex veteri libro, vt ait, & ex sensu. In meo reperio, *& tenuis per*. Itaque non dubiè emendo, *in rebus asperis, & tenui spe, fortissima.*

Vnus exercitus in propinquo est: duo haud procul absunt. nunc aggredientibus par aliqua opportunitas est. & tam tentatis vestras atque illorum vires. si diem proferimus, periculum est, &c. V.
Multa in Liuio patrum ætate interpolata. in iis hic locus. Vetus liber, *nunc aggredientibus par aliqua est*. illi boni explendæ sententiæ, *opportunitas*, immiserunt. Sed nemo paullò doctior negabit emendandum fuisse, *pares aliqua estis*. Docet historia & res ipsa.

EPIST. IIX.

I. LIPSIVS PETRO DIVAEO.

RISI nuper Rhenanum. qui cùm Velleium Paterculum (siue, vt aliis iam placet, Vellium) laudandum suscepisset; aut parem eum Cæsari, aut certè proximo loco ponendum affirmat. Non pareo verò huic dissignatori. & næ ille Velleius in historicorum ordine tantum abest à secundo, quantum Cæsar à primo. Melius Quinctilianus, qui in historiæ Ro. catalogo hunc ne nominat quidem: alias antiquum, & qui Liuium & Sallustium videre potuerit. Sed volumen illud historiæ maioris, quod pollicetur, fortasse non scripsit: & compendium istud plenum adulationum, degressionum, doceat Beatus me cur tantam laudem mereatur. Sed de hoc propediem coràm videbimus. nunc da mihi operam, & has in Velleio animaduersiones inspice.

Rhenani iudicium explosum.

Velleius Paterculus corrigitur.

Lib. II. De Sulla.

1. *Primus ille, & vtinam vltimus exemplum proscriptionis inuenit: vt in qua ciuitate petulantis comitij iudicium historiarum ex alto redditur, in ea iugulati ciuis reipublicæ constitueretur auctoramentum.*
Emendaueram ego, *iudicium histrionicum ex albo*, & putabam ad XII. tabulas referendum, quæ capite sanxerunt, *siquis actitasset siue condidisset carmen quod infamium faceret flagitiúmue alteri*. Cicero IV. de Rep. Vel, *iudicium in histrionem*. At verius fortasse Pythœus, *iudicium iniuriarum*. Sequétia ex notis lego, *ciuis Ro. publicè*. Infrà, de Tiberij secessu Rhodum.

Leuis correctura.

Universidad de Deusto
Biblioteca

11. *Illud etiam in hoc transcursu dicendum est ita septem annos Rhodi moratum esse, vt omnes qui Procoss. Legatique in transmarinas profecti prouincias visendi eius gratia ad quem conuenientes semper priuatos illa maiestas priuata nunquam fuit, fasces summiserint.*

Indubitanter emendandum, *visendi eius gratia atque conueniendi, semper priuato (si illa maiestas priuata vnquam fuit) fasces summiserint.* Metuebat scilicet Velleius ne impietatis crimen admitteret, si priuatum Tiberium sine exceptione dixisset. Pudet & piget proiectæ adulationis. At non ita Tacitus. Deinceps.

111. *Quo tempore M. Lolli perfida ac plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata Cæsaris ira vulgauit.*

Quæ ista consilia quæ Cæsar per iram vulgauit? Sed spuriæ lectionis huius pater est Rhenanus. prisca editio, *Cæsaris iam auulgauit.* ex ductu litterarum quanto verius erat? *Cæsari, fama vulgauit.* Vt enim de re dubia scribit Velleius, & famam auctorem dat.

EPIST. IX.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

ITA est. me rura mea capiunt & horti. habeant isti dynastæ πλοῦτον ἐυδεῆ, καὶ τύχην ἀτυχῆ. Nunquam sciui quàm verum illud Comici esset,

Εἰτ' ἔχει χρυσὸν ἐστὶ πρᾶγμ' ἐρημία.

Vt tamen scias in hoc secessu & libros audere me tangere: hos Senecæ locos vide.

Seneca emendatus in epistola.

Lib. XII. Epistolarum, epist. LXXXIV. ait:

1. *Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certè deliuit.*

Ea lectio à Pinciano est, cui Seneca æternum debebit. hic tamen non rectè iudicauit. Libri scripti partim, *certè eruit*; alij, *diruit*; alij, *deliuit*. Postrema nihil peccat, nisi quod litteræ vnius membra diuellit. scribe igitur, *certè debuit*. aperta & acuta sententia. Meritò Alexander mori & voluit & debuit, qui immerentem amicum occiderit.

Epist. LXXXV.

11. *In comessationibus nostris plus cantorum est, quàm olim in theatris spectatorum fuit.*

Pax. mi Seneca, quis credet? in vno cõuiuio aliquo plus cantorum, quàm olim spectatorum? impudens mendacium. Rectè in manss. Seneca Io. Latomi, *In comissionibus.* & intellegit commissiones ludorum. paret ex sequentibus. Quomodo hoc Pincianum fugerit, miror.

Epist. LXXXIX.


111. *Appion Grammaticus qui sub C. Cæsare tota circumlatus est Græcia, & in nomen Homeri ab omnibus ciuitatibus adoptatus.*

Lego verò, *totam circulatus est Græciam.* Tangit hominem nugatorem & Agyrtam, paullò tamen aptius quàm Iulij Cæsaris filius illum nostrum.

EPIST.

EPIST. X.

I. LIPSIVS IOACHIMO CAMERARIO, IOACH. F.



occasionem scribendi ad te, à C. V. Cratone oblatam libens tum amplexus. vt quæ mihi cum parente tuo necessitas fuit: eam nunc transfunderem & quasi deriuarem in filium, & hoc non leui solatio vterer illius erepti. Quod superest, mi Camerari, nos hîc viuimus in tumultu omnium rerum & desperata pace, acrior incumbit ——— τραχεῖα νιφὰς πολέμοιο. Non deserunt tamen litteræ, & plurimus sum in historiis. quod genus lectionis abducere maximè animum videtur à præsentibus malis. De integritate huius Liuiani loci ambigo.

Lib. XXV. cùm Martius inuaderet castra Asdrubalis.

Proposita Liuiani loci correctio de industria.

Inde signa canunt, & tollitur clamor. pars semisopitos hostes cædunt, pars ignis escas stramenta arida tectis iniiciunt, pars portas occupant vt fugam intercludant.

Ad hunc locum Glareanus non tam ineptus censor quàm quidam existimat, *Dura est*, inquit, *compositio, nec facilè dixerim quàm displiceat. sensus tamen intelligitur.* & displiceret meritò. In veteri meo hoc tantùm scriptura mutat, *stramento arido.* Præiuit tamen ad veritatem. Lego, *pars ignes casis stramento arido tectis.* Illud, *escas*, conflatum ex repetita syllaba, *ignes*, fuit. & pro, *cas.* quàm aptè, *casis!* Ita Liuius lib. XXVII. cùm Campanorum castra incenduntur, arundine & stramento tecta ea dixit. & lib. XXX. cùm Syphacis à Scipione.

EPIST. XI.

I. LIPSIVS GERARDO FALKENBVRGIO.

VIDE nuntij fidem. tertiò mense quàm scriptæ sunt reddidit mihi & Pulmanno litteras tuas, ne tu mirere ũ rescribam tardius. Redigeri diuturno morbo συμπάσχω. De Scaligeri Nonio & Plauto grata quæ scribis. Mihi crede. ille vnus possidet quasi auctorum veterum Genios, & rex est, vt sic dicam, litteratorum

——— ὁπόσοι γλαυκὰν ναίουσιν ὑπ' ἠῶ.

Giffanij casu indolui sed talibus in rebus valet illa Stoici dogmatis consolatio, quam Attius scitè expressit,

— *nisi probrum, omnia alia indelicta existimo.*

In Taciti instituto Commentario pergo: lentè tamen, & quomodo amicus ille in Agellio.

E Dionis Cassij libro LVIII.

Τὸν τε Πείσωνα τὸν πολίαρχον τελευτήσαντα δημοσίᾳ ταφῆ ἐτίμησεν, ὅπερ

Dio Cassius emendatus.

ὅπερ τε καὶ ἄλλοις ἐχαρίζετο. Καὶ Λάκιον ἀνθ' αὐτῆς ταμίαν ἀνθείλετο, ὃν προπαλαι τῇ στρατιᾷ προσάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ρώμῃ.

ridiculum errorem tollebam, inuisum tamen interpreti nouo. Littera vna peccat, nec ταμίαν. nihil enim de Quæstore. sed Λαμίαν legendum. Successori Pisonis nomen fuit L. Aelius Lamia. Clarum ex Tacito, Annali v. *Extremo anni mors Aelij Lamiæ funere censorio celebrata, qui administrandæ Syriæ imagine tandem exsolutus vrbi præfuerat.* Iani Lernutij perelegans carmen mitto ad te, adumbratum de Horatio. Non fallor amore. & profectò, si adolescens ille vitalis est, poëtam Belgicæ nostræ dabit non è multis.

Iani Lernutij Oda ad Amorem.

Lernutij Oda.

AMOREM *ocellis flammeolis heræ*
Vidi insidentem. credite posteri.
Fratresq́, circum ludibundos
Cum pharetra volitare & arcu.
Eheu pauore cor trepido salit,
Mensq́ icta Amoris numine deuium
Lymphatur: eheu parce telis,
Parce graui puer acer igne.
Fas inquieta sit mihi gaudia
Curáque dulces, cuspidis & tuæ
Votiua vulnera, atque amicum
Arte lyræ celebrare amarum.
Fas & parentis regna Amathusidos
Porrecta latè dicere, partáque
Tropæa de Titane, & æstus
Mulciberis malè pertinaces.
Tu vim leonum, tu tigridum domas
Cetéque & vros: pérque acies truci
Dextra Gradiuum fulminantem
Mitem animis placidúmque reddis.
Tu post Gigantum terrigenam manum
Fusam fugatam, tela Diespitri
Irata tollis: tu relicta
Coniuge sidereíque regnis
Quandoque tauro dissimilem sui
Abdis vel auro; iam gelidis cygnum
Vris sub vndis; iam salacem
Destruis in Satyrum aut in hircum.
Te bruta tellus, te maris æquora,
Cælúmque & inuisi horrida tartari
Sedes veretur: te veretur
Ipsa Hecate, patruúsque Pluto.

EPIST.

EPIST. XII.

I. LIPSIVS FRANCISCO MODIO.

MIHI verò, Modi, & salus à te grata fuit missa per Giselinum: & gratiores nuperæ litteræ, non solùm amanter, sed etiam liberaliter scriptæ. Itaque cùm antea ex sermonibus Carrionis diligerem te: nunc cœpi etiam amare. primùm, quia amari me sentio à te: deinde quia amœnum ingenium tuum, & facti ad humanitatem mores merentur, vt ameris ab iis quos nouem virgines amant. Brugas vestras quòd amicè me vocas: & ego mehercle cupio. sed vides hanc anni hiemem: &, quod inter nos sit, ignosce nouo marito: quem scire potes ad signa frequentem esse debere. De Nemesiano & Calpurnio. ego verò non probo solùm, sed hortor & suadeo. Et non sunt illi maximi census scriptores, fateor: sed fit hoc, Modi, primordium & quasi præcentio maioris Musæ. In Plauti Aulularia duobus locis, dubium non est quin leg. sit, *pæniſsimè*, formatum à *pænè*. Quod Charisius in hoc versu, *Pæniſsimè Plauti vox. Charisius corrig.*

Fide censebam maximam multò fidem
Esse, ea jubleuit os mihi pæniſsimè,

agnoscere videtur *pleniſsimè*: scilicet corruptum ab imperitis Charisium esse. æquè atque Apuleium libro VIII. De Asino: *Apuleius pariter.*

Manum cuiusdam fœtore sordentem, qui gingiuas meas identidem putidis scalpebat digitis, mordicus arreptam pleniſsime contriui.

Nam & hic leg. *pæniſsimè*. vt in Apologia eiusdem, *Nam quod pæniſsimè oblitus sim, nuperrimè cum Pudentilla testamentum faceret.* Amat enim vnicè ille scriptor vti voces Plauti. & sunt tamen qui illum vt barbarum rideant, mediusfidius barbari ipsi. Illum etiam Plauti Milite versum, *Et Plautus Militem.*

Scena, Quid modi.

Si id facies, tum demum sciuisti, qui bonus sit qui malus.

emendo, *tum demum scibis, tibi qui.*

EPIST. XIII.

I. LIPSIVS IOANNI FLEMINGO.

VT humanitas tua est, Fleminge; vt amor in litteratos: non grauatè indicabis, quid super his Liuij locis sentias, quos leui manu emendabam. *Aliquanti Liuij loci restituti.*

Libro XXVI.

1. *Nec magni certaminis rem fore. paucos esse & ab suis intercluſos, & quæ, dum paueat, Romanis interrupta acies videatur: etiam si se vtrinque in hostem vertat, ancipiti pugna medios circumuenturam.*

Glareanus de obscuritate priorum & sequentium præfatus, fatetur ingenuè hæc à se non intellegi. Tantum momenti leuis corruptio habuit. Leuis, inquam. Nam illud, *dum paueat*, scribendum, *dum pauent:* & pro, *etiam*, leg. *eam*. & pulsæ tenebræ sunt. Cohors Hispanorum ruperat Ro. mediam aciem. Hoc Fuluius in bonum vertens, Quæ vobis, inquit, dum pauetis, interrupta acies videtur; ea maximè erit opprimendo hosti, & si se vtrimque verterit, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibidem.

II. *Nihil ad eam spem agnoscentem dixisse ferunt, tu perditas res Campanorum narras, vbi summus honos ad filium meum perueniet.*

Vetus liber, *nectu perditas.* Scribo, *Næ tu perditas*, familiari modo loquēdi.

III. *Capuà etsi nihilo segnius oppressa per eos dies fuerat, tamen aduentum Flacci sensit.*

Malim, *nihilo segnius obsessa.* errorem fecit, *opsessa.* sicut optinere, opsides, & similia in libris antiquis.

IV. *Consurgentem iam Fulvium Taurea Iubellius Campanus per mediam vadens turbam nomine inclamauit.*

In veteri, *per mediam vadens vrbem turbámque.* Rectè. Foris enim aduenichat, vt liquet ex sequentibus.

V. *Nihilo minor fama apud hostes Scipionis erat, quàm apud ciues sociósque: & diuinatio quædam futuri, quo minus ratio timoris reddi poterat, eò opportunè maiorem inferens metum.*

Suspectum illud, *opportunè.* Manuss. *oportet timere maiorem.* Lego, *coobortotimore.* Verissima emendatio. & sic fieri solet, inclinatis semel ad timorem animis.

EPIST. XIV.

I. LIPSIVS M. ANTONIO MVRETO.

PAVCOS Lucilij locos, M. Antoni, facio iudicij tui.

Lucilij cō plures versus corrigūtur apud Nonium.

Apud Nonium, in Ire.

Lucil. lib. xxxviij. In medium Chremes in summum ire addemenetus.

Iunio placuit, *ire addet Menedemus:* mihi, *ire Dæmenetus.* Dixit Lucilius; Chremes ille in filio indulgendo, medium tenuit: Dæmenetus Plauti, I. modum excessit. Notum ex Asinaria, quomodo ille senex filium tantumnon ad lustra & meretrices deducat. In Epulum.

Satyrar. lib. xiiij. Idem epulo cibus atque epulatio Iouis omnipotentis.

II. Legerim, *atque epulæ Iouis*, vt stet versus. Sententiam Lucilij puto, tam lautum conuiuium fuisse, quàm epulum Iouis. De epulo Iouis apud Rom. ludorum causa, frequenter Liuius. In Interficere.

Lib. xxix. Prius non tollas, quàm Tulli animum ex nomine atque hominem ipsum interfeceris.

III. Scribo, *prius non tollas, quàm Tullium Ex nomine atque omine ipsum interfeceris.* Sunt Trimetri versus. & puto factos in persona Tulliæ, quæ Tarquinium maritum stimularit ad necem Serui Tullij quem illa ex nomine atque omine interfici vult: quia Tullius à tollendo.

In Fulguriuit.

IV. *Lib. xxvj. Luporum exactorem maluanum & fulguritatem arborum.*

Fortean, *exactorem Siluanum, & fulguritarum arborum.* Siluanus rei rusticæ præses deus. Cato, & Horatius, *Siluane tutor finium.*

In Ramices.

V. *Satyr. lib. ix. Quod deformis senex appetitus ac podagrosus.*

Legebam, *senex, ac pædidus.* Sed video Scaligerum occupasse, qui legit, *quod pædidus.*

In Zonatim.

Lib. vj. Zonatim circum impluuium cineraris cludebat. VI.

Iunius, *cumeram is cludebat.* Scribo, *cinerarios eludebat.* Intellego de puerō, qui iam tondendus in gyrum currens effugere volebat cinerarios. & planè est illud Catulli, *Iam tuum cinerarius Tondet os.*

In Charta.

Lib. xxvij. Nescio, vbi Græci, vbi nunc Socratici charti, quicquid queritis petimus. VII.

Lego, *nescis vbi g. v. n. Socratici charti? quid quæritis? perimus.*

In Sibilum.

Saxa & stridor vbi atque erunt dum sibilus instit. VIII.

Arbitror de populi theatrali tumultu aut seditione forensi capiendum, & leg. *Saxa & stridor vbi acquierunt, tum sibilus instat.* vel, *sibilus insit.* versu heroico. Cùm saxa quiessent, sibilus exoritur.

In Duci.

Lib. xxxv. Non datur, admittit nemo, nec viuere ducunt, [Orco spondent septimum.] IX.

Quæ inclusi, aliena à Lucilij verbis sunt. & nescio vbi legerim, *Sex dies fat sunt vitæ, Orco spondent septimum.*

In Dicare

Lib. xxx. Sic vbi ad aures Pama tuam pugnam claram allatam dicasset. X.

Scribo *clarans allata dicasset.* Clarare, vt, *Clarabit pugilem*, apud Horat. Alata fama, à celeritate.

EPIST. XV.

I. LIPSIVS LVDOVICO CARRIONI.

BELLA, verò excusatio silentij. ais ternas dedisse litteras te. Vis scribam liberè? non credo. vnas enim accepi. Itinera, credo, infesta sunt Brugis Antuerpiam: & mirum ni misellæ litteræ in via sint interfectæ. Censeo funus imaginarium iis ducas, & ossa legas: quod lex vetus permittit in peregrè functis. Quòd scribis amicum nostrum iam seriò vxorem cogitare, gaudeo: eaque spes ne iterum vana sit, Iunonem Iugam rogabo. Sed quid ais? Letnutiine vxor intumuit? tam citò autem? ô cultorem Assiduum, vel Proletarium potius! Perij, si vxor mea sciuerit exemplum. Tu, cùm reuersus es, cela: ego nullus dixero. Cuiacium Lutetiæ esse audio: cōdem venturum Scaligerum. Hui! quàm pulchra occasio, si tempora concederent, Semones illos coniunctim salutandi

In Arnobio pauca obseruaui. Lib. I. *Arnobius emēdatus.* I.

Sed conscriptores nostri mendaciter ista promiserunt, extulere in immensum exigua gesta, & angustas res satis ambitiosa dilatauere præconio.

Lego, *cum scriptores, &, promiserunt*, siue, *prompserunt.*

Lib. IV.

Nunquid à nobis dicitur ex pelagi spuma & ex Cæli genitalibus amputatis II.

Cytheræa

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cytherææ Veneris concretum coaluisse candorem? Nunquid parricidij causſa vinctũ esse Saturnum, & suis diebus, tantis vinculorum põderibus releuari?
Scripsit Arnobius, *suis diebus tantùm.* Nam opinio veterum erat Saturnum suis, id est, Saturnalium diebus iterum quasi regni compotem esse: ceterum annum in vinclis haberi. Lucianus in Cronosolone, de Saturni cultu per illos dies, ἦν δὲ ἐ πεδήτης, οὐδὲ αὐχμοῦ πλέως, οἷον αὐτὸν οἱ ζωγράφοι ἐπιδείκνυται· ἀλλὰ τὴν μὲν ἅρπην εἶχε πάνυ τεθηγμένην τὰ, δ' ἄλλα φαιδρός τε ἦν καὶ ἁρτερὸς, καὶ βασιλικῶς ἐνεσκευάσο.

Lib. v.

III. *Non est ista falsa susceptio, nec delatione appetimini calumniosa.*
Lego, *falsa suspectio.* verbum Comicorum.

Lib. VII.

IV. *Ridemus cùm audimus nos ista, quoniam deis artes necessarias ducimus arbitramurque non esse eas, constat & liquidum est paupertatis ad subsidium comparatas.*
Et Titinnius apud Non. Lego, *non esse, quas constat.* scriptum erat, *cas.* vnde error. vt in Titinnij apud Nonium, *Aequum est me habere eos pauperem sumptu meo,* pro, *quos pauperem.* Infrà.

V. *Rusticulo cuidam Iovem per insomnium dixisse vti ad Consules suaderet præsulem sibi displicuisse.*
Melius, *ad consules vaderet.*

EPIST. XVI.

I. LIPSIVS CORNELIO VALERIO.

HABES Antiquas meas, Valeri. & de stilo, mutasse me nonnihil à primis illis Variarum libris videbis. Siue ætas hoc facit, siue nunc iudicium meum. qui puto eiuscemodi διδακτικὰ scripta diffusum illud, suaue, numerosum orationis genus, quale à Cicerone manat, non admittere. breue potius desiderant, acutum, mixtum doctrinæ antiquæ notis, quale aut è Ciceronis ad Atticum, aut è Comœdiis antiquis haurimus. Ad summam, dedi operam, vt, quod ait Attius,

Paucis probatus potius, quàm multis forem.

Ad Plautum quòd me vocas: audio, non auscultо. Maior illa res, & Scaligero iam desponsa. In Liuiò fum, cuius duobus locis elegans genus dicendi restituebam.
Genus dicendi per elegãs redditum Liuio.

Lib. XXIV.

Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos, tanto ardore militum est vsus, ob iram inter conditiones pacis interfectæ statim, vt primo impetu vrbem expugnarit.

Liber manuscr. *ab ira interfectæ.* & lib. XXVI. initio.

Ea tum cura maximè intentos habebat Romanos, non tam ob iram, quæ in nullam ciuitatem vnquam iustior fuit, quàm quòd vrbs, &c.

Idem codex, *non ab ira tantùm, quæ.* vtrumque optimè. Mutarum imperitè fuit, quos dictio ea paulò remotior offendebat. at exempla plura tamen in Liuio vulgo obuia.

EPIST.

EPIST. XVII.

I. LIPSIVS GERARDO FALKENBVRGIO.

QVIS neget Plauti multa esse à Græcis? integræ quidem Comœdiæ, & argumenta tota. sed est etiam, cùm phrasim, dicta, iocos, argutias, inuenias imitata ab illis quos ex professo non imitabatur. Exemplum sint hæc pauca. Pseudolo. *Plautina quædam imitata à Græcis.*

CA. *Impudice.* BA. *ita est.* PS. *sceleste.* BA. *vera dicis.* PS. *verbero.*
BA. *Quippini.* CA. *bustirape.* BA. *certè.* CA. *furcifer.* BA. *factũ optumè.* I.
CA. *Sociofraude.* BA. *sunt mea hæc ista.* PS. *paricida.* BA. *Perge tu.*
PS. *Sacrilege.* BA. *fateor.* CA. *periure.* BA. *vetera vaticinamini.*
CA. *Legirupa.* BA. *validè.* PS. *pernicies adolescentum.* BA. *acerrimè.*
PS. *Fraudulente.* CA. *impure leno.* PS. *cænum.* BA. *cantores probos.*

Lepidè expressit mores improborum: quibus conuicia, laudes sunt.

Item Aristophanes Nubibus.

ἄδι. Τυφογέρων εἶ κ' ἀναίρμοσος.
δι. Καταπύγων εἶ κ' ἀναισχυντος.
ἄδι. Ῥόδα μ' εἴρηκας. δι. καὶ βωμολόχος.
ἄδι. Κρίνεσι στεφανοῖς. δι. καὶ πατραλοίας.
ἄδι. Χρυσῷ πάττων μ' ἐ γινώσκεις.
δι. Οὐ δῆτα πρὸ τοῦ γ'. ἀλλὰ μολίβδῳ.
ἄδι. Νῦν δέ γε κόσμος τετ' ἐστὶν ἐμοί.
δι. Θρασὺς εἶ πολλῶ. ἄδι. σύ δέ γ' ἀρχαῖος.

Iam in Bacchidibus totus ille de disciplina puerili locus, non abest quin ab eodem Aristophane sit in Nubib.

Λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν παιδείαν ὡς διέκειτο. II.
Πρῶτον μὲν ἔδει φωνὴν παιδὸς γρύζαντος μηδὲν' ἀκοῦσαι.
Εἶτα βαδίζειν ἐν ταῖσιν ὁδοῖς εὐτάκτως εἰς κιθαριστοῦ.

cum proximis aliquot quindecim versibus; vt parcam chartæ. Plautina sunt obuia.

Eadémne erat hæc disciplina cùm tu adolescens eras?
Nego hoc tibi annis viginti primis fuisse copiæ.

& quæ sequuntur. Quod in Amphitruone sanè quàm lepidè fingitur de matre vini:

Cadus erat vini, inde impleui hirniam. SO. *ingressu' st viam.* III.
ME. *Eam ego, vt matre fuerat natum, vini eduxi meri.*

inuentum ante Euripidis erat. apud quem seruus de Hercule, in Alcest.

Κρατῆρα δ' ἐν χείρεσι λίσσιπον λαβὼν
Πίνει μελαίνης μητρὸς ἐὐζωρον μέθυ.

In Aulularia de vita ignis.

Nam si ignis viuet, tu exstinguere extemplo. IV.

Iepidius etiam Aristoph. Lysistrate, Vigilate & viuere.

Τετὶ τὸ πῦρ ἐγρήγορεν ἕκατι καὶ ζῇ.

Truculento, illa metaphora turpicula:

Qui arari solent ad pueros ire melius est. V.

vsus pariter Aristoph.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ἤδη γεωργεῖν ἀποδύς γυμνὸς βέλομαι.

Principium Stichi:

VI. *Credo ego miseram fuisse Penelopen.*
Soror suo ex animo, quæ tamdiu
Viro suo caruit.

alij mutant, alij malè distinguunt. at, misera ex suo animo, videtur simile illi Homerico,

— Πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν.

EPIST. XIIX.

I. LIPSIVS GVLIELMO BREVGELIO, V. C.

CONSILIARII titulo à rege auctum, cognate Breugeli, duplici nomine sum gauisus. Tuo, cuius virtuti & doctrinæ datũ præmium est: patriæ, cuius interest in his fluctibus quamplurimos tui similes sedere ad gubernacula rerum. Arbitror Titinnium olim dixisse,

Sapientia gubernator nauem torquet, non valentia.

Vlpianus in Pand. explicatus. & vtinam is versus esset in vsu. Vlpiani legem 1. De officio Præf. vrbi, paullò aliter interpretabar à vulgo. Ait:

Et sanè debet etiam dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem, & ad referendum sibi quid vbi agatur.

Non enim accipio milites illos stationarios, qui in stationibus per Italiam dispositi erant, de quibus Sueton. lib. III. cap. XXXVII. & Plin. X. Epistol. quod adhuc placuisse video: non. sed verius puto, Vlpianum intellegere milites, qui in Theatro aut Circo, ludorum tempore, agebant, ad comprimendas populi turbas. Quod institutum ab Impp. fuit: vocabantque easipsas excubias, Stationem, & Stationarios. Totam rem clarè Tacitus Annali XIII. *Fine anni statio cohortis adsidere ludis solita demouetur. quo maior species libertatis esset, vt q. miles theatrali licentiæ non permixtus incorruptior ageret, & plebs daret experimentum an amotis custodibus modestiam retineret.* Etiam Suetonius lib. VI. *Sed adiuuante vulgi preces statione militum, quæ tunc excubabat, repræsentaturum se pollicitus est, ac sine mora nomen suum in albo profitentium citharœdorum inscribi iussit.* Et verò disertim hic de spectaculis sermo. quodque ait, *popularium quietem*, scire licet Popularia tunc appellata populi consessum theatralem, vt Equestria, equitum. Reperies in Seneca, Suetonio, & Callistrato l. XXVIII. De Pœnis, *Turbulentes adclamationes popularium.* Quod me fugerat, non effugit: illud, *quid vbi agatur*, valet, *quid ibi*, more illo in Florentinis, litteras commutandi. peccant largiter, qui corrigunt, *quid vbique.* & referendum ad popularia est.

Statio militum ad ludos.

Popularia quid.

EPIST. XIX.

I. LIPSIVS AVGVSTINO HVNNAEO THEOLOGO, V. C.

IN Theologo accuratum illud Antiquitatis studium, si abest, fortasse non requiram: si adferet, vehementer amplectar; nec solùm quasi ornamentum, sed etiam fas sit dicere, adiumentum. Nam & in sacra historia multa esse, quorum penitior intelligentia pendeat à moribus & litteris antiquis, nemo negabit. non tu certè, clarissime Hunnæe. qui hoc παράεργον sic accuratè tractas, quo modo alij pauci ἔργον ipsum. Bibliothecam antiquis monumentis instruis; libros conquiris; veteris ipse, aut vtendos præbes. & hoc efficis, vt non modò intellegere, sed iudicare possis omni de genere scriptorum. Itaque Liuiana hæc misi ad te, obseruata mihi nuper. dicam etiam probata, si probari comperiar tibi.

Liuius varie emendatus.

Lib. XXIII. ex oratione Samnitium, præsidium ab Annibale petentium.

I. *Numidarum paucorum illi quidem præda erunt; præsidiumque missum nobis erit, & Nolæ ademeris.*

Negat Sigonius elici idoneum sensum ex istis, *& Nolæ ademeris.* cumque absit à vett. libris τὸ, *erit*; leg. censet, *& Nolam ademerit.* Certè abest & à meo illa vox: sed propius à scriptura abiens lego, *nobis & Nolæ idem erit.* hoc sensu. Præsidium quod mittes idem erit & nobis propugnandis, & Nolanis premendis. Paullò infrà:

II. *Hostium plus mille cæsi eo die, capti mille DC. & signa militaria vndeuiginti, & duo elephanti, quattuor in acie occisi: Romanorum minus mille interfecti. Posterum diem, induciis datis, sepeliendo vtrimque cæsos in acie consumpserunt.*

Meus liber, *induciis tacitis.* nihil verius. Tacitæ induciæ, quæ sine pacto, mutuo velut consensu. Liuius lib. II. *Intercessere pauci dies, velut tacitis induciis vtrimque quiete sumpta.* & alibi, *Tacitæ induciæ quietum annum tenuêre.* Iustinus lib. VI. *Paucis deinde diebus, neutris hostile quicquam facientibus, cùm quasi tacito consensu induciæ essent.*

Libro eodem superiùs, de legatis Philippi captis.

III. *Tum comitibus eorum seductis, litteræ quoque ab Annibale ad Philippum inuentæ de pace inter regem Macedonum, Pœnumque ducem.*

quis neget verius in meo esse? *inuentæ, & pacta inter.* Quò enim de pace compositio, vbi bellum numquam fuerat? Pacta erant, & nouum fœdus.

Suprà etiam.

IV. *Ad Laciniæ Iunonis templum in terram egressi sunt.*

Abest veteri, *templum.* rectissimè. sicut pòst, *eodem ad Iunonis Laciniæ [templum] vbi nauis occulta in statione erat, perueniunt*, iterum omissa eadẽ vox.

De Campanis oppressis à Graccho.

V. *Annibal ratus, ab re bene gesta insolenter lætum exercitum tyronum magna ex parte seruorũmque spoliantem victos prædasq. agentem ad Hamas se inuenturum, citatum agmen præter Capuam rapit. obuiósque ex fuga Campanorum per duo præsidia Capuam duci, saucios vehiculis tolli portarique iubet.*


Quæ hæc duo præsidia, non facilè dixerim. mendi suspicionem facit vetus liber, qui illud, *per*, nullus habet. Ita legerim, *obuiósque ex fuga Campanorum, dato præsidio, Capuam duci.* hoc tantùm, *duo*, scribens, *dato.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. XX.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

TEN' quærere quid sentiam de Scaligeri Festo?



In Festo spicilegium posi Scaligerum. gaudius sum in Festo incurrisse nos in multa eadem. pauca etiam mihi superant indicta ipsi.

Ait Festus:

I. *Insanum, pro valde magnum vsus est Plautus.*

Potius scripserim, *Insanum magnum, pro valde magnum.* Nam respexit hunc Plauti versum, *Insanum magnum molior negotium.* Emendandus Plautus Trinummo:

Plautus correctus: *Insanum est, & malum in hospitium deuorti ad Cupidinem.*

Et Nonius. Leg. que, *Insanum est malum,* electa voce. Et apud Nonium, *Insanùm pro insanè. Plaut. Neruolaria, Insanùm valdè vterque deamat.* deleuerim τὸ, *valdè,* vt glossema. Imitatus hoc, vt alia, à Plauto Ausonius, de Crœso,

—— *dies insanum in modum.*

Ait Festus:

II. *Tyria maria in prouerbium, &c. Afranius Epistola:*
Hunc serrium autem maria Tyria conciet.

Lego, *Hunc ferreum autem,* id est, hunc hominem asperum & tangi periculosum vt maria Tyria. Ait:

III. *Iouistæ, compositum à Ioue & iustæ.*

Ineptissimæ ineptiæ. Tentabat Scaliger, *Ious esto.* sed absistit, quia sequentia arguunt vanitatem. Quidquid verbi fuit, remotum aliquid fuit. Lego *Iosipse, compositum ab ios & ipse.* Ita enim antiqui, pro Ipse. Vnum testem habeo, sed luculentum, Glossas veteres ab H. Stephano, *Iosipse, αὐτὸς.* Ait:

IV. *Orcum quem dicimus ait Verrius ab antiquis dictum Vragum.*

Apage. non dixit hoc Verrius, sed, *Vrgum.* duabus litteris mutantibus. nec ineptè dixit.

V. *Antiqui Tam etiam pro Tamen vsi sunt: Titinnius: Bene cùm facimus tam malè subimus, vt quidam perhibent viri.*

Titinnij corrigo, *tam malæ audimus, vt quidem.* Querela mulierculæ est de iniuria, quæ à viris factum itur suo sexu. Bene an malè faciant, tamen malæ audiunt. Ait:

VI. *Tame in carmine positum est, pro Tam.*

Scribo, *Tamde.* Dictum enim eo exemplo, quo Quamde, quod in Lucretio, aliisque. Ait:

VII. *Sponsis benéque volueris, in precatione augurali,*
Messalla ait significare spoponderis, volueris.

Ridiculum, Volueris interpretari Volueris. Enimuerò in libris auguralibus

libus erat, *Voleris.* ea forma qua Moneris in poëta illo, *Di monerint meliora:* & Tetinero, apud Festũ in Purimè. *Purimè tetinero, purissimè tenuero.*

Gesum, graue iactum. VIII.

Puto, *graue iaclum,* siue *iaculum.*

Experrectus à corrigendo se vocatus. IX.

Imò, *à porrigendo.*

Eritudo, seruitudo. X.

Hoc falsum. fuit, *eritudo, vt seruitudo.* notat scilicet vtrumque eâdem terminatione & forma dici.

Degere antiqui posuerunt pro expectare. XI.

Non opinor. sed Degere pro minuere, detrahere, Nonius obseruat. Fortè igitur hîc, *expectere.*

Comparsit Terentius pro compescuit. XII.

Scribe, *pro compercuit.*

Camelis virginibus supplicare nupturæ solitæ: XIII.

Lego, *Camelis virgines suppl.* Gamelios siue coniugiales deos intellegit, qui quæ'ue non inter virgines certè.

Aestimias, æstimationes. XIV.

Malim, *æstimia.* In libris Gromaticis, *Pro æstimio vbertatis & natura locorum sunt agri adsignati.* Alibi: *Territoria in saltibus sunt adsignata pro æstimio vbertatis.*

EPIST. XXI.

I. LIPSIVS MARTINO ANTONIO DELRIO, V. N.

GRATÆ litteræ tuæ, mi Delri, & aurum contrà non caræ: indices valetudinis tuæ, indices amoris, indices rei lætæ. Nam & de valetudine pendebam animi, in calentibus Hispaniæ locis: & de amore, in tam longo silentio tuo. At illud de Seneca, quàm lætum! qui mediusfidius sic faueo gloriæ tuæ, quasi si mea ageretur. Solinum tuum peregrè reuersus vidi, legi, probaui. Reperiebam hæc analecta, paruæ rei. *Pauca emendata in Solino.*

Cap. XXIII. De Succino.

Pretium operæ est id scire, ne longius Padaneæ siluæ credantur lapidem fleuisse. I.

Placet scribi, *Padanæ siluæ.* Tangit fabulam, qua creditum illo credulo sæculo, Phaëtontem Solis, in Eridanum præcipitasse, nunc Padum vocamus: & sorores eius vbertim lacrimantes ad ripam Padi mutasse in populos. & ex illis lacrimis succinum esse. Vocat igitur Padanas siluas, poëtarum more, arbores Padanas. Ibidem.

Succum esse arboris de nominis qualitate capessas: pinum verò vnde sit genitum, si vsseris, odor indicabit. II.

Optimus ille, quo à me vsus es, liber, *vnde sit gignitum.* nec spernit Solinus istos Archaismos.

Cap. XXV.

Qui illic habitant principio veris inter pecudes pabulis viuunt, deinde latte. in hieme conferunt arborum fructus. III.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Liber idem, *in hiemem compergunt arborum fructus.* scribo, *compercunt.* cetera recte.

Cap. XXIX. De Vrsis.

XV. *Has lambendo sensim figurant, & interdum ad pectora fouent; vt adsiduo incubatu calefactæ animalem trahant spiritum.*

Vetus lectio, *adpectoratas fouent.* nihil verius. glossæ priscæ: *Adpectora,* Παραβαλλε, θώρηξον. Dictum autem, vt Expectorare, quæ vox restituenda in Pacuuij versu apud Nonium, Consternari.

It m Pacuuij versus.

Consternatæ animæ, ex pectore hac & voluere
Consilium subit omnes quod de nata est modo.

Lego, *Consternatæ animo, expectoratæ hæc voluere.* sequentem versum non explico. nisi placet,

Consilium subiit omnes, quod natum est modò.

EPIST. XXII.

I. LIPSIVS STEPHANO PIGHIO.

ACCIPE fabulam, & para assem, inquit ille: imò historiam, non fabulam. Eram here in conuiuio apud Archiepiscopum Istrigonienſem, Byzantinum exlegatum. Narrabat de Solimanno, quod à Fide ipsa dictum vix habeat fidem. Quattuor, inquit, Solimanno liberi erant. natu maximus, cui Mustafa nomen, bellum gerebat cum Persis. & victoria insigni potitus redibat adolescens ad patrem, alacer & spei plenus. Byzantini cum multo honore venientem excipiunt. & ciuium studia Prætoriæ cohortes, Ianizaros vocant, æquabant. Vndique faustæ voces: & in mente erat illud:

Solimanni in prolem immanitas.

Μακάριος ὅσις αὐτὸς ἰσχύων ἔτι
Παῖδας παρασπίζοντας ἀλκίμους ἔχει.

In communi gaudio solus pater offendit. factum id minuendæ maiestatis accipit. filium vocat. in remotis cubiculi strangulari iubet. & subinde cadauer in oculis exercitus abiici cum hoc superdicto præconis, Vnus in cælis Deus, vnus in terris Imp. Solimannus. Inhorruisti? specta etiam, nondum finis. Fortè in omnium attonito stupore, fuit vt non vinceret animum frater iunior, & spectante patre fraternæ morti illacrumauit. infelix pietas biduo pòst veneno pœnas dedit. Tertius metu confugerat ad Persas. per legatos dedi iussus, & palàm securi percussus. Solus hic Zelimus restabat, quem nuper ad Echinadas nauali prœlio vicimus: & ille homo esse desierat, nisi hominem exuisset. Horrenda ista. in gente tamen Othomannica non noua cui hoc fatale responsum datum puto,

Καὶ πᾶς σὸς οἶκος βήσεται δι' αἵματος.

Addubitatum in Liuij loco.

Iuua me, sodes, in hoc Liuij loco. Lib. XXV. in oratione militum Cannensium ad Marcellum.

Consulem te M. Marcelle, in Italia adiissemus, cùm primum de nobis triste SC. factum est: nisi hoc speraſſemus in prouinciam nos morte regum turbatam, ad graue bellum aduersus Siculos simul Pœnosq; mitti: & sanguine nostro vulneribusque magistratibus satisfacturos esse. sicut patrum memoria, qui

qui capti à Pyrrho ad Heracleam erant, aduersus Pyrrhum ipsum pugnantes satisfecerunt.

Alia vetus lectio, *magistratibus nostris Senatui satisfacturos,* vocibus duabus additis. Me quidem offendit illa Magistratuum vox, quasi soli illi in Senatu qui magistratum gererent, aut solis illis satisfaciendum. Posset legi, *magistratibus nostris & Senatui.* Sed odorari videor nescio quid deprauationis maioris, & subuereor ne Liuius tale quid scripserit, *sanguine nostro vulneribúsque magis quàm precibus nostris Senatui satisfact. esse.* Sed consulo te, non ipse adfirmo.

EPIST. XXIII.

I. LIPSIVS LVD. CARRIONI.

HEM, mi Carrio: quàm pænè tibi fuit in Sequanis Lpisius tuus?

Quàm pænè furiæ regna Proserpinæ
Et iudicantem vidimus AEacum!

Vide quid simus homulli, quid speremus. Fuerâ vespere hilariusculè in cœna Giselini nostri, qui medici titulo auxerat. oratiunculam in eiusdem honore recitaueram, & placueram. Noctu eâdem horror me occupauit. mox sudor, mox febris. & quàm pænè ipsa mors? Tango oculos istos, frater: hilum non abfuit à nigra illa diua. Viuo tamen, & tu Soteria debes amico. Imò & libros audeo iam tangere: & in Seneca enotabam ista.

Epist. CXV. De mollitie Mœcenatis. *Seneca emendatus.* I.

Hunc esse qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, vt pallio velaretur caput, exclusis vtrimque auribus nō aliter quàm in nummo diuites fugitiui solent.

Vide & ride errorem. Scripserat Seneca, *in mimo fugitiui solent.* At ij qui, *nummo,* legebant, vocem, *diuites,* addiderunt. acutè. nummi enim certè diuitibus conueniunt. Nisi tamen placet, *in mimo, diuitis fugitiui.* In Comœdiis autem & mimis seruuli fugitiui coniecto in humeros pallio & capite velato exprimebantur. eiusque rei exempla in Plauto. Item & delicati, quos tangit Comicus Curculione, *Tumisti Græci palliati capite operto qui ambulant.* Id faciebant, credo, vitandi solis: cùm pilei vsus iis non esset.

Epist. CXX. II.

Inter reliqua hoc nobis præstitit natura præcipuum quod necessitas fastidium excussit. Recipiunt superuacua dilectum: hoc parum decēs, illud parum laudatum, oculos hoc meos lædit.

Scribo, *Illud parum lautum.* notatus in Tacito à me similis error.

Epist. LXXVIII. III.

Quid est aliud quod tibi eripi doleas? Amicos & patriam? Tanti enim illam putas vt tardius cœnes solémque si posses exstingueres?

Concinnanda sententia est, *vt tardius cœnes? solem quoque, si posses, exstingueres.* Clarum.

Epist. LXXXIII. IV.

Licet enim, Lucili virorum optime, ridere ineptias Græcorum, quas nondum quamuis mirer excussi.

Qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quî conuenit vt miretur, quod irridet? Lego, *quamuis iners.*

Epist. vlt.

v. *Tunc beatum te iudica, cùm tibi ex te gaudium omne nascetur: cùm in his quæ homines eripiunt, optant, custodiunt, &c.*

Legerim, *homines cupiunt, optant.*

EPIST. XXIV.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

VERE existimas: intermitto studia doctrinæ, & hoc otium vt relaxem animum vsurpaui, non vt intendam. Est in oculis amicus ille noster, qui dum vrget studia & instat sibi: nuper vitam, & pridem vitæ vsum amiserat. Audebo dicere. di deæque omnes Musas, si repertæ ex sunt cruciandis animis, & non oblectandis. Ego ita sum. mihi studia, non me studiis submitto. Quòd quidam indignantur illud dictum à me, de N. ἀγροικός εἰμι, τὴν σκάφην, σκάφην λέγω: & animum non solùm in fronte, sed etiam in lingua gero. Scio non esse hoc ex disciplina Etruriæ: sed nos Belgæ sumus. Panegyricos illos ætatis inferioris valde probari tibi cupio. multa in iis bonæ notæ. Locum illum è Paneg. qui Constantino dictus,

Mendum in Panegyrico ad Cõstantinum.

i. *Quid oro sibi voluit? quid optauit? aut quid amplius adipisceretur his, quæ à te fuerat consecutus? Cui tu summa & diuersissima bona, priuatum otium & regias opes dederas: cui digredienti ad annulos sederas: cui impensius etiam quàm tibi occurrere obsequia nostra mandaueras.*

Non explico. doce tu me quid sit, *sedere alicui ad annulos.* Quid si legas, *ad mulos?* Non dissimilis mos temporum nostrorum dynastis, vt honoris deferendi caussa, cùm alter essedo vehatur, ipse curulibus equis sedeat aut mulis. Suetonius in Aug. cap. LXIV. *Neque iter fecit vmquam, nisi vt nepotes vehiculo anteirent, aut circa adequitarent.* Sed loquor nugas. Hoc melius de Plauti versu, *O lepidum senem!* rectè iudicasse me olim reponendum, *Senicem.* Repperi eam vocem ita inflexam apud Appuleium lib. VI. loco leuiter corrupto. Loquitur de Charonte,

Plauti olim correctio confirmata. Appuleius correctus.

II. *Huic squalido semini dabis nauli nomine de stipibus quas feret, alteram: sic tamen vt ipse sua manu de tuo sumat ore.*

Ita lectio editionum veterum est. Reposuerunt, *squalido seni.* alterutrum verum adfirmo, *Semoni:* vel, *Senici.* imò hoc postremum. Adtexam è Mamertini, ad Iulianum,

Plura alia in Mamertini Paneg.

Pag. 176.

III. *Et cùm sancti principis merces atque instituta falsarum opinionum vituperationum licentiam submouerent.*

In Viennensi libro deest, *opinionum.* rectè. Lego etiam, *mores atque instituta,* suadente sententia.

Pag. 177.

XV. *Scilicet & candorem æquitatis potuit obumbrare, & à temperantia purpuram sancti ruboris abolere, vicem fortitudinis indignis confodere vulneribus, eruere oculos prouidentiæ.*

Doctissi-

Doctissimus Pythœus, *vitem fortitudinis,* legit, adlusione ad vitem Centurionatus. Ipse truncam vocem puto, &, *ceruicem fortitudinis,* scrib. Dixit enim antea, *nisi fortè existimamus patientes vulnerum formas esse virtutum:* huc adnectit de ceruice fortitudinis, & oculis prudentiæ. Cur autem ita? quia in ceruice vis ferendi, & neruorum conuentus. Apuleius ita planissimè, De Philosophia: *Inde est quòd Fortitudinem neruos animi, ipsásque ceruices ait Plato.*

Ibidem.

Mitto cunctam Barbariam aduersus vindicem Romanæ libertatis in arma V. *commotam, gentésque recensitas & aduersus iugum nuper impositum contumaces, irrediuiuo furore, nefandis stimulis excitatas.*

Lego, *gentésque recens victas:* &, *in rediuiuum furorem.*

Pag. 181.

Inde nihil necessariæ substructionum in ædibus moles ingentes, auxiliorum VI. *cateruas, legionum sumptus facilè vincebant: quinetiam prandiorum & cœnarum magnitudines R. P. sanciebat.*

Viennensis liber, *aulicorum caterua, legionum:* statim, *r. p. sentiebat.*

Pag. 186.

Perfertur nuncius Consulem me creatum, sine impendio, quod iamdiu pau- VII. *cis, sine labore, quod nunquàm, sine petitione, quod nemini.*

Postulat crescentis orationis gradatio, *quod nonnunquàm.*

Pag. 189.

Vnde factum est, vt maiores nostri viderint Gabinios designatos, & repul- IIX. *sos Catones.*

Puto, *Vatinios.*

Pag. 190.

Ita seruiendi miseranda patientia, assentandi mira calliditas. ministrorum IX. *aulæ cotidie limina terebantur: ad fores eorum qui regiis cupiditatibus seruiebant, ternos patriciæ gentis viros cerneres ab huiusmodi dedecore non imbri, non gelu, non amaritudine ipsius iniuriæ deterreri.*

Ait, *ternos patriciæ gentis:* quid? soli tres adulatores patricij? Scrib. *seruos patriciæ g.* aut potius, *cernuos.* & id verum arbitror. nam sequitur, *demissi tacentésque vix capita supra eorum quos precabantur genua tollebant.* explicat igitur adulatorium & submissum gestũ cernuantium. Tertullianus hoc ostendit in honore habendo vsurpatum, De Pœnitentia: *Sed enim illi qui ambitu obeunt capessendi magistratus, quas non ignobilitates vestium adfectant? quæ non atria crudis & nocturnis salutationibus occupant? ad omnem occursum maioris personæ decrescentes.* Et Ammianus libro XXVIII. *salutasse Romanos humum pœnè contingentibus membris* describit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX EPISTOLARVM
LIBRI IIII.

I. BENEDICTO ARIAE MONTANO, V. C.
II. IOANNI SAMBVCO, V. C.
III. FRANCISCO RAPHELENGIO.
IV. ABRAHAMO ORTELIO.
V. STEPHANO PIGHIO.
VI. NICOLAO BRYARDO, V. N.
VII. IOANNI LIVINEIO.
IIX. VICTORI GISELINO.
IX. NICOLAO FLORENTIO.
X. IOSEPHO SCALIGERO, IVLI F.
XI. PAVLO MANVTIO.
XII. IANO LERNVTIO.
XIII. FRANCISCO PYTHOEO.
XIV. GVIDONI LAVRINO, V. N.
XV. M. ANT. MVRETO.
XVI. MAXIMILIANO A BORSSELE, V. N.
XVII. VICTORI GISELINO.
XIIX. GERARDO FALKENBVRGIO.
XIX. OBERTO GIFFANIO.
XX. VICTORI GISELINO.
XXI. IOANNI SCEYFIO.
XXII. ANDREAE SCHOTTO.
XXIII. VICTORI GISELINO.
XXIV. THEODORO CANTERO.
XXV. IANO DOVZAE.
XXVI. IOANNI VVAMESIO.
XXVII. PETRO DIVAEO.

IVSTI LIPSI
EPISTOLICARVM QVÆSTIONVM
LIBER QVARTVS.

EPISTOLA I.

I. LIPSIVS BENEDICTO ARIAE MONTANO, V. C.

QVÆ singula mirari in homine solemus, Benedicte Aria: ea consecutum te possum dicere vniuersa. Quid sanctius Theologiæ studio? at tu inter principes Theologos iure censeris. quid in ipso Theologo rarius, quàm peregrinarum linguarum scientia? at tu non dicam bene Græcè calles aut Latinè, sed Hebræi te, Syri, Chaldæi, Arabes, si sermonis res sit, suum ciuem possint agnoscere. Iam vt in hæc grauiora studia Poësis aut amœniores litteræ cadant, nouum est, ne dicam inauditum. Tu non solùm poëtas veteres legere audes, sed etiam in versu exprimere. quàm feliciter, docent sacra carmina tua: quorum non magis pietate capimur, quàm venustate. Itaque non refugi ad te virum grauissimum ista leuia mittere. Liuianas, inquam, aliquot notas. bona spe, qui sic amas Poëtas, fore vt non contemnas Historicos.

Nota ad Liuium.

Lib. XXIIII.

1. *Nequaquam cùm tantis copiis antè tenuerat ad Pachynum classem: sed postquam ab Hippocrate occupatæ Syracusæ erant, profectus Carthaginem, accitúsque ibi & ab legatis Hippocratis & litteris Annibalis, qui venisse tempus aiebant Siciliæ per summum decus repetendæ, & ipse haud vanus præsens monitor facere perpulerat, vt quantæ maximæ possent copiæ in Siciliam traicerentur.*

Hæc lectio manifestò βαρβαρίζει. quid enim est, *accitúsque ibi?* Nec Sigonius quidem aut sententiam aut emendationem vidit. Libri vett. *aditúsque ibi.* præsto verum esse, *adiutúsque ibi.* & à leui emendatione reddita Liuio sua sententia est. Himilco Carthaginem venerat ad augendas copias. duo eum non leuiter iuuerunt, & Legati Hippocratis auxilia petentes retinendis Syracusis; & litteræ Annibalis, qui monebat incumberent totis viribus ad Siciliam reciperandam. Statim.

II. *Quod vbi AEnnensium principes iam pacti cum Hemilcone de proditione præsidij, animaduerterunt nulli occasioni fraudis Romanum patere, apertè ac propalam placuerat agendum. Vrbem arcémque suæ potestatis aiunt esse debere, &c.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ea verba, *apertè ac propalam*, absunt à meo libro, nec Vallæ ætate in Liuio legebantur. & hercle inculcata sunt explendæ sententiæ. At scire debebant mendam in voce, *placuerat*, hærere, leg. que, *Ro. patere, palàm erat agendum.* quas duas voces scilicet coaluisse.

Infrà.

III. *Contra ea Consulis pater Fabius temporum oblitos homines in medio ardore belli tamquam in pace libera de quoque arbitrari & agere aiebat.*

Manss. *libera de quoque arbitrij agere.* & indubitanter Liuiana lectio est, *libera d. q. arbitria agere.* At locus proximis prioribus lineis,

IV. *Tum posteaquam res Romana contra spem votáque eius velut resurgeret, turpius videatur nouam referre proditionem, vt proditio pro septemuirali iudicio esset, sempérque aliud sentiret, infidus socius.*

nulla ope à me iuuari potuit. ponam mei libri scripturam veterem, *vt proditis pelli v.m.uirali indictione & semper aliunde sentiat, infidus*, & hæc interpretari decem Sibullas iubebo.

EPIST. II.

I. LIPSIVS IOANNI SAMBVCO, V. C.

ET munus Cæsaris rectè curatum est: & anulus tuus cum effigie Augusti, Vtrumq. gratum: alterum etiam inexspectatum. Nam, vt olim non insciti Passienus, à Cæsare beneficium fortasse exspectabam: à te satis erat iudicium. Quod idem in his Agellij locis adhibere te volo.

Quadrigarius apud Agellium emendatus.

Lib. IX. cap. XIII. De pugna Manlij Torquati

I. *Sed quis hostis, & quod genus, & quam formidandæ vastitatis, & quantum insolens prouocator, & cuiusmodi fuerit pugna decertatum.*

Membranæ Victoris Giselini, *& cuimodi pugna*, & antè, *sed quid hostis.* verissimè.

II. *Is maximè prælio commoto, atque vtrisque summo studio pugnantibus, manu significare cœpit, vtrique vt quiescerent pugnare. Pugnæ facta pausa est.*

Ibi scribitur, *atque vtris summo.* Dium fidium appello, eam germanam Quadrigarij scripturam esse. Antiqui enim Plerus, plera, plerum, Vter, vtrum, Alterutrum, hæc talia sine copula efferebant. Pacuuius, *Plera pars pessundatur.* Suetonij etiam illud in opt. codice ita scriptum, Tiberij cap. penult. *Conclamantibus pleris Atellam potius deferendum*, non vt obtinuit, *pleriſque.*

Apud Liuium lib. XXVI.

Liuium ità.

Ita æquatæ res ad Tarentum. Romanis victoribus terra, Tarentinis mari. Frumenti spes quæ in oculis fuerat, vtrosque pariter frustrata est.

in vet. cod. reperio, *vtros pariter.* & melius de Liuio sentio, quàm vt id mutem. Sed ad Quadrigarium:

Extemplo silentio facto cum voce magna inclamat.

Scidæ, *cum voce maxima conclamat.*

III. *Deinde Gallus irridere cœpit atque linguam exertare.*

Næ audax nebulo, qui priscam lectionem immutauit. Ea est, *atque lingua exerrare.* & sic etiam Buslidianus codex. Exerrare lingua, nimium apte & signatè,

signatè, linguam extra os proiectam per irrisum reciprocare. Verbum id Statius quoque vsus VI. Thebaid.

Plectitur in gyros dextérque exerrat Arion.

A Giselini membranis abest etiam *rò*, *cœpit.* rectè.

IV. *Manlius iterum scuto scutũ percutit, atq. de loco certo hominẽ iterum deiicit.*

Vet. *iterum proiecit.* & omittit vocem, *certo.* quæ certè inserta est.

V. *Eo pacto ei sub Gallicum gladium succesſit, atque Hiſpanico pectus hausit: dein continuò humerum dextrum eodem concussu incidit, neque recessit vsquam donec subuertit: ne Gallus impetum ictu haberet.*

Illic est, *eodem concessu:* & probant sequentia. id valet, eodem impetu, eadem aggressione. Quod autem in Buslidiano est, *impetum istius haberet*, malè est. nisi fortè Quadrigarius scripsit, *impetum ictuis*, antiquè, vt Senatuis, Anuis. Stant tamen à vulgata optimæ scidæ.

VI. *Vbi eum euertit, caput præcidit.*

Membranæ, *caput præcedit.* & scio veteres ita scrisisse. vnde & Concædes siluæ.

EPIST. III.

I. LIPSIVS FRANCISCO RAPHELENGIO.

O EVANGELIA tua de Dionysij. Polybij, Dionis Fragmentis in Sicilia repertis! certa res sit modò, nec, vt in Liuio, vt in libris Ciceronis de Rep. fallamur. Sed audiui etiam qui diceret Antonio Augustino tradita illa in manus esse. Credamus igitur, & gaudeamus. de Dionysio & Polybio in primis: quibus nihil potest in historia verius, prudentius. Nam de Dione aliud est. quem legẽdum cum iudicio aio, nec fidei eius vsquequaque fidendum. Sæpe adulatur, sæpe alucinatur. vtrumque ideo, quia Græcus, & ingenij minimè constantis. Quædam audacius in moribus externis, quædam vanius adfirmat. Dubito ne tale sit, quod legebam hodie lib. LVI. vbi ait post mortem Augusti factum decretum, ne imago eius in funere vllo ferretur. & hoc ideo, quia in diuos relatus esset. Mirabar. Primum quia ea super re nemo alius nos admonebat, ne Tacitus quidem, qui eiusmodi sententias adulatione eximias libenter persequitur. Deinde quid de Aenea, quid de Romulo Dion responderet, & ipsis relatis in deos? quorum tamen imagines ornandæ funebri pompæ adhiberi solitas Tacitus ait Annali IV. *Funus imaginum pompa maximè illustre fuit, cùm origo Iuliæ gentis Aeneas, omnesq; Albanorum reges, & conditor vrbis Romulus longo ordine spectarentur.* Sed quia de Imaginibus videne hic Taciti locus Annal. III. emendationis indigeat,

Dionis adsueratio dubia.

Tacitus emendatus.

Circumfusas lecto Claudiorum Iuliorumq; imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris.

Loquitur de Drusi funere, Germanici patris, qui in Germania periit. Sed cur Iuliorum imagines in funere eius prælatas dicat, quærendum. Scimus paternæ maternęq; gentis adhiberi consuesse. at in Iuliam gentem Drusus iste numquam insertus. Aliud de Germanico, aut Tiberio, aut Druso altero, quos adoptio Iulios fecit. Itaq; cùm Drusus patrẽ è Claudiis, matrem è Liuiis habuerit, dico in Tacito emend. *Claudiorum Liuiorúmque*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum que. Cui enim probetur externas imagines quæsitas, omissas domesticas, in quibus multi illustres, & in primis ille Liuius Salinator esset? De hisdem imaginibus corrigo Ouidij versum v 1. Fastorum,

Et Ouidius. *Vidimus ornatos, erata per atria, picta*
Veste triumphales occubuisse senes;

Legoque, *cerata per atria.* Nota res,

— *veteres exornant vndique ceræ*
Atria.

Loquitur Ouidius de patriciis, qui capta à Gallis vrbe inter titulos & imagines maiorum cæsi.

EPIST. IV.

I. LIPSIVS ABRAHAMO ORTELIO.

THEATRVM tuum, Orteli, vidi. & vis me verum dicere? nescio an à multis annis cuiusquam labor vtilior fuerit in vulgus. Abeant illæ infinitæ tabulæ, chartæ. vnus liber regna, prouincias, vrbes, imò orbem terræ nobis tuo beneficio dedit. Auge tu, quæso, hanc munificentiam: &, quod concepisse te aiunt, apta istæc ad historiam veterem: & oblita vrbium, fluuiorumque nomina, pariter vt recentia nos doce.

Quod si procedet, neque te neque quemquam arbitror
Tuæ pœniturum laudis.

vt obiter concinnem versus Attij. Præter alios scriptores, vnicè iuueris Liuium: in quo, Hispaniæ præsertim, multa ignota opida. Si otium est, vide hæc pauca.

Locorum aliquot nomina reddita Liuio.

Lib. XXVIII.

Martius superato Bæti amni, quem incolæ Cirtium appellant.

I. Malè, Cirtium: & in manuss. Liuio reperio, *Certim.* quod propè abest à scriptura Stephani, Βαῖτις ποταμὸς κατ' Ἰβερίων. ὃς Πέρκης λέγεται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. & arbitror in Stephano scrib. Κέρτης.

II. *Mago cùm Gades repetisset, exclusus inde ad Cimbim, haud procul Gadibus is locus abest, classe appulsa.*

Cimbis ignotum sane nomen. liber meus, *ad Ambros.* de quo considerare te volo.

Lib. XXVII.

III. *Itaque in Apuliam ex Brutiis reditum, & inter Venusiam Brutiámque, minus trium millium passuum interuallo Consules binis castris considerant.*

Bene ex Plutarcho emendauerat Sigonius, *inter Venusiam Bantiámque.* & ita disertè manuss. Plinius Bantinos collocat in Lucanis.

Paullò superius.

IV. *Capuæ duas ædes Fortunæ & Martis, & sepulcra aliquot de cælo tacta: cum iis (adeò etiam minimis rebus praua religio inserit deos) mures in æde Iouis aurum rosisse.*

reponendum opidi nomen censeo, *Cumis (adeò, &c.)* vt Cumis mures roserint aurũ. Sic enim Liuius solet, prodigia accuratè locis distinguere.

EPIST.

EPIST. V.

I. LIPSIVS STEPHANO PIGHIO.

MI Pighi. quàm sæpe mihi est in mente iucundissimus Viennæ conuictus noster! quotiens, vt Varro loquitur, & sermones tuos ruminor & humanitatem? O mœnia, ô ripæ, ô siluæ! quando, aut quis mihi deus similem vitam? Equidem & cœnulas illas nostras commemini, quas agitare ad vrbem festiuè solemus. quarum condimẽtum non squilla, aut acipensere decumano constabat, sed, vt idem poëta ait,

— bene cocto
Condito, sermone bono.

Quarum voluptatum omnium quia nobis iam
Distractio, discidium, vastities venit:

age, quod vnum reliquum est, frequentemus litteras, & desiderium absentiæ his alloquiis leniamus. De profectione vestra in Italiam pendebam animi.

Μὴ δή μοι τελέσωσι θεοὶ κακὰ κήδεα θυμῷ.

Ego in Issæanum meum me abdideram, cupidine quietis. quam sæpe interpellant milites, tam grati hospites mihi, quàm nobis solent Cornicula ille & Nigrinus. In Iulio Capitolino hæc vide.

Ad Iulium Capitolinũ note.

In vita Gordiani.

I. *Adolescens cùm esset Gordianus, de quo sermo est, poëmata scripsit, quæ omnia exstant, & cuncta illa quæ Cicero ex Demetrio & Arato & Alcyonas & Vxorium, & Nilum. quæ quidem ad hoc scripsit vt Ciceronis poëmata nimis antiqua viderentur.*

Quis Demetrius iste poëta, ignoro. & aliter, non agebatur hic de iis quos Cicero imitatus sit, sed opera eius nominabantur, quæ æmulatus Gordianus. Aldina prisca editione erat, *& Aratum.* Dico leg. *cuncta illa quæ Cicero ex diametro, & Aratum & Alc.* Gordianus, inquit, ex professo & studio contendendi scripsit eadem omnia Ciceroni, Aratum, Alcyonas, &c. Posset & legi, *eodem metro.*

In M. Antonino.

II. *Profecti tamen sunt paludati ambo Imperatores, Parthis & Marcomannis cuncta turbantibus, aliis etiam gentibus, quæ pulsæ à superioribus barbaris fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus.*

De Germanis agitur. quid ad Parthos? Scribendum, *Catthis,* aut, *Quadis.* nisi fortè, *apertè Marcomannis cuncta.*

III. *Verùm Cæsarem exsecto sub aure tubere septennem amisit, quem non plus quinque diebus luxit. Consolatusq; etiam medicos, actibus publicis reddidit.*

Quid hoc? vt Imperator consolari medicos debuerit? nugæ. Scribo, *Consulteúsque, etiam medios actibus p. reddidit.* Ait, Super aliquo negotio aditus, interrupit illosipsos quinque dies, & res publicas egit. Simile quod de P. Manlio Torquato in Liuij Epitoma scriptum: *eum funeri filij non interfuisse, & se consulentibus aditum patêre iussisse.* Seneca de C. Cæsare, *Tamen intra diem tertium (quàm filia functa esset) imperatoria obiit munia, & tam citò dolorem vicit quàm omnia solebat.*

EPIST.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. VI.

I. LIPSIVS NICOLAO BRYARDO, V. N.

Quæsitum super Plauti falsa rei versu.

EXPLICA nobilissime Bryarde in hoc Plauti versu æstum meum. Mænechmis,

Nam nisi me animus fallit, hi sunt gemini germani duo.
Nam & patrem & matrem commemorant pariter qui fuerint sibi.

Pronuntiat hæc Messenio seruus, & an mentiatur nescio, dicit certè mendacium. Nam quod ait patrem & matrem commemorasse eos: de patre, verum: de matre, fallit. Multis pòst versibus demum mater quæritur & nominatur, *Quod erat nomen nostræ matri?* ME. *Theusimarce.* Antea de matre nullum verbũ. Peccauit Plautus, an seruus, an potius scriptor? Et vix est vt non emendandum sit, *Nam & patriam & patrem.* quod persuadet series rei gestæ. Pater nominatus erat, *me esse dico Moscho prognatum patre:* patria autem, *Siculus sum Syracusanus.* & quod emendationem planè firmat, repetit statim seruus idem,

— Neque lacte lacti, crede mihi, vsquam similius
Quàm hic tui est. postea autem eandem patriam ac patrem
Memorat. ——

EPIST. VII.

I. LIPSIVS IOANNI LIVINEIO.

In Liuio quædam.

DISCESSISSE te à nobis, mi Liuineie, & dolui & sum gauisus. Dolui, quia priuabar amico, & quasi compare studiorum: gauisus sum quia ad C. V. ibas auunculum tuum. apud quem mansio tua, abesse non potest, quin & ex re tua sit, & ex dignitate. In Liuio hæc obseruabam.

Lib. XXIV.

I. *Index vnus ex coniuratis Theodorum à quo ipse appellatus erat nominare potuit.*

Liber scriptus quem vidisti apud me. *vnum ex.* & sic leg. erat etiam contra libros. In oratione Q. Fabij.

II. *Sed cùm in hoc bello, cum hoste, numquam ab vllo duce sine ingenti nostra clade erratum sit.*

Ibidem est, *in hoc bello, in hoc hoste,* melius certè.

III. *Quin Romæ quoque in ipsa vrbe secundum apum examen in foro visum. quod mirabile est quia rarum affirmãtes quidam legiones se armatas in Ianiculo videre, concitauerunt ciuitatem ad arma. qui cùm in Ianiculum iuissent, negarunt quemquam ibi præter assuetos collis eius cultores apparuisse.*

Defectus in eodem.

Siquis alius, fœdatus locus. Primum quid est, *secundum apum examen?* an prosperum, an secundò visum? Logi. ego arbitror abesse loci nomen, & stellam ponendam, donec iuuent libri, sic, *in ipsa vrbe secundum* apum examen.* Scripsit enim, *secundum Curiam, Rostra,* aut quid tale. nisi tamen fuit in archetypo, *in ipsa vrbe* II. *apum exa.* ex quo perperam *secũdum* isti; ego fecerim *bis.* Iam quàm aptè illa iuncta videntur, *quod mirabile est quia rarum affirmantes?* At tu crede meæ fidei, quinque illa verba purũ putum glossema esse: & cùm Liuius inter prodigia recensuisset examen apum in foro, nescio quis Siculus Momar ad oram adnotauit, Quod mirabile est quia rarum. Lege igitur, *in foro visum. Affirmantes quidam, &c.* Illa etiam, *qui cùm in Ianiculum iuissent,* corrupta sunt, ex fide mei libri scribenda, *qui tum in Ianiculo essent.*

EPIST. IIX.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

VIDI furtim Satyras illius suauissimi amici nostri, scissne? & peream si quidquam vidi venustius aut eruditius. In singulis paginis, imò versibus notæ elucent reconditæ & vetustæ doctrinæ. Quæ autem vbique vrbanitas? qui sales? & quidem plerique à Plauto: quem ille poëtam in alio genere carminis imitatur diuinitus. O dolorem nostrum, siquid illo sequius! Nam tempora vides & ancipites casus. Sed quod ad me: est quidam, vt audio, qui me in Præfatione quapiam meditatur venustè tangere. quid facturus sit, nescio: hoc scio, siquid mouebit,

Ego rusticatim tangam, vrbanatim nescio.

vt ait poëta vetus. Sed hem! de illo ex gẽte Tiberij Cæsaris, quàm præter opinionem accidit! quàm immerito meo! Di bene, quòd tu, quòd Lernutius viuatis, illarum rerum conscij & testes. Quanquam ad illius minas possum dicere, Vapula Papiria. rectè Homericus Agamemnon,

ὑ γὰρ ἐπὶ ψεύδεσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ' ἀρωγός.

Attij versus istos apud Nonium facio iudicij tui. *Attius poëta variis locis correctus.*

In Peruico.

I. *Attius Armorum iudicio. Sed peruico Aiax animo atque morabilioni.*

Lego, *Sed p. A. a. atque inorabili.* Trimeter est, dixitque Attius inorabilem, qui exorari non possit. Illud, *Ioni,* inserendum est sequenti versu Plautino.

In Liquidum.

II. *Attius Stasiast. Cùm subidæ delio de lore hoc animo corpus liquerit.*

Corrigo, *Cùm subit Edilj, dolore hic animos corpus liquerit.* Verba amatoris sunt, & Edilium, siue Hedylium persona mulierculæ comicæ etiam apud Plautum Pseudolo. Animos, pro, animus antiquè.

In Mertaret.

III. *Attius Antenorid. Fortasse an sit quod hic non mertet metus?*

Scribo, *Fortassean sit q. hic nos mertet m.* & notãdum hic illud Fortassean, quod Agellius, Appuleius aliique vsurpant. *Fortassean, vox vetus.*

In Sanctitudo.

IV. *Attius Phœnissis: Delubra cæli tu maris sanctitudine.*

Fortasse fuit, *Delubra cælitum, aræ sanctitudines.* oratio cuiuspiam precantis & aram tenentis.

In Vulgus.

V. *Attius Euryface: Diffidam amantem cidere turbet vulgum ambigua, Attius. Euitat mœros disiicit.*

Portenta, non verba. Lego, *Diffugiam, an mantem, nequid ea re turbem vulgum, ambigua.* Sequenti exemplo vox abest, aliàs hilum non facit ad rem Nonij. Exple sic, *Attius: Vulgum euitat, mœros disiicit.* De vrbis cuiuspiam euersione agebat, & Euitare pro vitam tollere posuit.

In Anima.

VI. *Att. Menalippa: Egóne auxilio motus, temerè vt hosti me animato offerã?* Diuinabam, *auxilio nudus.*

In Confidentia.

VII. *Attius Myrmidonibus: Iram infrenis obstes, animis reprimas confidentiam.* Lego, *Irai infreni si obstes, animi repr.* Non malè etiam, *Iram infrenes, obstes animis.*

In Dignatus.

VIII. *Attius Atreo: Quò me ostendam? quod templum adeam? quo more funesto colloquar?*

Scrib. *Quoi me ostendam?* &, *quem ore funesto coll.*

In Opinio.

IX. *Attius Euryface: Opinione factum est, quanto minus stirpem educabant, tanto vereremur magis eos esse.*

Emend. *stirpem edictabant.* Ipsi versus in trimetros allegendi,

Opinione factum est quanto minus
Stirpem edictabant, tanto vt reremur magis
Eos esse. Litteram M, non elidendum.

EPIST. IX.

I. LIPSIVS NICOLAO FLORENTIO.

ITALIA te adhuc tenet, Florenti, &, vt hæ turbæ fluunt, ætatem tenebit. Qui enim tranquillis rebus redire spreuisti, dulcedine captus soli illius & cæli: quid te nunc putem in his Belgicæ ruinis? Quæ quidem in perpetuum amisisse illam simplicitatem videtur, cuius nomen Iuuenalis non audet dicere. Ego plurimùm sum in villa & hortis

Μέτρα μὲν γνώμα δ' ἰώκων,
Μέτρα δὲ καὶ κατέχων.

Historia me & antiquitas capit: in qua explicanda sæpe opus est iudicium tuum. His diebus legebam Dionis Epitomen à Xiphilino.

De sententia Xiphilini quæstiũ.

In vita Commodi narrat.

Στρυθόν δε ἀποκτείνας καὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῦ ἀποτεμὼν, προσῆλθεν ἔνθα ἐκαθήμεθα, τῇ τε ἀριστερᾷ χειρὶ ἐκείνην, καὶ τῇ δεξιᾷ τὸ ξίφος ἡματωμένον ἀνατείνας. καὶ εἶπε μὲν ὰδὲν, τὴν δὲ κεφαλὴν τὴν ἑαυτῦ σεσηρὼς ἐκίνησεν ἐνδεικνύμενος ὅτι καὶ ἡμᾶς τὸ αὐτὸ τῦτο δράσει.

Ridiculum factum. & auget risum interpres, qui vertit, *abscisso capite passeris.* Struthiocameli, dicere debuisser. De gladiatoriis enim Commodi factis sermo est, & Struthiocamelos iam inde à Plauti tẽporibus solemne Romanis in Circo ad pugnam & spectaculum dare. Capitolinus de apparatu Circi, *Alces decem, Tauri Cibyratici centum, Struthiones Mauri miniati trecenti.* Herodianus de eodem Commodo, Λαβὼν ἔν ποτε βέλη, ὧν αἱ ἀκμαὶ ἦσαν μηνοειδεῖς, ταῖς Μαυρουσίαις στρυθοῖς ὀξύτατα φερομέναις καὶ ποδῶν τάχει ἢ κολπώσει πτερῶν, ἐπαφιεῖς τὰ βέλη κατ' ἄκρα τῦ τραχήλε ἐκαρατόμει, ὡς τῶν κεφαλῶν ἀφηρημέναι ὁρμῇ τῦ βέλους ἔτι περιθεῖν αὐτὰς ὡς μηδὲν παθόσας. Ex quibus facile est Plauti versum Persa interpretari.

Struthiones ad Circenses.

Plautus explicatus.

Vola curriculo. P. istuc marinus passer per Circum solet.

Passer

Passer marinus Struthiocamelus, quia trans mare aduectus. Græcis, Στρυθὸς διαπόντιος, Στρυθὸς μεγάλη, vt Luciano: & simpliciter Στρυθὸς, vt hîc Dioni. Puto & Latinis ἁπλῶς Passer dictus, vt inscriptione, quæ Neapoli,

AEDILITAT. LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT. ET. DIEM. FELICISS. III. ID. IAN. NATALIS. DEI. PATRI. N. VENATIONE. PASS. DENIS. BESTIS. ET. IIII. FERIS. DENT. ET. IIII. PARIBVS. FERRO. DIMICANTIB. CETEROQ. HONESTISS. APPARATV. LARGITER. EXHIBVIT.

Lapis antiq. interp.

Nam interpretor, VENATIONE PASSERIS. Iudicare te, Florenti, vne omnium peritissime harum rerum, volo.

EPIST. X.

I. LIPSIVS IOSEPHO SCALIGERO, IVLI F.

NON est antiquarius Liuius, fateor: sed nec omnia in eo protrita, & à fece vulgi. Vetustæ dictionis plura haud dubiè vestigia exstarent, absque correctorum audacia fuisset. qui peccare se putabant, nisi hoc peccatum in omnibus scriptoribus peccarent. Venio ad te Prætorem, Scaliger, in aliquantis verbis, quæ interdicto Vnde vi restituenda videntur, ex fide libri.

Antiquæ scripturæ aliquot in Liuio.

Lib. XXV. De militari tumultu Syracusis.

I. *Sedato tandem tumultu exsequentibus sciscitando mercenariis quæ acta cum Romanis essent, dilucere id quod erat, cœpit: aliam suam ac transfugarum caussam esse.*

Meus liber, *tumultu aquirentibus sciscitando.* Tu non dubitabis quin Liuius, *anquirentibus*, scripserit.

Libro XXIIII.

II. *Adiectum est Prætoribus ac delectis Senatorum etiam militare consilium. iussi & duces ordinum, præfectique auxiliorum simul consulere.*

Vetus, *simul consiliare.* eóque verbo Horatius & Tacitus vsi.

Lib. XXII.

III. *Ab eodem Prætore ex Senatusconsulto litteræ ad Consules missæ.*

Manss. *ex Senatusconsultu.* & eam scripturam alibi iterat. Sanè antiqui Iussum & Iussus, Consultum & Consultus dixerunt, taliaque. Plautus Trinummo,

Me absente atque insciente, inconsultu meo,
AEdes venales hasce inscribit litteris.

Lib. XXI. extremo.

IV. *Hæc procurata votáque magna ex parte leuarunt animum religione.*

Ibi est, *leuarunt animũ religionis.* Nec id mutim. Legi apud nescio quem veterum, *Leuare curarum:* apud Plautum, *Nec sermonis fallebar tamen:* apud Quadrigarium, *Quiescere pugnæ.* Cuius locus apud Agellium lib. IX. cap. XIII. diserte & expresse sic legitur in optimis Giselini scidis, *Manus signifi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

significare cœpit vtrique vt quiescerent pugnæ. Facta pausa est.

Lib. XXIII. De Consentia capta.

v. *Itaque vrbe defensoribus vacua facilè potiti sunt hostes.*

Antea in omnibus libris legebatur, *vrbe defensoribus vastata.* & ita meus codex. Vir doctus magnam mendam dixit esse in voce, *vastata*, & reposuit, *vacua*. Ego verebar ne Liuius scripsisset, *vasta*. quomodo propriè loca sola & deserta vocabant. Sallustius in Iugurthino, *Mons & ab natura, & ab humano cultu vastus.* Virgil.

Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.

Lib. XXII. De Veresacro.

VI. *Siquis clepsit, ne populo scelus esto, neue cui cleptum erit. siquis atro die faxit insciens, probè factum esto.*

Liber manss. *siquis altero die.* nec reiicio. Festus, *alter & pro non bono ponitur, vt in auguriis altera auis. sic alter nonnunquam pro aduerso dicitur & malo.* Lib. XXIII.

VII. *Comprehẽdiq; Decium Magium, atq. ante pedes statutũ causſam dicere iussit.*

Libri omnes, *ante pedes destitutum.* nec causa erat mutandi. Amant hoc verbum in illa re veteres. Gracchus, *Palus in foro destitutus est, vestimenta detracta sunt.* vbi item alij, *defixus*, maluerunt. Poëta vetus, *Ita me destituit nudum.* Liuius ipse lib. II. De Mutio Scæuola, *Ante tribunal regis destitutus, tum quoque inter fortunæ minas.* sed & hunc locum distinguendo deprauarant. Lib. XXII.

VIII. *Quas ob res si antiquus animus plebi Romanæ esset, audacter se laturum fuisse de abrogando Q. Fabij imperio.*

Vetus, *audaciter.* scimus Ciceronem ipsum sic locutum.

EPIST. XI.

I. LIPSIVS PAVLO MANVTIO.

EGO'NE vt ad cuiusquam iudicium in Ciceronis scriptis appellem, quàm tuum? vix mehercle si viuat Cicero ipse. Videigitur.

Cicero emendatus.

Lib. II. De Legibus.

I. *Quæq; augur iniusta, nefasta, vitiosa, dira, defixerit, irrita infectaq; sunto.*

Defigendi verbum nõ videtur aptum. Arbitror scriptum antique fuisse, *dira deixerit.* vnde natum defixerit, littera immissa. vt in Varrone De Re rust. lib. I. initio:

Et Varro.

Quare quoniam emisti fundum, quem bene colendo fructuosum conficere velis, méque vt id mihi habeam curare roges, experiar.

Lego, *vt id mihi habeam curæ*, r. littera malè inserta.

Lib. V. Epist. ad Atticum, Epist. XIX.

II. *Quod scribis libenter repulsam tulisse eum, qui cum sororis tuæ filij patruo certaret, magni amoris signum.*

Malim, *libente te repulsam.* valet, te gaudente & volente.

Lib. X. Epist. XV.

III. *Pridie Idus Hortensius ad me venit scripta epistola. vellem cetera eius. quàm in me incredibilem ἐντέυξιν? qua quidem cogito vti.*

Lege-

Legerim, *belle cetera: eiúsque in me i. ἐντέυξιν. qua q.*

Lib. II. Epist. II.

Κορινθίων γὰρ Ἀθηναίων puto me Romæ habere. mihi heredes. lege hoc doceo. IV. *mirabilis vir est.*

Ita vulgatis erat. Lambinus restituit, *mihi crede legendus est, mirabilis vir est.* sed aberrat longius à scriptura. Emendo, *mihi credesis, lege hoc otio. mirabilis.* Ait, hoc otio, quia Atticus id temporis in Epiro.

Lib. X. Epist. VIII.

Hic tamen secum Cytheridem lectica aperta portat, altera, vxorem. V.

Lego, *alteram vxorem.* Ista enim Cytheris Antonio quasi vxor.

EPIST. XII.

I. LIPSIVS IANO LERNVTIO.

REM atrocem, & Tragœdia non epistola dignam! Nobilis ille iuuenis, N. quem olim familiariter nouimus, in Italiæ Neapolim venit. Non diu ibi vixerat, cùm amauit ipse dicam, an vltrò adamatus est à nobili matrona? Nosti Italiam, nosti sexum:

—— Τίνα τρομέουσι γυναῖκες;

Certè accitum ab illa ferunt incautum iuuenem. venit, paruit, commeauit furtim, res mariti egit, & quæ non opus est dicere. Non fefellit illa φώριος εὐνὴ quendam è seruis. domino indicat. dominus condita ira parat vltionem. Seruare intẽtè eundem hominem iubet dum Mars esset cum Venere sua nec diu factum est, nunciatur marito adesse. Domum redit, irrumpit cubiculum comite illo seruo: infelicem adolescẽtulum è lecto protrahit nudum ac iam vix viuum. in oculis coniugis multis ictibus confecit. Adiicitur deinde succidanea victima vxor ipsa. Cadauera nuda & lacera noctu in viam proiiciunt: ipsi, priusquam lucerent, se in pedes. Habes tristem historiam, & quam rectè Theocritæo versu concluserim,

* Χαιρέτω ἁ Παφία. Φοίβος μόνον ἴλαος εἴη ** Saluet si Venus, at faueat meâdò Phœbus Apollo.*

De Plauti versu, Truculento,

Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio.

Lausum in Plauto & xij. an Lessum?

nihil adfirmare habeo. Libri scripti quos viderim, omnes, *lausum fecit.* ne mireris idem esse in editionibus antiquis. Vereor ne illa lex XII. *Neue lessum funeris ergo habento*, corrumpendo Plauto fuerit. At illa potius corrigenda erat ex Plauto. Suspicor veteres, Losum & Lausum dixisse, vt Plostrum & Plaustrum: vnde mox factum, Lesum & Lessum. Certè quod Aelius ab eiulatione lugubri id deriuat: à me est. & illa eiulatio manifestò inest in sono Lausi. Cogitemus tamen.

EPIST. XIII.

I. LIPSIVS FRANCISCO PYTHOEO.

CVM fratrem tuum Petrum, cùm te Franciſce intueor: occurrit illa Achillis apud Euripidem admiratio,

* Ζηλῶ δέ σε μὲν ἀδελφὸν, ἀδελφὰ δὲ σέ. ** Ob te beatus frater, ob fratrem que tu-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adeò vterque alteri, & moribus & doctrina, ornamento estis: nec nati solùm fratres videmini, sed facti. Præclara consensio. quæ causſam mihi dedit & amandi tui, & scripto compellandi. Emendationem hanc in Liuio vide.

De testudine militari Liuij locus expensus.

Libro XLIV.

Id tantum dissimile fuit, quòd & in fronte extrema, & ex lateribus, soli non habebant super capita elata scuta, ne nudarent corpora, sed prætecta pugnantium more. ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes læserunt: & testudini iniecta, imbris in modum lubrico fastigio, innoxia ad imum labebantur.

Testudinem militarem Liuius describebat. sed illud, *imbris in modum*, vt Sallustius loquitur, suspicio de mendo. Magis est vt Liuius scripserit, *imbricis in modum*. Imbrex, incuruum genus tegularum, ad deriuandam aquam. Isidorus: *Tegulæ vocatæ quòd tegant ædes: Imbrices, quòd accipiant imbres.* Glossarius liber, *Imbrex*, καλυπτήρ. Plautus, & Sisenna. Frustrà est vestrâs ille vir doctus, qui confundit cum Festi Ambrex. Quod ad Liuij sententiam: nil pote aptius. Semper illa coagmentatio & quasi contextus scutorum in Testudine, amat comparari cum ædium tectis. Plutarchus in Antonio, Τὸ δὲ σχῆμα παραπλήσιον ἐρέφει γινόμενον, ὄψιν τε θεατρικὴν παρέχει, καὶ τῶν προβλημάτων σεγανώτατόν ἐστι πρὸς ὄμβρους ἀπολιθαίνοντας. Quod ait, ὄψιν τε θεατρικὴν παρέχει: non fuit vertendum, vt vulgus interpretum, *speciem theatri præbet.* neque enim Plutarchus dixit Testudinem formam theatri referre: sed, *Ea forma tectis ædium non absimilis, & ludicri theatralis spectaculum præbet, & firmissimum munimentum est, &c.* Nam ὄψις, hîc, θέαμα. Imò & Testudinem hanc solent in circum inducere voluptatis causſa: & inde traducta res ad vsum belli. Vide Liuium proximis superioribus verbis diffusè explicantem. Quod legitur præterea, *& in fronte extrema*, lego, *in fronte, extremi.* idque res clamat.

Quid imbrex?

Plutarchus interpretatus.

EPIST. XIIII.

I. LIPSIVS GVIDONI LAVRINO, V. N.

QVOD olim de Cæsare celebre dictum fuit, aut non nasci eum in Ro. rep. debuisse, aut non mori: idem mihi in mente est quotiens incido in scriptores veteres, Guido Laurine: qui non fato, sed, si verum amas, maiorum ignauia nobis perierunt. Aut enim scripsisse diuinos viros non oportuit: aut scripta non abisse. Et vt parentes leuius ferunt non natos sibi liberos, quàm posteà denatos: sic nobis fortasse, si scripta illa nescissemus, dolor non erat; idem, cùm fragmenta intuemur & titulos pulcherrimorum operum, angimur desiderio & torquemur. Quod mihi accidit in Sallustio. cuius historiarum fragmenta vidi collecta à familiari nostro Lud. Carrione, & auspiciis tuis emissa. Gauisus sum in amici gloria: dolui in tam immani iactura, cùm ex libris sex Historiarum aut pluribus, quibus res populi Ro. ab anno vrbis DCLXXVI. complexus ad bellum Catilinæ erat, tam paucas, tam laceras reliquias vidi superare. In quibus hæc obseruabam.

Fragmenta Historiarũ Sallustij carptim emendãtur.

In oratione Philippi lib. I. Histor.

1. *Ceterum illi qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant, & ignoscendo populi Ro.*

Ro. magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant.

Dignum nota, Auxisse, παθητικῶς, pro Auctum esse, Catonis & veterum exemplo. De quo dixi ad Tacitum.

Itaque Sertorius leui præsidio relicto in Mauritania, nactus obscurã noctem, II.
æstu secundo furtiuaq; celeritate vitare prælium in transgressu conatus est.

Lego, *in Mauritaniam.* & præsidium relictum Carthagine Noua puto, nõ in Mauritania. Ex Plutarcho liquet de historia, qui narrat Sertorium, cum tribus millibus militum confugisse Carthaginem Nouam, atque ibi conscensis nauibus in Mauritaniam traiecisse. Sed ad Sallustij sententiam vox requiritur. Vulgata in Agellio lectio (nam is hoc fragmentum lib. x. retulit) concipitur, *furtim aut celeritate.* quid si legamus? *furtim abiit, celeritate vitare prælium in transgressu conatus.* postrema voce inducta. Certè *auit*, pro, *abit*, tralaticius error.

In Epistola regis Mithradatis ad Arsacem.

Persen deinde Philippi filium post multa & varia certamina apud Samo- III.
thracas deos acceptum in fidem, callidi & repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, in somnis occidêre.

Non intellego. quomodo enim si pacto vitam dederunt, liberi à perfidia Romani, siue in somnis siue vigilantem occiderint? Sed vera correctio est, *insomniâ occidere.* ἀϋπνία. Plutarchus in Aemilio duplicem famam mortis eius tradit. Alij, inquit, inedia mortem sibi consciſse adfirmant: alij à militibus qui eum custodiebant somno prohibitum, atque ita continuis vigiliis periisse. Hoc posterius ergo Mithradates, vt inuidiosus, posuit.

Et mox Fufidius aduenies cum legionibus, postquam tantas asperitates, IV.
haud facilem pugnãtibus vadum, cuncta hosti quàm suis oportuniora videt.

Vereor ne leg. *Aufidius.* & de bello Sertoriano accipio. Nam Aufidius à Plutarcho in Sertorio nominatur Bæticæ Præfectus, quem Sertorius ad amnem Bætim vicerit duobus milibus militum de exercitu eius cæsis. Hanc ergo pugnam hic tangit Sallustius, & quæ de vado amnis & asperitate locorum dicuntur, pertinere ad Bætim volo.

Lib. II. Histor.

Hi saltibus occupatis, tum externorum agros inuasere, frumentiq; ex inopia V.
graui satias facta.

Laudatur à Nonio, in Satias. Sed illud, *tum externorum*, gentis haud dubiè nomen fuit. Lego, *Termestinorum agros.* Populi sunt citerioris Hispaniæ, Tacito, lib. IV. Annal.

E muris canes sportis demittebant. VI.

Legerim, *ciues sportis.* Sermo fuit de obsessis, qui è suis aliquot per funem sportis demittebant. Aut tale aliud.

Lib. III. in oratione M. Lepidi Tribuni pl.

Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium tantæ gloriæ adolescentem mal- VII.
le Principem volentibus vobis esse, quàm illis dominationis: & socium auctorémque in primis fore tribuniciæ potestatis.

Emẽdo, *dominationis socium: auctorémque i. p. f. t. p.* Quod sequitur, *Sed verborum satis est, neque enim ignorantia res claudit*, Claudit, valet, deficit.

monui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Claudo antiquum, pro Deficio, in Terentio & Auson.

monui olim id verbi in Terentij Eunucho reponendum, *Benignitatem claudere*. nec multis persuasi, quamquam apertè agnoscit Donatus. Vsus eo etiam Ausonius in Prologo Ludi Sapientum,

Scitis profectò quæ sint, sed si memoria
Rebus vetustis cludit, veniet Ludius
Edisserator harum quas teneo minus.

Cludit memoria, vt hic, Res claudit.

Lib. IV. in Epistola Mithradatis.

IIX. *Tibi perpetuò pace frui liceret, nisi hostes opportuni & sceleſtissimi. Egregia fama si Romanos oppresseris futura est. neque petere audeam societatem; & frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem.*

Hiulca omnis oratio, fortasse & manca. Legebam tamen, *Tibi si perpetuò pace f. liceret: nisi h. o. & sceleſtissimi: egregia fama s. R. o. futura esset: neque petere, &c.* voce vna addita, altera immutata.

Inter incerta.

IX. *Tota autem insula modica & cultibus inanis est.*

Scribo, *cultoribus inanis.*

X. *Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno vsu bello Marsico paratu militum & armorum fuit. multáque tum ductu eius, quæ rapta primò per ignobilitatem, deinde per inuidiam scriptorum celebrata sunt. quæ eminus faciem suam ostentabant aliquot aduersis cicatricibus & effosso oculo.*

Exstat apud Agellium lib. II. In verbis, *multáque tum ductu eius** ponenda nota. abest enim vox, *gesta*, aut similis. Nec illud sincerè, *per inuidiam scriptorum celebrata sunt.* fortè, *per inuidiam proscriptorum.* hoc sensu. Sertorij præclara facta, primùm propter ignobilitatem eius minus animis hominum insederunt: deinde, cùm in magna inuidia proscriptio esset, atque inter alios ille talis vir proscriptus, celebrari eius laudes cœptæ. Sed & in sequentib. lego, *Cominus faciem suam ostentabat.* non, *quæ eminus*, nec, *ostentabant.* In oratione prima de Rep. ad Cæsarem, quas equidem Sallustij esse nunquam dubitabo.

XI. *L. Postumius & M. Fauonius mihi videntur quasi magnæ nauis superuacanea onera esse: vbi salui peruenire visi sunt: si quid aduersi eorum est, de illis potissimum iactura fit, quia pretij minimi sunt.*

Manifestò hæret sententia, & abest alterum membrum. sed mentior, latet, non abest. Nam meo animo, eleganter emendabitur, *vbi salui peruenêre; viri sunt: si quid aduersi, &c.* Comparat Postumium & Fauonium cum oneribus nauis. & si quidem tranquilla nauigatio est, & cùm ad portum peruenêre, salui ipsi, & viri sunt. si tempestas ingruit, exoneratur nauis, & illi eiiciuntur. Hoc disertim scribere Sallustius voluit.

XII. *Et quoniam iudicia primæ classis mittenda putem, quæ descriptio, qui numerus, in quoque genere futurus sit, ea mihi omnia generatim describere haud difficile factu fuit.*

Lego, *primæ classi committenda putem.* vel, *classi submittenda.* Probat ipse superiori parte orationis: *Quare*, inquit, *omnes primæ classis iudicare placet, sed numero plures quàm iudicent.* De classibus iudicum, res obuia.

In ora-

In oratione altera.

XIII. *Iuuentus probitati & industriæ, non sumptibus neque diuitiis studeat. id ita eueniet, si pecuniæ, quæ maxima omnium pernicies est, vsum atque decus demseris.*

Scribo, *vsum atque decus.* Sæpe alias Sallustius monet, pecuniæ & diuitiis opinionem splendoris detrahendum. Decus igitur demitur pecuniæ, si nemo ob eam magis honestus aut clarus.

Statim:

XIV. *Nam sæpe ego cum animo meo reputans, quibus quisque rebus clarissimi viri magnitudinem inuenissent, quæ res populos nationésve magnis auctoribus auxissent.*

Puto emend. *magnis auctibus auxissent.*

EPIST. XV.

I. LIPSIVS M. ANTONIO MVRETO.

QVOD Iuuenalem doces M. Antoni, rectè & ordine facere te puto, vt in Sc$_{a}$. formulis est. Certè si vlla tempora, hæc Satyram desiderant: & in Satyra, nemo idoneor ad mores corrigendos Iuuenali. Eius libro veteri vsus sum à viro docto Petro Diuæo. in quo Satyra IIX. his versibus, *Iuuenalis versu vno auctus.*

Quis fructus generis tabula iactare capaci,
Fumosos equitum cum Dictatore Magistros?

medius inserebatur nec lectus antè nec visus:

Quis fructus g. t. i. capaci
Coruinum? posthac virga deducere multa
Famosos equitum c. D. Magistros?

& scelus sit, dubitare de germanitate. Neque enim de triuio versus est: & ad rem nimis aptus. Multam virgam vocat, multos lictores. nam Dictator XXIV. fascibus vtebatur: Magister equitum, sex. In Carrionis manss. libro eumdem versum exstare comperi. Sed vt hoc versu Iuuenalem augeo, ita altero minutum volo:

Satyra XIV.

Et altero minutus.

Plurima sunt, Fuscine, & fama digna siniſtra,
Et, quod maiorum vitio sequiturq; minores,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus.

secundum versum ex vet. libro Canterus primus adtexuit, & ex suis denique Pulmannus. Mihi tamen liquet iurare, à Iuuenali nunquam eum pictum aut scriptum. Facilè docuero, vnde in libros manarit. In manss. pleriſque, Satyris sua argumenta versu præfixa sunt, memoriæ iuuandæ. vt Satyra X. præponitur, *Arguit hæc hominum curas, & inania vota.* Satyra XI. *Lenta reprenduntur conuiuia, parca probantur.* Satyra XII. *Arguit hæc auidos, nimium nimiumq; rapaces.* Sat. XIII. *Mens cruciat prauos, sapiens fert damna modestè:* eadem nugamenta in ceteris. At hi versus, (quod in Diuæi libro vidi:) interdum & ad marginem libri scribuntur. nec dubito quin ab hac

Universidad de Deusto
Biblioteca

cauſſa ille peregrinus irrepſerit in vrbem. Nam argumentum Satyræ huius fuit, *Et quod maiorum vitium ſequitúrque minores.* Confirmant Diuæi & Carrionis libri, in quibus nullus legitur: ne addam, ineptum verſiculum eſſe, & ſententiæ turbatorem.

EPIST. XVI.

I. LIPSIVS MAXIMILIANO A BORSSELE, V. N.

PALLADEM armatam cur antiquitas pinxerit, deſino quærere: cauſſam in te video, vir nobiliſſime. qui & pacis & belli artibus ſic excellis, vt Achillem aliquem aut Cæſarem æuo noſtro referre videaris. Arci Sluſanæ præs, arma tractas, milites exerces: nihilo ſegnius amas doctos, habitas in veterum libris, & aut legis cottidie aliquid, aut ſcribis. Itaque vide quid apud ignotos etiam poſſit vera virtus. Ab his laudibus admirari & amare te primùm cœpi: deinde occaſionem quærere & aperiendi amoris mei, & tui demerendi. Non obtulit ſe melior, quàm vt ad te nunc in bellis, mitterem quiddam ex ſcriptore bellico. Liuium dico. è cuius libro XXV. hæc excerpſi.

Liuiani aliquot loci.

De capta Tarento:

I. *Recipere ſe in domos ſuas quemque iuſſit, & foribus nomen ſuum inſcribere: ſe domos eas, quæ inſcriptæ non eſſent, ſigno extemplò dato, diripi iuſſurum. ſiquis in hoſpitio ciuis Romani (vacuas autem cernebat domos) nomen inſcripſiſſet, eum ſe pro hoſte habiturum.*

Omnis lectio vetus, *tenebat domos.* Sigonius coniicit, *ſciebat*, vel, *petebat.* Sed nihil horum Liuius dixit. Scribo, *tenebant domos.* Ait. Cùm Romani proprias & vacuas ædes haberent, non permixtim cum ciuibus deuerſarentur: facile fuit ſeparare milites à ciuibus ſola inſcriptione ædium. Hęc Liuij mens. quiſquis aliud adfert, campas loquitur. Videatur Polybius.

II. *Reliqua erat in obſidione ſpes, nec ea ſatis efficax, quia arcem tenentes, quà in peninſula poſita imminet faucibus portus, mare liberum habebant: vrbs contra excluſa maritimis commeatibus, propiúſq; inopiam erant obſidentes quàm obſeſſi. Annibal conuocatis, &c.*

Meus codex, *propiúſq. inopiam obſidentes. Annibal c.* Reliquorum nec vola nec veſtigium in eo; vereorq; vt ſint à Scholio.

III. *Flauius ad Romanum Imperatorem venit. rem ſe ait magnam inchoaſſe, ad quam perficiendam ipſius Gracchi opera opus eſſet. omnium populorum prætoribus, qui ad Pœnum in illo communi Italiæ motu deſciſſent, perſuaſiſſe vt redirent in amicitiam Romanorum.*

Quomodo, *omnium populorum?* certè de ſolis Lucanis ſermo: & ſubiunxit ipſe, *Ibi paucis verbis tranſigi rem poſſe, vt omne nomen Lucanum in fidem ac ſocietate Ro ſit.* Itaque lego, *omnium popularium.*

Pòſt, de captis Syraculis.

IV. *Inde vbi id temporis viſum, quo die epulatis iam vinóque ſatiatis principium ſomni eſſet.*

Lego, *quo die epulatis.* De die epulari probroſum, niſi ſi in communi lætitia. malim etiam, *vinóq; ſauciatis.*

Quò

Quò per ingentem ſolitudinem erat peruentum, quia magna pars in turribus epulati, aut ſopiti vino erant, aut ſemigraues potabant. V.

Fortè, *aut ſomno graues potabant.*

Poſſe eum ſi operæ pretium faciat, principem popularium eſſe: ſeu militare VI. *cum Romanis, ſeu reuerti in patriam libeat. contrà, ſi malle obſideri pergat, quam ſedem eſſe terra mariq; clauſo?*

Meus liber, *quam ſtem eſſe.* optimè.

EPIST. XVII.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

NVNCIVM acerbum! Langiúſne noſter obiit? ille Langius, quo ſat ſcio *De Langij morte.*

Vulcanus, Luna, Sol, Dies, di quattuor,
Meliorem nullum illuxere alterum.

Nam de doctrina vt parcius dicam, in cauſſa eſt ipſe. Fuit enim hoc ingenio Langius, vt ea ſcire vellet, quæ ſcire eum nemo ſciret. Atque vt Stoici virtutem; ſic ille doctrinam pretium ſibi ipſam putabat. Sed magnum virum amiſimus, ô Muſæ! & maiorem opinione vulgi. Scholia parabat, vt ex ipſo audiuimus, in Senecam, Solinum, Suetonium: & quædam ex iis iam affecta. Multæ obſeruationes eius in Plinio, Theophraſto, Dioſcoride: cùm præter alia elegantis ingenij, vnicus amator eſſet florum & hortorum. Poſtremis litteris anxiè petierat, vt ex Imperatoris horto mittenda curarem bulbos Tulipæ verſicoloris, item Tibcadi, & neſcio quæ alia, vt ſic dicam, emblemata horti, abuſque Byzantio allata. In qua cura vides quàm fuerim fruſtrà. Nam ille abiit: nobis illud Theocriti teſtamento reliquit, —— * ποιεῖν τι δεῖ οἷς γόνυ χλωρόν. At tu Senecæ hos locos vide. * *Faciendū aliquid, quibus genu viret.*

Epiſt. CIV.

Senęca varię correctus. I. *Hominum effigies habent, animos ferarum. niſi quòd illarum pernicioſior eſt primus incurſus, quos tranſire non quærunt. nunquam enim illas ad nocendum niſi neceſſitas iniicit. Hæ autem fame aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem libet.*

Scribo, *quom tranſire non queunt.* & ſtatim, *neceſſitas inigit.* quod valet, adigit. denique, *Hæ aut fame.* non, *autem.*

Epiſt. CXIV.

II. *Feliciſſimoſq; ſe iudicant ſi multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungunt: ignari quod ſit illud ingens paruumq; regnum.*

Reſtituo, *patriumq; regnum.*

Libro II. De Tranquillit. cap. VIII.

III. *Sapiens autem vicinus proximusq; dis conſiſtit, ad illa nitens pergensq; excelſa, ordinata, intrepida, æquali & concordi curſu fluentia, ſecura, benigna, bono publico nata, ſibi & aliis ſalutaria, nihil humile concupiſcet.*

Puto melius, *bono publico natus, ſibi & aliis ſalutaris,* quæ ad ipſum ſapientem referantur. Reſpexit ad veterem formulam laudis, tralaticiam in lapidibus B. P. N. vel ſic: B. R. P. N. valet, bono publico, vel, reip. natus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eadem Symmachi mens fuit, cuius Epistolas patruus meus Martinus Lipsius primus dedit: *Vides certè vt ille ipse qui Romanis rebus antistat, natus est ad bonum publicum.*

De Clementia lib. I. cap. IX.

IV. *Hoc, inquit, primum à te peto ne me loquentem interpelles, [ne meo sermone medio proclames,] dabitur tibi loquendi liberum tempus.*

Suspicor illud, *ne meo sermone medio proclames*, glossam esse ad vocem, *interpelles*. Sunt enim ista ex oratione Augusti ad Cinnam. aliter, næ me tam ineptæ repetitionis, ipsius Augusti caussa, pænitet. Simile est De Breuitate vitæ. cap. XII.

V. *Audio quendam ex delicatis, cùm ex balneo inter manus elatus & in sella positus esset, dixisse, [interrogando] Iam sedeo?*

Nam vox, *interrogando*, ableganda, non à Seneca, sed interprete adsuta. leg. que. *dixisse, Iam sedeo?*

Cap. XIII.

VI. *Ille otiosus est, cui otij sui sensus est: hic verò semiuiuus, cui ad intelligendos corporis sui habitus indice opus est. Quomodo potest hic alicuius temporis dominus esse?*

Leg. & dist. *hic verò semiuir cui a. i. c. s. h. i. opus est, quomodo potest alicuius t. d. esse?*

EPIST. XIIX.

I. LIPSIVS GERARDO FALKENBVRGIO.

ETIAM tu me putas esse in Plauto? quasi eiusdem operæ sit aliquantos in eo locos corrigere, & totum dare. Iam à multis audio Scaligerum eam prouinciam sumpsisse: & di melius quàm vt cum illo candidato concurram. non tam impar petitio Catonis & Vatinij fuerit. Hoc tamen verum est: vt illum, quàm me malo: sic me, quàm neminem. Itaque videbimus aliquid, si ille cesset. cesset autem? non cadit in eum virum hoc verbum: aliud agat, debui dicere. Nam tu scripsisti, an aliunde audiui? parare illum Nonium & Manilium? Proximæ Nundinæ sanè quàm steriles fuerunt. ex Italia & Gallia planè nihil: nec à nobis, præter Carrionis Antiquas. Germanię Παλιῳδίας Ælij & Persij nõ curant legere. Poëmata Melissi gustaui, & placuerunt. habet iuuenis ille quod imputet Galliæ. Liuianum hunc locum vide.

Liuij fragmentum apud Senecam emendatum.

Vixit tres & LX. annos, vt si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri posit. Omnium aduersorum nihil vt viro dignum erat tulit præter mortem. quæ verè æstimanti minus indigna videri potuit, quod à Victore inimico crudelius passus erat, quàm quod eiusdem fortunæ compositio fecisset.

Exstat apud Senecam Suasoriis, inter elogia de morte Ciceronis. quod mirere, à Lambino, à Fabricio, ab aliis sine emendatione profertur. Nos emendauimus, *quod à victore inimico nil crudelius passus erat, quàm quod eiusdem fortunæ compos ipse fecisset.* Liuius dixit. Queri eo minus de crudelitate Antonij Cicero potuit: quia non lenius cum Antonio egisset victor ipse: & passus, quod alteri libens fecisset.

EPIST.

EPIST. XIX.

I. LIPSIVS OBERTO GIFANIO.

QVOD liberè liceat Gifani, desiderium Agellij tui ferimus nimium diu. Atqui intererat rei litterariæ quàm emendatissimum scriptorem illum esse in omnium manibus. Multa & in verbis eius antiquitas: & multa in eo ex antiquis. Pergè igitur cum Musis fauentibus.

Nauè agere oportet quod agas, non ductariè.

In Nonio obseruationes.

Pauca in Nonio saltuatim collecta mitto, explorandi iudicij tui.

In Abundè.

Sisenna histor. lib. iiij. Perfusè atque abundè sparsi vsi magnum pondus auri argentique. I.

Arbitror leg. *Profusè atque abundè sparsa vasa, magnum p.* & fragmentum fuit de Annibale. qui paullò ante pugnam Cannensem relictis castris fugam simulans, vt Liuius inquit, castra plena omnis fortunæ publicæ priuatæq; reliquit. & addit: *Tabernacula aperta, & omnia cara in promptu relicta, argentum quibusdam locis temerè per vias velut obiectum ad prædam.* De hisdem igitur insidiis Sisenna. & hoc est quod ait, sparsa vasa fuisse. Possis & legere, *spargi iussit.*

In Supparum.

Nonius Pedio. Supparum purum, bellienſem interim escam meram. II.

Fortè, *Velienſem interim Oscam meram.* Sermo de Scortillo quopiam est, & supparum quidem eius purum est, inquit, at ipsa Velienſis, mera Osca. Oscum vt opicum, inter conuicia spurca. in eas quæ capitis non pudici. Tamen Isidorus *Velenenſem tunicam* agnoscit, *quæ adfertur ex insulis.* Igitur ita non malè emendes & distinguas, *Supparum purum, Velenense, interim Oscam meram.*

In Prognariter.

Ennius Annal. vj. Diui hoc audite parumper, III.
Vt pro Romano populo prognariter armis
Certando, prudens animam de corpore mitto.

Hi versus sunt ex precatione Decij sese pro patria & legionibus deuouentis.

In Euallare.

Titinnius prælia: Qua ego hodie extorrem hanc domo faciam pilatricem pallia euallauit: ô pulcrè. IV.

Lego, *Quia ego h. e. h. d. f. pilatricem pallij, euallauero pulcrè.* Pilatricem vocat, à compilando.

In Porcet.

Ennius Telamone: Deũm me sentit facere pietas, ciuium porcet pudor. V.

Emendo, *Deũm me incendit facere.* & puto esse verba Orestis: qui oraculo iubebatur interficere matrem, hominum tamen verecũdia tardabat.

Ibidem.

Pacuuius Atalanta: Magnate, vt verear eloqui, porcet pudor. VI.

Scribo, *Megnatæ, vt.*

In efferre.

Ennius Medea: Vtinam ne vnquam me de cordis cupido corde pedẽ extuliſſe. VII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Planè leg. *ne vnquam Medea Colchis c. c. pedem extulisses.*

In Statim.

XIX. *Ennius Aiace: Quis est cum Achiuis gesserunt Statim.*

Scripsit Ennius, *Qui res cum.* vt Plautus, *Nec recedit loco; quin statim rem gerunt.*

In Offendere.

IX. *Plautus Amphitr. Eo more expergefactum aduenientes tenebrosum offendi dominum.*

Non est fragmentũ; sed sic emendandum. *Eo more expertem te factam aduenientes offendi domi.* qui versus exstat in Plauto. Vox, *tenebrosum*, ablegenda. Simile in Ferox.

X. *Plautus Milite: Vt donatum equum, qui forma est ferox.*

At in Plauto legitur, *Vt adoriatur mœchum, qui forma est ferox.* & rectè.

In Culina.

XI. *Culinam veteres coquinam dixerunt, non vt nunc vulgus putat.*

Lego, *Culinam veteres, non coquinam dixerunt, vt nunc.* Hoc enim dicere voluit, Coquinam minus Latinum esse.

In Signare.

XII. *Lucilius lib. xxix. Si Socrates in amore, & in adolescentulis meliore paullò facie signat, nihilq; amaret.*

Puto scrib. *Sic Socratis amores in adolescentulis paullo meliore facie signat, nihil quod amaret.* Socratem scimus malè audisse propter παιδικὰ. Eam suspicionem Lucilius ab eo confirmari ait, quòd Socrates mulieres non amaret.

In Vesci.

XIII. *Attius Athamante: Priusquam infans esses, facinus oculi vescuntur tui.*

Seriò affirmo leg. *Priusquà infans facinus.* voce inducta. Nam Attius Infans pro Infando posuerat. Idẽ versus emendandus apud Noniũ, Infans.

In Accinge.

XIV. *Pomponius Maccis Gemin. Iam ego mihi adero, dum ego reuortor, age ante accinge ad molas.*

Lego, *inibi adero: dum ego reuortor, age iam te accinge.*

In Fidebo.

XV. *Fidebo. Nœuius De Pathicis: Tibi cùm fidebo, fidelis ero.*

Dico Nonij notam fuisse, *Viuebo*, pro viuam. & id versus docet, cuius sententia postulat, *cùm viuebo.* sic suprà ex eodem Nœuio adferebat, *Dicebo*, pro Dicam.

EPIST. XX.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

DE Antiquis meis ais mirari quosdam cur inscripserim homini externo. non mirarentur si Redigerum nossent, natum bono litterarum. An Dynastæ cuipiam è popularibus meis potius fuerat? Ignoscet mihi genius patriæ. non curat has nugas

——— *nutricula caussidicorum*
Belgica.

In litibus omne studium, omnis ætas est: hæc vota matrum in pueris sunt:

sunt: hinc viri, hinc docti censemur. eloquentia, historia, antiquitas, & quidquid huc non facit: nugæ, & Nœuij Buttubatta. De Iuuenalis ætate dubitario tua non abs re est. Suidas eum sub Domitiano vixisse: & cùm in Paride histrione offendisset, relegatum in Africæ Pentapolim tradit. Idem Sidonius voluisse videtur.

De vita & ætate Iuuenalis paullo diligentius quæsitum.

Non qui tempore Cæsaris secundi
Æterno incoluit Tomos reatu:
Nec qui corsimili deinde casu
Ad vulgi tenuem strepentis aurem
Irati fuit histrionis exsul.

è quibus versibus primos ad Ouidium, alteros ad Iuuenalem pertinuisse, facilè persuadeor. Est apud me Diuæi liber, & in eo Iuuenalis vita manuscripta. quæ ait Iuuenalem ad mediam ferè ætatem declamasse, & in Paridem Pantomimum versus quosdam non absurdè composuisse.

Quod non dant proceres, dabit histrio. tu Camerinos,
Tu Bareas, tu nobilium magna atria curas;
Præfectos Pelopea facit, philomela Tribunos.

Addit deinde, versibus iis publicatis Domitianum pudore & ira de Iuuenali amouendo cogitasse. sed cùm palàm in virum nihil auderet: sub honoris obtentu, militibus præfeciisse qui in Ægyptum ducebantur. Iuuenalem caussa præfecturæ intellecta, tædio & angore vitam finisse Hæc illi, meo animo nec vera omnia, nec falsa. Iuuenalem exsulasse sub Domitiano, non abnuerim: & quod in Diuei libro est, in Ægyptum missum etiam, vltrò crediderim. Indicare hoc Iuuenalis ipse voluit, Satyra XV.

Iuuenalis in Aegypto fuit.

——— *horrida sanè*
Aegyptus, sed luxuria quantum ipse notaui,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.

Ait, *quantum ipse notaui.* Vidit igitur Ægyptum, vel cùm inibi exsularet, vt MS. Diuæi: vel vt Suidas, cùm in vicina Pentapoli esset. quo nomine Cyrenaicam accipimus, auctore Plinio. Hæc lustratio Ægypti, caussam illi præbuit scribendæ Satyræ, de immani superstitione Ægyptiorum. Nisi hoc fuisset: cur non pariter aliquid de Hispanis aut Germanis? Quo tempore etiam illa scripserit, procliue esset dicere ex hoc versu:

Nos miranda quidem, sed nuper consule Vinco
Gesta, super calidæ referemus mœnia Copti.

si Consules eruere possemus. Nam ait, *consule Vinco* vel vt alij, *Iunco.* Sed Vincum siue Iuncum nullus inuenio & intricata illa pars Fastorum propter Consules crebrò suffectos. Atque hactenus adsentiri illis possum. quod amplius tradiderunt in Domitiani imperio Satyras scripsisse, eodem superstite in exsilio mortuum: id quidem nimis dilutum mendacium est. Superuixit Domitiano. docet tota Satyra quarta, & eius finis.

An Domitiano viuo scripserit

Sed periit postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

& alia, quæ tam acerbè in Domitianum sunt, vt nullo modo scripta esse possint illo viuo. Quinetiam fatetur ipse Satyra prima, scripturum se tantùm de mortuis:

-expe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

— experiar quid concedatur in illos
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

Puto ego vixisse & scripsisse pleraq; Traiani imperio, imò, nisi me fallit ratio temporum, etiam Hadriani. Vnus locus est qui rem conficiet, Satyra XIII. *— stupet hæc, qui iam post terga reliquit*
Sexaginta annos, Fonteio consule natus?

Scribit hoc de Caluino, quem ait natum Fonteio consule, & ab illo ad hunc diem numerare LX. annos. Confit necessariò vt istæc Iuuenalis scripserit totidem annis post Fonteium. siquidem hæc Satyra ad illum ipsum Caluinum dirigitur. Videamus. Duo sunt Fonteij consules, qui huc quidem possint facere. Prior in Fastis legitur A. V. DCCLXV. *Germanicus Cæsar & C. Fonteius Capito:* sub Tiberij imperio. Alter A. V. DCCCXII. sub Neronis, *C. Vipsanius, L. Fonteius Capito.* De priore si istud Iuuenalis accipimus: erit vt incidant scripta eius in annum Vrbis DCCCXXV. id est, in tertium annum imperij Vespasiani. quod fieri planissimè non potest: quia, vt docui, post Domitianum scripsit. Si de altero: efficitur vt attigerit Iuuenalis annum Vrbis DCCCLXXII. hoc est, secundum annum imperij Hadriani, eoque Satyram istam ad Caluinum scripserit. Nisi quis aliter interpretari versus illos audet: quod mihi non videtur. Quin & in libris eius sparsæ historiæ sunt, quæ pertinent ad Traianum. Illa de mulierum ineptiis, Satyra VI.

Videri in imperio Hadriani vixisse.

Instantem regi Armenio Parthoq; cometem
Prima videt: famam rumoresq; illa recentes
Excipit ad portas: quosdam facit isse Niphatem
In populos, magnoq; illic cuncta arma teneri
Diluuio; nutare vrbes, subsidere terras.

referenda videntur ad Traiani expeditionem in Armenios & Parthos. & quod ait, *nutare vrbes, subsidere terras.* ad illum famosum terræmotum, qui eodem tempore Antiochiam & vicina loca concussit. & subsedisse montes, fluuios erupisse Dionis abbreuiator refert. Quod de Niphate & diluuio dicit: hoc ex mulierum persona affictum: quæ rumores augebãt. Ergo, meo arbitrio, compar Iuuenalis Plinio iuniori, Tacito, & illi classi fuit. Familiaris & Martiali, si hi versus accipiendi de illo, libro VII.

Martialis de Iuuenali versus.

Cum Iuuenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis perfida lingua loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes,
Thesea Pyrithoi destituisset amor:
Tu Siculos fratres, & maius nomen Atridas,
Et Ledæ poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis & talibus imprecor ausis
Vt facias illud, quod puto lingua facis.

Et eodem libro,

De nostro facunde tibi Iuuenalis agello
Saturnalitias mittimus ecce nuces.
Cetera lasciuis donauit poma puellis
Mentula custodis luxuriosa dei.

Facun-

Facundum vocat, quia, vt in Diuĝi libro rectè monetur, ad mediam ætatem causas egit & declamauit.

Iterum lib. XII.

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa Iuuenalis in Saburra,
Aut collem dominæ teris Dianæ.

& quæ sequuntur. quod Epigramma scriptum est, cùm Martialis in Hispaniis esset mortuo Domitiano.

EPIST. XXI.

I. LIPSIVS IOANNI SCHEYFIO, VIRO AMPLISSIMO.

QVOD vulgò non auderem, eloquar apud te, vir amplissime: inter primas causas corruptæ reip. nostræ, contemptum doctrinæ esse. Quis è nostra iuuentute legitimè instituitur in litteris? quis oratores aut philosophos tangit? quis historiam legit, illam rerum gerendarum quasi animam? Præcipitant enim parentes vota sua, & pueros vix septuennes protrudunt ad Iuris scientiam. Scilicet omnibus artibus antistat spes lucri; & formosior est nummus auri, quàm quidquid Græci Latiniq; delirantes scripserunt. Ex hoc numero deinde veniunt ad gubernacula reip. interstint & præsunt consiliis regum. ô pater, ô patria! Sed mittam hæc querula: te potius vir maxime laudabo, qui & caperis vnicè Antiquitatum studiis; & liberos tuos ingredi viam iubes virtutis & veræ doctrinæ. Si vacas à rebus grauioribus, inspicere te velim hos Liuij locos.

Libro XXII.

Dum hæc geruntur in Italia, Cn. Seruilius Geminus Consul cum classe nauium circumuectus Sardiniæ & Corsicæ oram, & obsidibus vtrimque acceptis, in Africam transmisit. & priusquam in continentem exscensiones faceret, Meninge insula vastata, & ab incolentibus circa eam, ne & ipsorum diriperetur vereturque ager, decem talentis argenti acceptis, ad litora Africæ accessit.

Primum videndum ne desit numerus nauium. Certè Liuius nisi de numero monere voluisset, non addidisset vocem Nauium, scripsisseteq;, *cum classe circumuectus.* Quin & numerum historia postulat exprimi: qui Polybio lib. III. auctore fuit CXX. quinqueremium. Inseratur igitur Liuio, *cum classe* C. & XX. *nauium.* Malum etiam illud, *ab incolentibus circa eam.* nam Incolere circa aliquem, quisquiliæ sermonis. Luculenter emendabitur, *ab incolentibus Cercinam.* Auctor idem Polybius super hac re, κατα-πλεύσας δὲ τῆς Λιβύης ὡς ἐπὶ τὴν Κερκινῖτιν νῆσον, καὶ λαβὼν παρ' αὐτῶν χρήματα τοῦ μὴ πορθῆσαι τὴν χώραν, ἀπῆλλάγη. Ecce. ait ab incolis Cercinę insulæ pecunia oblata redemptam vastitatem. nihil clarius: & rideamus meritò illos fungos & bardos, qui ex, *Cercinam,* fecerunt, *circa eam.*

Liuij defectus suppletur.

Locus inibi emendatus.

Lib. XXIII. De Decij Magij damnatione.

Item alter.

Nauem Cyrenas detulit tempestas, quæ tum in ditione regum erant. ibi cùm Magius ad statuam Ptolomæi regis confugisset, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Suspicor & hic defectum esse, scripsisseque Liuium, *in ditione regum AEgypti erant.* Omnino puto Liuium hoc monere voluisse & debuisse, quia eius ætate mutata res erat. Olim enim sub Ægypti regibus Cyrenaica erat, Strabone teste, lib XVII. postea Romani eam Africæ adiunxerunt, vt apparet ex Plinio. Ideo ait, *quæ tum in ditione, &c.* id est, illa ætate aliter atque nunc. Statim de Q. Fabio legato à Delphis:

Mos antiquus apud eum explicatus.

Tum dixit se oraculo egressum extemplo his omnibus diuis rem diuinam thure ac vino fecisse, iussumq; ab antistite sicut coronatus laurea corona & oraculum ingressus erat & rem diuinam fecisset, ita coronatum nauim ascendere, nec ante deponere eam quàm Romam peruenisset.

Non dicam Liuius, sed Q. Fabius certè ignorauit solemnem morē Græcorum. Nam quod ille vt nouum & mirum recenset, iussum se ab antistite vt coronatus domum rediret: id quidem seruare omnes vulgò debebant qui ad oraculum accesserant. Est in Scholiaste Euripidis locus valdè huic Liuiano illustrando, in Hippolyto. Ἔθος γὰρ εἶχον οἱ ἀρχαῖοι τοῦτο ὅτε ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας, ἐστεφανομένοι ἤρχοντο, καὶ πάντες τὸ οἶκο προσεκύνουν αὐτῆς. Item in Sophoclis Scholiaste, in Oedipo tyranno: οἱ ἐπί τινι αἰσίῳ παραγινόμενοι ἐκ Δέλφων ἐστεμμένοι ἐπανήεσαν. Vale vir amplissime.

EPIST. XXII.

I. LIPSIVS ANDREAE SCHOTTO.

Petis à me in his versibus Plauti Curculione,

Eaq; extemplò vbi vino has conspersi fores,
De odore adesse me scit, aperit ilicò.

Plautus illustratur.

& statim,

——agite, bibite, festiuæ fores
Fite mihi volentes, propitiæ.

Cur vino amicarum fores affusa.

quid ita amator vinum ad fores amicæ effundat, & quò is mos pertinuerit? Respondeo, Plautum tangere morem Græcorum, apud quos amatores vti profusione illa solent. Certè Aristophanis Scholiastes Pluto, idem de amatoribus Laidis scribit, αὐτῆς δὲ πολλοὶ τῶν Θετταλῶν ἠράσθησαν, καὶ τοῦ ἔρωτι τὰ πρόθυρα αὐτῆς οἴνῳ ἔρραινον. At quod mihi mox legitur:

Ne quod hic aginus herus percipiat fieri, mea Planesium
Mane, suffundam aquulam.

Cur cardini aquæ?

longè alia suffusio est, & fallendis maritis ad ianuæ cardines aquam mulierculæ affundebant, ne streperent. Eleganter illa falsa mulier apud Aristoph. de se fatetur idem:

Ἐγὼ δὲ καταχέασα τῆς τροφέως ὕδωρ
Ἐξῆλθον ὡς τὸν μοιχόν.

Hæc taliaque notata in scriptis veterum, valdè facere ad ea illustranda censeo. Vale.

EPIST.

EPIST. XXIII.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO, ET IANO LERNVTIO, SVIS.

Ordiar cum seruo Plautino,

Quid hoc est negoti? neminem meum dictum magni facere?

Ad Kalendas Septembreis cupiebam venire vos: cupiebam autem? imò id imperium Manlianum esse iusseram. tamen non paruistis. Quid accidit vt mutaretis, præsertim post tot promissa vestra? Posthac mero meridie si dixeritis lucem esse, non credam. Et ecce iterum audetis scribere, Veniemus. credo post decennium, vnà cum Vlysse. Sed ego deceptus & desertus à vobis rettuli me ad libros. notaui ista in Fragmentis Varronis.

Varronis apud Nonium Fragmenta corriguntur. I.

Apud Nonium in Matella.

Varro Endymionibus: Diuitum Aphocaschias ad communem reuocat matellam.

Iunius legebat, ἀφοδεύσεις: ego, *apothecas Chias,* ex corrupta voce *aphocaschias,* non dubiè emendo. Apothecæ sunt cellæ vinariæ, Plinio frequentes. Varro ipse Apothecas tricliniares nominat, *Dolia atq; apothecas tricliniares, melicas, calenas, obbas, & Cumanos calices.* Apothecæ igitur Chiæ, in quibus vinum Chium reconditum, illa ætate præcipui pretij, ideoq; non nisi diuitum mensis concessum.

Apothecæ Chiæ.

In Cæcum.

Varro De vita populi Rom. lib. IV. Neque id cæci Consules fecissent, quæ mandata arcana tam pio sedissent, aut diuidi centum GN. magnum. II.

Lego, *neque mandata arcana T. Ampio dedissent.* Scripsit eo libro quarto Varro De bello ciuili. & T. Ampium istum nominat Cicero lib. VIII. ad Atticum, quem ait pro Pompeianis partibus dilectum habuisse diligentissimè. Sed quæ mandata illa fuerint, non occurrit.

In Liquidum.

Varro de Proprietate scriptorum. Quid est tanti, aut quid aliud eius generis fernefactum colliquisset, & informa esset infusum. III.

Emendo, *Quod æs, stannum, aut quid aliud: & informe.* Videte exemplum præcedens.

In Veget.

Varro Manio: Nec natus est, nec morietur: viget, veget, vtpote plurimum. IV.

Scribite, *& pote plurimum.* Pote veteres, pro Potest.

In Curia.

De vita populi Rom. lib. II. Itaque propter curam locus quoque, quo suam quisque Senator confert, curiam appellant. V.

Fortasse scripsit Varro, *quò sententiam quisque.* induxit librarios in errorem breuitas scribendi, *quò sniam.* quanquam & aliàs constat sententia.

In Ramices.

Varro γεροντοδιδασκαλω. Rapta an nescio quo mulione, rapturis ramicis rumpit. VI.

Lego, *à nescio q. mulione raptori ramices rupit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Rutuba.

XII. *Varro Sexagesi. Ergo tum Romæ parcè puréque pudentis Viuere tum in patriam, nunc sumus in rutuba.*

Dico leg. *parcè puréque putantes Viuere, Cum patria.* Putabamus, inquit, nos parcè & quietè in tranquillitate vnà cum ipsa patria victuros: at nunc sumus in media perturbatione.

In Sanguis.

XIX. *Varro περὶ Φθορᾶς κόσμου. Africa terribilis contrà concurrere ibis, atque AEneæ misceri sanguine sanguen.*

Fuerunt disertim versus magni. itaque emendo,

IX. *Africa terribilis contrà concurret Iberis,*
Ac gens AEneæ miscebit sanguine sanguen.

In Inuitare.

Varro Sesquiulysse. Ipsum audi vino inuitari poculis largè atq; benignè. Lego, *Ipsum audè vino inuitaui.* Loquitur Vlysses de Cyclope quem vino decepit.

EPIST XXIV.

I. LIPSIVS THEODORO CANTERO.

FRATRIS tui Gulielmi præcipiti morte iacturam & nos fecimus, & Musæ. nos, amici: illæ, adiutoris, & magni quidem si vita longior contigisset. Nunc dis aliter visum: & vides quàm verè Attius:

Fors dominatur, neque vita est vlli propria in vita.

Tribus locis Liuius emendatus. Rogo dispicias hos Liuij locos.

Libro XXII.

I. *Cùm his orationibus accensa plebs esset, tribus patriciis petentibus, P. Cornelio Merenda, L. Manlio Volsone, M. AEmilio Lepido: duobus nobilibus iam familiaribus plebi, C. Atilio Serrano & Q. AElio Pæto, quorum alter Pontifex, alter augur erat, &c.*

Inepta lectio & nulli rei. quò enim illa distinctio pertinuit, duos nobiles sed familiares plebi? In meo codice emergit se veritas, *duobus nobilibus ac familiarum plebei.* lege, *at familiarum.* Nam hoc sentit Liuius tres petitores fuisse patricios; duos alios, nobiles plebeios. Illud, *plebei*, antiquum est pro plebis.

Ibidem.

II. *Conciones Varronis multæ ac feroces fuêre, denuntiantis bellum arcessitum in Italiam ab nobilibus, mansurumq; in visceribus reip. si plures Fabios Imperatores haberet, se quo die hostem vidisset, profligaturum.*

Meus liber, *quo die hostem vidisset, conflicturum.* id verius apparet ex aduersa oratione Paulli, qui ad hanc partem respiciens ait mirari se, quomodo Varro *diem quoque prædicere posset, qua cum hoste signis collatis esset dimicaturus.* Addo & Silium, qui ita vertit, siue nectit.

Lib. XXIII. De Annibalis transitu in Nolanos.

III. *Senatus ac maximè primores eius in societate Rom. cum fide perstare: plebs nouarum, vt solet, rerum auida, atque Annibalis tota esse.*

Heu prauitatem correctorum! Liuius scripserat, *plebs nouarum, vt solet, rerum, atque Annibalis tota esse.* & testificor ita esse in libro qui penes me. at illi boni addiderunt *auida.* Scilicet ignorasse eos genus dicendi, quo Liuius vtitur aliàs. libro VI. *Plebs cùm iam vnius hominis esset.* libro II. *Hominum non caussarum toti erant.* Deprauauerant similem locum lib. II. *Patrum haud ferè quisquam in foro: in vrbe rari erant. indignitate rerum cesserant in agros, suarumq; rerum solliciti erant amissa publica.* sed optimus codex, *suarumq; rerum erant*, nullo vestigio alterius vocis. quod idem & Sigonius in suis libris inuenit.

Genus dicendi in Liuio elegans.

EPIST. XXV.

I. LIPSIVS IANO DVZAE, V. NOBILI.

QVOD te non fugit, nobilissime Duza, sunt qui calumnientur hoc genus scribendi vt inutile; sunt qui spernant vt leue. Primis numquam adducar vt respondeam. nam hidem illi quidni audeant dicere inane esse omne nomen litterarum? hoc enim si verbo non ponunt, re certè efficitur. siquidem tractare litteras non est sine scriptis antiquis: scripta antiqua nec legi vtiliter possunt nisi intellegas, nec intellegi sine emendata scriptura Si litteræ igitur vtiles rebus humanis: (& quis ille Thrax qui hoc neget?) vtilis & interpretatio scriptorum veterum & emendatio. hoc autem vnum nos agimus. At idipsum leue est, inquiunt alteri. Nescio. nisi hoc scio, hæc leuia numquam erit vt præstent ipsi. Sunt enim ex illo genere qui subnixi ambulât in columnis legum & peristyliis, qui sophismata aliquot texere sciunt & retexere, qui eidem si casu incidant in scriptorem veterem, beatos se putant si millesimam eius partem intellegant. Sed maioris operæ sunt libri de iure scripti. Si vt Cuiacius, Brissonius & ille flos doctorum ius tractant, fortasse fatebor: sin vt ipsi, pernegabo. Et fremant licet. maioris ingenij, doctrinæ, iudicij est vnus Turnebi aut Scaligeri libellus, quàm istorum mille centones. Attamen dignitatem hoc genus scribendi non habet. Fortasse apud vulgum. nam peritos, hoc est veros iudices scio aliter sentire. Caio Cæsari licuit de Analogia scribere salua dignitate; de Grammatica Varroni, Nigidio, sexcentis aliis è medio Senatu: nobis, si pariter ad litteras iuuandas conemur, cur vitio vertant? Nisi si Grammaticos nos tantùm censent, nec grauiori scientia instructos. at ego, si di volent, dabo aliquem ex hac turba, qui non solùm in litteris, sed etiam Politicis, Historicis, Philosophicis præstet, quod victa inuidia mirari cogantur ipsi. tempora permittant modò. Sed ego, mi Duza, fatuus qui litigo cum istis, hoc est, quod Plautus ait, lapidem percutio: hoc potius agamus, & sequere me ad Iuuenalem, poëtam à te in Satyris nimis feliciter expressum. ex quo hæc cursim delibaui.

Contra calumniatores honestè laboris.

Satyra X.

——— *fiet adulter*
Publicus, & pœnas metuet quascumque mariti
Exigere irati.

Iuuenalis multis locis correctus. I.

Scriptus Diuæi liber, *-quascumque mariti Irati debent:* idem postea

Universidad de Deusto
Biblioteca

vidi in manſſ. Carrionis: nec dubitandũ cenſeo, quin aut hæc vera lectio ſit, aut certè --*maritis Irati debent*. vt, Ventis debere ludibrium, Horatius, debere riſum, &c. Nam Latini Debendi verbum vſurpant, vt Græci τὸ ὀφλισκάνειν.

Satyra XI.

XI. ——— *& vox*
Nocte ferè media, mediamq́, audita per vrbem
Litore ab Oceani Gallis venientibus.

Pulmannus notat aliâs legi, *Litore ab occiduo*: at Diuæi cod. *Litore ab Oceano*. rectè. Litus Oceanum, vt Acumen Stertinium, Sulpicia horrea.

Ibidem.

III. — *ille fruatur*
Vocibus obſcænis, omniq́, libidinis arte
Qui Lacedæmonium pedemate lubricat orbem.

De hoc loco poſſis illud, *Cui non dictus Hylas puer?* & quot homines, tot lectiones. Brodęus vt poſui, *Pedemate*: Politianus, *Pityliſmate*: Flauius, *Poppyſmate*: Alciatus, *Pyreiſmate*. Liceat & mihi nugari. pedum viſa eſt via. Scripta omnis lectio & impreſſa antiquitus *Pityſmate*: vel, *Pytiſmate*, vt Diuæi. ex qua lego, *Pygiſmate*. πύγισμα Græci vocant Pędicationẽ. Poëta Siculus, ἀνὴρ ἐπυρίζον τυ, τὺ δ' ἄλγεες. & reſpondet Lacon μὴ βάθιον τήνω πυρίσματος ἰὼν ταφείης. Certè in Iuuenali Lubricat verbũ, neſcio quid obſcænũ præfert, & Lacedęmonium orbẽ (ignoſcite honeſtæ aures) partem videtur vocare auerſam. Sed cur diuiti tribuit Lacedæmonios pueros? ideo, quia ea gens Iuuenalis tẽpore maximè mollis, & pueri inde oriundi in nobilium deliciis. Certè libidinoſam Lacedæmona Martialis vocat,

Thebas carmine cantet, aut Mycænas,
Aut claram Rhodon, aut libidinoſæ
Ledæas Lacedæmonis palæſtras.

Et Philoſtratus clarè eos inſimulat lib. IIII. De vita Apollonij: *Occurrerũt ei*, inquit, *Lacedæmoniorum legati, haudquaquam habitu Laconico, ſed molli atq; laſciuo, atque ipſi deliciis omnibus adfluentes*. Et ſtatim addit eos fuiſſe *expolitis cruribus, comis vnguento ſtillantibus, abraſis barbis, veſtitu inſuper fluxo ac molli*. Quæ arguunt degeneres maximè poſteros generoſæ illius & priſcæ Spartę Iac. Suſius vir nobilis ſuaſit mihi vt legerem, *orbum*, non *orbem*. & interpretatur de ſene fædo & fætido, diuite, orbo: qui faceret vel pateretur potius, quod fugio dicere. Sed non vltrà chartam mihi inquinent hæ ſordes.

Satyra XIIII.

IV. — *dolia nudi*
Non ardent Cynici, ſi fregeris altera fiet
Cras domus, atque eadem plumbo commiſſa manebit.

Lectio inepta & ſibi aduerſa. quomodo enim altera fiet domus, & ſimul manebit eadem? Bene vetus Diuæi, *aut eadem plumbo commiſſa*. Vt vulgus intellegat, ſciendum dolia apud antiquos non ex ligno fuiſſe, vt nunc, ſed fictilia ex terra. de quo vide Plinium libro XXXV. cap. XII. Tale Diogenis dolium fuiſſe docet clarè ſequens verſus,

Senſit Alexander teſta cùm vidit in illa
Magnum habitatorem.

nam

nam ait, Teſta. Sententia igitur eſt. Diogenis domus non ardebit, quia ex terra: ſiquis fregerit, vel noua fingetur altera, vel partibus & fragmentis coniunctis inſtaurabitur eadem. Plumbo committi, intellexit Plumbaturam, Ferruminationem, quam ſimili verbo Græci μολύβδωσιν dicunt.

Satyra IX.

---melius ne hic ruſticus infans V.
Cum matre & caſulis & cum luſore catello
Cymbala pulſantis legatus fiet amici?

Nugatur hic Domitius, & ſcio vulgò non intellegi. quorſum enim de puero qui legatus fiat? At tu me auctore emenda, *legatum fiet amici*. Notum quid Ieu vocent legatum. Ait igitur in perſona Næuoli Iuuenalis, Nónne æquius erat pauca iugera terræ cum matre, cum puero, donare exhauſto clienti, quàm vt ea teſtamento legares neſcio cui amico molli & de cohorte tua? Hoc velle eum manifeſtant ſequentia.

Satyra VII.

Quod votis pretium? ſiccus petaſunculus, & vas VI.
Pelamydum: aut veteres Aſrorum epimenia bulbi.

Diuæi liber, *epimenia bulli*. & gloſſæ ad oram ſcriptę, *Bulli, id eſt, piſces exigui viliſſimi*. Sunt quidem illæ gloſſæ barbaræ, multis locis contaminatę: ſed tamen in quibus antiquitatis veſtigia comparent, & quæ Cornutum interpretem ſæpe citent. Hanc certè lectionem non eſſe de nihilo, docet Gloſſariũ vetus ab H. Stephano, *Bulli*, χρυσοκάνθαροι. quod ipſum Gloſſarium amat adſpergere quædam ex Iuuenali. vt, *Abaci, delfica*. μνιςήριον, ὡς Ιυβεναλιος. intelligens illum verſum Satyra III. *vrceoli ſex Ornamentum abaci*: &, *Apicus*, ὀπώνικης, ὡς Ιυβεναλιος, de iſto ſentiens,

Et diuina apici rodebant carmina mures.

Quid bulli

Loci Iuuenalis, qui in Gloſſario veterl.

vbi tamen vulgò melius, *opici*: &, *Aſſeres*, δοκίδες, ὡς Ιυβεναλιος, ad verſum alludens *-ferit hic cubito, ferit aſſere duro Alter*. vbi aſſerem rectè Domitius accipit pro ligno eminenti quo lectica ſuſtinetur. item, *Aſtræa*, παρθενος, δικαιοσύνη, ὡς Ιυβεναλιος, ad verſum *Paullatim deinde ad ſuperos Aſtræa receſſit*. Ceterùm nec vulgata lectio de Bulbis ſpernenda videtur. Nam & Martialis lib. I. inter munera cauſſidicis mitti ſolita Bulbos ponit, *Et ficus Libycæ gelata teſta,*
Cum bulbis, cochleisq́, caſeoq́,.
& Plinius libro XIX. Bulbos in Africa natos maximè laudari ait.

Ibidem.

Perq́, forum iuuenes longo premit aſſere Medos. VII.

De lectica intellegit: ſed malim legi, *Mæſos*. Nam Medi & Parthi expertes erant ſeruitutis Romanæ, & alioqui ſolent robuſtiſſimos ſeruos ex Mœſia adhibere huic muneri, aut etiam Syros. Sat. IX.

——— *& duo fortes*
De grege Mæſorum, qui me ceruice locatæ
Securum iubeant clamoſo inſiſtere circo.

Satyra VI.

Ad mœchum veniet tota cute. quando videri IX.
Vult formoſa domi? mœchis fol iata parantur.

Simile

Universidad de Deusto
Biblioteca

Simile de mulierum moribus Lucilius, lib. xv. Satyrarum:

Cum tecum eſt, quiduis ſatis eſt. viſuri alieni
Sint homines: ſpiram, pallas, redimicula promit. Sat. IV.
IX. *Proximus eiuſdem properabat Acilius æui*
Cum iuuene indigno quem mors tam ſæua maneret,
Et domini gladiis iam deſtinata.

Peccat verſus. nam Deſtino ſemper media breui. Lego, *tam feſtinata*, vel, *iam deſignata.* Sat. II.

I. *Signatæ tabulæ. dictum feliciter. ingens*
Cæna ſedet: gremio iacuit noua nupta mariti.

Quid eſt, Sedere cænam? niſi ſi Cænam pro Conuiuis ipſis accepit. Sed placeat legi & diſtingui, *ingens Cæna: ſed & gremio.*

Ibidem.

XI. *Et Capitolinis generoſior & Marcellis*
Et Catulis Paullisq; minoribus: his licet ipſum
Admoneas, cuius tunc munere retia miſit.

Notat Domitius duos fuiſſe Paullos columina familiæ, alterum qui ad Cannas cecidit, alterum qui Perſea vicit. & hic, inquit, minor dictus fuit. Domitio cras credo, hodie nihil. Scribo ipſe, *Paulliq; minoribus.* id eſt, poſteris Paulli. Scribe etiam *Admoueas.* Hactenus de Iuuenali. Mitto ad te adiunctum carmen noſtri Lernutij, in quo omnia laudo, præter laudes meas: quas ille tractauit nimis amicè.

IANI LERNVTII ELEGIA, AD LIPSIVM.

ET Genÿ ingeniiq; potens cultiſſime Lipſi,
Naſcentem placidis quem dea Suada oculis
Dum rapuit, Lethæ eripuit; atq; inuidia ipſa
Maiori indulſit viuere perpetuum:
Quis nunc in ſtudiis te ſuſpicer excolere æuum?
An tetrica Aſtræa munia Iuſtitiæ
Indefeſſus obis? patriiq; oblita retractas
Iura fori, & magnum es æmulus AEmilium?
An longinqua patrum facta, atque antiqua reperta
Sedulus inuiſis eruis è tenebris?
An genis ipſe tuo felici è pectore, quæ mox
Præſens, & ventura omnia ſæcla legant?
Et modò liberiora iuuat contingere verba
Melle Arpinati Cecropioq; ſale?
Et modò ſtat choreis luſtrare Helicona nouenis,
Plectere & in numeros carmina dia ſuos?
An potius denſa Grudiûm admirante caterua
Exponis Veneti ſcripta operoſa Titi?
Perfunctusq; tibi temet furaris: & horti
Rure tui gaudes præ ſene Corycio:
Horti quem Ver aſſiduum, quem Flora Venusq;
Incolit, & Zephyri credidit hoſpitium.

Non

Non tibi nequiquam mentem ex meliore metallo
Iapetoniades indidit atque animum:
Qui vulgi de more inſanis otia curis
Tranſigere, & tacitas condere opes cuperes.
Sed mage qui priſcis poſſes certare diſertis,
Siue tuis Theſeu, ſiue Quirine tuis.
Per quem barbaries noſtro procul orbe fugata
Cocyti obſcuras ſe abderet in tenebras:
Cuius de Borea laus iret dicta ad Auſtrum,
Iret ad Eoos, iret ad Heſperios.
Ergo Arcas diuûm interpres, & carminis auctor
Cynthius, & Pallas virgoq; masq; eadem:
Et Paphiæ comites dominæ ſine veſte ſorores,
A puero meritis dedita turba tuis,
AEterno ſanctoq; tui inflammantur amore,
Certatim grates & tibi perſoluunt.
Aruaq; Theſpiades fuſæ per aprica puellæ
Exercent dextras in tua dona agiles.
Hæc apium intexit caſiæ: metit hæc amaranthos:
Illa roſis pingit lilia puniceis.
Altera ſeptenas modulatur pollice chordas,
Et ſimiles chordis voce ſonos animat.
Illa tuum nomen, bifidi ſuper ardua montis
Culmina, corticibus ſcalpit in arboreis.
Nec iam Niſigena aut Thyaſos inducit Iaccho,
Aut iacet heſterna membra grauis crapula:
Muſarum manibus ſed ſerta tibi interplexa
Fert vigil, & mentis ipſe ſuæ dominus.
O cælo dilecte, tui flos vnice ſecli
Salue, ait, & propriis macte potens opibus.
Nec tibi ſit Craſſos mirari diuite ab auro,
Amplaq; ab auratis atria porticibus:
Aut Arabo aduectas Indóue ex æquore merces
Expetere, aut ſuccis vellera lota Tyri:
Iſta leues iactent animos per fanda nefanda,
Tu cape pugnatæ præmia militiæ.
En ego te niueis ſubuectum ad ſidera pennis
Mnemoſynæ ſtatuo conſpicuum ante pedes:
Et capiti impoſita immortali è fronde corona,
Hæc tua circumeat tempora, temporibus
Omnibus intemeranda: micantem fulgida ad Arctos
Dum ſtabit Creſſæ torta corolla deæ.
Sic ille. adſenſu plauſere Agamippides vno,
Et patria Phœbus plauſit ab Ortygia;
Ipſeq; thyrſigerum mouit caput Euius Euan:
Fallor? an ad plauſum cor mihi ſubſiliit?

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST XXVI.

I. LIPSIVS IOANNI VVAMESIO, I. C.

Ex legibus xij tabul. fragmenta aliquot restituta apud Plinii.

VT leuiter immutem versus poëtæ veteris,

Qui vtuntur vino veteri sapientes puto:
Et qui libenter veterum scripta perlegunt.

Me quidem etiam illa antiquissima delectant legum veterum verba. è quibus pauca, quę apud Plinium nuper emẽdaui, facio iudicij tui vir clarissime. Plinius lib. XVIII. cap. III.

Frugem quidem aratro quaesitam furtim noctu pauisse ac secuisse, puberi xij. tabulis capital erat, suspensumq; Cereri necari iubebant grauius quàm in homicidio conuictum: impubem Praetoris arbitratu verberari, noxámve duplionémve decerni.

Exemplum vbi Prator, Consul dictus.

Pulcra lex. sed in postremis verbis menda est, quam tollo sic, *noxaeve duplionem decerni.* Quod ait, *Praetoris arbitratu verberari:* Prætorem accipio Consulem. Nam Decemuirorum tempore, hauddum creati Prætores: sed id nomen in Consulibus erat Varro apud Nonium, *Quod eidẽ dicebantur Consules & Praetores: quòd prairent populo, Praetores, quòd cõsulerent Senatum,* (ita lego, non vt vulgò, *Senatui*) *Consules.* Manuit autem nomen Prætorum in Consulibus, vt Io Zonaras tradidit, ad x. viros exactos, id est; ad L. Valerium & M. Horatium cos. Zonaræ adseuerationem confirmat vnicũ, quod sciam, exemplum huius legis: cùm de eius fide tamen alij dubitarint. Hoc amplius moneo, verba illa *Suspensumq; Cereri necari,* in suspicione mendi esse. nec Suspendi Cereri aut necari, temerè inuenias in formulis legũ antiquis. at, *Cereri Sacer esto, Ioui sacer esto,* solemnis sanctio fuit, ideoq; videndũ ne Plinius si fortè scripserit *Sacratũq; Cereri.*

I. *Varro apud Nonium correctus.*

II.

Plinius lib. XXI. cap. III.

III. *Inde illa xij. tabularum lex: qui coronam parit ipse pecuniáve eius virtutis ergo arguitur.*

Puto leg. *virtutis ergo arduitor.* Arduo, duplex Archaismus. Primum Arduo pro adduo, r. loco d. vt Arfines, Aruocati: deinde Duo, pro Do. cetera lex recta est: & nollem doctissimum Rœuardum mutasse. quod docebo in Commentariis ad XII. leges.

Libro XI. cap. XLV.

IV. *Est in aure ima memoriae locus, quem tangentes attestantur.*

Despice quæso, nec habebis quod ex his verbis elicias. Præclarè emendo ad morem veterem, *tangentes attestantur.* Nam in Antestatione, memoriæ caussa, actor auriculam imam tangebat antestati, cũ hoc verbo, Memẽto. Alluſit Virgil. *Cynthius aurem Vellit & admonuit:* & est apud Laurinos lapillus, in quo caput sculptum & manus aurem attetens cũ verbo Græco, μνημονεύε. Caue igitur dubites quin huc Plinius respexerit. Legẽ ipsam de Antestatione, quæ legitur apud interpretem Horatij his verbis, SI VIS VOCATIONI FVAT TESTAMINI, IGITVR EM CAPITO ANTISTARI puto sic emend. SI VIS VOCATIONI FVAT, ANTESTAMINOR: NI IT, AVREM CAPITO ANTESTATI.

Mos antestandi.

EPIST.

EPIST. XXVII.

I. LIPSIVS PETRO DIVAEO.

ITA valeam mi Diuæe, vt anxium me habuit hos dies tua valetudo. Virorum bonorum & patriæ amantium magna raritas est: &, vt hæc tempora fluunt, magna necessitas. Eò magis gauisus sum melius factum esse tibi: & quia ab animo iam satis firmum te esse cognoui, misi Notas aliquot meas in Panegyricis illis, quorum lectione olim capiebaris. Spero non solùm non molestam tibi fore lectionem rerum taliũ: sed, vt in Alphonso rege, iucundã & salutarem. quem fama est è grauissimo morbo Q. Curtij sola lectione recreatum atq; refectum. In Nazarij Panegyrico ad Constantinum, pag. 207.

Panegyrici scriptores variè emendati.

Non enim qui bellorum euentus solet esse, per varios & volubiles casus maris, dubius errauit.

I. Probo tuum, *Mars dubius.* Pag. 215.

II. *Tu ferociſsimis regibus Ascarico & comite suo captis tanta laude res bellicas auspicatus es vt iam inauditæ magnitudinis obsidem teneremus.*

Viennensis lib. *vt eam:* sed scrib. *vt famam.* & paullo pòst, *Chamauos,* non *Clamasos.* Pag. 225.

III. *Inuadis primus aciem, solus irrumpis, obumbrant euntem telorum irriti iactus, sonat ictibus vmbo, securus his, quos cùm trabalis hasta deiecit, insultans ferus proterit.*

Videtur scripsisse, *sonat ictibus vmbo, securibus cassis, quas. Ferum* pro equo posuit, vt Virg. Pag. 227.

IV. *Quonam modo te potens Africa, quanto latitiæ fremitu, quàm insolenti voluntate iactasti?*

Rectum, *voluptate.* Pag. 228.

V. *Nam & calamitate obsessis finis est voti miseria liberari, & mox facultas miseriarum parum grata est nisi latitia consequatur.*

Optimè verò tu, *vacuitas miseriarum.* In Panegyrico Latini Drepani ad Theodosium. Pag. 108.

VI. *Ita multiplici circumuentus metu, quasi parum habeam timere quod video, quod timeam.*

Deest vox: fortè leg. *timere quod video, cogito quod timeam.* Pag. 141.

VII. *At vbi impulsa acies, frons q; laxata, ire præcipites, aut gloriando fugere.*

Scrib. *glomerando fugere.* In Panegyrico Flauiensium nomine ad Constantinum. Pag. 238.

VIII. *Vt igitur in prædicandis laudibus patriæ meæ verecundia modũ fecit, ne arroganter insurgerem: ita in commemorandis eiusdem malis, & meus dolor & tuarum aurium consuetudo cohibebit. Nihil enim libenter audis, nisi quos pro tuis gratuleris.*

Emendo, *nisi quod pro tuis pertuleris.* Vale.

INDEX EPISTOLARVM LIBRI V.

I. CAROLO SIGONIO.
II. FVLVIO VRSINO.
III. IANO LERNVTIO.
IV. HENRICO STEPHANO.
V. ANDREAE PAPIO.
VI. LVDOVICO CARRIONI.
VII. IACOBO TAYO, V. N.
IIX. ANDREAE SCHOTTO.
IX. IACOBO PAMELIO.
X. IACOBO SVSIO, V. N.
XI. PETRO DIVAEO.
XII. VICTORI GISELINO.
XIII. GERARDO FALKENBVRGIO.
XIV. FRANCISCO MODIO.
XV. M. ANT. MVRETO.
XVI. PHILIPPO LANNOYO, IVVENI N.
XVII. CORNELIO VALERIO.
XIIX. IOANNI RAMO, I. C.
XIX. PETRO PYTHOEO.
XX. AEGIDIO VLIEGERIO.
XXI. STEPHANO PIGHIO.
XXII. FRANCISCO RAPHELENGIO.
XXIII. NICOLAO STVRIONI.
XXIV. IANO LERNVTIO.
XXV. VICTORI GISELINO.
XXVI. LECTORI.

IVSTI LIPSI

EPISTOLICARVM QVÆSTIONVM LIBER QVINTVS.

EPISTOLA I.

I. LIPSIVS CAROLO SIGONIO, V. C.

VETVS verbum est, Sigoni, Sabini quod volunt somniant: idem ego fortasseam fecerim in aliquot Liuij locis. de quibus tamen opinio tãtum mea fuerit, iudicium tuum esto.

Lib. XXII. de pugna ad Thrasymenum. *Liuius corrigitur.* I.

Postquam in patentiorem campum pandi agmen cœpit, id tantum hostium, quod ex aduerso erat, aspexit: à tergo ac super caput detectæ insidiæ.

Hæsit in hoc loco Glareanus, & Detectæ, inquit, positum est pro simplici, Tectæ. De sententia, non fallitur: de verbi illius vsu, vereor vt cuiquam probet. In meo libro est, *super caput decepte insidiæ.* Fallor, Sigoni? an volentibus Musis emendaui? *super caput decepêre insidiæ.* Hellenismus est, & vsus verbo Decipiendi Liuius, vt Latini vulgò, Fallendi, & vt Græci τὸ λανθάνειν passim.

Ibidem. II.

Quod orta ex lacu nebula campo quàm montibus densior sederat, agminaq; hostium ex pluribus vallibus ipsa inter se satis conspecta, eóque magis pariter decurrerunt.

Res ipsa & Liuij tota narratio clamat leg. *pluribus collibus*, non, *vallibus.* Maximã enim partẽ exercitus in montibus Annibal in insidiis posuerat.

Eodem libro, inferius. III.

Romæ in Auentino, & Ariciæ nunciatum erat sub idem tempus lapidibus pluisse: & multo cruore signa in Sabinis cædis, aquas è fonte calidas manasse.

Priora puto Liuium scripsisse, *lapidibus pluisse, & multo cruore Signiæ.* Ita restituo, pro, *signa.* & notum est Italiæ opidum. Deinde, *In Sabinis Cædis aquas è f. c. manasse.* Illud, *Cædis*, nomen aliquod loci in Sabinis, mihi ignoti. nec succurrit, quomodo emendandum. Aliter, quin hæc eius loci vera lectio sit, præter te, nemo mihi eripiet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. II.

I. LIPSIVS FVLVIO VRSINO.

Nonij Putidula.

NONIVM Marcellum quotiens lego, Fului, cum indignatione & cum inuidia lego. Inuideo, quòd ille bardus, blennus, bucco, tot præclaris scriptoribus sit vsus: indignor, quòd idipsum quod agere voluit, tam soluta, tam lenta manu egerit. Saltem plura ex scriptoribus proposuisset, accuratius libros inspexisset, cum iudicio explicasset, collocasset: si non magnam laudem homini; tamen illud Lucilij daremus,

Sarcinatorem esse summum, fuere centonem optimè.

nunc dum omnia carpit, concipilat, mutilat: quid aliud ille fecit, quàm quod Pentheo Bacchæ? Quamquam fortasse Nonij non omnis hęc culpa est: patres pro parte accusandi, quorum inscitia & incuria effectum, ne id, quod reliquum erat, esset reliquum. Nos tamen, si potest, aliquot membra sanemus.

In Putidum.

Apud Nonium Cato emendatus.

Cato Originum lib. ij. Si inde ignauus putidas, atque senticosas commeatu monere volebat.

Lego, *Is indu naues putidas atque senticosas commeatum ponere nolebat.* vel, *endo naues.*

In Immortalitus.

Et plura Turpilij.

i.

Turpilius Hetæra: Sat me vt meum cor voluptatibus dat, immortalitus se obtulit mihi hæc facultas.

Scribo, *Satine vt m.c. voluptatibus stat? immortalitus s.o.m.h. facultas.* Stare voluptatibus, eleganter dixit, vt Sisenna, *cælum caligine stare*; Titinnius, *agrum stare sentibus.* quasi dicas, plenum esse voluptatibus, caligine, sentibus. Simillima est illa oratio mulieris Plautinæ, *Satine parua res est voluptatum in vita?* & sic ordiri dictionem Comici solent.

In Saucij.

ii.

Turpilius Epiclero: Patrocinantem vbi factum audierit saucius.

Fortè, *Patroclum autem v. f. audierit saucium.* De Achille tergiuersante pugnare, nisi interfecto Patroclo.

In Spissum.

iii.

Turpil. Canephoris: Ita est, verum haud facile est venire illi, vbi spissa est sapientia. Spissum est iter adipisci aut posse, nisi cum magna miseria.

Elegantissima γνώμη, & quam libens restituero. —— *ita est.*

Verum haud facile est venire illo vbi ipsa est sapientia:
Spissum est iter, adipisci haut possis nisi cum magna miseria.

Ex illo, *spissa*, feci, *ipsa.* cetera correctio aperta: & versus Trochaici.

In Confidentia.

iv.

Turpilius Leucadia: Videntur frigus incessum, quàm est confidens diis tunc perdunt.

Lego, *Viden' tu Frygis incessum? quàm est c.? di istunc perduint.*

EPIST.

EPIST. III.

I. LIPSIVS IANO LERNVTIO.

NVPTIAS parare te audio, mi Lernuti, in vxore cui Iuno & Venus fauerunt, id est, dotata & formosa. Exspectas bona verba? Non possum meliora illis Plautinis, —— *sospes*

Iter incipe hoc, vt vxori tuæ semper sis superstes
Vt potior pollentia sis, vincasq́, vxorem.

Mihi crede. rem magnam optaui, & quam Hercules non est consecutus. Parabam Epithalamios versus mittere: sæpius vocanti non adfuerunt Musæ. Brugas ad nuptias tuas demigrasse dicebantur. Eorum vicē Quæstionem adfero nuptialē. Dic mihi, cur partem eam quæ sperata tua est, Iulia Augusti F. Nauim vocarit? Notus est iocus. Roganti conscio libidinum, qua arte cùm tam vulgò se vulgarer, liberos tamen simillimos produceret Agrippæ? *non enim*, respondit, *nisi plena naui tollo vectorem.* An temerè & forte ad nauim mulier acuta (sic enim fuit) alluserit? an potius, quia antiquitas hortum muliebrem, inter alia nomina, Nauim dixit? Quod apparet ex Plauti Mænechmis, Scæna, Sine fores: & Milite, Scæna, Rem omnem. Idem de se volunt illæ feminæ in Aristophanis Lysistrate, Οὐδὲν γάρ ἐσμεν πλὴν ποσειδῶν ἢ σκαφή. *Nauis in obscenis intellectibus.*

& ab eâdem mente adolescens ille in Concionatricibus,

Πῶς ἂν δι' ὀπῆς ἀμφοτέρας δυήσομαι;

Videntur & Concham dixisse metaphora simili. Plauti Rudente seruus ad Venerem: *Sicut & Concha.*

Ignoscere his te conuenit, metus has vt id faciant, subegit:
Te ex concha natam esse autumant, caue tu harum conchas spernas.

Vides quàm licenter! nec petam veniam. Sermo de nuptus est, & velis nolis Lernuti, aliter hæc sacra non constant.

EPIST. IV.

I. LIPSIVS HENRICO STEPHANO.

APVD Liuium oratione P. Sempronij adhortantis ad erumpendum, legimus, Libro XXII. *Liuius fidæ libri restitutus.* i.

Capi ergo mauultis, inquit, ab auarissimo hoste? æstimarique capita vestra pretio? & exquiri ab interrogantibus Romanus ciuis sis an Latinus socius? vt ex tua contumelia & miseria alteri honos quæratur, non tibi? Non vos quidem L. AEmilij, qui se bene mori quàm turpiter viuere maluit, & tot fortissimorum virorum, qui circa cumulati iacent, similes estis.

Optime liber vetus, *vt ex tua contumelia & miseria alteri honos quæratur? non. siquidem L. AEmilij, qui se, &c.* Vide audaciam Correctorum, qui reliquas illas voces ineptissimè inseruerunt.

Statim,

ii.

Ferro atque audacia iter fit quamuis per confertos hostes. cuneo quidem hoc laxum atque solutum agmen ac si nihil obstet, transibimus.

Liuij

Universidad de Deusto
Biblioteca

Liuij sententia comparet, vereor vt verba. Nam vetus illa vltima sic, *at si nihil obstet ius scias*. intricata lectio, ex qua hoc tamen elicio, τὸ, *transfibimus*, Liuij verbum non esse.

In oratione Manlij Torquati de redimendis captiuis.

XII. *Viam non ad gloriam magis, quàm ad salutem ferentem demonstrat: ducem se in patriam, ad parentes, ad coniuges ac liberos facit: vt seruemini, deest vobis animus?*

Liber meus, *demonstraret duces in patriam*. Legendum, *demonstrat: reduces in patriam*.

Ibidem.

XV. *Nisi quis credere potest fuisse qui erumpentibus quin erumperent, obsistere conati sunt: aut non inuidere eos cùm incolumitati tum gloriæ, &c.*

Vide locũ totum, nec dubitabis quin leg. sit, *fuisse, vt erumpentibus quin erumperent obsistere conati sint: at non inuidere*. Omnia ita vetus, nisi quod, *at*, restitui, pro, *aut*. Verbi, *Fuisse*, elegans vsus latuit correctores.

EPIST. V.

I. LIPSIVS ANDREAE PAPIO.

Ego verò, Papi, scientiam non amo sine prudentia: nec solùm quibus doctior fias legenda sunt, sed etiam quibus melior.

Nosti illud,

* Ὡς ὠδὲν ἡ μάθησις, ἢν μὴ νοῦς πάρῃ.

* Quàm nil scientia, absit si sapientia.

Ad hoc postremum, in Latinis, vnicum aio Senecam esse, grauem scriptorem, ô dij! & quem qui diligẽter legerit, præcepta eius imbiberit; tollere caput supra omnia humana possit. Ea re non videor perdere operam, cùm illi corrigendo operam do. quod faciebam hodie in his locis.

De Seneca aliquot locis coniectura.

Epist. LV.

I. *Longum mihi comitatum dederat mala valetudo: repentè me inuasit.*

Scribe, *Longum mihi commeatum*. Commeatum dare, honestè ductum à re militari: id est, diu me morbus dimiserat, nunc repentè adortus.

Epist. LXXII.

II. *Beatus verò & virtutis exactæ tunc se maximè amat cùm fortissimè expertus est: & metuenda ceteris non tantum fert, sed amplexatur. multoq; audire mauult [tantò] melior quàm fortior.*

Ennij correctio in Nonio.

Scito monachale glossema esse, leg. que, *audire mauult melior quàm fortior*. Idem vsus fuit apud veteres verbi Clueo. Notaui in versu Ennij apud Nonium, Cluet: *Per gentes cluebat omnium miserrimus*. vel, *clueat*. Ita lego. Vulgò est, *Per gentes esse cluebat*.

Epist. LIX.

III. *Et quomodo finem vitæ imponere poterit, qui epistolæ non potest? Vale ergo, quod libentius quàm mortis moras lecturus es.*

Leg. *mortes meras*. Nam tota ante Epistola de morte.

Epist. LXXXI.

IV. *Ille qui in scæna elatus incedit & hæc resupinus dicit,*
Impero Argis, regna mihi liquit Pelops

Qua

Qua ponto ab Helles atque ab Ionio mari
Vrgetur Isthmos.

Versus caussa scrib. *Imperito Argis*. Puto ex his Ciceronem emendandum in Oratore ad Brutum: *Verba legenda sunt potissimum bene sonantia, sed ea non vt poëtæ exquisita ad sonum, sed sumpta de medio — Qua Pontus Helles —— superat modum*. leg. que, *Quà Ponto ab Helles*, siquidem ad hunc versum respexit.

Apud Cic. vetus poëta emend.

Epist. XX.

V. *Exemplum Epicuri referam: cùm Idomeneo scriberet & illum à vita speciosa ad fidelem stabilemq; gloriam reuocaret, rigidæ tunc potentiæ ministrum & magna tractantem.*

Omnino leg. *regiæ tunc potentiæ*. Idomeneus ille, minister regis.

EPIST. VI.

I. LIPSIVS LVDOVICO CARRIONI.

Here inter scyphos de Martialis Epigrammate emendando iniecera-ram. visus es lentè & vix adsentiri. Vide Epigramma ipsum, & iterum ad suffragium redi.

Martialis emend. Epig. I.

Lib. II. in Næuolum.

Atque vnam vestire tribum tua vellera possunt
Apula non vno quæ grege terra tulit.
Tu spectas hiemem succincti lentus amici,
Prô scelus, & lateris frigora tuta times.
Quantum erat, infelix, pannus fraudare duobus
Quid renuis? non te, Næuole, sed tineas?

Frigora tuta in sententia frigent. Vidit hoc Domitius & reposuit, *trita*. Puto verum esse, *tute*. Adeò, inquit, amicus friget, vt tuipse vereri possis, ne frigus eius permânet ad te. Dignum hic nota, Latus à Martiali dictum, Lateronem & qui latus legit. Qua mente idem, alibi:

Eutychus ille, tuum Castrice dulce latus.

Idem iterum. II.

& Seneca: *Viri fœminæq; contendunt, vter latus det illis.*

Lib. III. in Lupercum.

Sed nihil erucæ faciunt bulbiq; salaces,
Improba nec prosunt iam satureia tibi.
Cœpisti puras opibus corrumpere buccas:
Sic quoque non viuit sollicitata Venus.

Emendo, *Puras Opicus corrumpere*. Opicis populis frequens rerum turpium vsus, Festus in voce Oscum. Inde vulgò vsurpari cœptum, Opicus ἀῤῥητοποιὸς, infandæ libidinis, qualem hic tangit Martialis. Ausonius,

Eunus Syriscus inguinum ligurritor
Opicus magister. Quia igitur Ligurritores, Opicos dicebant: ea re, arbitror, Iuuenalis mures facetè Opicos dixit, à lingendo,

Iuuenalis explicatur.

Et diuina Opici rodebant carmina mures.

Quanquam ibi Glossarius ab H. Stephano vulgatus agnoscere videatur, *Apici*.

EPIST. VII.

I. LIPSIVS IACOBO TAYO, V. N.

QVÆ cum patre meo amicitia tibi fuit, vir nobilis, eam libens non retineo solùm, sed, quod in me est, augeo. Et herclè verum dicam, consensio maior est naturæ nostræ. Nam, vt scis, pater meus ad arma potius fuit, quàm ad litteras: nos contrà, animi cultum & quietem præoptamus, & alumni Musæ videri volumus, quàm Martis. Hæc Liuiana mitto, exquirendi iudicij tui.

Liuianæ emendationes.

Lib. XXVI.

Secutæ defectionem earũ Hybla & Magella sunt, & ignobiliores quædam aliæ.

I. Vetus, *& Marcella*: sed leg. *Macella*. Nominat Polybius lib. 1. & Marmor vetustum Romæ de rebus Duillij, quod in antiquis expressi.

Pòst.

II. *In æde Concordiæ Victoria quæ in culmine erat, fulmine icta decussaq; ad Victorias quæ in ante fixæ erant hæsit, neque inde procidit.*

Lego, *quæ in antefixo erant*. Festus, *Antefixa quæ ex opere figulino tectis affiguntur sub stillicidio*. Liuius lib. XXXIV. *Iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes, & antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes.* Ibidem.

III. *Sacerdotes publici aliquot eo anno mortui sunt, & noui suffecti.*

In manss. *aliquanti eo anno mortui*. & sic Plautus, Sallustius, aliiq; loquuntur. Canem & furcam iis qui immutarunt.

In Siculorum oratione contra Marcellum.

IV. *Certè præter mœnia & tecta exhaustæ vrbis & refracta deûm delubra, diu ipsis ornamentisque eorum ablatis, &c.*

Addenda vox ex vet. libro, *refracta ac spoliata deûm del.*

De rogatione, L. Attilij Tribunipl.

V. *De iis rebus quid fieri velitis vos rogo Quirites. Plebs sic iussit: Quod Senatus maxima pars sentiat, qui aßidetis, id volumus iubemúsque.*

Iterum vocem addit vetus, *Senatus iuratus maxima*. Lego, *Senatus iurati*. & valdè ea additio ad sententiam facit. Notum est, grauioribus in rebus Senatum iuratum sententiam dixisse. exempla apud Ciceronem. Illud, *qui aßidetis*, quid in hac solemni formula valeat, qui explicauerit, vir esto. Liber meus, & ante Sigonium alij, *qui adsidens*. Ego taceo.

EPIST. IIX.

I. LIPSIVS ANDREAE SCHOTTO.

GELLIVM an Agellium dicemus, qui Noctes Atticas scripsit? Agellium constanter libri scripti, etiam illud optimæ notæ fragmentum Giselini appellant:

De Agellij nomine.

Agellij Noctium Atticarum liber x. explicit.
Incipit xj. Feliciter. C. Aurelij Romuli.

Cecropias noctes doctorum exempla virorum
Donat habere mihi nobilis Eustochius.
Viuat, & æternùm lætus bona tempora ducat,
Qui sic dilecto tanta docenda dedit.

Hæc in fine libri Noni, vt vulgata distinctio est, in membranis illis leguntur. Priscian. etiam nomina propria deducit à Seruo Seruilius, ab Agello, Agellius. Dignum nota de numero libri. Ita & X I. eædem appellant, qui nobis Decimus. vt suspicio sit librum è prioribus vulgò perisse. Vide ista lib. IX. cap. I.

Idem scriptor variè correctus. I.

Quod de sagitta & lapide dixit, hoc de omni ferè missili telo dici potest. II.

Abest ab illis, *telo*.

At si editiora mittas, & ad percutiendum supernè aliquid manum & oculos collimes: quò modus à te datus fuerit, eò telum ibit quod ieceris. III.

Ibi est, *si in editiora*, &, *conlinies*, &, *quò modus à te datus tulerit*.

Nam defendere & offendere inter sese aduersa sunt, quorum alterum significat ἐμποδὼν ἔχειν, alterum ἐκποδὼν ποιεῖσθαι, quod hoc in loco à Q. Claudio dicitur.

Auctior aliquantis verbis scripta lectio, ἐμποδὼν ἔχειν, *id est, incurrere in aliquid & incidere: alterum* ἐκποδὼν ποιεῖν, *id est, auertere atque depellere*. nec hærebis, quin hæc interpretatio ab ipso Agellio sit.

Cap IV.

Qui si impensius fortè laudauerint pulchras arbores, segetes latiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu opimas. IV.

Membranæ, *partu atque cultu optimas*. rectè.

Cap. VI.

Vngo, vnctus, vnctito: Scribo, scriptus, scriptito: Moneo, monitus, monito. V.

Quis legit monitare? Bene in scidis, *Moueo, motus, motito*.

Cap. VII. De foliis olearum.

Et quæ pars eorum fuerat inferior atque occultior, eam suprà fieri atque exponi ad oculos & solem. VI.

Alij volunt, *suprà ferri*. In illis, *superfieri*. optimè, vt Lucret. Confieri. à Superfio & Confio.

Cap. IX.

Quando ex pœmatis Græcis vertendæ mutandæq; sunt insignes sententiæ. VII.

Ibi est, *imitandæq; insign. sent.* passionis significatione: & rectè.

Primum omnium diuersum esse dicebat Probus, quod apud Homerum quidem virgo Nausicaa, &c. VIII.

Scripta lectio, *Primum omnium id visum esse dicebant Probo, quod apud, &c.* germana & cana veritas. Refert enim hæc Agellius audita à Probi discipulis: *Memini*, inquit, *me audisse ex Valerij Probi discipulis.*

Studia atque oblectamenta in venando Dianæ honestè aptèq; dicit. IX.

Ibidem, *aperteq; dicit*. bene. & statim, *pharetram tantùm*, non, *tamen*.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPIST. IX.

I. LIPSIVS IACOBO PAMELIO, THEOLOGO.

AVDIO te, clarissime Pameli, in emendando Tertulliano esse. Maior, an vtilior à te res suscepta, nescio. Scriptorem plenum antiquæ & reconditæ doctrinæ, corrigere arduum: eumdem correctum dari, non solùm vestra Theologorum interest, sed nostra omnium qui litteras Græcas Romanasque tractamus. Tanta in eo viro & tam varia eruditio fuit. Ita in efficiendo, labor: in effecto, laus ingens tibi proponitur. Notabam olim hunc locum in Apolog.

De Tertulliani loco coniectura.

Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa iurat, omnibus dis proponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia crucium sunt: suppara illa vexillorum & candelabrorum stolæ crucium sunt.

Lego, *imaginum suggestus insignis*. correctio, de sensu, non leuis. Signa cohortium intellegit, in quîs imagines Cæsarum aureæ & argenteæ gradatim ad hastam aliæ super alias erant adfixæ. Imaginum rotunda forma, clypei dicti. Formam eiusce rei sæpius in marmoribus vidimus & nummis vetustis. Hanc congeriem imaginum doctissimus scriptor Suggestum vocat, quasi dixeris, contextum. Statius lib. 1. Siluarum.

Signa cohortii, & imagines signorum.

—— *celsæ procul aspice frontis honores*
Suggestúmque comæ.

Glossæ veteres, *Suggestum*, ὕφος. Hasdem imagines intellexit Tacitus Histor. lib. 1. *Viso cominus armatorum agmine vexillarius comitantis Galbam cohortis, dereptam Galbæ imaginem solo adflixit.* & alibi. *Ipso Kalend. Ianuar. die dirumpunt imagines Galbæ, quarta legio promptius, duodeuicesima cunctanter.* Sed in Tertulliano illud, *Candelabrorum*, ~~sanequàm acutè~~ Scaliger vertit, *candes labarorum*. In priscis tamen editionibus, *Cantabrorum* legitur, & in Minutio qui hunc locum æmulatus: *Nam & signa ipsa & cantabra & vexilla castrorum, quid aliud quàm auratæ cruces sunt & ornatæ?* Nisi & hîc placet *labara*. aut si fortè vtrobique, *Contabra*, à contis.

EPIST. X.

I LIPSIVS IACOBO SVSIO, V. N.

I

Emendatur Liuius locis quattuor.

SI vacas vir nobilissime (etsi quando tu studiis non vacas?) velim considerare te hos Liuij locos, quos, meo animo, non pessimè emendaui libro XXII. Statim initio.

1. *Duos se Consules creasse, vnum habere. quod enim illi iustum imperium, quod auspicium esset magistratus: id à domo, publicis priuatisq; Penatibus, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre. nec priuatim auspicia sequi.*

Offendit in hoc loco Glareanus, nec tam immeritò quàm videri vult Sigonius. Nam vitiata & scriptura & distinctio tota est. Restituo, *Quod enim illi iustum imperium, quod auspicium esse? Magistratus id à domo, &c.* clara lectio, confirmata etiam à codice meo.

Infrà.

Infrà.

His Senatusconsultis perfectis L. Cornelius Lentulus Pontifex Maximus consulente collegio Pontificum, omnium primum populum consulendum de Veresacro censet: iniussu populi voueri non posse. 11.

Lectio vetus, *consulente collegio Prætorum*. Dico verum esse, *consulente collegium Prætore*. Persuadet Romana consuetudo, qua talibus in rebus receptum, vt in absentia Consulum Prætor ad collegium referret. at collegium ipsum numquam solet consulere Pontificem, quod hæc lectio velle videtur. Nequi vltrà dubitet, de Prætore hoc ipsum Liuius antè dixit, *Senatus quoniam Fabium belli cura occupatura esset, M. Æmilium Prætorem ex collegij Pontificum sententia, omnia ea vt maturè fiant curare iubet.*

Infrà, de Fabij imperio æquato cum Minutij.

Ipse qua grauitate animi criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem & populi in se sæuientis iniuriam tulit. acceptisq; in ipso itinere litteris Senatusconsulti de æquato imperio, satis fidens, &c. III.

Quomodo est vt Senatusconsultum de æquato imperio Fabius acceperit, cùm nullum fuerit? Nam planissimè hoc plebiscitum fuit, non SC. nec quidquam magis inuito Senatu extortum. Audi Minutium ipsum: *Itaque plebiscitum quo oneratus magis quàm honoratus sum, primus antiquo abrogoque*. Ait, *Plebiscitum*. Ergo emendo, *acceptis in ipso itinere litteris Senatus de æquato i.* Nam Senatus hæc atque talia de rep. scribere ad prouinciales magistratus solet. Exempla infinita.

Posteà.

Tum Fabius primò clamore pauentium audito, dein conspecta procul turbata acie: ita est, inquit, non celerius quàm timui deprehendit fortuna temeritatem. Fabio æquatus imperio Annibalem & virtute & fortuna superiorem videt. sed aliud iurgandi tempus. IV.

Plutarchus, qui multa à Liuio, hoc dictum Fabij effert, ὡς τάχιον μὲν ἢ ἐγὼ προσεδόκων, βράδιον δὲ ἢ αὐτὸς ἔφευδε Μινούκιος ἑαυτὸν ἀπολώλεκε. vt videatur hîc inducta negatione leg. *Ita est, inquit, celerius quàm timui.* nisi placet interrogantem pronuntiasse. At sequentibus verbis lectio vetus erat, *Fabio æquatum imperio.* primusq; Valla immutauit. Credo verius fore, *En Fabio æquatum imperio: Annibale & virtute & fortuna superiorem videte*. Illud, *En*, repetij ex syllaba vocis prioris. Est autem amara & viro graui apta irrisio, quam Sarcasmon vocant.

EPIST. XI.

I. LIPSIVS PETRO DIVAEO.

NOs quidem, mi Diuæe, de historia scribenda sæpe agitauimus: cuius hæc tempora intueor, vereor vt frustrà. Quis enim ille tam confidens aut tantis ceruicibus, qui audeat historiam vsquequaque veram scribere! quis regum illa ἀρρήτα, &, vt Tacitus noster appellat, *arcana imperij*, prodi vult? Denique vbi illa Iuuenalis,

Simplicitas, cuius non audeo dicere nomen?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc si absunt, & si per adulationes & vanitates explenda narratio est: audebo dicere, pereat potius historia. Scis fremuisse nos sæpe in lectione scriptorum nostri æui: & ex antiquis bilem mihi etiam mouet Velleius. Ælium Scianum omnibus virtutibus accumulat, & quasi in theatro, plena manu dilaudat. Os historici! at nos eum scimus natum & exstinctum exitio generis humani. Liuiam Augustam, post multas laudes, diis quàm hominibus similiorem feminam concludit. Iam de Tiberio, flagitium sit si vsquam aliter quàm vt de Ioue immortali loquatur. Hæc liber & ingenuus animus quî ferat? Contrà vt Germanici Cæsaris virtutes vbique callidè dissimulat? vt Agrippinam, & quibus aliis infensior Tiberius credebatur, obliquè premit? Quid multa? non aliquid quàm mancipium aulæ agit. Dices, intuta illis temporibus veritas fuit. Fateor. sed vera scribere si non licuit, falsa non debuit. Nemo silentij causſam reddit. Hoc nobis, mi Diuæe, hactenus faciendum censeo. Ceterum in illo ipso Velleio, antiquitatis causſa, vide has Notas.

Velleius Paterculus adulator in historia.

Eius bini loci restitutio.

Libro II.

Pietas sua Cæsarem pænè obstructis hieme Alpibus in vrbem traxit ad tutelam imperij. eum veris initio reduxit in Germaniam, in cuius mediis finibus ad caput Iuliæ fluminis hiberna digrediens princeps locauerat.

De Iulia flumine Germaniæ dubito. & fortean leg. *Lupiæ fluminis.*

De clade Variana.

Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, præsidia munit, se magnitudine sua, non fiducia hostium metiens: qui Cimbricam Theutonicamq; militiam Italiæ minabantur. vltra Rhenum cum exercitu transgreditur, Armenio territo, quem arguisse pater & patria contenti erant.

Spuria & inepta lectio est à patre Rhenano. Nam vetus editio, *cum exercitu transgreditur, arma interfecti, quæ arguisse*. Ad illa vestigia verissimè emendaui, *arma infert, quæ arcuisse*. Non solùm, inquit, Tiberius repulit & arcuit arma Germanorum, quod vnum exspectabatur, sed vltrò etiam intulit.

EPIST. XII.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO SVO.

QVOD in hominibus singulis, mi Victor, idem in gentibus vsuuenit, vt aliæ iudicio plus valeant, aliæ ingenio. Germanis plerisque ingenij celeritas, & facilitas quædam insita ad doctrinam numquam defuit: defuit illud acre & politum iudicium. idem est in illo tractu omni Septemtrionis. At Italis peculiaris est laus iudicij, sicut & populis iis qui pertinent ad Meridiem aut Ortum. Nostra Gallia interiecta media est, &, vt Nonius loqui Ciceronem voluit, amborum quasi cinnus. Non omnia peccat igitur amicus ille noster, qui multum defert Italis. peccat in eo, quod nec laudari nec corrigi æquo animo fert nisi ab Æneadis. Quæso, an quia Galli cor non habent? qui mihi quidem hodie sic perpoliti videntur omni genere doctrinæ, vt nihil interfit præter cælum & solum.

solum. Exemplo sint vel Brugæ vestræ. Versum illum Lucretij de quo scripseram, lib. II. inuenies:

De Lucretij versu coniectura.

Huc accedit vt in summa res nulla sit vna,
Vnica quæ gignatur, & vnica solaq; crescat:
Quin cuiusque sient sæcli, permultaq; eodem
Sint genere: in primis animalibus indice mente.

Exemplo in suo quoque genere animalium docere vult non esse vnicum sæclum. sed aptè postremo versu emendo, *inprimis, animalibus iniice mentem.* Vide & has in Nonio obseruationes.

Nonius, in Genitiuus pro Ablatiuo.

Lucilius lib. ix. Si nihil ad faciem, & si olim lupa prostibulúmque Nummi opus atque abst.

Lucilius emendatur.

Videtur Iunius legere voluisse, *Numini opus sit & obsit.* longè à Lucilij, & longius à Nonij mente. quomodo enim hic Genitiuus pro Ablatiuo? Gloriari apud te liceat, bene correxi, *Si nihil ad faciem, & solum lupa prostibulúmque: Nummi opus atque assis.* Si non quæritur, inquit Lucilius, eximia facie scortum, sed tantum vile aliquod & è numero togatarum: nummo vno & asse res confiet. Nonius autem sic accepit quasi Nummi opus dixisset, pro Nummo est opus: sed verius videtur opus nummi, vt rem esse dicimus vnius nummi.

In Contari.

Contari, curationem differre. Virg. vj. Qui nobis contando restituit rem.

Et Nonius.

Mira interpretatio, & illa Iunij correctio, *curationem deferre*, vt Varro loquitur, etiam mirior. vnde enim hæc sententia ex versu Virgilij? Tu lege, *cum ratione differre*, & hoc elici Nonius voluit.

In Compos.

Attius Clytæmnestra: Cur me miserā irridet magis compotē & multis malis?

Attius.

Scribo, *magnis compotem &*. Compos malis, pro malorum. vt Plautus, *Vino modò cupidæ estis*, pro, vini: & Turpil. Expers malitiis: *Educta vt par est, expers malitiis.* idem Plautus, *Eo more expertem te factam aduenientem offendi domum.*

Item Turpilius tribus locis.

In Dominus.

Turpilius Philopatro: Fortè eo die meretricis ad me de leuitate Atticæ vt cùm venerat, quidam dixerat quæ cœnam apud me Thais atque Erotium Antiphila Pythias: ego extrà cubui domina.

Sunt Trimetri versus, vt solet in Narrationibus: sic componendi & corrigendi:

——— *fortè eo die*
Meretrices ad me delenificæ Atticæ
Conuenerant, condixerantq; cœnam apud
Me, Thais atque Erotium, Antiphila, Pythias:
Ego dextra accubui domina.

Emendaui, *dextra accubui*, quia de conuiuio sermo est, in quo se dominam dextro loco accubuisse ait.

In Inuitare.

Turpil. Thrasyleonte: Onera mensam, talos, vinum in hæc huiusmodi, quibus rebus vita amat tum inuitari solem.

Sunt

Universidad de Deusto Biblioteca

Sunt pariter Trimetri. corrigo,

Onguenta, mensam, talos, vinum, hæc huiusmodi,
Quibus rebus vita amantum inuitari solet.

ex sententia Nonij, qui Inuitari interpretatur Delectari. Quod scripsi, pro, *Onera*, *Vnguenta*, siue antiquè, *Ongenta*: tamen scibis Iunium nostrum maluisse, *Coronam, mensam.*

In Insolens.

Turpil. Demetrio. Timere occæpit interdum oscitarier ineptus: Quid mihi vellem ex insolentia nesciebam.

Numeros & lectionem restituo,

Timere occæpi, & interdum oscitarier:
Ineptus, quid mi vellem, ex insolentia
Nescibam.

est adolescentis cuiuspiam sermo, qui narrat initium sui amoris. Ad eam rem malim etiam, *Et tremere occæpi.* Non enim timor tam occupat amantes, quàm tremor.

EPIST. XIII.

I. LIPSIVS GERARDO FALKENBVRGIO.

Hui! tam longum silentium tuum? cui tamen vt possim ignoscere facit migratio tua. Nam ita mihi adolescens vestrâs dixit, qui nuper prehendit me in foro, migrasse te ad illustrem Comitem Benthemium. Gratulor fortunæ tuę, sed inuideo quieti. Nam nos hic iterum in mediis turbis. Belgica nostra numquam sic tumuit. qui motus quorsum euadãt -θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, ait ille.. Considera sodes hæc Liuiana.

De Liuij loco quæsitũ.

Libro XLV. De Perseo capto.

Pullo amictus pallio Perseus ingressus est castra, nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret.

Vetus lectio erat, *Pullo amictus illo Perseus.* Turnebus lib. XVI. legit, *Pullo amictus villo.* Sigonius suspicatur, *Pullo amictu ille ingressus.* vt, *Perseus*, sit glossema. Sed aliud mehercle subest. Mirum ni ab epitoma scribendi diffusus error, leg. que, *Pullo amictu simul filio Perseus.* quasi scriptum fuerit, *si filio.* nec nimium adfirmo de verbis, de sententia scio Liuium hoc voluisse. Docent verba sequentia, *nullo suorum alio comite.* non dixisset, *alio*, si Perseus ingressus solus. Docet & historia. nam Perseus vnà cum maiore filio perductus ad Consulem, & inde Romam fuit. Liuius pòst: *& Perseа quidem cum maiore filio Philippo traditos A. Posthumio, in custodiam misit, &c.* Præter oscitantiam scribentium, corrumpendo etiam loco fuit ignarum genus dicendi, Simul filio: vt Græci vsurpant suum ἅμα. Tacitus, *Laodiceni, simul Magnetibus, transmissi.* & Annal. V. *Aceruatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco simul ac Caluisio Sabino, maiestatis postulantur.* Nemesianus in Cynegetico: de catulis,

Simul filio Hellenismus.

Hos igitur genetrice simul, iam vere sereno
Molli pasce sero.

Id est, Catulos simul & genetricem siue fœtam.

EPIST.

EPIST. XIV.

I. LIPSIVS FRANCISCO MODIO.

Ecce verò liberè te monui nuper, caudrès eos qui cauendi. Nónne hoc ipso amicus? Nam adsentari, subseruire, secundas ferre, passim nascitur: libertas & castigatio, tantùm in pectore vere amico. Talis tibi sum, talis ero:

Habeasq; animo, mihi admodum causſam grauem
Fore, quæ me ab vllo commodo abducat tuo.

Lucilius correctus apud Nonium, in Graue.

vt obiter concinnem versus Lucilij. Librum recentem N. à prælo quem miseras, legi. quid quæris? numquam illa Calui munera sic perdiderunt Catullum, vt me ista lectio. O Chimæram libri, digni Cęsiis & Aquiniis! Quod quæris de loco Lampridij, in Antonino Alagabalo, cùm turpissima & nefaria stupra illius belluæ narraret,

Nupsit & coiit, vt & pronubum haberet, clamaretq; Conside magire.

Explicatio veius dicti, Conside magire.

quid sit illud Conside magire? Suspicor vsitatam aliquam vocem fuisse nuptialem, & quasi inter iocos Fescenninos. Nam concidendi verbum, inter verba nequitiæ est. Pomponius apud Nonium in Rhetorissas:

Dolasti vxorem nunc eapropter me cupis
Concidere, & iam rhetorissas.

Pomponius emendatus.

ita lego, non, *Dotasti.* In Apuleio lib. IX. *At verò adulter rectissimus inclinatam vxorem fabri securè dedolabat* Cędendi etiam verbum inter turpia, iuxtà ac Concidendi. Laberius, *Neque aliter huic pædicabis. quomodo video adolescenti nostro cædis hillas.* Lucilius, *-vetulam atque viro sam vxorem cædam potius, quàm castrem ego met me.* Plautus etiam ita iocatus est Gassina, *Attate cæduidius tu homo es, nimies delicias facis.* quem iocum aliter non est intellegere. Hinc Ciceronis locum interpretor perceptum à paucis lib. III. in Verrem de Epistola Timarchidis:

Cadere & concidere in verbis Veneris.

Plautini ioci sententia.

CVM LOVVLTEIO QVI PLVRIMVM POTEST, CAEDE CONCIDE. *Videte quàm valdè malitiæ suæ confidat Timarchides, qui etiam Apronio improbitatis præcepta det. iam hoc, cæde concide, nonne verba domo patroni depromere videtur ad omne genus nequitiæ accommodata?*

Ecce. ait esse verba nequitiæ, & ex nequissimi hominis C. Verris domo profecta. scilicet ob eam quam posui causſam. Sed quod in Lampridio additur, Concide magire, ad coquum: ideo obtinuisse quasi prouerbij loco puto, quia libenter veteres Comici in coquos proferebant hos iocos. Plautus sæpe, vt Aululatia.

Ciceronis locus illustratus.

ST. *Postquam obsonauit herus, & conduxit coquos*
Tibicinasq; has apud forum, edixit mihi,
Vt dispartirem obsonium hic bifariam.
COQ. *Me tu quidem hercle, dicam palam, non diuides.*
Si quò totum me ire vis, operam dabo.
ST. *Bellum & pulchrum vero prostibulum popli.*
Post siquis vellet te, haud non velles diuidi.
Atqui ego istuc Anthrax alio uorsum dixeram
Non istuc quod tu insimulas.

Partiri & dispartiri intellectu obscœno. Plautus correctus.

Vbi notandum Partiendi verbum obscœnum esse, vt Diuidere. Et quia inibi sum, quid vetat coniecturam meam de his versibus adscribere? Nam duos illos sic lego:

Me tu quidem Hercled, hîc tam palam, non diuides.
Si quoi totum me reii vis, operam dabo.

& seq. item versu, *Post siquis vellet, hau, non velles diuidi?* interrogando. Hau, interiectio comica. Sed desino, & de Plauto, proprium, si Musæ volent, est opus.

EPIST. XV.

I. LIPSIVS M. ANTONIO MVRETO, V. C.

QVIDQVID Ciceroniani sentiant, ego verò plures Orationes Plinij superesse vellem. Panegyrico ad Traianum sanè capior: &, si quid iudico, species in eo comparet veri Atticismi. Scio & te idem sentire M. Antoni. Ergo non male positam operam putabis si ex eo libro pauca, quasi transiens, emendem. Ab initio, Gryphianæ editionis,

E Plinij Panegyrico ab. lat. aliquot mendæ.

Pag. 361.

I. *Discernatur orationibus nostris diuersitas temporum, & ex ipso genere gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando sint hactenus vt Deo, nunc nusquam vt numini blandiamur: non enim de tyranno, sed de ciue, non de domino, sed de parente loquimur.*

Emendo, *cui, quando sint actæ. Nusquam vt deo nunc, nusquam.* syllabis diuulsis, quæ imperitè cooluerant.

Ibidem.

II. *Et populus quidem Romanus dilectum principem seruat, quantoq; paullo ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat, &c.*

Lego, *dilectum principum seruat.* id enim dicit, populus ipse Ro. discernere & eligere inter principes nouit, & secundùm cuiusque mores, laudes aptare.

Pag. 365.

III. *Solus ergo adhuc, cui pro munere tanto paria accipiendo feciſti, imò vltrà dantem obligasti.*

Scribendum, *qui pro m. t. &, vltrò dantem.* acuta sententia. Paria facere, quod Seneca & Ie^n Pariare dicunt.

Pag. 368.

IV. *At quo temperamento, di boni, potestatem fortunámque tuam moderatus es Imperatori? Tu titulis & imaginibus & signis: cæterum modestia, labore, vigilantia, dux, & legatus, & miles.*

Distinguo, *moderatus es? Imperator tu titulis.*

Pag. 376.

V. *Quàm dissimilis nuper alterius principis transitus ille, non populatio fuit, cum abactus hospitum exerceret, &c.*

Lego, *transitus ille, imò populatio.* sic enim quasi corrigitur.

Pag. 379.

VI. *Ambulas inter nos non quasi contingas, copiamq; tui, non vt imputes, facis.*

Acumen apparebit si scribas, *inter nos, nos quasi.*

Pag.

Pag. 403.

VII. *Tu delubra non nisi adoraturus intras, tibi maximus honos excubare pro templis postibusq; prætexi. Sic fit vt summum dei inter homines fastigium seruent, cùm deorum ipse non adeptus.*

Interpolata ista. repono, *fastigium serues, cùm deorum ipse non adoptes.* Hoc ipso deus haberis, inquit, quòd dei honores non adfectas. Verissima sententia: qua vtinam personent aures Principum nostrorum.

Pag. 405.

VIII. *Et quis iam locus miseræ adulationis restabat, cùm laudes Imperatorum ludis etiam & comessationibus celebrarentur saltarenturq;, atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur?*

Emendo, *ludis etiam & commissionibus.* Simile mendum suprà notaui in Seneca.

Pag. 409.

IX. *In hac ciuitate tertium consulatum princeps generis humani vt prægrauem recusasti? Tantóne Papirius etiam & Quintus moderatior? Augustus, & Cæsar, & pater patriæ.*

Lege, *Tantone Papiriis etiam & Quintiis moderatior Augustus, & Cæsar, & pater patriæ?* Nam comparat modestiam Traiani cum Papirio & Quinctio, qui tamen sæpius coss.

EPIST. XVI.

I. LIPSIVS PHILIPPO LANNOYO, A TOVRCOIGNE, NOBILISSIMO IVVENI.

NON dicam gratiæ caussa. sed mehercle ceperunt me nuper sermones tui tincti humanitatis & doctrinæ notis: & quidem suprà quàm ab ætate illa exspectetur. Quàm peritè regiones describebas & vrbes! quàm appositè rebus nostris historias veteres accommodabas, Græcas Latinasq;! Et inter hæc vnica modestia tua elucebat, & desiderium discendi. Macte esto generose animo. hi gradus sunt non solùm ad æquandam illustris parentis tui gloriam, sed etiam superandam. Sed quia me auctore & monitore multus es in Liuio, vide has lib. II. obseruationes.

Liuij complures loci emendati.

I. *Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio vænibat in publicum, omni sumptu adempto concessum priuatis.*

Inculcata vox est ab imperitis. Libri vett. *in publicum omni sumptu, ademptum priuatis.* quam lectionem tuetur Turnebus lib. IV. Aduer. at mihi impensè placet Diuæi coniectura, *in publicum omni sumpto.* vt Senatus salem omnem in publicum sumpserit, & ipse plebi distribuerit.

Pòst de Porsena.

II. *Ipse in plano ripisq; Tiberis castra posuit, nauibus vndique accitis & ad custodiam positis, nequid Romam frumenti subueheretur: & vt prædatum milites trans flumen traicerent.*

A veteri meo abest vox, *positis.* & bene. sic enim leg. & dist. *nauibus vndique accitis: & ad custodiam, nequid R. f. f. sineret, & vt prædatum.* duplicem enim causssam refert nauium accitarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Infrà, de bello cum Auruncis.

III. *Nec magis post prælium quàm in prælio cædibus temperatum est: ne ab obsidibus quidem qui ccc. accepti numero erant ira belli abstinuit.*

Scriptus codex, *ira belli hostilis abstinuit.* credo fuisse, *iram belli hostis abstinuit.* elegantissimo genere dicendi, quod in Plauto occurrit sexcenties.

Statim.

IV. *Vineis incensis, multis hostium vulneratis & occisis, consulum quoque alterum (sed verum nomen auctores non adiiciunt) graui vulnere ex equo deiectum propè interfecerunt.*

Vetus, *sed vtrum, nomen non adiiciunt.* rectè.

Infrà de Nexis.

V. *Magno natu quidam cum omnium maiorum suorum insignibus se in forum proiecit.*

Quæ ista omnium maiorum insignia, an imagines & ceræ? Scilicet hæc illi in vinculis ad manū erant. Quid? quod ne nobilis quidem fuit? Dionysius militarem illi tantùm gloriam tribuit: Liuius ne nomen quidem ponit, non omissurus si nobilis fuisset. Vide autem, litteræ mutatione omnis illa nobilitas corruit. nam leg. *malorum suorum.* Quæ insignia malorum fuerint, statim addit.

VI. *Obsita erat squalore vestis, fœdior corporis habitus pallore ac macie perempti.* vbi meus liber, *pallore ac [veste] macie perempti.* voce alieno loco inserta. quam suprà sic restituo, *fœdiorq; veste corporis habitus.* nam &, *Fœdiorq;* habet, non *Fœdior.*

Lib. III. De Quinctio.

VII. *Hoc duce sæpe pulsi foro Tribuni, fusa ac fugata plebs est: qui obuius fuerat multatus nudatusq; abibat.*

Malim, *notatusq; abibat.* Infrà.

VIII. *Igitur Tribuni vt impediendæ rei nulla spes erat, de proferendo exercitu agere. eò magis quod & augures, &c.*

Suspicor deleta voce leg. *de proferenda agere.* ex ipsa sententia. cùm, inquit, Tribuni impedire rem non possent, differre tamen tentabant. Proferre exercitum, Romanum non est.

EPIST. XVII.

I. LIPSIVS CORNELIO VALERIO.

POSTREMVM Ciceronem Lambini vidi, & in eo multa mutata, quædam, quod nollem, addita. Libertas fortasse hæc visa est illi; mihi acerbitas. Nam quale est quod de optimo vno omnium quos Sol vidit Turnebo scribit, & quidem variis locis? quem diserte plagij accusat. Momordit hominem, quod Turnebus aliquammultis locis incurreret in easdem coniecturas. vide quid commentus sit. *Paginæ*, inquit, *Ciceronis mei madidæ & recentes à prælo deferebantur ad Turnebum. hinc illæ lacrimæ.* O Iupiter, audis hæc? vt plagiarius sit Turnebus? non credam hoc sexcentis Lambinis. Et eamus, si vis, Lambine, ad iudices. pagina vna Turnebi lecta hominem absolvit, vbi periculum est à littera illa quam lex

Turnebus laudens meritò defensus.

lex Memmia siue Remmia minatur. Sanè mi Valeri vellem abstinuisse eum ab istis: vellem & alibi in adfirmando paullò timidiorem. Post eum in Cicerone non pauca notaui. videbis nunc ista.

Academicorum lib. IV.

Cicerenis correctio in Academ. I.

Vt enim vera videamus, quàm longè videbimus? Ego Catulli Cumanam ex hoc loco regionem video, Pompeianum non cerno.

Emendo, *Catuli Cumanum ex hoc loco è regione video.* & sanè placet. Dissertatio ista habita fuit Baulis, & è regione oppositum erat Catuli Cumanum. *Et tres alia in libris de Oratore.*

Lib. I. De Oratore.

II. *Sanè inquit. vellem non constituissem in Tusculanum me hodie venturum esse Lælio.*

Videor adgnoscere hîc malam manum, & adhibuerim libens scalpellum, *vellem non constituissem in Tusculanum hodie Lælio.* cetera inserta à scholiaste sunt, cui ignotus elegans verbi Constituere vsus. Iuuenal.

Aut si constituit, solitoq; decentius exit.

& alibi,

Hic vbi nocturnæ Numa constituebat amicæ.

Lib. II. De Oratore, in Iocis.

III. *Cùm Q. Opimius Consularis qui adolescentulus malè audisset festiuo homini Egilio, qui videretur esse mollior nec esset, dixisset: -Quid tu AEgilia mea? Quando ad me cum tua colu & lana venis?*

Nonius hunc locum laudans in voce Colus, legit, *Quid tu Decilla mea:* ita enim omnes eius libri. Vt dubium non sit quemcumque illum poëtam veterem, cuius is versus, scripsisse *Quid tud Egilia*, more antiquo, d. addita. Sic igitur & Cicero emendandus.

Ibidem.

IV. *Cùm ille se custodiæ caussa diceret in castris remansisse: non amo, inquit, nimium diligentes.*

Reponenda elegantior dictio, *se custodiæ diceret*, erasa voce, *caussa*, quæ merum glossema. Scriptum ita repperi in cod. Vaticano: Lambini etiam libro vni eadem scriptura infuit. miror sequi eum non potuisse. Similis illa corruptio Liuiana est, libro XXXV. extremo. *Liuiusitem correctus.*

Et in Euripo Romani milites pauci castellū custodiæ caussa loci cōmunitebant.

At tu lege, *custodiæ loci*, glossa reiecta.

EPIST. XIIX.

I. LIPSIVS IOANNI RAMO, I. C.

IN Edicto Prætoris apud Vlpianum, L. III. De sepulc. violato, mendum hærere puto.

SIQVIS IN SEPVLCRO DOLO MALO HABITAVERIT, AEDIFICIVMVE ALIVD, QVAMQVE SEPVLCRI CAVSSA FACTVM SIT, HABVERIT, IN EVM IVDICIVM DABO. *In Pandectis loci duo.*

Ita enim Florentina lectio, concipitur, ex qua restituo, QVAMDE SEPVLCRI CAVSSA. Quamde, antiqui, pro Quàm. nec est absurdum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Antiqua vox Quãde.

dum Prætorem ea voce vsum, quam, non dicam Ennius *muro fretus magis quam de manus vi*, sed etiam Lucretius vsurpare sustinuit:

Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes.
Quamde grauis Graios.

Eadem lege §. Aduersus.

Aduersus eos qui cadauera spoliant præsides seuerius interuenire; maximè si manu armata aggrediantur.

A veteri ratione scribendi facilis restitutio, *Præsid' est*, siue *Præsidis est*: ne alij se vltrà torqueant vocibus contra libros inculcandis. Tu vir clarissime iudicabis.

EPIST. XIX.

I. LIPSIVS PETRO PYTHOEO, V. C.

In Petronio Arbitro duæ maculæ.

IMMENSVM tibi, Pythœe, Petronius debet: liceat & mihi, si fas est, venire in partem nominis tui. Binas in eo maculas videbar posse eluere: primam in Querela Encolpij:

1. *Ergo me non ruina terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare aufugi? Indicium harenæ imposui, hospitem occidi, vt inter audaciæ nomina mendicus exsul in diuersorio Græcæ vrbis iacerem.*

Lego enim, *non iratum etiam innocentibus mare? Aufugi iudicium, harenæ imposui.* Tangit præteritas suas historias. iudicium intellegit de adulterio, quia vxorem Lychæ corruperat: arenæ imposuit, quia damnatus ad ferrum nescio qua fortuita ruina terræ euasit. de qua antea, *Non taces gladiator obscæne, quem de* ruina harena dimisit?* & fortasse locus iste integer est, & tolli potest defectus nota. certè ad hanc terræ ruinam etiam illa pertinent, *Ergo me non ruina terra potuit haurire?* Sed nos diuinamus: exstaret illa pars Petronij, rem sciremus.

Ibidem.

II. *Et quis hanc mihi solitudinem imposuit? adolescens omni libidine impurus, & sua quoque confessione dignus exsilio: stupro liber, stupro ingenuus, cuius anni ad tesseram venierunt, quem tanquam puellam conduxit, etiam qui virum putauit. Quid? ille altero die qui tanquam togæ virilis stolam sumpsit, qui ne vir esset à matre persuasus est.*

Non negabis verum esse, *Quid ille alter ô dij? qui tanquam.* de duobus querela est, Ascysto & Gytone.

EPIST. XX.

I. LIPSIVS AEGIDIO VLIEGERIO.

AMO curam & industriam tuam in discipulis informandis. Mihi crede, qui tales istos è primaria nobilitate adolescentes ad rectam doctrinæ viam ducit, non solùm de ipsis bene meretur, sed de vniuerso genere humano. Nam ex hoc quasi seminario deliguntur, qui olim vrbes, prouincias, regna administrent. Atqui administratio sine prudentia esse non potest, nec prudentia sine doctrina. Sed in primis velim eos frequentes esse in historia, nunc quidem in Liuio, posterius in Sallustio, Tacito. quos à prudentia ciuili & præceptis fateri debemus Liuio esse instructiores: sed huic ætati minimè aptos, propter adstrictam breuitatem. Subnotabam nuper hæc è Liuij libro xxxix. de M. Carone.

Liuij quatuor loci auxilio libri emendati.

Hunc sicut omni vita, ita tum petentem premebat nobilitas, consenserántque præter L. Flaccum, qui collega in consulatu fuerat, candidati omnes ad deiiciendum honore eum.

Lectio scripta præfert, *ita tum præsentem premebat nobilitas cogerant à populo præter L. Flaccum.* longè sanè diuersa à vulgo. Emendo, *ita tum prensantem premebat nobilitas: coierant propalàm præter.* Nam Prensare & Coire propria huius rei verba. Ar illud, *à populo.*

Infrà.

II. *Eum puerum per lasciuiam cùm cauillaretur, exprobrare Consuli persæpe solitum, quod sub ipsum spectaculum gladiatorum abductus ab Roma esset vt obsequium amatori iactaret.*

Ex meo cod. scribo, *amatori venditaret.*

Posterius.

III. *Extremo prioris anni comitia auguris creandi habita erant. in demortui Cn. Cornelij Lentuli locum creatus erat Sp. Posthumius Albinus.*

Vetus alio ordine, aliis verbis, *comitia habita erant in mortui Cn. Corneli in loco auguris sufficienter creatus Sp. Posthumius.* vnde eruo hanc lectionem, *Comitia habita erant in mortui Cn. Cornelij Lentuli locum auguris sufficiendi. creatus Sp. Posth.* reliqua in Liuio, glossæ.

Infrà, de morte Annibalis.

IV. *Nec magnam nec memorabilem ex inermi proditoq; Flaminimus victoriã feret. mores quidem populi Ro. quantum mutauerit, vel hic dies argumẽto erit.*

Rectè vetus, *quantum mutauerint.* dixit enim παθητικῶς. vt Varro. *Prosodia reliquæ non mutant.*

EPIST. XXI.

I. LIPSIVS STEPHANO PIGHIO.

ALIVS scriptor in aliam rem vtilis. E Spartiano, Lampridio, Capitolino, Vulcatio, & illis quasi partium secundarum historicis, eloquentiæ non multum; rerum & morum veterum immensam copiam est haurire. Qua fini dum lego. & in moribus & in verbis quædam notaui, quæ facio, doctissimè Pighi, iudicij tui.

Spartianus in Antonino Caracalla.

In Spartiano mendum apertum.

Et cùm Germanos subegisset, Germanicum se appellauit vel ioco vel seriò, vt erat stultus & demens. asserens si Lucanos vicisset, Lucanicum se appellandum.

Facilè video Germanici nomen hic non esse germanum. Nam ex tota narratione apparet Spartianũ de ridiculo aliquo & inusitato cognomine sensisse: atqui: Germanicum nomen nec leue illis temporibus nec ridiculum. Quid? quod ipse Spartianus eam scripturam refellit post aliquot lineas,

Universidad de Deusto
Biblioteca

lineas, *Datis ad Senatum post victoriam litteris, Parthicus est appellatus. nam Germanici nomen patre viuo fuerat consecutus.* vides? si patre viuo appellatus Germanicus, quomodo constat illa prior narratio, vt tunc demum? Vitium ergo aperui, medicinam nullus video: & à te eam Spartianus exspectat. Nisi fortè, *Carmanos*, &, *Carmanicum*. Quod in Lucanici nomine ridet, non est mirum: propter nomen vulgatum Lucanicæ. Martialis,

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niueis grata corona datur.

Idem in Seuero.

Idē scriptor correctus. *Huius dictum est, cùm ex humili per litterarum & militiæ officia ad imperium pluribus gradibus fortuna duxisset, Omnia, inquit, fui, & nihil expedit. Periit Eboraci in Britannia.*

Mihi videtur dictum sic concipiendum, *Omnia fui, & nihil. Expeditione periit.* ita emendo, vel, *Expedibus.* Vtraque lectio apta historiæ.

Et Lampridius. Lampridius in Alagabalo.

Ad præfecturam Prætorij saltatorem qui histrioniam Romæ fecerat, adscituit: Præfectum vigilum, Gordium aurigam fecit: Præfectum annonæ, Claudium Censorem.

Lego, *Claudium mensorem.* vel, vt in Cuiacij libro scripto esse admoneor, *tonsorem.*

Et Iulius Capitolinus Iulius Capitolinus in Pertinace.

Ipse præterea Cornificiam infamissimè dicitur dilexisse: libertos aulicos vehementissimè compressit. vnde grande quoque odium contraxit.

Puto scrib. *insanissimè dilexit.* id valet, vsque ad insaniam; & quod sequitur, *vehementissimè*, glossa est istius. ergo deleatur.

Idem in Galienis duobus.

Carpenta cum mimis & omni genere histrionum: pugiles sacculis, non veritate pugilantes.

Aldina editio, *pugiles faculis.* scribo, *baculis*, & intellegit Rudes gladiatorū.

Vulcatius Gallicanus in Auidio Cassio.

Enumerauit deinde omnes Principes qui occisi essent, habuisse caussas quibus merecrentur occidi: nec quemquam facile bonum vel victum à Tyranno, vel occisum. dicens meruisse Neronem, debuisse Caligulam, Othonem & Vitellium nec imperare voluisse. Nam de Pertinace & Galba paria sentiebat, cùm diceret in Imperatore auaritiam esse acerbissimum malum.

Quàm ridiculum quod hîc legimus de Pertinace? Nam dicuntur ista ab Antonino cui Commodus filius fuit. Atqui Pertinax Commodo successit. Quî fieri igitur potest, vt de eo tamquam interfecto Antoninus loquatur, qui nondum per somnium Imperator erat? quíque multis annis Antonino superuixerit? An memoriæ error Vulcatij est? an glossa nebulonis? Si Vulcatij, culpa sanè lata, vt Ieu loquuntur: si glossographi, non noua. Hac de re Petrum Diuæum monuisse me fateri debeo.

In Vulcatio turpis error temporum.

EPIST.

EPIST. XXII.

I. LIPSIVS FRANCISCO RAPHELENGIO.

De Cæsti, quod proprium Africæ numen fuit, multa studiosè & eruditè Petrus Pythœus monuit. quis deus, quæ dea fuerit, non addit. Et scio sanè Venerem eam interpretari vulgò, idque pluribus scriptorum locis doceri posse: tamē Appuleius obniti videtur, & Iunonem eam facere lib. v 1. de Asino: *Magni Iouis germana & coniuga, siue tu Sami, quæ querulo partu tuo vagituq; gloriatur, tenes vetusta delubra: siue celsæ Carthaginis, quæ te virginem vectura leonis cælo commeantem percolit, beatas sedes frequentas.* Hæc virgo cælo commeans hauddubiè cælestis est, & illa nominis caussa. Statius de hac ipsa Iunone virgine lib. x.

Cæstis quæ dea?

Appuleius explicatus.

Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis
Expers coniugij, & timidè positura pudorem,
Lumine demisso pueri Iouis oscula libat.

Pingebatur leoni insidens. & hæc fortasse caussa cur D. Ambrosius aduersus Symmachum eam Cybelen esse crediderit in his verbis: *Vnde igitur exemplum, quòd currus suos simulato Almonis in flumine lauat Cybele? vnde Phrygij vates, & semper inuisa Romanis non æquæ Carthaginis numina? quam Cælestem Afri, Mythram Persæ, plerique Venerem colunt pro diuersitate nominis, non pro numinis varietate.* quanquam & ad Iunonem referri possint. Hæc est illa Cælestis, quam Antoninus deo suo Alagabalo nuptum dedit, diligenterque id notandum in Xiphilino, καὶ γυναῖκα, τὸ γελοιότατον, Ἐλιογαβάλῳ ἐμνήστευσε, καθάπερ καὶ γάμε παίδων τε δεομένῳ. καὶ ἔδει γάρ τον μήτε φενιχρὰν μήτε δυσγενῆ τινα εἶναι αὐτὴν, τὴν Οὐρανίαν τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπελέξατο, καὶ ἐνεῖθέν τε αὐτὴν μετεπέμψατο καὶ ἐς τὸ παλάτιον καθίδρυσεν. Vbi Vraniam Diovertit, quam Latini Cælestem.

Et Dionis abbreuiator.

EPIST. XXIII.

I. LIPSIVS NICOLAO STVRIONI.

Frequens antiquis fuit genus illud loquendi, *Claris maioribus, quàm vetustis*: Tacit. *Tacita mulier est bona, quàm loquens*: Plautus. & similia, in quibus Potius aut tale aliud intelligimus. Restituo idem in duobus Liuij locis. Libro XXII.

In Liuio bonum genus dicendi repositum.

Quia ea regio præsentis erat copiæ, non perpetuæ, arbusta vineæq; & consita omnia magis amœnis quàm necessariis fructibus.

Abest à veteri, *magis.* optimè.

Libro XXIX. in oratione Scipionis.

Sed illum potius ego traham, quàm ille me retineat: in sua terra cogā pugnare, & Carthago potius præmiū victoriæ erit, quàm semiruta Brutiorū castella.

Idem, *& Carthago præmium*, altera voce omissa.

Libro XXIV. de occiso Hieronymo.

Et coniectura quædam. *Ex Principibus vnus, nomine Polyneus, concionem & liberam & moderatam habuit. Seruitudinis indignitatisque expertos homines, aduersus notum malum irritatos esse.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Suspecta in Liuio vox *Seruitudinis*. quamquam Festus notet, *Eritudo, vt seruitudo*, sic enim legendum. Vetus lectio *Seruitutidius*. diuinabam, *Seruitij tidium indignitatésque*. siue *tædium*.

EPIST. XXIV.

I. LIPSIVS IANO LERNVTIO.

PENDEO animi in euentu istarum rerum. quæ turbæ, quàm subitò natæ sint, vides. Non paruis de rebus, sed vtrum Belgica sit Belgica, *Iam specimen specitur, iam certamen cernitur*. Sed hæc fortasse deus aliquis à machina componet, vt loquuntur Græci: nos, si fieri potest, maneamus in litteris. Taciti locum lib. III. Annalium;

Populi nomen Tacito redditum.

Cælaletæ, Odrusæq́, & alij, validæ nationes arma cepere, ducibus diuersis & paribus inter se per ignobilitatem.

corruptum iam olim monui. nunc repperisse etiam videor emendationem. Nam lego, *Odrusæq́ & Astij*. Astios inter Thracum populos Liuius recenset & coniungit cum Cæletis. (sic enim & in Tacito scribendum, non Cælaletis, docui) lib. XXXVIII. *Itaque cùm per saltum iret, Thracum decem haud amplius millia ex quattuor populis, Astij & Cæni & Maduateni, & Cæletæ ad ipsas angustias viam circumsederunt*. Quos Liuius Cænos appellat, in Plinio Cænici leguntur.

EPIST. XXV.

I. LIPSIVS VICTORI GISELINO.

Afranius carptim emendatur.

QVÆ in Afranio comico notaui, mitto. Apud Noniũ, in Superbiter. *Afran: Purgamento. Illa superbiter imperat.*

I. Non aliàs mentio fabulæ Purgamenti, nec arbitror scripsisse Afranium. Legerim potius, *Afran. Priuig. Amanti illa*. I. Priuignus Afranij sæpe laudatur. In Derepente.

Afran. Vbi derepente cum velis, facias lutum. Idem Homine. Atque ille derepente in iumentum exsilit, Contendit oculos derepente abit cælo.

II. Primo versu scribo, *facias lucrum*. in sequentibus malè cooluerunt bina Afranij exempla. Tu diuide sic, —— *in iumentum exsilit*.

III. *Idem. Contendit o. d. abit celox*. Celox enim leg. de naui, non, cælo, suadente sententia & versu. In Inaudire.

Afran: Diuortio. Nouis dictis quæso ne ille inaudiat.

IV. Lego, *Nobis dictes quæso*. perspicue verum. In Dicere.

Afran: Vopisco. Igitur quiescet, quoniam inter nos nuptiæ sunt dictæ, pareas istis verbis si placet. Idem. De rustico nescio cui vicino suo perpauperi cui dicat dotis paullulum.

V. Diuisim scribo, *quiesce, & quoniam*: item, *parcas*, nõ Pareas: &, *Det rustico*. In Speratum.

Afran: Fratriis. Curre & nuncia venire & mecum speratum adduce. Videat puellam, curent, conforment iube.

Numeros

Numeros & lectionem repono, — *curre, & nuncia* VI.
Venire me, & mecum speratum adducere.
Vide vt puellam curent.

In Implicare.

Afran: Brundis. In parte inferiore hic implicabatur caput fateor.
Corrige, *huic implicabatur caput fasceo*. Vale vale suauissime Victor. VII.

EPIST. XXVI.

I. LIPSIVS LECTORI.

HAVE mi Lector, quisquis es. Finem facio scribendi, priusquam peruenerim ad destinatam metam: nec miraberis, si dispicies hunc motum patriæ nostræ. qui sanè motus, nescio quo fato, incurrere amant extremis laboribus meis. Sed siue placui, satis sunt ista: siue displicui, nimia. Non excusabo in scribendo breuitatem. nam ea, me iudice, propria est materiæ huius. An in syllabis corrigendis, aut litteris commutandis, periodos adhibeam, & illum ambitum Ciceronianæ orationis? verba verbis paria, & quasi dimensa coner reddere? Hoc quidem, vt Lucretius solet concludere, Desipere est. Qui aberrauit ab itinere, quærit compendio ad viam duci, non per amæna loca circumagi! idem in hoc scribendi genere est, necessario potius, quàm pulcro. At in verbis fui, quàm debui, antiquior. iam enim is sermo aures meas tetigit. & Plautum, inquiunt, potius sapit quàm Ciceronem. Vtinam verum dicerent! nam hoc volui. Epistolas scio me scribere, non Orationes: quas cùm vsus feret, inueniam fortasse qui non minus commodè scribat quàm ipsi. At Epistolæ familiares, siue verba, siue iocos spectes, quid aliud sunt quàm exemplar Comici sermonis? Inter Comicos autem quis melior Plauto? Itaque *Concluſio operis.*

Quod ille maledictum esse existumant,
Eam laudem duco maximam, cùm illum exprimo
Qui vobis vniuersis & doctis placet.

Ille enim scriptor est qui puritatem, qui proprietatem sermonis suppeditet: ille qui vrbanitatem, iocos, sales, & eam Atticorum Venerem sufficiat, quàm frustrà in reliquo Latio quæras. an vocant me ad illorum exemplum, qui omnes Epistolas suas vno modo scribunt? Rideant, doleant; ioca, seria tractent, doctos, indoctos compellent: idem vbique tenor est, eadem lentitudo? Non sequor. Meæ verò Epistolæ & facetum aliquid habeant, & eruditum, & remotum à captu vulgi, & quod sæpius repetitum placeat. In quo omine, mi Lector, desino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX NOTARVM QVÆ LIBRO PRIMO.

EP. I. Quid iuuenes in Pandectis? Cur ita dicti? Operæ à Scæna. Tacitus explicatus.

II. Auſonius emendatus. Plauti Cicum. Gloſſæ veteres correctæ.

III. In Liuio loci quattuor reſtituti.

IV. Plauti Rudente locus correctus. Felles virginalis. Felles pullaria. De Varronis verſu coniectura Camerarij.

V. Martialis complures loci emendati. Factiones aurigarum. Thalamus nomen viri. quid Sagari? quid quies tunicata? Clinici medici. Excidit, verbum ambiguum. Thallus & Flauius Scorpius aurigatores. Hermes ſuppoſiticius. quis Cæſonius Maximus, & quando damnatus.

VI. Liuius emendatus duobus locis. Supplicia.

VII. Cicero De legibus correctus. quæſitum de ſententia legis è xij. Feſtus emendatus. Plinij gloſſema.

IIX. Varro emendatus & Liuius. Culigna in ſacris.

IX. Tres Liuij loci emẽdati, & Quadrigarij vnus.

X. In Plinio coniectura.

XI. Lex Numæ reſtituitur.

XII. Notæ quaternæ ad Liuium.

XIII. Seneca quattuor locis emendatus. Plautus explicatus. Cato emendatus.

XIV. Plauti verſus emẽdatur. Bitere.

XV. Conatus corrigendi Spartiani.

XVI. Cur Luna in Labaris Turcarũ? Liuius corrigitur. In eodem cõiectura.

XVII. Mors Becani.

XIIX. Nonius Marcellus variis locis correctus. Plautus. Cæcilius. Pomponius. Plautinæ comœdiæ falſus titulus. Nonius correctus. Turpilius. Ipſe Nonius. Pomponius.

XIX. In Liuio Medixtutichus. Ennij mos in truncandis verbis. Idem emendatus apud Nonium. Iterum Liuius. in eodem gloſſema indicatum.

XX. Emendatur Arnobius.

XXI. Inſigne è Liuio gloſſema ſublatum, indicio libri.

XXII. E Panegyricis mendæ ſublatæ complures.

LIBRO SECVNDO.

I. Liuij locus de pugna Cannenſi emendatur & illuſtratur.

II. An Commentarij belli Gallici reipſa Cæſaris?

III. Plinius tribus locis emẽdatus.

IV. Plauti à Bryardo correctio, & Nonij.

V. Auxilio libri aliquot locis Liuius reſtitutus.

VI. Varronis bina gloſſemata.

VII. In Pãdectis cõiectura. Prothyra.

IIX. Liuius emendatus.

IX. Iuuenalis laus. eiuſdem locus ab Ariſtophane. & alter. Varia lectio. in duobus verſibus.

X. Senecæ emendationes quattuor.

XI. Dubitatum in Liuij loco. Vicepota dea. Et alter, ſi fortè, correctus.

XII. Reſtituta vox in Plauti Perſa. & diſtinctio verſus.

XIII. De Plinij loco quæſitum.

XIV. Liuius reſtitutus.

XV. Conatus duûm locorum Capitolini emend. Decennia publica.

XVI. Agellius aliquammultis locis fide libri correctus.

XVII. Notarum interpretatio vitiando Liuio.

XIIX. Plauti cum Terentio comparatio. de iocis Plautinis.

XIX. Seneca bis corrigitur.

XX. Exſcenſionis vox tribus Liuij locis reponenda.

XXI. De inſcriptione nummorum Antonij quæſitum. quot populi Galliæ? Tacitus explicatus. & Iuuenalis.

XXII. De Appuleio iudicium. Loci eius aliquot correcti, & oſtenſi à Plauto eſſe. Afranius emendatus. Pax, interiectio. Eccillum. Politia, pro elegantia. Salutigeri, internuncij. Concipilare. Arciere. Folia farferi.

XXIII. Auxilio libri Liuius corrigitur.

XXIV. Seneca in ἀποκολοκυντώσει emendatur pluries. Dictum vetus explicatum.

XXV. Ex epithalamio verſu fragmẽta.

XXVI. Ad Liuium Notæ.

LIBRO TERTIO.

I. Tres ad Liuium Notæ. Nonius Marcellus corrigitur.

II. Petronij Arbitri laus. idem corrigitur ſæpiculè. Notatũ prouerbium, Omnia alicui eſſe.

III. Carmẽ Albinouani percurſum.

IV. Addubitatũ in Liuij loco. idem voce auctus. Manutij coniectura firmata libro.

V. Confirmata correctio Salluſtiana.

VI. Complures in Agellio emendationes.

VII. In oratione Marcij apud Liuium quædam emendata.

IIX. Rhenani iudicium exploſum. Velleius Paterculus corrigitur. Leuis coniectura.

IX. Seneca emendatus in Epiſtolis.

X. Propoſita Liuiani loci correctio de induſtria.

XI. Dio Caſſius emendatus. Lernutij Oda.

XII. Pæniſſimè Plauti vox. Chariſius corrigitur. Appuleius pariter. & Plautus Milite.

XIII. Aliquanti Liuij loci reſtituti.

XIV. Lucilij complures verſus corriguntur apud Nonium.

XV. Arnobius emendatur. item Titinnius apud Nonium.

XVI. Genus dicẽdi perelegans reddirum Liuio.

XVII. Plautina quædam imitata è Græcis.

XIIX. Vlpianus in Pandectis explicatus. Statio militũ ad ludos. Popularia.

XIX. Liuius variè emendatus.

XX. In Feſto ſpecilegium poſt Scaligerum. Plautus correctus & Nonius.

XXI. Pauca emẽdata in Solino. item Pacuuij verſus.

XXII. Solimanni in prolem immanitas. addubitatum in Liuij loco.

XXIII. Seneca emendatus.

XXIV. Mendum in Panegyrico ad Conſtantinum. Plauti olim correctio confirmata. Appuleius correctus. Plura alia in Mamertini Panegyrico.

LIBRO QVARTO.

I. Notæ ad Liuium.

II. Quadrigarius apud Agellium emendatus. Liuius item.

III. Dionis adſeueratio dubia. Tacitus emendatus. & Ouidius.

IV. Locorum aliquot nomina reddita Liuio.

V. Ad Iulium Capitolinum Notæ.

VI. Queſitum ſuper Plauti falſæ rei verſu.

VII. In Liuio quædam. defectus in eodem. & turpe gloſſema.

IIX. Attius poëta variis locis correctus. Fortaſſean vox vetus.

IX. De ſententia Xiphilini quæſitũ. Struthiones ad Circum. Plautus explicatus. & lapis antiquus.

X. Antiquę ſcripturę aliquot in Liuio.

XI. Cicero pluries emendatus. & Varro.

XII. Lauſum in Plauto è xij. an Leſſum?

XIII. De teſtudine militari Liuij locus expenſus. quid imbrex? Plutarchus interpretatus.

XIV. Fragmenta Hiſtoriarum Salluſtij carptim emendantur.

XV. Iuuenalis verſu vno auctus, & altero minutus.

XVI. Liuiani aliquot loci.

XVII. de Langij morte. Seneca variè correctus.

XIIX. Confirmata in Varrone correctio mea. & altera Scaligeri.

XIX. Liuij Fragmenta apud Senecam emendatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

xx. In Nonio obſeruationes.

xxi. De vita & ætate Iuuenalis paullò diligentius quæſitum. Iuuenalis in Ægypto fuit. An Domitiano viuo ſcripſerit? Videri in imperio Hadriani vixiſſe. Martialis de eo verſus.

xxii. Liuij defectus ſuppletus. Locus inibi emendatus. item alter. & mos antiquus apud eum explicatus.

xxiii. Plautus illuſtratur. Cur vino amicarum fores affuſæ? cur aqua cardines?

xxiv. Varronis apud Nonium fragmenta corriguntur. Apothecæ Chiæ.

xxv. Tribus locis Liuius emendatus. genus dicendi elegans.

xxvi. Contra calumniatores honeſti laboris. Iuuenalis multis locis correctus. quid Bulli? Loci Iuuenalis qui in Gloſſario veteri. Lernutij Elegia.

xxvii. Ex legibus xij. fragmenta reſtituta apud Plinium. exemplum vbi Prætor Cõſul dictus. Varro apud Nonium correctus. Mos anteſtandi. Lex vetus correcta.

xxiix. Panegyrici ſcriptores variè emendati.

LIBRO QVINTO.

i. Liuius corrigitur.

ii. Nonij Παδυμία. Cato emendatus. & plura Turpilij.

iii. Nauis in obſcænis intellectibus, ſicut & Concha.

iv. Liuius fide libri reſtitutus.

v. De Senecæ aliquot locis coniecturæ. Ennij correctio in Nonio. apud Ciceronem vetus poëta emendatus.

vi. Martialis epigramma emendatum. idem iterũ Iuuenalis explicatus.

vii. Liuianæ emendationes.

iix. De Agellij nomine. idem ſcriptor variè correctus.

ix. De Tertulliani loco coniectura. Signa cohortium & imagines ſignorum.

x. Emẽdatur Liuius locis quattuor,

xi. Velleius Paterculus adulatur in hiſtoria. eius bini loci reſtituti.

xii. De Lucretij verſu coniectura. Lucilius emendatur & Nonius. Attius. item Turpilius tribus locis.

xiii. De Liuij loco quæſitum. Simul filio, helleniſmus.

xiv. Lucilius correctus obiter apud Nonium in Graue. explicatum vetus dictum, Concide magire. Pomponius emendatus. Cædere & concidere in verbis Venereis. Plautini ioci ſententia. Ciceronis locus illuſtratus. Partiri & diſpartiri intellectu obſcæno. Plautus correctus.

xv. E Plinij Panegyrico ablatæ aliquot mendæ.

xvi. Liuij complures loci emẽdati.

xvii. Turnebus libens meritò defenſus. Ciceronis correctio in Academicis. & tres aliæ in libris de Oratore. Liuius item correctus.

xiix. In Pandectis loci duo. Antiqua vox Quamde.

xix. In Petronio Arbitro duæ maculæ.

xx. Liuij quattuor loci auxilio libri emendati.

xxi. In Spartiano mendum apertum. idem ſcriptor correctus. & Lampridius. & Iulius Capitolinus. In Vulcatio turpis error temporum.

xxii. Cæleſtis quæ dea? Appuleius explicatus. & Dionis abbreuiator.

xxiii. In Liuio bonum genus dicendi repoſitum. & coniectura quædam.

xxiv. Populi nomen Tacito redditum.

xxv. Afranius carptim emendatus.

xxvi. Concluſio operis ad Lectorẽ.

FRAN-

FRANCISCI MODII ELEGIA
AD IVSTVM LIPSIVM.

MENS animi iactata velut ratis, æquora venti
Dum turbant, membris denegat officium.
Nec potis eſt doctis deſueta ſororibus, olim
Quæ mage grata alijs numina numinibus,
Promere Verbum vllum, quod ſit memorabile, vel quod
Sit dignum à ſera poſteritate legi.
Anxia ſed patriæ caſu infelicis, in vno hoc
Conſumit vitæ tempus inane ſuæ.
Longè ſunt ſtudia & ſtudiorum præſes Apollo, &
Quidquid Bellonæ non facit ingenio.
Armorum ſtrepitu & vario clangore tubarum
Perſonat exoriens occiduúſque dies.
Cædem omnes bellúmque volunt. pax vndique pulſa
Fruſtra vbi conſiſtat quærit in orbe locum.
Miles agit prædas, totíſque incendia campis
Excitat, agrorum diripiuntur opes.
Exſul, inops, operæ quondam bona turba colonorum
Ignoto dubium cingitur enſe latus.
Expugnatæ vrbes quæcumque licentia & excors
Dictat veſani militis ira, ferunt.
Sacra, profana hoſtes iuxtà rapiũntque trahúntque,
Nil templis prodeſt relligio aut pietas.
Virginitas intacta diu ſeruata puellis
Eripitur, miſerorum ante parentum oculos.
Mater anus, natæ officium læuæ exhibet, ipſe
Cogitur vxoris leno vir eſſe ſuæ.
Quæ tamen vt parui fiant, quia parua putantur,
Quis bonus in reliqua vi ſcelerum taceat?
Matrum quis ferat infantes ante ora necatos,
Tótque ſenes fato non periſſe ſuo?
Quis, quæ prætereo, tot facta immania? proſit
Quæ memorare nihil, & memorare piget?
Non ego. & hæc inter dum mens incerta futuri
Pendet, nulli alij eſt apta miniſterio.
Quanto tu melius LIPSI, *bella inter & enſes,*
Plus etiam ſolito qui inuigilas ſtudiis.
Non, quòd non patriæ inſtanti moueare ruina,
Nam quem non moueat dulce ſolum patriæ?
Sed quod ei prodeſſe nihil priuata bonorum
Conſilia, at ventis ludibrio eſſe, vides.
Ergo inter Muſas, carúmque ante omnia Phœbum
Ducis pangendis tempora carminibus.

Carmi-

Carminibus ſua quæ doctus putet eſſe Catullus,
Iuret Romanus quæ ſua Callimachus.
Aut membra affecta in priſci ſcriptoribus ævi
Ingenij ſanas dexteritate tui.
Hinc loca tot Liui, loca tot Ciceronis, Agelli,
Plauti, Varronis, Pacuuij, Taciti,
Marcelli, Feſti, tibi ſe debere ſalutem
Clamant obductis integra vulneribus.
Te patrem, te patronum haud inuita fatentur
Iactantq; auxilij ſe bonitate tui.
Non tineas blattáſue dehinc non menda verentur,
Omnia te credunt ſoſpite tuta ſibi.
Nec fruſtra credunt, teſtes ſunt quinque libelli,
Doctrinæ antiquæ re mage quàm titulo,
In lucem emiſſi nuper, curante Minerua,
Et placiti cuiuis, cui modò & ipſa placet.
Teſtes tot monumenta emiſſa prioribus annis,
Teſtes quæ Phœbo nunc faciente paris.
Hos libros dico. quis nomen Epiſtola, mendæ
Scriptorum innumeræ materiem dederunt.
Libros! ſed quid opus longum deducere verſum?
Ipſi ſe populis vtilitate probant.
Vtilitate inquam, & lecto ſermone, quod vnum,
Vt commendentur non aliunde, ſat eſt.
Vidi qui magnas magno conamine nugas
Diceret, at dictis réſque ſaléſque aberant.
Vidi verboſo ingentem qui carmine librum
Texeret, at verbis non niſi verba dabat.
Solus tu LIPSI *ſic iucundo vtile miſces,*
Cuncta loqui Phœbo vt te præeunte putem.
Ergo ni ſophia & virtus ſunt nomen inane,
Te quoque non vnquam fama tacebit anus.
Sed ſi certa ſui facti ſtat gratia cuique,
Laudabit ſæclis innumerabilibus.

Iuſti Lipſij Epiſtolicas quæſtiones admiſi, vt typis excudantur, An. LXXVI. XIII. Iulij.

Iob. Molanus, Cenſor.

IVSTI LIPSI

ELECTORVM

LIBER PRIMVS.

In quo, præter cenſuras, varij priſci ritus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM MATTHIAM AVSTRIVM BELGICÆ PROREGEM.

Imperatoris filium, Imperatoris fratrem.

POSTQVAM in hanc Belgicam venisti, Sereniſſime Prorex: ſæpe mihi animus fuit, munere aliquo teſtandę meæ voluntatis. Debere enim iam videbar. primùm, quia non nouus familiæ veſtræ cliens; patri tuo Maximiliano, qui ad immortalitatem receptus, Tacito à me nuper oblato. Deinde quia vniuerſa Belgica adſtricta tibi: inter Belgas autem ego. Tu adgubernacula huius patriæ vocatus, ſalutarem manum, inuitis multis, porrexiſti nobis: & hoc ipſum, quòd deiecimus acerbæ iugum ſeruitutis, quòd deiectum iterum non recepimus, ex parte tuum eſſe fatemur omnes boni. Fata te, & nouum illud quod illuxit ſidus, vocarunt ad res magnas: res maiores æuo tuo, non genio aut fortuna. Octauianus Auguſtus, eâdem ætate qua tu es, prælucente pariter ſtella, imperium ſuſcepit orbis terræ. hoc interfuit: quòd illi non delatæ habenæ rerum, ſed per bellum arreptæ: te conſentientes Belgæ, cum nobilitate pariter plebs, ad culmen euexerunt huius dignitatis. Nobilitas, ſuffragiis ſuis: plebs, votis. Confûgit in ſinum tuum adoleſcentis adhuc

Universidad de Deusto
Biblioteca

concussa Belgica. quid mirum? Fatum hoc est tuæ gentis, tuæ domus, vt magnitudo vestra originem habeat à salute miserorum. Sic Rodolphum olim, à quo auctore augustum vestrum stemma, nutantes Germaniæ res Imperatorem fecerunt: sic Maximilianum atauum tuum, Carolo ad Nancæum occiso, nos iidem Belgæ vocauimus in medium rerum omnium discrimen. & vocauimus admodum adolescentem. Quod olim de Scipionum gente celebre dictum fuit, natam eam ad Karthaginem vincendam: simile de tua dixerim, natam eam ad superbos domandos, miseros sublevandos. Nos Belgæ, maxime Princeps, vides in qua simus naui: quo mari feramur, & quàm non nostris ventis. Præterres bello aduersas, multorum etiam à causa auersus animus: quasi regium imperium conemur exuere. qui reuera, non legitimum regem nostrum grauamur, (rem modò videant) sed prætextu regio minutos hos tyrannos. Fatendum enim est. ante duodecim annos, cùm cœpit hæc tempestas, & vnà cum reliqua Gallia intumuit Belgica nostra: adsederunt ad gubernacula, quibus cura nulla fuit, non dicam regiæ dignitatis, sed suæ, aut nostræ salutis. In scopulos & ad vada appellere nauim maluerunt; quàm submittere velum, & flectere paulùm cursum, eà quà ferebant venti. Itaque naufragia, quæ secuta sunt, videmus. Depulsi à gubernaculis illi, & tu, illustrissime iuuenum, subiisti in locum illorum: quæso, ne in facta aut in mentem. Illi timeri? tu amari eliges. illi perdere? tu seruare. Violenti illi? tu benignus: & quædam, cùm possis cogere, malis persuadere.

suadere. Aures eorum apertæ ad calumnias? clausæ tuæ: nec te gubernante suspicio aut delator timeatur, sed crimen tantùm & leges. Magna felicitas tua est, quòd olim, præeunte Augerio Busbequio, imbutus es studiis virtutis & doctrinæ. Euolue igitur Annales. peream ego, si non ab immitibus istis consiliis omnia regna perierunt. Gubernator in naui non frangit maiores illos & decimos fluctus, sed vitat aut declinat: sic grandes istos & fatales motus, errabit quisquis impetu franget, arte & prudentia componendi sunt. Et tu compones. tene tantùm hunc clementiæ cursum, quem cœpisti: & experimento crede, quanto ad gloriam & imperium firmius sit, amari à subditis quàm timeri. Munus quidem meum tibi vt adprobem, nõ admodum laboro: magis laboro vt animum, qui æternùm deuotus est, & erit, Genio vestræ gentis.
clɔ. Iɔ. LXXX.

AD LECTOREM.

LIBRO *huic Electorum, neque iusto planè operi, neque exasciato, feci lucem, mi Lector: praproperè, & fortasse ante legitimæ dies partionis. Sed caussa festinandi, præter has quibus iactamur turbas, etiam valetudo. quæ pertinaciter aduersa, aurem mihi vellit vt vasa colligam, & cogitem de discessu. Inscripsi Electa: non abhorrenti à re nomine, quia pleraque variè elegimus & decerpsimus: & Plinij exemplo, quem Commentarios* CXX. *Electorum reliquisse, docuit me alibi eius nepos. Reperies correctiones, sed non solas. quia enim plerique delicati hoc Criticum genus adspernantur, quasi ludum aliquem nugarum: feci quod antiquus quispiam medicus, & callidè miscui ritus. Medicum aiunt, in puella regia curanda, quæ abhorrebat sectionem, scalpellum spongia tectum intulisse, & vber dum leniter fouet, incidisse: ego velo rituum publicorum correctiones aliquot texi non publici gustus. Ita manum adÿ suauiludiis istis: nec metuam formulam,* Quod dolo malo. *Tu fruere, bone Lector.*

IVSTI

ELECTORVM LIBER I.

CAP. I.

Refutata vulgi opinio de scriptore Controuersiarum. Non esse Annæum Senecam philosophum. ostensum id ab ætate, à vita, à stilo. Esse illius patrem. id quoque clarè ostensum. Senecarum stemma. Locus vnus correctus.

VT Censores olim lustrum à bono nomine: sic ego ordiar hunc librum. Dicam de Annæo Seneca, cum bona spe fore, vt hoc scriptum meum annos ferat & senescat.

Censet vulgus libros eos qui Controuersiarum & Suasoriarum inscribuntur, Annæi Senecæ esse; illius, qui Philosophus dicitur, & qui Neroni præceptor. Censet vulgus, & ideò errat. Pugnat enim cum ea sententia Senecæ ætas, pugnat vita, pugnat stilus. Ætatis pugnam doceo: quia quicumque iis libris scriptor fuit, Augusti & Tiberij ævo vixit, non Claudij & Neronis. Hoc colligo ex variis eius de se dictis. Ait alibi familiarem se fuisse Cæstio Pio, Portio Latroni, Valerio Messallæ: alibi, Ouidium poëtam declamantem audiuisse, & Asinium Pollionem viridem cognouisse & sensti. At Senecæ celebrior ætas in Claudium incidit & Neronem. Addit imò amplius ille scriptor, ea ætate se fuisse vt Ciceronem ipsum audire potuerit declamantem. Verba eius sunt Præfatione prima: *Omnes autem magni nominis mihi videor audiuisse, præter Ciceronem. Nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, sed bellorum ciuilium furor, qui tunc totum orbem peruagabatur. Intra coloniam meam me continui. alioqui potuissem eum audire.* Nequis mihi, quæso, ad hunc locum nebulas aut nugas. Ait se Ciceronem audire potuisse declamantem cum duobus grandibus prætextatis. Ij fuerunt Hirtius & Dolabella: quos ideo ludens sic appellat, quia tunc in prætexta toga erant, & in magistratu. Eos per bellum ciuile Cæsaris, Cicero (vt ipse alibi ait) dicendi discipulos habuit, cœnandi magistros. Vide quò ætatem suam producat ille scriptor. Ante Cæsaris mortem non solùm natus fuisse debuit, sed etiam annos aliquot habuisse legitimos ad audiendum Ciceronem. Quomodo hæc æui, vt sic dicam, granditas cadet in hunc nostrum Senecam, qui mortuus Silio & Attico Consulibus,

Ætas vera vtriusque Senecæ.

Senecæ locus explicatus.

extremo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Refutatio vanissimi mendacij de loco Senecæ ann.

extremo imperio Neronis? id est, centum & xv. annis, post illud ævum. Sed enim occurrunt huic rei, Et vixit, inquiunt, Seneca annos ad centum XIIII. alij etiam liberalius, centum XXIIII. ita enim scribunt passim in historia eius vitæ. Homines præstigiatores! & præ quorum arte in recoquendis senibus nihil sit Medea. Sed quid nugantur? cedò mihi auctorem aliquem huius tam prodigiosæ senectutis. Non dabunt. Tacitus, qui fautor Senecæ, & ideo diligens in vita eius narranda & morte, senile eius corpus dixisse contentus fuit: grandem hanc, & non longè à miraculo ætatem, non attingit. Imò contrà apud eum reperio, libro XV. in oratione Neronis Senecam adloquentis: *Est tibi*, inquit, *adhuc valida ætas, rebúsque & fructui rerum sufficiens.* Valida, ait, ætas: & hoc paucis ante cædem eius annis. Qui convenit hoc in senium tam effetum? Sed ventilo ego, & tracto adhuc lusoria arma: quid si doceo Senecam natum non fuisse Cicerone vivo? nónne perorata hæc lis est? Ait ipse de se, Epistola CIX. *His instinctus abstinere animalibus cœpi: & anno peracto, non tantùm facilis mihi erat consuetudo, sed dulcis. Quæris quomodo desierim? In Tiberij Cæsaris principatum iuventæ tempus inciderat. alienigena tum sacra movebantur, & inter argumenta superstitionis ponebatur animalium quorundam abstinentia. Patre itaque meo rogante, qui non calumniam timebat, sed philosophiam oderat, ad pristinam consuetudinem redij.* Locus clarus, & in quo arx huius caussæ. Ait ecce se iuvenem sub Tiberio, quo tempore alienigena sacra vrbe mota sunt. Id accidit quinto Tiberiani imperij anno: vt colligo facilè ex his Tacitiverbis Annali secundo: *Actum & de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis: factumq; patrum consultum, vt quattuor millia libertini generis ea superstitione infecta in insulam Sardiniam vehererentur.* Vtrùm ergo digiti me fallunt? an à morte Ciceronis ad hunc diem, anni circiter sexaginta colliguntur? Quod si est, quomodo natus Ciceronis ævo Seneca fuerit: & idem iuvenis adhuc sub Tiberio? Nisi quis tam ineptè desipiens, qui sexagenarium senem iuvenem censeat appellandum. Certa res. & huic vni argumento siquid opponi potest, illi sapiant, ego, vt poëta vetus ait, fatuus sim, non solùm stultus. Pugnat ergo ætas Senecæ: etiam vita. Nam is qui philosophus, vitam illustrem egit, ad remp. accessit, honores gessit, Quæstor, Consul fuit. De Quæstura sua ipse fatetur Consolatione ad Elbiam: de Consulatu, auctores Fasti & Iurisconsulti. Hæc vitæ lux non cadit in meum senem: quem vixisse remotum ab omni ambitu scio, equestri ordine contentum. Testis ipse in præfatione libri II. Melam filium alloquens, *Perge*, inquit, *quò inclinat animus, & paterno contentus ordine subdùc fortunæ magnam tui partem.* Nam ordinem, intellegit non dubiè equestrem. Denique cum vana illa opinione quid magis pugnat, quàm stultus? Aristoteles apud quosdam Libyæ populos, quoniam vxores communes sunt, ait liberos ad formarum similitudinem distribui. velim idem sit in his libris. quorum profluens & copiosa dictio, tantum abest à Senecæ arguta & concisa eloquentia, quantum Homericus ille Nestor à Menelai?

Illustratus Seneca in Epistolis.

Vita ratio vtriusque Senecæ.

Stili discrepantia.

Seneca pater, vetus scriptor.

Quis falsus scriptor, satis dictum: dicam quis verus. tam clarè idipsum, vt si quid hac parte errem, non recusem quin Fides aversa à me in omne

ævum. L. Annæus Seneca Philosopus patrem habuit nomine & cognomine eodem. Is domo Corduba fuit; professione, Rhetor. Natus ante bellum ciuile Cæsarianum, superuixit ad Claudij circiter principatum: sine honoribus, & non aliud quàm prouincialis eques. Is iam senex non dubiè filiis suis scripsit, aut dictauit potius, hos qui supersunt Controuersiarú & Suasoriarum libros. Sed vt in Plauti fabula, inter duos Menæchmos: sic inter duos Senecas confusione nominum ortus error. Tributa illi, quæ huius erant: & claritate nimia filij obscurus pater hodie, imò ignotus. Memoriam boni senis fugitiuâ (impunè hoc dixerim) primus retraham ego. Eius, inquam, Senecæ hi libri. Doceo ex ætate: quæ patri conuenit, disconuenit proli. doceo ex inscriptione, quæ in omnibus libris, etiam scriptis, concipitur: L. ANNÆI SENECÆ, AD SENECAM, NOVATVM, ET MELAM FILIOS. Optimè. Inter tres filios quos nominat, Seneca Philosophus est: reliqui eius fratres. Stemma tale.

Stemma Senecarum.

L. Annæus Seneca, qui Rhetor. { L. Annæus Seneca, qui Philosophus. / Annæus Nouatus, aliter Iunius Gallio.

Elbia, eius vxor. { Annæus Mela, siue Mella, pater Lucani.

Quid iam clarius, quàm Senecæ patris esse hæc scripta? Nam quin Mela ille frater Senecæ Philosophi sit: non ambiges ex his locis. Tacitus libro XVI. Annalium: *Mela, quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione bonorum abstinuit: per ambitionem præposteram, vt eques Romanus consularibus potentia æquaretur.* Seneca ipse in Consolatione ad Elbiam: *Respice fratres meos, quibus saluis fas tibi non est accusare fortunam. In vtroque habes quod te diuersa virtute delectet. alter honores industria consecutus est* (Gallionem intellegit:) *alter sapienter contempsit.* intellegit Melam. Confer nunc locum è Præfatione libri II. Controuersiarum; & vide quàm elogia omnia conueniant in hoc Mela. *Hæc eò libentius Mela fili carissime refero, quia video animum tuum à ciuilibus officiis abhorrentem, & ab omni ambitu auersum: hoc vnum concupiscentem, nihil concupiscere, vt eloquentiæ tantùm studeas. Ego verò non sum bonæ mentis impedimentum: perge quò inclinat animus, & paterno contentus ordine subduc fortunæ magnam tui partem.* Nec turbat me, quòd epigraphe Nouatum nominet, quem alij, & quem Seneca ipse, Gallionem. Idem enim ille per adoptionem familia exiuit, & in gentem ac nomen venit Iunij Gallionis. Credo illiusipsius Gallionis, qui inter Rhetoras nominatur Senecæ patri: & de quo Scriptor incertus De caussis corruptæ eloquentiæ: *Malim hercle C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem: quàm calamistros Mæcenatis, aut tinnitus Gallionis.* At nomen Nouati anterius ei fuisse, colligo ex Seneca in Consolatione: qui filiam huius agnoscit à nomine veteri Nouatillam. Non item locus me mouet initio libri II. Controu. de Fabiano philosopho: *Scio futurum,* inquit, *vt auditis sententiis eius, multas cupiatis audire. sed nec ille diu declamationibus vacabat: & ego multo minor natu quàm ipse erat, audiebam quotiens inciderat, non quotiens volebam.* Qui si rectè haberet; vana omnia quæ dixi de ætate

Mela frater Senecæ Philosophi, & filius illius senis.

Cur & quomodo mutatum alterius fratris nomen. Iunius Gallio, quis.

Falsa lectio in Seneca patre.

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius senis. Fabianus enim auditor Cæstij Pij & Arellij Fusci fuit; ac sub Tiberio præcipua illi fama. Quo si multò minore natu hic scriptor: *cur non pistrino trador ego atque asino?* Sed non recta lectio, & emendo, *multò maiore natu.* Caussa enim vera non auditi Fabiani, quòd ille iuuenis, Seneca iam grandi; vt homo senex frequentare declamationes adolescentuli honestè non posset. Hæc dixi de hoc scriptore. plura illustrandæ ætatis & stemmatis, addam in libro singulari, quem, De vita Annæi Senecæ & scriptis, studiosè composui.

Fabiani ætas.

CAPVT II.

Stipendij militaris initia, & progressus. Quis primò modus. quæ deinceps accessio. Aliud denarium esse, aliud denos asses. Tacitus explicatus. Liuius correctus. item Suetonius in loco tenebroso.

DE stipendio militari apud Romanos, deque eius progressu, plus quàm Metonis annus est, cùm quæritur inter doctos. ego hoc capite audebo certum concludere, & vt Ictⁱ prisci loquebantur, signare responsum. Tria apud Romanos pro stipendio, pecunia, frumentum, vestis. Pecuniæ, institutum anno vrbis CCCXLVII. de quo Liuij libro IIII. corruptus locus: *Additum deinde, vt ante vllam mentionem plebis Tribunorúmve decerneret Senatus, vt stipendium miles de publico acciperet, cùm ante id tempus de suo quisque fructus eo munere esset. Nihil vnquam acceptum à plebe tanto gaudio traditur. concursum itaque ad curiam esse, prehensásque exeuntium dextras, & patres verè appellatos: effectum esse fatentibus, vt nemo pro tam munifica patria corpori aut sanguini suo parceret; cùm commoditas iuuaret rem familiarem. saltem acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reip. esset.* quem emendo, *cùm commoda ita iuuaret: rem familiarem saltem accrescere eo t. q.* Modus eius pecuniæ initio exiguus fuit. Polybij quidem ætate, id est, sub bellum Punicum secundum, in peditem oboli duo: centurionem duplex: equitem triplex. Ita Polybius ipse libro VI. Duo oboli tertia, vt scimus, drachmæ pars. Ad nummum Romanum si exigimus; dico fuisse tres asses. eamque summam non dubiè per duos obolos expressit nobilis historicus. Doceo ex Plauto. cuius loco primus do lucem, in Mostellaria:

Initium stipendij ex Liuio.

Locus eius correctus.

Quis modus & quæ exiguus primi stipendij.

Vbi sunt isti plagipatidæ, ferritribaces viri?
Isti qui trium nummorum caussa subeunt sub falas?
Vbi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent.

Plauti locus illustratus.

Nam tres nummi hîc, tres asses, & ad *stipendium militare diserta allusio Comici serui, irridentis quòd tam exiguo pretio auctorati castella & turres ligneas hostium (id enim falæ) subirent, hastis aliquot configendi. Et mehercle stipendium vile. eò magis, quòd illa ætate non vestis, non frumentum, gratuita militi erant: sed Quæstor, siquid horum dedisset, certũ statutumq; pretium eo nomine de pecunia detrahebat. Auctor idem Polybius lib. VI. Quod obtinuit ad tempora G. Gracchi, qui primus lege cauit, vt vestis è publico militi daretur: pecuniamque totam accipe-

** Etsi ad Circum etiam referre possis.*

Quando primùm militi gratuita vestis.

acciperet, sine vlla, quod aiunt, deductione. Plutarchus in Graccho his verbis, τῶν δὲ νόμων ὃς εἰσέφερε τῷ δήμῳ χαριζόμενος, ὁ μὲν ἦν κληρυχικὸς, ἅμα νέμων τοῖς πένησι τὴν δημοσίαν. ὁ δὲ στρατιωτικὸς, ἐσθῆτα τε κελεύων δημοσίᾳ χορηγεῖσθαι, καὶ μηδὲν εἰς τοῦτο τῆς μισθοφορᾶς ὑφαιρεῖσθαι τῶν στρατευομένων. Et vestis saltem Plutarchus meminit: priori aliqua lege gratiam etiam factam de frumento, non ambigo, Etsi de veste, irritum iterum factum videtur, siue ab Augusto, siue antè: quia nec in historiis mentio missæ vltrà ad exercitum vestis, & milites apud Tacitum clarè queruntur, *Denis in diem assibus animam & corpus æstimari: hinc vestem, arma, tentoria redimi.* Nec vltrà de accessione aliqua reperio ante bellum Cæsaris ciuile. *Cæsar,* inquit Suetonius cap. XXVI. *legionibus stipendium in perpetuum duplicauit.* Ait, duplicauit: vt credibile sit factos à Cæsare sex, aut si fortè, septem asses. Nisi tamen accessio aliqua sub Cimbricum bellum facta quod ex Asconio haud vanè suspicêre, in eam pro Cornelio: *Iunius Consul rem malè gessit, ac plures leges quæ per eos annos latæ erant, quibus militiæ stipendia minuebãtur, abrogauit.* Frustrà enim imminutũ stipendium, nisi præter morem auctum. Etiam per bella ciuilia posteà, verisimile in illa ambitione ducum pretium auctum, militibus conciliandis. Sed hæc obscura vel ambigua. at Augustus constituta rep. & imperij iam certus, *quicquid vbique militum esset* (verba Suetonij sunt cap. XLIX.) *ad certam stipendiorum præmiorúmque formulam adstrinxit.* Formula Augusti laxior Iuliana, videlicet in diem deni asses. Certum & clarum ex Tacito, apud quem lib. I Annal. conqueruntur milites, *Denis in diem assibus animam & corpus æstimari.* & id statim ab excessu Augusti. Id stipendium parum disconueniebat à Græco, apud quos drachma, diurna in militem merces: vti colligere est ex Thucydidis libro tertio. Dixi denos asses: qui denarium ipsum accipiet, errabit. Nam Denarij permutatio pluris sub Tiberio, sub Augusto: & fortasse XII. assium aut præterpropter. Testantur iidem apud Tacitum milites, qui decem assibus non contenti, flagitant, *Vt denarius diurnum stipendium foret: neu veterani diutius sub vexillo tenerentur,* prorsus ridiculo postulato, si idem denarius & deni asses. Ergo æstimatione duodena illa quam dixi, menstruum militis sub Augusto denarij circiter XXV. id erat, aureus vnus, quod notari mihi volo, ad ea quæ mox dicam. Post Augustum, tenebræ sunt ad Domitianum. De quo monuit Suetonius cap. VII. *Addidit & quartum stipendium militi, aureos ternos.* paucis, sed di boni, turbulentis verbis! Ex quibus necesse habeamus fateri, menstruum vnum militis aureos tres fuisse: & ante Domitianum quidem nouem aureos datos, ab ipso adiectos ternos. Ita sub Domitiano gregarius miles acceperit aureos XII. in mensem. Aureos dico Romanos, quorum vera æstimatio, denariũm XXV. Ij essent nostratis monetæ aurei circiter XXIIII. Non aliter ad hunc locum omnes interpretes: & id nobis pluribus verbis persuadere conantur viri docti. Quis sanus credet, aut pro sano? Tantísne sumptibus vllam remp. parem fuisse? Adde duplum centurionis, triplum equitis: adde Præfectos, & Tribunos: summa quot mẽsibus in legionem tam improba excrescet, vt eam verear exprimere. Sed videant me. fœdum illum historiæ errorem

Prima accessio ad stipẽdium.

Accessio secunda.

Stipendij Gracanici modus.

Vide ibi Scholiastẽ.

Denarius, quanti sub Augusto. Taciti nodus euolutus.

Iterum accessio.

Obscurus Suetonij locus.

Is emendatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

leui & vera correctione tollo ego, legoque, *aureis ternis*. id est, Aureis illis tribus quos antè capiebant, addidit quartum aureum Domitianus. In furcam peccantem illam litteram, quæ dedit has turbas. At mea lectione quid potest clarius aut verius? Aureus Romanus, vt notaui, menstruum militis sub Augusto fuit, & id stipendium vnum. Adiecit alterum seu Caligula, seu Claudius: tertium fortasse additum per bella ciuilia Vitellij & Othonis. Quartum nunc à Domitiano. Ita in vniuersum miles acceperit quattuor stipendia, siue aureos quattuor: duplum ferè quàm miles hodie. Tolerabilis summa præ illa aureorum XII. Rem non ambiguam confirmo testimonio Zonaræ, cuius eadem in re hæc verba: Τοῖς στρατιώταις ἐπηύξησε τὴν μισθοφοράν, ταχα διὰ τὴν νίκην. πέντε γὰρ καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἑκάστῳ λαμβάνοντος, ἑκατὸν ἐκέλευσε διδόσθαι. id est, *Militibus stipendium auxit, fortasse ob victoriam. Cùm enim singulis septuagenæ quinæ drachmæ soluerentur, centenas dari iussit.* Quæso, LXXV. drachmæ (ita denarium Græci vertunt) quid aliud quàm aurei tres? Addidit XXV. Domitianus, ex Zonara: ergo aureum vnum. Homo non sim, si verbum vltrà addam in re clara firmanda.

CAPVT III.

Iuuenalis versus correctus & illustratus. Mos antiquus de lucernis ad ianuas, ad fenestras, ad arbores, ad lupanaria noua. Vates præferebant lucernam. Tertullianus, Xiphilinus, Seneca, Persius, & Prudentius explicati.

IVVENALIS versus sunt, lætitiam diei festi describentis, quorum lectionem aut mentem non viderunt interpretes: cum venia dixerim, vidi ego, Sat. XII.

Hic nostrum placabo Iouem, Laribúsque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis.

Ridicula in Iuuen. versibus sententia. Aiunt in his versibus, Operandi verbum referri ad sacra, & per lucernas significari diem. itaque hoc velle poëtam, ob reditum incolumis amici, sacra se facturum tempore matutino. Albæ mentes, siue qui hæc scribunt, siue qui credunt! Scilicet ianua operari sacris potuit (de illa enim loquitur:) aut exemplo probabunt lucernam, quæ noctis nota, significare diem. Rideo albis dentibus, cùm hæc lego. At vocis vnius correctione, quàm plana res? Nam scribendum,

Et matutinis operitur festa lucernis.

Operitur, id est, tegitur, vestitur. vt alibi;

Legitimè fixis vestitur tota tabellis
Porticus. ——

Ritus appendèdi lucernas in die festo. Morem sæculi sui expressit Iuuenalis; quo in omni publica priuataque lætitia receptum, ianuam ornari lauro & lucernis. Quem ornatum intellexit Seneca, Epist. LXVIII. *Quid tu existimas ea tantùm optabilia esse,*

esse, quæ per voluptatem & otium veniunt? quæ excipiuntur foribus ornatis? Et Tertullianus clarè in Apologetico, *Cur die læto non laureis postes adumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est solemnitate publica exigente inducere domui tuæ habitum alicuius noui lupanaris.* Apuleius lib. IIII. *Domus tota lauris obsita, tædis lucida, strepebat hymenæum.* Nec aliter explico Xiphilinum in Nerone, de aduentu Teridatis, Καὶ πᾶσα μὲν ἡ πόλις, inquit, ἐκεκόσμητο, καὶ ᾄδουσι καὶ στεφανώμασιν. & pòst, de reditu è Græcia Neronis, Εἰς τὸ καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἐκεῖθεν εἰς τὸ παλάτιον, πάσης μὲν τῆς πόλεως ἐστεφανωμένης καὶ λυχναπτούσης καὶ θυμιώσης. Intellegit enim vrbis ædes ornatas lauru ac lucernis. Qui ritus Christianorum etiam ævo non prorsus fugit: & lego in Vita vetere Fulgentij Episcopi Afri, *Populum per omnes prolixi itineris vias in occursum* (ab exsilio redeuntis) *eius tetendisse cum lucernis & lampadibus & arborum frondibus.* Eiusmodi autem lucernæ pensiles erant, suspendebanturque catenulis, accensæ ad ædium singularum ianuas aut fenestras. Ideo eleganter Iuuenalis ait ianuam operiri lucernis: & addit, matutinis, non sine Satyrico morsu, quasi claro luci opus esset alia luce. Vidimus ipsi in Italia æreas eiusmodi lucernas complures, quas intellexit etiam poëta princeps,

Quales ex lucernæ.

Ad ianuas appendi solent.

——*pendent lychni laquearibus aureis.*

Quòd ad ianuam hæ lucernæ, præter Iuuenalem, Tertullianus docet ad vxorem lib. II. *Moratur Dei ancilla in laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus solemnibus regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur: & procedet de ianua laureata & lucernata, vt de nouo consistorio libidinum publicarum.* Ecce, ianua, ait, lucernata. Quòd ad fenestras; Persius,

Ad fenestras.

——*uncta quæque fenestra*
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Vbi Scholiastes: *Herodiani obseruant sabbatha. quo die lucernas accensas, & violis coronatas, in fenestris ponunt.* Notetur de Violis. Porrò tangit & Seneca hunc morem, sabbathis accendendi lucernas Epist. XCVI. *Accendere aliquem lucernas sabbathis prohibeamus; quoniam nec lumine dij egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Nec solùm ædibus, sed etiam arboribus appensas reperio has lucernas. arboribus quidem sacris, & quibus vellent exhibitum cultum. Prudentius contra Symmachum,

Sabbathis accendi solent.

Etiam ad arbores.

Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Sustinuit, cadit vltrici succisa bipenni.

Vitibus lucernæ.

Sed & sacrificuli ac vates præferebant lucernam ac laurum: credo, vt augustiores se facerent ornatu illo festo & quasi sacro. Tale aliquid ex Seneca haurio De vita beata, cap. XXVII. *Cùm sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur; cùm aliquis secandi lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat; cùm aliqua per viam genibus repens vlulat, laurúmque linteatus senex & medio lucernam die præferens, conclamat iratum aliquem deorum: concurritis, & auditis, & diuinum esse eum inuicem mutuum alentes stuporem adfirmatis.* Nec dissimilis priscorum vatum in Græcia mos, qui ignem præferebant: de quo Theon, & Suidas in πυρφόρος. Cùm res ergo tam sacra, lucerna: mirum pollutam eam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad noua Lupanaria lucernæ suspensæ.

fœdissimo vsu, & solitam suspendi ad lenonias ædes, notam notæ lupanaris. Id enim Tertullianus apertè dixit locis duobus, quos non repeto. Sed credo morem eum natum inde, quòd scorta olim sub vesperam prostabant & ad lucernas. Non enim ante nonam diei, fas eis facere in publico copiam sui. quod notant interpretes prisci ad Persium, qui ab hac caussa Nonariam dixit meretricem. Lucernarum in Lupanaribus mentio apud Iunenal. *Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ.* & Horatium, ——*sub clara nuda lucerna.* vbi nollem viros doctos scribere, *lacerna*, pro pallio, aiunt, meretricio.

CAPVT IV.

Aquam calidam antiquitùs ad potum fuisse. imò ad deliciæ. Thermopolium Plauti quid? Dio explicatus. Calida vino mixta. Plautus illustratus, & Tacitus. Plautus correctus. Senecæ ex Athenæo data lux.

HOc caput Nymphis sacratum erit; & dicam de Aquis, earumque apud veteres vsu. Duplicis aquæ mentio in cænis Romanis, Frigidæ, Calidæ. Et frigidam ad potum fuisse, clarum est: de calida, non nemo nuper in me pugnauit. Ideo subtiliter de ea, &, vt Sallustius ait, cum cura disseram: vt retrahere morem fugitiuum possim, & desitum sæculo nostro. In vsu frequenti calidam ad conuiuia fuisse; testes mihi, vt in sacris dicitur,

Vsus calidæ frequēs.

—— πολλοὶ τ' ἀγαθοί τε πάρεισιν. Iuuenalis,

Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister?

Seneca De Ira lib. I. cap. XII. *Irascuntur boni viri pro suorum iniuriis: sed idem faciunt si calida non bene præbeatur, si vitrum fractum, si calceus luto sparsus est.* Paullus Ictus l. XVIII. de instr. & inst. leg. *Nec multum refert inter cacabos & æneum, quod supra focum pendet. his aqua ad potandum calefit; in illis pulmentarium coquitur.* Martialis.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit;
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Varro lib. IV. *Calix à caldo: quòd in eo calida puls apponebatur, & calidam eo bibebant.* Seneca De Ira lib. II. cap. XXV. * *Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus thorus, aut mensa negligentius posita: ad ista concitari, insania est.* Ammianus lib. XXVIII. *Ita autem pauci inter eos seueri vindices delictorum, vt si aquam calidam tardius attulerit seruus, trecentis adfligi verberibus iubeatur: si hominem occiderit, dominus hactenus exclamet, Quid faciat manio sus & nequam?*

* Similem prorsus in Arriano locum vide lib. I. Dissert. cap. XIII.

Martialis iterum,

Frigida non desit, non deerit calda petenti.

Et exempla plura. Etiam apud Græcos idem mos: præceptumq; apud Athenæum est lib. II. cap. II. προπίνειν ὕδωρ, ἐν μὲν χειμῶνι κεχαρισμένον ὡς μάλιστα, ἐν δὲ τῷ θέρει ψυχρόν. Apud eumdem lib. III. cap. III. quæritur vtrùm aqua calida an frigida post ficus bibenda sit: & vtrimque

Græcis vsus calidæ.

que dat caussas. Vide & lib. III. cap. XXI. Nec in vsu solùm antiquitùs calida; sed, quod miremur, in deliciis fuit. Inde apud Plautum Thermopolij mentio, cùm hilarior inuitatio describitur aut solutior luxus. vt Curculione, de ebriosis,

Deliciæ veterum in hoc potu.

Quos semper videas libentes esse in thermopolio.

In Trinummo, ——*satin' in thermopolio*
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?

Item Rudente,

Ne thermopolium quidem vllum ille instruit,
Ita salsam præbet potionem & frigidam.

Vbi thermopolia, non herclè aliud quàm cauponæ in queis hæc calida venîret. Calidam dico puram putam: non potionem nescio quam dulcem & cõfectam, quod sine auctore veteri ponit & vulgus interpretum, & eximius Turnebus. Philo ad hunc ritum egregiè de vita Theoretica: οἶνος ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐκ εἰσκομίζεται, ἀλλὰ διαυγέστατον ὕδωρ, ψυχρὸν μὲν τοῖς πολλοῖς, θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτάτων τοῖς ἀβροδιαίτοις. Vbi videsne palàm, deliciarum fuisse hunc potum. Itaq; Thermopolia Romæ Claudius sustulit, & bonus censor quasi curua correcturus, calidã in cauponis prostare seriò interdixit. Dio Cassius his verbis, τά τε καπηλεῖα ἃ συνεῖχον ἔπινον, κατέλυσε, καὶ προστάξας μήτε ῥέας ὤν ἐρῶν, μήθ' ὕδωρ θερμὸν πωλεῖσθαι, καὶ πᾶσι ἐπὶ τούτῳ μὴ πειθαρχήσασι ἐκόλασεν. Etiam apud Ammianum, lib. XXVIII. Ampelius Præfectus vrbi: qui statuit, *ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, néue aquam vulgariam calefaceret quisquam.* Eare Caius Caligula cauponem quemdam interfecit, quòd per dies funeris Drusillæ, calidam vendidisset. Idem Dio, Τὸν, inquit, πωλήσαντα θερμὸν ὕδωρ ἀπέκτεινεν, ὡς ἀσεβήσαντα. scilicet quasi hominem impium, & lasciuiæ administrum in publico luctu. Nec prætereundus Dionis locus de Druso Tiberij filio, quem ebrietatis accusat, quòd aliquando cum Prætorianis ad ignem restinguendum è conuiuio excitatus, Aquam illis poscentibus, calidam infundi iusserit. nimirum quasi conuiuij res esset, non incendij. Verba Græca sunt quorum sententiam non expressit interpres: τῇ τε μέθῃ κατακορὴς ὥτως ἐγίγνετο, ὥστέ ποτε νυκτὸς ἐμπρησθείσης πυρὶ ἐπικουρῆσαι μετὰ τῆς δορυφόρων ἀναγκασθεὶς, ὕδωρ αὐτῶν αἰτούντων, θερμὸν σφίσιν ἐγχέαι κελεῦσαι. Nec ab alia caussa agnominatio illa Tiberij Imperatoris, Biberius Caldius Mero. Caldius videlicet, à frequenti calidæ potu. Reliquum quæri est, pura hæc aqua in deliciis fuerit, an mixta? Censeo mixtam. Non quin duplicem calidæ vsum non agnoscam: (bibebatur enim & solitaria, & infusa vino) sed quia gulonibus expetitam maximè & laudatam comperior cum vino. Credo, quia procliuius & iucundius potio feruens, quàm frigida, iret in bulgam. idque nosipsi, aliquoties experti, non abhorremus. Appuleius descriptione nequitiæ suæ lib. II. *Fotis mea, iam domina cubitum reddita, arripit poculum, ac desuper aqua calida iniecta porrigit vt bibam.* Martialis,

Thermopolia vetita à Claudio.

Calida vino miscere solita.

Me conuiua leget misto quincunce, sed antè
Incipiat positus quàm tepuisse calix.

Alibi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alibi,

Iam defeciſſet portantes calda miniſtros,
Si non potares Sextiliane merum.

qui verſus diſertè probant mixtionem. Sed clariſſimè Plautus, qui vinum ita mixtum intellegens, Calidi nomine vti, non Calidæ voluit.

Plautus explicatus.

Curculione,

Vbi quid ſurripuêre, operto capitulo calidum bibunt,
Triſtes atque ebrioli incedunt.

Et Milite, eleganter potionem eam exprimit puer ebrius:

Neque equidem heminas octo exprompſi in vrceum,
Neque ille hic calidum exbibit in prandio.
P A. *Neque tu bibiſti?* L V. *di me perdant, ſi bibi,*
Si bibere potui. P A. *quid iam?* L V. *quia enim abſorbui.*
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.

Tacitus & Plinius. & quæ ſequuntur. neque enim eſt vt ſcena ea intellegatur, ſine hoc more. Calidæ potionis mentio etiam apud Tacitum, Annali XIII. incertum meræ, an mixtæ. *Illic epulante Britannico, quia cibos potúſque eius dilectus ex miniſtris guſtu explorabat: ne omitteretur inſtitutum, aut ne morte vtriuſque proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt. Innoxia adhuc & præcalida & libata guſtu potio traditur Britannico: dein poſtquam feruore aſpernabatur, frigidâ in aqua affunditur venenum.* Et apud Plinium lib. VII. cap. LIII. de M. Oſilio Hilaro. *Qui*, inquit, *cùm populo admodum placuiſſet natali die ſuo, conuiuiúmque haberet: edita cæna, calidam [potionem]* (deleuerim eam vocem, vt gloſſema) *in pultario poposcit, ſimúlque perſonam eius diei acceptam intuens, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit, tali habitu rigens nullo ſentiente, donec accubantium proximus tepeſcere potionem admoneret.* Eamdem Plautus intellexerat, verſu, qui nunc corruptus in Perſa:

Plautus correctus.

Ite foras, hic volo ante oſtium & ianuam meos participes bene accipere.
Statuite hîc lectulos, ponite hîc quæ aſſolent. hîc ſtatui volo primum.
Vnde ego omnes hilaros, ludentis, lætificantis faciam vt fiam aliqua mihi.

quæ confuſa compono & emendo, *hic ſtatui volo primum aquilàm mihi. Vnde ego omnes hilaros, lubentes,* (ita Douza emendabat, pro *ludentes*) *lætificantes faciam vt fiant.* Ita propemodum, præter duos manuſſ. etiam priſca editio Aldi. Verba illa, *aliqua mihi*, tranſpoſita & corrupta erant; retrahenda quò poſui, & legenda, *aquilam mihi*, ſiue, *aquulam.* Correctio certa & clara. Aquam enim duplicem in menſæ initio ſtatim poni mos erat, Calidam, Frigidam. Lucianus, Τράπεζα δὲ τῇ κλίνῃ παρεκκεῖται, ποτήριον ἔχουσα, ἢ ὕδωρ ἕτοιμον ἢ ψυχρὸν ἢ θερμόν. Faceta autem alluſio Comici ſerui, quaſi ad aquilam etiam militarem. Nec plura de Calida. cuius vſum Plinius hoc oraculo damnauit, *Notandum nullum aliud animal,* (præter hominem ſcilicet) *calidos potus ſequi: ideóque non eſſe naturales.* Renitente tamen Plutarcho: qui De tuenda valetudine, Calidæ potum laſſis commotiſque valde approbat & commendat.

Aqua duplex in initio menſæ.

Calidæ vſus nocuus.

CAPVT

CAPVT V.

Carmen poëtæ veteris, non antea viſum. De ſcriptore quæſitum. multa in eo emendata, & illuſtrata.

VT Plautina illa mulier in Truculento, alienam prolem: ſic ego hoc capite

Alienos ibo labores ſuppoſitum mihi.

Carmen vulgabo, quod clariſſ. Ictus P. Pythoëus munus mihi miſit: ſed carmen non viſum antea, non lectum, & cui meritò præfabor, Fauete linguis. Repperit vir doctiſſimus & diligentiſſimus harum rerum, in vetuſto eoque vnico exemplari: & inde qua fide ille tranſcripſit, eadem inferam his libris: Sine fraude quidem. quia iſta quaſi adoptio, volente amico noſtro eſt, imò iubente. Carmen ſic habet:

Cras amet qui numquam amauit; quíque amauit, cras amet.
Ver nouum, ver iam canorum, ver natus orbis eſt.
Vere concordant amores, vere [a] *nubent alites.*
Et nemus comam reſoluit de maritis imbribus.
Cras [b] *amorem copulatrix inter vmbras arborum*
Implicat [c] *gazas virentes de flagello myrteo.*
Cras Dione iura dicit, fulta ſublimi [d] *trono.*
Cras amet qui numquam amauit, quíque amauit, cras amet.
Tuno quiuore deſuper huc ſpumeo pont' de glouo*
x. *Cærulas inter cateruas, inter & bipedes equos*
Fecit vndantem [e] *Dione de maritis imbribus.*
Cras amet qui numquam amauit, quíque amauit, cras amet.
Ipſa [f] *gemmas purpurantem pingit annum floribus*
Ipſa ſurgentis papillas de Faboni paritu*
Vrguet in totos pentes, ipſa roris lucidi*
Noctis aura [g] *quem relinquit ſpargit vmentis aquas.*
Et me canat lacrime trementes de tadum* pondere.*
Gutta præceps orbe paruo ſuſtinet caſus ſuos.
In pudorem florulentæ [h] *prodiderunt purpuræ:*
xx. *Vmor ille quem ſerenis aſtra rorant noctibus*
Mane [i] *virgineas papilla ſoluit vmenti peplo.*
I piuſſit mane tuæ virgines nubant roſæ*
Fuſſa prius de cruore, déque amoris* [k] *oculis,*
Déque gemmis, déque flammis, déque ſolis purpuris.
Cras ruborem qui latebat veſte tectus ignea
Vnica [l] *marito nodo non pudent ſoluere.*
Cras amet qui numquam amauit, quíque amauit, cras amet.
Ipſa nimfas diua [m] *loco iuſſit ire myrteo*
[n] *Et puer comis puellis. nec tamen credi poteſt*
xxx. *Eſſe amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*
Ite nimfæ, poſuit arma, feriatus eſt Amor.
Iuſſus eſt inermis ire, [o] *durus ire iuſſus eſt,*

a Scribo, *nubunt.*
b Pyth. *amorum.*
c Pyth. *caſtas, vere.*
d Malim, *thoro.*
e Lego, *Dionem.*
f Pyth. *gemmans.* poteſt etiã *gemmeis*
g Legerim, *quem reliquit.*
h Pyth. *prodierunt.*
i Scribo, *virgines papillas* nõduco cõpreſſas & maritas.
k Pyth. *oſculis.* & antè, *Ipſa iuſſit.*
l Pyth. *Vnico maritin. n. pudebit.*
m Idem, *luco*
n Pyth. *Eſt p. comes.* ego, *Et puer comes.*
o Pyth. *nudus*

Neu quid arcu, neu sagitta, neu quid igne laderet.
Sed tamen nimfæ cauete, quòd Cupido pulcer est,
Totus est [a] inermis idem, quando nudus est Amor.
Cras amet qui numquam amauit, quique amauit, cras amet.
Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Vna res est quam rogamus, cede Virgo Delia
Vt nemus sit incruentum de ferinis stragibus.
Ipsa vellet vt venires, si deceret virginem: XL.
Iam tribus choros videres feriatos noctibus,
Congreges inter cateruas ire per saltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
Nec Ceres nec Bacchus absunt, nec poëtarum deus,
Detinent * & tota nox est [b] peruigila cantibus.
Regnet in siluis Dione, tu recede Delia.
Cras amet, qui numquam amauit; quique amauit, cras amet.
Iussit hiblæis tribunal stare diua floribus,
Præseñs ipsa iura dicit, adsederunt Gratiæ.
Hibla totos funde flores, quicquid [c] annis attulit, L.
Hibla florum * rumpere est equant' [d] ethne cãp-
Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæ que siluas, quæ quæ lucos, quæ que montes incolunt.
Iussit omnis assidere pueri mater [e] alitas,
Iussit & [f] nullo puellas nil Amori credere.
Cras amet, qui numquam amauit; quique amauit, cras amet.
Et rigentibus vergentes ducat vmbras floribus.
Cras [g] erit qui primus æther copulauit nuptias,
Vt pãt' totis crearet vernis annum nubibus,
In sinum maritus imber [h] fluctus alma & coniugis. LX.
Vt fletus immixtus omnis aleret magno corpore.
Ipsa [i] vernas atque mentem permeante spiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Pérque cælum, pérque terras, pérque pontum subditum,
Peruium sui tenorem seminali tramite
Imbuit, iussitque mundum nosse nascendi vias.
Cras amet, qui numquam amauit; quique amauit, cras amet.
Ipsa Troianos nepotes in [k] Latino transtulit:
Ipsa Laurentem puellam coniugem nato dedit.
Móxque Marti de sacello dat pudicam virginem. LXX.
[l] Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias:
Vnde Rames & Quirites, próque prole posterũm
Romoli matrem crearet & nepotem Cæsarem.
Cras amet, qui numquam amauit; quique amauit, cras amet.
Rura fecundat voluptas: rura Venerem sentiunt:
Ipse Amor puer Dionæ rure natus dicitur.
Hunc ager [m] cum parturiret, ipsa susceptit sinu,
Ipsa florum delicatis educauit osculis.

Cras

reste ad sententiam nihil habeo.
a Beneidem, *in armis.*
b Pyth. *pervigilanda.*
c Pyth. *annus.*
d Idem, *quæ tus Ætnæ campus est.* Fortasse sic, *Hibla florum prome veste q. Enna c. est.*
e Pyth. *alitus*
f Idẽ, *nudo.*
g Fortè, *quo.*
h Pyth. *fluxit alma.*
i Idẽ, *venas.*
k Pyth. *Latinos.*
l Scribo, *Romulæas.*
m Lego & distinguo, *Hinc ager, cũ parturisset ipsa, susceptit sinu: Ipse florum.*

Cras amet, qui numquam amauit; quique amauit, cras amet.
LXXX. Ecce iam super genestas explicat [a] aonij * latus
[b] Quisque tuus quo tenetur coniugali fœdere.
Subter vmbras cum maritis ecce balantum gregem:
Et canoras non tacere Diua iussit alites.
Iam loquaces ere rauco flagna cigni perstrepunt:
Adsonant [c] aërei puellæ subter vmbram populi
Vt [d] putas motus amoris ore dici musico?
Et neges queri sororem de marito barbaro?
Illa cantat, nos tacemus. quando ver venit meum?
Quando * faciam vt celidon vt taceret desinam.
Perdidi Musam tacendo, nec me Phœbus respicit.
XC. Sic Amyclas cùm tacerent perdidit silentium.
Cras amet, qui numquam amauit; quique amauit, cras amet.

a Pyth. *aëdo.*
b Fortasse, *Quisque coetus continetur.*
c Eleganter Pyth. *Turei.*
d Lego *putes*, & deleo vbique notam rogandi.

EXPLICIT PERVIGILIVM VENERIS.

Elegans meherclè & quantiuis pretij carmen; molle, tenerum, sed Romanis, vt sic dicam, non Alexandrinis deliciis. In eo aliquot menda: quæ priusquam tollam, quæram de Titulo & de Scriptore. Titulus fuit, *Perui-gilium Veneris.* Colligo facilè ex subscriptione, *Explicit peruigilium Veneris.* Ex titulo non ignotum argumẽtum. Laudatio enim Veneris fuit, composita quasi per occasionem Peruigilij, quod tres ipsas noctes in honorem deæ agebant. Faciunt illuc versus in hoc Carmine,

Ipsa vellet vt venires, si deceret virginem.
Iam tribus choros videres feriatos noctibus.

Et illa Plauti Cureulione,

Quid? tu Veneri peruigilare te vouisti Phædrome?
Nam hoc quidem haud multo post luce lucebit.

Sed & peruigilandi honos vulgatus in ceteros deos. Fortunæ peruigilium est apud Suetonium in Galba, cap. IIII. *Fortunæ simulacrum in parte ædium consecratum, mẽstruis deinceps supplicationibus & peruigilio anniuersario coluit.* Cereri, apud Tacitum: *Lectisternia & peruigilia celebrauere feminæ quibus mariti erant.* Incertum cui deo, deæ, apud Liuium lib. XXIII. per tres item noctes. *Triduum sacrificatum ad Hamas. Nocturnum erat sacrum, ita vt ante mediam noctem compleretur. Gracchus castra Campana, vt in peruigilio, neglecta simul omnibus portis inuadit.* Peruigilij meminit iterum Suetonius in Caligula, cap. LIIII. & Vitellio, cap. X. Titulum ergo inuẽni: scriptorem quæram, & non inueniam. Ducti elegantia carminis quidam Catullum Veronensem esse censuerunt: alij, in queis Scaliger, Catullum vrbicarium poëtam, nominatum Iuuenali,

——— *clamosum ageret cùm phasma Catulli.*

Neuter potest. nisi me fallit ratio temporum, quam subduxi non vanis coniecturis. Natum enim comperio hoc Carmen in imperio Augusti. Argumento horum versuum,

Vnde Rhamnes & Quirites, próque prole posterũm
Romoli, patrem crearet & nepotem Cæsarem.

Argumentum & occasio huius Carminis.
Peruigilia, varijs dij.
Quæsitũ de scriptore.
Quando videntur id Carmen scripsisse.

Ita legendum; non *matrem*, doceo infrà. Pater Cæsar, Diuus Iulius est; nepos, Augustus. Sæpè ita discriminandi caussa historici. Sueton. *Cæsario, quem ex Cæsare patre concepisse Cleopatra prædicabat.* & alij sæpius. At hæ tam quæsitæ blanditiæ aduersus Augustum, quomodo conuenient nisi in hoc æuum? Non ergo Catulli Veronensis. Dico amplius: post Virgilium vixit hic scriptor. Certè locus ille totus,

Pater Cæsar & D. Iulio.

Vt Pāt totis crearet vernis annum nubibus*
In sinum maritus imber fluxit almæ coniugis
Vt fœtus immixtus omnes aleret magno corpore.

Post Virgilium scriptum.

non abest, quin è Virgiliano isto expressus sit,

Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther
Coniugis in lætæ gremium descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fetus.

postremo quidem versu etiam ad verbum, vt ego restitui: Nisi tamen Virgilius hæc ab illo: quod non censeo. Sanè quisquis scriptor, non ambigo quin extrema sub tempora genitum hoc carmen Augusti. Ita Catulli illius germani non erit; quia ætate relinquitur. non illius minuti vrbicarij, quia anteit. Cetera videbit Phœbus. ego transeo ad versus ipsos, quos sanabo, cum Homero, Ες πόδας ἐκ κεφαλῆς. Principio carminis non dubium quin multa desint. Illo versu,

Ver nouus orbis.

Ver nouum, ver iam canorum, ver natus orbis est.

eleganter Pythoëus, *vere natus orbis est.* nec malè ego, *ver renatus orbis est.* sententia gemina huic Plinianæ, *Arborum flos est pleni veris indicium & anni renascentis.* Versu IX.

Tuno quiuore desuper huc spumeo pont' de glouo.

Venus nata è spuma & sanguine.

Amicus ille noster, *Iuno rore de supernis.* Mihi correctio apud Ianum Douzam fabulanti feliciter sub manu nata, *Tunc cruore de superno ac spumeo ponti è globo.* Nihil clarius. Tangit fabulam qua fingitur Venus è spuma maris nata, & è sanguine prolium (vt honestè dicam) Cæli. Tibullus,

—— is sanguine natam,
Is Venerem è rabido sentiet esse mari.

Arnobius, *Nunquid à nobis dicitur ex pelagi spuma & ex Cæli genitalibus amputatis Cytheræ Veneris concretum coaluisse candorem?* Paulo pòst etiam scribe, *Fecit vndantem Dionem de maritis imbribus.* Maritos imbres appellat Spumam & Cruorem, sanequàm eleganter. Desunt autem hîc minimum seni aut septeni versus, quod apparet ex versu intercalari properè posito. Versu XIIII.

Ipsa surgentis papillas de Faboni paritu
Vrguet in totos pentes.*

Truncatam vocem arbitror, & scribo, *Vrguet in thoros tepentes.* Priori etiam versu malim, *Turgentes papillas.* Fauonij spiritum vere inuenit & ingeniosè Pythoëus.

Versu XVII.

Et me canat lacrime trementes ne tadum pondere.

Videor pro parte emendare posse, *Et micant lacrimæ trementes.* Intellegit

legit autem guttulas illas è rore subsilientes & lasciuientes. Cetera non possum. Lernutius noster, *decadiuo pondere.*

Versu XXII.

I pinsit manè tuæ virgines nubant roseæ.

Pythoëus, *Ipsa iussit.* rectè. Reliqua sic Ianus Douza: Douza, inquam, meus, non iterum in transcursu dicendus. Tot mihi in illum iusti amoris caussæ, tot admirationis sunt. Omitto poësim, & cum poësi supra hoc sæculum doctrinam: probitas, & ingenui mores, &, quæ nihil gratiæ caussa facit, gratia, di boni, in quo homine paria sunt, aut erunt! Vt verè de illo hoc elogium & ad præstationem, quod dicitur, scripturus sim, Vera proles Musarum, & alumnus Gratiarum. Nec abripit amor me. iudicio hoc scribo, siquid vnquam: & peto quæsóque (vita tantùm mihi aut fama apud posteros sit) ita hæc legant, non quasi laudem ab amico; sed sententiam à iurato teste. Redeo in viam. Douza, inquam, legebat, *manè vt vdæ virgines nubant roseæ.* rectissimè. Venus iussit, ait poëta, vt manè virgines regant se ornentque vdis ab humore noctis & quasi ebrias rosis. Nec fallet lectorem Nubendi hîc verbum, prisca significatione, Velandi. Versu XXIII.

I. Douza vera laus.

Fusta prius de cruore, déque amoris oculis.

Rosæ tinctæ cruore Adonis.

Non diu, sed intentè mihi quæsita correctio. quam repperi, & lego, *Fusæ aprino de cruore.* Ab historia hæc lectio, vel à fabula potiùs. Nam rosas à sanguine Adonis, quem aper occiderat, traxisse ruborem vulgò volunt poëtæ. Fusæ ergo. tinctæ siue perfusæ. nisi quis eligit, *Fuscæ.* Bion de hac re, Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν. Ouidius, & alij. Versu XLV.

Detinent & tota nox est peruigila canticis.

A fine lego, *peruigil à canticis.* syllaba præter vulgi morem scilicet producta, vt iambum vitemus. Ad principium emendandum conor, *Detument.* id esset, tumorem & fastum dij illi ponunt, effusi in iocos, & solitam peruigilio hilaritatem. Scio Statium Papinium non absimiliter ea voce vsum: tamen adhuc delibero.

Detumere.

Versu XLIX.

Præsens ipsa iura dicit, adsederunt Gratiæ.

Bene Douza, *Præses. i. iura dicet, adsidebunt Gratiæ.* Et lepida herclè fictio est, vt Venus in illo tribunali quasi Præses Quæsitorque sit: Gratiæ, adsestrices. Versu LX.

In sinum maritus imber fluctus.

Lego, *fluxus.* Ita apud Lucanum:

—— æther defluxus in Austrum.

Versu LXI.

Vt fletus immixtus omnis aleret magno corpore.

Dixi, & non muto, legendum *fetus:* ex sententia, & Virgilio quem expressit. Turbat me tamen, quòd insolens eo loco poëtæ nostro Spondeus est. itaque per me sanè legatur, *Vtq; fetus mixtus omnes.*

Versu LXXII.

Vnde Rames & Quirites pròque prole posterûm

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romoli matrem crearet, & nepotem Cæsarem.

Falsa lectio. Quid? an ex nuptiis Sabinarum cum Romanis creata mater Romuli? Atqui Romulo iam regnante iunctæ illæ innuptæ nuptiæ: nedum vt ex illis Romulo mater. Perseuero ergo legere, *próque prole posterûm Romoli, patrem cr. & n. Cæsarem.* sententiam non dubiè in gratiam Augusti; Venus, inquit, conciliatrix fuit Romanorum Sabinarumque nuptiis, vt ex iis Rhamnes & Quirites crearet, & in postera sæcla vtrumque Cæsarem, patrem cum nepote.

Versu LXXX.

Ecce iam super genestas explicat aonij latus.

Aut ego me amo, aut Phœbus me amauit, cùm correxi, *explicant agni latus.* Nec sanè significantius exprimi potuit decubitus ille ouium in latus, quasi apricantium. Id enim solent super genistas, myricas, & humiliores frutices. Nec plura de hoc Peruigilio, ne ipse peruigilem. Addam alterius rei, poëtæ tamen, vt videntur, eiusdem versus; quos nescio quis baro indigitauit, *Floridum de Qualitate vitæ.* Repperit in hisdem schidis suis Pythoëus.

FLORIDI DE QVALITATE VITAE.

Bacche vitium repertor plenus adsis vitibus,
Effluas dulcem liquorem comparandum nectari,
Conditúmque fac vetustum, ne malignis [a] *suenulis*
Asperum [b] *dicat saporem versus vsus in alteros.*

Omnis mulier intra pectus celat virus pestileus.
Dulce de labris loquuntur, corde viuunt noxio.

Sic Apollo: deinde Liber, sic videtur igniser.
Ambo sunt flammis creati, prosatíque ex ignibus.
Ambo de comis calorem & radio [c] *conserunt:*
Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

Quando ponebam nouellas arbores mali & pyri,
Cortici summæ notaui nomen ardoris mei:
Nulla fit exinde finis vel quies cupidinis.
Crescit arbor, gliscit [d] *arbor, ramus implet litteras.*

Qui mali sunt non fuere matris ab aluo mali:
Sed malos faciunt malorum falsa contubernia.

Sperne mores transmarinos, mille habent [e] *offugia.*
Ciue Romano per [f] *vrbem nemo viuit rectius.*
Quippe malim vnum Catonem, quàm CCC. Socratas.
Tam malum est habere nummos, non habere quàm malum est.
Tam malum est audere semper, quàm malum est semper [g] *pauere.*
Tam malum est tacere multum, quàm malum est multum loqui.
Tam malum est foris amica, quàm malum est vxor domi.
Nemo non hæc vera dicit, nemo non contrà facit.

Consules

a Pyth. *venulis.*
b Pyth. *ducat.* & statim, *versum.*
hc Pyt. *& radios amba c.*
d it Pyth *arder.*
e Idem, *offucias.* & *per orbem.*
g Scribe, *pauor.*

Consules sunt quotannis & noui Proconsules:
Solus aut rex, aut poëta non quotannis nascitur.

Nihil hæc ad venustatem prioris illius carminis: sed sunt haud dubiè imperiti alicuius sarcinatoris ablecta. Primum illud de Baccho insipidum: nec florem vini olet, sed floces eorum quos non nomino. Tamen emendo, *Ne malignis vernulis, Asperum duat saporem.* intellegi vult, Ne vinum acetum fiat, & potui præbeatur seruis admixta aqua. Duat enim pro Det. Posca autem vernularum & seruorum, ex aceto. Ablecto tertio, & *radio* **conserunt*: mutilum versum expleo repetita voce, quæ delituit, vt solet, in fine prioris, & scribo, *radio dio conserunt.* Vterque calorem, inquit, à diuino radio conserit, & Phœbus, & Bacchus. Græca phrasis est, Conferere calorem. Fruere, mi lector, quisquis poësim amas, hoc Pythoëi dono, fruere.

CAPVT VI.

Ritus collocandi cadaueris. Suetonij nouus & verus intellectus, & Virgilij Conlocatio. Cærimonia in ea adiuncta. Persius illustratus. Seneca etiam emendatus. Amictus in corpore mortuo. Appuleius, Iuuenalis, Martialis explicati.

FVNEBRES aliquot ritus explicare mihi animus est, temporibus tam funestis. Angunt me fatales Belgicæ turbæ: & in hac confusione rerum non solùm quid speremus non est, vix quid optemus. Tamen vt ij qui in carcere detinentur, ludunt interdum tesseris: sic mihi fas tractatione harum rerum, abducere paulisper animum à præsentibus malis.

Collocatio ad ianuã.

Mos funebris fuit, vt post efflatam animam cadauer cubiculo efferrent, & in vestibulo ædium collocarent ad ianuam ipsam. Id proprio verbo dicebatur Collocatio. Glossæ priscæ, *Conlocatio*, εἶδος ταφῆς. Suetonius in Augusto, cap. C. *Corpus Decuriones municipiorum & coloniarum à Nola Bouillas vsque deportarunt, noctibus, propter anni tempus: cùm interdiu in basilica cuiusque opidi, vel in ædium sacrarum maxima reponeretur. A Bouillis equester ordo suscepit, vrbíque intulit, atque in vestibulo domus collocauit.* Illustris locus. &, quod interpretes adhuc fugit, clarum vestigium huius moris. Corpus enim ablutum, vnctum, coronatum ad ianuam deponebant: donec post legitimos dies efferretur ad bustum. Lucianus περὶ πένθους μὴ παῦσαι δὲ λούσαντες αὐτὸς, καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα, καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι προτιθέναι. Bene προτιθέναι. nam quod Collocatio Latinis, πρόθεσις in hac re Græcis, & collocare προτίθεσθαι. Dio lib. De Liuiæ excessu, καὶ αὐτὴν, ὁ Τιβέριος ἅτε νοσοῦσαν ἐπισκέψατο, ἅτε ἀποθανοῦσαν αὐτὸς προέθετο. Ita enim eum locum emendauit Scaliger, [illegible] eam collocationem à filiis, aut certè heredibus solitam fieri. Plato etiam in Phædone eleganter, parum adhuc animaduerso

Filij collocabant.

Plato explicatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aduerso loco: vbi Socrates negat se totum moriturum: Μὴ δ' ἐλέγει, inquit, ἐν τῇ ταφῇ, ὡς ἢ προτίθεται Σωκράτη, ἢ ἐκφέρει, ἢ κατορύττει. id est: *Nec in ipso funere dixeris collocari Socratẽ, aut efferri, aut terra obrui.* Ita enim ea vertenda propriè. Hunc morem tágit, vt solet, occultè vates magnus, lib. XI.

Virgilij occultior sensus.

——— recipitque ad limina gressum.
Corpus vbi exanimi positum Pallantis Acetes
Seruabat senior.

Nam quòd ad limina cadauer Pallantis posuit; non dubiè intellegi voluit solemnem hanc ad ianuam positionem.

Situs cadaueris, vt pedes in viam spectarent.

In hoc ritu collocandi, cerimonia quædam adiuncta fuit & cautus. Seruabant enim vt corpus mortui foràs spectaret, & facie pedibusque esset in publicum versis. fortasse eo situ abitionem illam postremam significantes. Eleganter Persius,

——— tandémque beatulus alto
Compositus lecto, crassísque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit. ———

Homerus item clarè, in funere Patrocli,

Ὅς μοι ἐν κλισίῃ δεδαϊγμένος ὀξέϊ χαλκῷ
Κεῖται, ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος.

Id est: *Qui mihi in tabernaculo confossus acuto ære,*
Iacet, ad vestibulum conuersus.

Illustratus Senecæ egregius locus.

Ibique interpretes: εἰς τὸ πρόθυρον, inquiunt, βλέπων. τοιοῦτο γὰρ τὸ σχῆμα τῆς τῶν νεκρῶν προθέσεως. Ab vtroque hoc ritu Senecæ dabo lucem, Epistola XII. *Quis est, inquam, iste decrepitus, & merito ad ostium admotus? Foràs enim spectat. Vnde istum nactus es? quid te delectauit alienum mortuum tollere? At ille, Non cognoscis me? ego sum Felicio, cui solebas Sigillaritia adferre: ego Philositi villici filius, deliciolum tuum. Perfectè, inquam, delirat iste vetulus: etiam deliciolum meum factus est. Prorsus potest fieri: dentes illi cùm maximè cadunt.* Locus herclè argutus. & cuius sententia, quis neget, quin diserte ad hunc ritum? Nam ait, illum senem meritò ad hostium admotum. quare? quia ludere ei visum, & in officium hominis: hostiarius enim erat: & in senium. quasi iam in extrema tegula staret semimortuus, & ideò iure ad ianuam collocandus. Ait etiam, Foràs illum spectare. quid, nisi alludens ad illum corporis mortui situm, foràs & in publicum obuersi? Interfuit profectò iuuentutis explicari eum locum: at ego addam etiam correctionem. Nam vbi vulgò, *Perfectè, inquam, delirat iste vetulus*; libri manuss. quos vidi, *iste populus*. Non dubitabis scribere & interpungere, *Perfectè, inquam, delirat iste: pupulus & iam deliciolum meum factus est.* Pupulus, paruus pupus. vera lectio, & venusta præ vulgata.

Idem correctus.

Toga in mortuis.

Ita igitur cadauer situm; & amictus illi, in Italia, toga erat; in Græcia, pallium. Appuleius Floridorum lib. I. *Nam illic quoque videret hominem præsidere, hominem depugnare: togam quoque parari & voto, & funeri. Item pallio cadauera operiri, & philosophos amiciri.* Iuuenalis Sat. III.

Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus.

Martia-

Martialis, *Et pallens toga mortui tribulis.*

Plutarchus explicatus.

Plutarchus in Cauſſis, τὸ σῶμα, inquit, τοῦ τεθνηκότος ἀμφιεννύσι λευκοῖς. Artemidorus lib. II. cap. III. Ἀνδρὶ γοσσύντι λευκὰ ἔχειν ἱμάτια, θανατὸν προαγορεύει. διὰ τὸ τοὺς ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἐκφέρεσθαι. candidas eas vestes, non aliud capies, quàm togas, quæ vulgò albæ. Nam cadauera in honestissima veste efferri mos. quæ in vulgo ciuium & in tacito funere, toga vulgata fuit: in magistratibus, toga prætexta: in Censoribus, purpurea tota. Polybius lib. VI. ἤτοι προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας. ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ἢ γεγονὼς, περιπορφύρους. ἐὰν δὲ τιμητὴς, πορφυρᾶς. ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς, ἤτοι τοιοῦτον κατειργασμένος, διαχρύσους. Liuius lib. XXXIIII. *Purpura viri vtemur: prætextati in magistratibus, in sacerdotiis. nec id vt vsui solùm habeamus insigne, sed etiam vt cum eo crememur mortui.* Plura de his rebus in libro singulari, De Funeribus, quem habeo adfectum.

Varia vestes pro conditione mortuorum.

CAPVT VII.

In Agellio complura emendata. Rumices. Trifaces, Gaupuli. Prisca aliquot verba, Claudere, Imparientia. Secus pro sexu. Exetrationes. Catonis fragmentum correctum. Consipere, probum verbum: item, Despreti. & plura alia.

SCRIPTORI Noctium Atticarum medebor hoc loco; & ille, cùius censura vtilis in plerosque scriptores vetustos fuit, censuram nunc meam subibit: hoc est, ipsi medico faciam medicinam. Quid refert? si conuenit in eum Græca parœmia,

Ἄλλων ἰητρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύει.

In enumeratione telorum lib. X. cap. XXV.

Hasta, pilum, falarica, semifalarica, solliferrea, gesa, lancea, spari, rumigestri, falces, tragulæ, frameæ.

Rumex, genus teli.

Quis feret vocem Rumigestri? quis legit? Turnebo visum reponere, *rumæ, cestri.* Me censore vera lectio hæc, *rumices, trifaces.* diuulsis vocibus quæ turpiter cohærerant. Et auctores credendi libri veteres, in quibus *faces* reperio, non *falces.* Nimium blanditur coniectura; & artem diuinandi in perpetuum desino, si hîc erro. Festus, *Rumex genus teli, simile spari Gallici. meminit Lucilius.* Idem, *Trifax telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur.* Eodem capite de nominibus nauium,

Et Trifax.

Parones, myoparones, lintres, capulica, mareplacidæ, cidarum, ratariæ, catascopium.

Caupulus; genus cymbæ.

Verba non sine formidine legentium. Emendo, *lintres, caupuli, camaræ.* De Camaris, quod nauium Ponticarum genus, satis notum ex Tacito & Strabone: de Caupulis, eruimus partim ex priscis libris, qui referunt, *caupulica*; partim ex Isidoro: *Lembus*, ait, *nauicula brevis quæ alia appellatione dicitur & cymba, & caupolus, & lintris.* Notandus locus. & sine quo, ætatem in vitio & quæstione sint Agelliana verba. Lib. I. cap. VII.

At si Explicuit, diceret, imperfecto & debili numero verborum sonus clauderetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Claudere, prisca vox in Terentio.

Scripserim, *sonus clauderet*, antiquo verbo, deficeret. Reposui olim in Terentij versu, —— *nuncubi meam*

Benignitatem sensisti in te claudere:

nec persuasi multis. credo, quia audacior quàm pro ætate coniectura erat. Itaque comiter admonuerunt etiam me quidam, vt mutarem. Pepo, non homo, si id faciam. Quid enim si fundus subscriptorq; eius correctionis Donatus mihi est? quid dicent mei Critici? Eum ergo adeant, & nisi mutili illi Commentarij apertè à me sunt: admutiler sanè ego. Sed & Apuleium nunc in eapse voce corrigo, lib. III. Florid. sub initium: *Vtinã mihi pro amplitudine auditorij prolixa oratio suppeteret, ac nõ hic maximè clauderetur, vbi me facundissimũ cuperem.* Lego, *clauderet*, ex vet. manuscripto quem benignitas mihi adtribuit mei Giselini. Libro I. cap. XIII.

Nequaquam putauerint contra dictum eius esse faciendum, etiamsi repentinus aliquis casus rem commodius agi posse polliceretur: ne si spes fefellisset, culpa impatientiæ & pœna indeprecabilis subeunda esset.

Disputatio est de mandatare, omninóne facere quod mandatum & vti mandatum est oporteat: an fas sit interdum deflectere, pro re aut casu aliquo repentè nato. Hæc verba quæ adduli, in eam partem valent, non esse deflectendum vsquam: & ratio, *ne si spes*, inquit, *fefellisset, culpa impatientiæ & pœna indeprecabilis subeunda esset.* Sed profectò, quicquid ego video, scribi sententia flagitat, *culpa imparientiæ.* insolitum huic ævo verbum, sed vetus & probum. Ita parientiam accommodare, pro patêre, in Iustinianeo codice restituit Iacobus Cuiacius, vir, de quo non aliud dixerim, quàm quod de Carthagine olim Crispus. Et parientiæ vox aliquotiens in Cassiodori Variis eadem sententia occurrit, sed ferè corrupta. Vide vnicum illum Astrææ & Musarum sacerdotem, lib. I. Obseruation. cap. VI. & Agellium ipsum, qui hoc argumentum quasi diluens, statim addit, *Neque timendum exemplum non parendi tradiderunt*; πεῤῥαζόμενος quod antea imparientiam dixerat. Lib. II. cap. XXVIII.

Imparietia & parientia.

Fas feriasi quis polluisset, piaculoq; ob eam rem remotus esset.

Scribendum, *ob eam rem opus esset*. puero clarum. Lib. III. cap. X.

Mox eumdem equum qui Dolabellæ fuerat, C. Cassium, qui Dolabellam obsederat, abduxisse. Quem Cassium postea satis notum est victis Parthis, fusoque exercitu suo, miseram mortem oppetiisse.

Quorsum hic Parthorum mẽtio, cùm intellegat exitium Cassij in campis Philippicis bello ciuili? Audacter ego emendo, *victis partibus*. Partes sunt, factiones, αἱρέσεις, & id verbi in dissensione ciuili vsurpant plerique scriptores. Suetonius in Augusto, cap. XII. *Sed vt cognouit Antonium ceterosq; duces & exercitus consentire pro patribus.* lege, *partibus*. intellegit partes contra remp. Antonianorum. Seneca in Epistolis, de Catone: *Hoc eius bonum, quo victis partibus non potest vinci.* Plinius, *Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium mouerat: fuerat Pætus in partibus, & occiso Scriboniano Romam trahebatur.* lib. III. cap. X.

Partes quid proprie.

Suetonius obiter corvetius.

Poſt deinde quarta hebdemade, quod eius virile fetus futurum est, caput & spina quæ est in dorso informatur.

Lego, *virile secus*. Vide Scaligeri ad Ausonium Notas. Lib. XV. cap. II.

Secus, prisca vox, pro sexu.

Atque

Atque etiam hoc Plato ibidem dicit, non defugiendas esse neque respuendas huiuscemodi exhortationes, [aduersum propulsandam vini violentiam:] neque vllum prorsus continentem ac temperantem satis fideliter visum esse, cuius vita victúsque non inter ipsa errorum pericula, & in mediis voluptatum illecebris explorata sit.

Fortasse & hoc totum à glossa insitum est.

Aduersum Philosophum quempiam differit hæc Agellius, qui Platonis verbis & exemplo adolescentes vocabat ad potandum. & subdit deinde quatenus, & quâ fini, permissa à Platone vini aliqua copia. Sed enim Exhortationum verbum prorsum à subiecta sententia alienum: & spernũt libri veteres, qui, *exercitationes*, ostendunt. Lego ego, *huiuscemodi exerrationes*. Ita appellat eleganter mentis illos errores, & quasi primas alucinationes, ante plenam ebrietatem. Exerrandi verbo vsus Quadrigarius, *Deinde Gallus irridere cœpit, atq; lingua exerrare*: vt quidem scribunt fidelissimi libri. Et Statius VI. Theb. *Flectitur in gyros, dexterq; exerrat Arion.*

Exerratio, & exerrare.

Quadrigarius correctus. vulgò est, linguam exertare.

Lib. VII. cap. III.

*Atque Rhodienses tamen Persen publicè numquam adiuuêre. Cogitate quanto nos * nostri natiui cautius facimus. Nam vnusquisque nostrũm, si quis aduersus rem suam quid fieri arbitratur, summa ope nititur ne aduersus eam fiat. quod illi tamen perpessi.*

Verba sunt ex oratione M. Catonis pro Rhodiis dicta: sed verba mendi manifesta. Lego, *Cogitate quãto nos priuatim cautius facimus*. accisis iis quę ex inepta repetitione syllabæ redundarant. Quin vera hæc correctio sit, non ambiget, quisquis sententiam & cetera Catonis verba peruidebit.

M. Cato emendatus.

Cap. eodem:

Nam cùm obiiceretur, inquit, Rhodiensibus, quòd bellum populo Ro. facere voluissent: negauit pænè. Sed ignosci poposcit, quia id non fecissent, etsi maximè voluissent.

Scribe & interpunge, *nec negauit plenè: sed ignosci.* retracta syllaba, quæ effugerat. Ibidem:

Expleta Agellij verba.

Vereri se ostendit ne patres gaudio atque lætitia rerum gestarum prosperè, de statu mentis suæ deturbati non satis conciperent, neque ad rectè intellegendum consulendumq; essent idonei.

Scripserat, *consiperent*; verbo antiquis vsitato, vt Adsipio, Præsipio. Visum aliter imperitis, qui idem verbum in Liuio non concoxerunt. lib. V. *Romani ex arce plenam hostium vrbem cernentes, cum alia atq; alia parte noua aliqua clades oriretur, non solùm mentibus consipere, sed ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant.* nam vulgò vbique leges, *concipere*.

Consipere, in Agellio & Liuio.

Libro VII. cap. XVIII.

Hæc eorum fraudulenta calliditas, tam esse turpis æstimata est, vt contempti vulgò discerptiq; sint: Censoréque eos postea omnium notarum & damnis & ignominiis affecerunt.

Loquitur de captiuis duobus qui fraudulento in castra reditu, solutos se religione iuramenti interpretabantur, quod Annibali præstiterãt. Sed quid? discerptine illi & interfecti? Falsa historia, ex Liuio lib. XXIII. & Agellio ipso. Scribamus, *contempti vulgò dispretiq; sint*. Dispretus siue Despretus, prisca vox. Festus, *Despretus, valdè spretus.*

Despreti. & falsa historia ex lectione vulgi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Massurius autem Sabinus in Commentariis quos De Indigenis composuit, Religiosum est, inquit, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis est.

Titulus libri repositus. Probabilius, me iudice, Massuriani libri titulum fecero, *De indigitamentis.* qui aptus ad religionem & sacra. Ita certè C. Flacci librum nominat Censorinus cap. 11. argumento scilicet eodem. Quæ præterea notata mihi in hunc scriptorem, dicam alio loco.

CAPVT VIII.

De Frumentatione, accurata conlectanea. Eius origo prima. Indicatum in Liuij loco mendum. Appiani in Gracchi lege apparens error. Sallustij insignis emendatio. Mensruum seruorum. Clodij Annonaria lex. Recensus populi, & in ea voce Suetonius correctus. Dionis error in tempore Recensus Augusti. Persius explicatus & Plinius. Ambigua Capitolini lectio. Cælius in Epistolis ad Cicer. correctus bis. De origine Præfecti & Curatorum annonæ. Minutia Frumentaria. Appuleius emendatus. Panis gradilis, & alia compluria.

SIQVA res alia, ex qua intellegi magnitudo & opes populi Romani possit: ea, me iudice, Frumentatio est. sic appello gratuitam in plebem annonam, Græcis σιτηρέσιον dictam. Is mos quia non planè innotuit, & interest vt innotescat: quæ de eo sparsim legi, proponam hoc capite, & complectar vno velut fasce.

Origo Frumentationis. Frumentaria largitio antiquissima apud Romanos, & ferè semper conciliandæ plebi. Liuius adhibitam ostendit statim post reges eiectos. *Multa*, inquit libro II. *blandimenta plebi per id tempus ab Senatu data. annonæ in primis habita cura, & ad frumentum comparandum missi alij in Volscos, alij AEquos.* Plinius libro XVIII. eius originem ad Manium Marcium Ædilem refert. *Manius Marcius*, ait, *AEdilis plebis primum frumentum populo in modios assibus donauit.* lego, *primus.* Et idem fecit non multo pòst in cæde Mæliana Minutius: de quo sic Liuius libro IIII. *L. Minutius boue aurato extra portam Trigeminam est donatus, ne plebe quidem inuita, quia frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi diuisit.* Vbi bouem auratum non sine suspicione corrupti loci lego. primùm, quia Plinius duobus locis, non boue, sed statua donatũ eum scribit extra portam Trigeminam, stipe collata: deinde, quia non persuadeor rudi illa ætate statuas fuisse auratas; quas multis annis pòst Romæ non legimus. Imò Liuius libro XL. Valerius lib. II. Ammianus XIV. notant, *Statuam auratam nec in vrbe nec in vlla Italiæ parte visam, priusquam à M. Acilio Glabrione patri poneretur in æde Pietatis.* Id fuit anno V. DLXII. Addo vetustum meum codicem, qui præfert, *Minutius bũ auro.* correctionem tamen nunc non eruo.

Qui primi dederint. Suspectus de mendo Liuij locus. Lib. XVIII. cap. III. & li. XXXIIII. cap. V.

nisi

nisi si, *boue & agro.* Postea diuisum frumentum sæpius, & ferè semper ab Ædilibus: quorum videtur fuisse ea cura. Liuius lib. XXXI. *AEdiles frumenti vim ingentem, quod ex Africa proconsul Scipio miserat, quaternis æris populo cum summa fide & gratia diuiserunt.* Eodem libro, *Annona quoque eo anno peruilis fuit. Frumenti vim magnam ex Africa aduectam AEdiles curules binis æris in modios populo diuiserunt.* Libro XXXIIII. *AEdiles curules Fuluius Nobilior & C. Flaminius tritici decies centum millia binis æris populo diuiserunt.* Hæc antiquitùs. cùm largitio ea omnis voluntaria adhuc esset, & in arbitrio, vt opinor, Senatus. Diuisio frumenti per AEdiles.

Exorti mox Tribuni, qui per hanc occasionem, gratiam & opes sibi quæsiuerunt apud plebem. Leges tulerunt, quibus non incerta, vt anteà, sed perpetua stataq; frumentatio esset. Princeps eius facti C. Gracchus; qui præter alias, vulgo nõ optimatibus gratas leges, vnã tulit, vt frumentum plebi è publico daretur, modico aliquo pretio definito. Pretium dico definiisse Gracchum: aliter quàm sensisse videtur Appianus lib. I. Bellorum ciuil. κ) περιφανέστατα, inquit, αἱρεθεὶς εὐθὺς ἐπέβαλεν τῇ βουλῇ, σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσας ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων, οὐ πρότερον εἰωθὸς διαδιδόναι. Errat Græcus scriptor, si putat idem Gracchi ætate fuisse, quod sua: nec pretium vllum dictum publico frumento. Errat. nam pretium ea lege in modios definitum semis & triẽs. Epitoma Liuij LX. *C. Gracchus Tiberij frater pernicioſas aliquas leges tulit, inter quas Frumentariam, vt semisse & triẽte frumentum plebi daretur.* Nec alia re tam popularis Gracchi lex, quàm quòd ex incerta largitione fecit certam: & in perpetuum prospexit alimentariæ plebi. Plutarchus breuiter eam legem attigit, & vim tamen expressit. Nam ait latum à Graccho σιτικὸν νόμον εἰσφερόντα τὴν ἀγοράν, *frumentariam legem, qua pretium imminuit annonæ.* Tenuit, vt existimo, ea Gracchi lex ad tempora Sullæ. is Dictator vt iura pleraque Tribunatus, sic videtur sustulisse hanc Tribuniciam legem. Colligo, quoniam mortuo eo, & Tribunis restitutis, alia aliqua similis lex ab optimatibus lata videtur, placandæ plebi. At opus alia non fuisset, illa permanente. Marcius tr. pl. in Oratione apud Sallustium sic loquitur: *Mithradatem, Sertorium, & reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis: absit periculum & labos, quibus nulla pars fructus est. Nisi fortè repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur: cùm tamen qui his modis libertatem omnium æstimauere, hi profectò non amplius possunt alimentis carere. namque vtilis exiguitate mors prohibetur. senescunt vires, sic vt neque absolui cura familiari tam parua res possit: & ignauissimi quique tenuissima spe frustrantur.* corruptissimus locus: cui feliciter medebor pro parte. Scripta lectio, *qua tamen quinis modis libertatem omnium æstimauere, qui profectò non amplius possint alimentis carceris.* Emendo, *qua tamen quinis modiis.* egregiè, & magno momento ad historiam. Lex illa frumentaria mẽstruum definiebat in capita, non plus quinque modios. id calumniatur Tribunus: & ait exiguum eum modum esse, ferè comparandum cum alimentis carceris, quorum tenuitas vt mortem prohibet, ita vires non auget. Constat mihi de hac sententia, non prorsus de reliqua scriptura: quam sic concipio: *qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstimauere.*

Prima Frumentaria lege. C. Gracchi lex. Appiani parum cauta scriptio. Sulla abrogat frumẽtariã legẽ. Optimates aliã ferunt. Sallustius correctus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui profectò non amplius prosint alimentis carceris: namque vt illis, exiguitate mors prohibetur, senescunt vires, &c. reliqua enim non possum. at in istis scio me aut attigisse veram emendationem, aut habere sub ictu. De alimentis carceris, quæ Diaria item dicebant, vide Senecam patrem lib. IX. controuersia quarta. Et herclè de quinque modiis non iniuria indignatur, Tribunus: quoniam id menstruum etiam vilissimorum seruorum. Seneca Epist. LXXXI. *Ille qui in scena elatus incedit, & hæc resupinus dicit,*

Imperito Argis, regna mihi liquit Pelops
Quà ponto ab Helles atque ab Ionio mari
Vrgetur Isthmos.——

seruus est, quinque modios accipit & quinque denarios. Sed ista ipsa lex, de qua Marcius, ambigo an perlata. Vix videtur. quia non ita multo pòst alia Frumentaria exorta, cuius ferundæ auctor M. Cato. Plutarchus id notauit duobus locis, cuius verba digna adscribi. In Catone, ὁ Κάτων φοβηθεὶς ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον. ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυτοῦ * χιλίων καὶ διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων. Et iterum in Cæsare, ὁ Κάτων ἔπεισε τὴν σύγκλητον ἀπονεῖμαι σιτηρέσιον ἔμμηνον. ἐξ ἧς δαπάνης μὲν πεντακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες ἐνιαύσιοι προσεγίνοντο τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασι. Notanda Plutarchi verba, & in iis summa pecuniæ annua in frumentum. Addit idem scriptor suasam eam legem à Catone, metu C. Cæsaris. qui cùm, oppressa coniuratione Catilinæ, plebem spectaret & res nouas: visum Catoni potius, honesta largitione plebem facere Senatus. Sed ea ipsa optimatium lex aut lata non fuit, aut certè non rata. Successit enim P. Clodij sub idem tempus Tribunicia: de qua Asconius in Miloniana his verbis: *Annonariam legem tulit, quæ summè popularis fuit, vt frumentum populo quod antea semissē aeris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.* Clarum ex iis Asconij, post Gracchi legem, Frumentariam nullam firmam fuisse: & cùm ea post Sullam iacuisset, successisse hanc Clodij, quæ largitione vicit omnes superiores.

Ita ventum ad Imperatores. Ij Clodianam legem re tenuerunt, spreto nomine: & instituta Romæ perpetua Frumentatio, non alibi tam effusè vsurpata in vlla rep. vllius æui. Varia tamen addita & mutata. In primis de numero accipientium, certum aliquid sub Impp. reperio, non antè. Clodij lege an omnes ciues acceperint, an certo numero inclusa ea liberalitas fuerit, ignoro: Iulius Cæsar sanè Dictator numerum definiuit, quem expressit Suetonius cap. XLI. *Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: atque ex viginti trecentis, millibus accipientium frumentum ad centum quinquaginta retraxit. ac nequi noui cœtus recensionis causa moueri quandoque possent, instituit quotannis in demortuorum locum ex his qui recensiti non essent, subsortitio à Prætore fieret.* Ex eo loco videtur Cæsar reduxisse veterem numerum: qui per bella ciuilia confusè creuerat, & in immensum. Nam vt homo popularis minus fecerit quàm prisca lege & more solitum: non credo. Dio Cassius lib. XLIII. eleganter, Καὶ τοῦ πλήθους τοῦ τὸν σῖτον φέροντος ἐπὶ μακρότατον, ἐς κατὰ δίκην, ἀλλ' ἀπαρὲν ταῖς στάσεσιν εἰώθει γίνεσθαι, ἐπαυξηθέντος,

Diaria, iis qui in carcere. Mœstruum seruorum quale.

Irrita optimatiũ lex. Frumentaria lex, à Catone.

* id est, trecenties sestertiũm. & posterior locus ad hanc summam redigendus.

Eadem lex vana, Clodij annonaria lex.

Frumentaria res sub Imp. & capientiũ numerus.

Numerus frumentantium sub C. Cæsare.

τος, ἐξέτασιν ἐποιήσατο, καὶ τοὺς γε ἡμίσεις ὁμοῦ τι αὐτῶν προαπεκλείσε. Nota etiam mihi, quòd Suetonius ait, Recensum. Bene & propriè, vt amat, ille scriptor. non enim censum aut lustrum egit Cæsar, (& Plutarchus qui id putat, nec plura quàm centum quinquaginta millia ciuium superfuisse ciuilibus bellis, deus bone, quàm errat!) sed recensum, id est, examen & disquisitionem breuem in eos qui iure aut iniuria capiebant publicum frumentum. Ita obseruo Suetonium vti eo verbo. Vt in Augusto, cap. X L. *Populi R. censum vicatim egit: ac ne plebs frumentationum caussa, &c.* scribe omnino, *Populi recensum.* nam subdit statim de frumentatione. Censum, contra morem veterem, nec Cæsar nec Augustus egerunt vicatim, vt aliàs clarè docebo, & tollam errorem historiæ communem. Recensum hunc Augusti, quem verbo attingit Suetonius, nimium clarè explicat Dio lib. LV. ὁ δὲ Αὔγουστος, inquit, τὸ τοῦ δήμου τὸ σιτοδοτούμενον πλῆθος ἀόριστον ὂν εἰς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε, καὶ ὡς γέ τινες λέγουσι, καθ' ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε. Ita Augustus, qui inter firmamenta imperij habuit Annonam (Tacitus id arcanum non tacuit lib. I. *Vbi militem donis*, inquit, *populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit.*) auxit numerum eorum qui frumentum caperent, & reduxit ad millia ducenta. Id, præter in Dione, disertè scriptum aut scalptum in lapidibus priscis qui Ancyræ conspiciuntur in Asia minori: quibus comprehensum Breuiarium rerum gestarum Augusti. Ait ibi de se Augustus:

CONSVL. TERTIVM. DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCEperat. DEDI. EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA. FVERVNT. Vide quàm hæc conuenienter ad Dionem, etiam in pecuniæ summa, quam tamen vt ambiguam ponit Dio. Tempus etiam eius recensus ex lapide clarum, videlicet in XIII. consulatu Augusti. at Dio aliquot annis antè posuit, C. Antistio Vetere, & D. Lælio consulibus. Mirum, nisi Augusto de se credendum, præ Dione. Ducenta igitur millia frumentantium sub Augusto. Ingens numerus: nec tamen in eo omnes ciues. multùm abest; vix, inquam, decima ciuium pars. Nam census illa ætate ordinarius, ad quadragiens centum millia ciuium. Augustum secutus Tiberius, qui videtur ad eum numerum aliquid addidisse. Colligo ex Taciti loco lib. V. Annalium, *Isdem Consulibus grauitate annonæ iuxta seditionem ventum: multaq; & plures per dies, in theatro licentius efflagitata, quàm solitum aduersum Imperatorem. quis commotus, incusauit magistratus patresque, quòd non publica auctoritate populum coërcuissent, addiditque quibus è prouinciis, & quanto maiorem quàm Augustus rei frumentariæ copiam aduectaret.* Si auxit numerum frumenti: ergo & frumentantium. Credo idem fecisse alios Imperatores, & sine discrimine paullatim admissos omnes tenuiores ciues. Affirmare id Seneca videtur, De Beneficiis lib. IIII. cap. XXVII. *Frumentum publicum tam fur, quàm periurus, & adulter accipiunt: & sine delectu morum, quisquis ciuis est.* Admissos, dico, ciues: nec ingenuos solùm, sed etiam libertos. Ea sententia est horum Persij versuum, Sat. V.

Quid propriè Recensus.

Suetonius emendatus in eo explicando vulgi error.

Auget numerũ frumentantiũ Augustus.

Is numerus ex Dione & lapide ostensus.

Dionis in tempore error.

Non omnes ciues in recensu.

Tiberius augetiterũ.

Tandẽ omnes tenuiores ciues capiunt.

Etiam libertĩ.

Liber-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Persius explicatus.

Libertate opus est. non hac, qua, vt quisque, Velina,
Publius emeruit, scabrosum tesserula far
Possidet.

Emeruit, Publius Velina: id est, ex seruo factus est liber. Nam liberti, prænomen patroni capiebant, & à fine tribum: vt P. Licinius, Velina. Simul igitur, inquit, ac liber factus: possidet tesserulam frumenti. Scholiastes: *Romæ erat consuetudo, vt qui ex manumissione ciues efficiebantur, in numero ciuium Romanorum frumentum publicum acciperent.* Sicut & in congiario non minus libertorum habita ratio, quàm ingenuorum. Adi Suetonium in Aug cap. XLII. Quin Iudæos ipsos admissos ad frumentarias donationes ab Augusto, Philo tradidit in Legatione ad Caium. Creuit hic numerus multo magis sub Traiano optimo principum. qui etiam pueros admisit ad publica frumenta. Id factum eius Plinius dilaudat multis, in Panegyrico: *Tu ne rogari quidem sustinuisti. & quamquam lætissimum oculis tuis esset, conspectu Romanæ pubis impleri; omnes tamen antequam te viderent, recipi, incidi iussisti, vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur.* Quod ait, *recipi & incidi*; satis liquet tabulas publicas fuisse, in quibus nomina descripta eorum quibus deberentur frumenta. quas tabulas Iulius Cæsar commisisse curæ Prætoris vrbani videtur, ex verbis Suetonij quæ suprà: postea, nisi fallor, depositæ fuerũt apud Præfectum annonæ. Numerus puerorũ, quos aluit Traianus, expressus ab eodem Plinio. *Paullo minus*, inquit, *quinque millia ingenuorum fuerunt, quos liberalitas Principis nostri conquisiuit, inuênit, adsciuit.* Hadriano placitum id exemplum: qui etiam *pueris ac puellis* (verba Spartiani sunt) *quibus Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit.* Et Antonino, qui numerum videtur auxisse: si rectè intellego Capitolini hæc verba, *Ob hanc coniunctionem pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adscribi præcepit.* Dubito, num ibi legendum, *pueros & puellas nouem annorum.* Moueor loco altero eiusdem Capitolini, in Pertinace: *Alimentaria compendia, quæ nouem annorum ex instituto Traiani debebantur, obdurata verecũdia sustulit.* Potest intellegi, fateor, deberi alimenta à nouem retrò annis: sed blanditur mihi altera expositio, quæ firmari videtur Suetonij loco in Aug. cap. XLI. *Congiaria populo frequenter dedit: ac ne minores quidem pueros præteriit, quamuis non nisi ab vndecimo ætatis anno accipere consueuissent.* Si annorum numerus definitus ad congiaria: quid ni ad frumenta? Et pono hoc tamen ambigens, non adfirmans. De numero, & iis qui acciperent, hactenus scio.

Etiã Iudæi.

Traianus etiam pueros addidit.

Plinius explicatus, & Tabulæ frumentariæ.

Puerorum numerus.

Auxit Antoninus.

Ambigua Capitolini loctio.

Dicam nunc de iis qui distribuerunt. Lubricus locus, & quem velim percursum sine lapsu. Antiqua rep. distributio frumenti penes Ædiles: clarum ex locis Liuij qui suprà. Etiam custodia. Liuius lib. XXXIII. *Sardiniam perdomitam nunciat Patribus: & stipendium Quæstoribus, frumentum, Ædilibus, captiuos Fulvio Prætori tradidit.* Mutatum id videtur lege Gracchi: certè Clodij. argumẽto firmo ex lege quadam quam C. Curio proposuit sub bellum Cæsaris ciuile. Cælius in Epistola ad Ciceronem, *Legémque Viariam, non dissimilem agrariæ Rulli, & Alimentariam, quas iubet Ædiles metiri, iactauit.* vbi scripserim, *Vinearium*; vt lex Curionis ad diuisionem

Per quos distributũ ad frumentum.

Olim per Ædiles.

Cælius correctus hic.

Lex vinaria.

sionem vinearũ pertinuerit (quæ in Italia & Campania præsertim multæ) sicut illa Rulli ad agrorum. Aliis placet, *Vinariam.* sed quæ comparatio erit vini ad agros? & repugnat ipsa res, sicut in viis. Lego etiam, *qua iubet Ædiles metiri.* Ecce. mensionem frumenti ad Ædiles reuocat lex Curionis: frustra, si Gracchi aut Clodij lege apud eos relicta. Verius est, per Tribunicias eas leges, rem ad Frumentarios translatam, aut ad certos, quos elegissent, Curatores. At C. Cæsar potens rerum, Curionis legem vestigiis persecutus, supra legitimum numerum creauit Ædiles duos qui frumento præessent: quos ea re dixit, Cereales. Pomponius auctor, De origine iuris, & Dio lib. XLIII. Sed non diuturna iis hæc cura, successitq; Præfectus annonæ. Eius origo non dubiè (vt ego quidem sentio) anno vrbis DCCXXXII. M. Marcello & L. Arruntio Coss. Cùm enim tunc candefacta annona, & iam fames esset, plebs cùm XXIIII. fascibus accurrit ad ædes Augusti, & magna vi dictaturam obtulit, & exemplo Cn. Pompeij Præfecturam annonæ. Dictaturam spreuit: admisit Præfecturam: & eo iure præditus, Duumuiros creari iussit ex iis qui Prætura ante quinquennium functi, quorum esset diuisio & distributio annonæ. Dio Cassius libro LIIII. initio, Καὶ Αὐγουστος τοῦτο μὲν (intellege ἐπιμέλειαν τοῦ σίτου) ἀναγκαίως ἐδέξατο, ᾗ ἐπέλεσε δύο ἀνδρας τῶν πρὸ πέντε που ἐτῶν στρατηγησάντων πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν κατ' ἔτος αἱρεῖσθ. Ita eodem anno instituta etiam Cura frumenti diuidendi. Intellegi hoc nouum munus Suetonius voluit, in Aug. cap. XXXVII. *Quò plures partẽ administrandæ reip. capessèrent, noua officia excogitauit, Curam operum publicorum: Viarum: Aquarum & aluei Tiberis: Frumenti populo diuidendi.* Nec aliud sensit in Tiberio, cap. VIII. *Interq; hæc duplicem curam administrauit, Annonæ, quæ arctior inciderat: & repurgandorum tota Italia ergastulorum.* nisi tamen, abdicante Augusto, Præfectum fuisse volumus Tiberium. Sæpe etiam in lapidibus incisum, CVRATOR. ANNONÆ. His lictores & accensi, & imago magistratus fuit: ex Frontino, De Aquæductib. lib. II. *Lictores binos, & seruos publicos, & scribas, & librarios, accensos præconêsque totidem habeant, quot ij per quos frumentum plebei datur.* Mansit id munus ad extrema tempora, numero tamen ab Augusto aucto. Quadriennio enim pòst, cùm duo non viderentur huic functioni pares, Quatuoruiros forte eligi iussit ex iis qui ante triennium Prætores: eosq; ordine præesse voluit frumento publicè diuidendo. Vide, si lubet, Dionem eodem libro LIIII. Hæc origo Præfecti annonæ, hæc Curatorum. Et exemplum quidem ab antiquis. apud quos L. Minutius, & Cn. Pompeius eo titulo ac magistratu: sed hoc interfuit, quòd illis extra ordinem & ad breue tempus data ea dignitas, quæ ab Augusto ordinaria facta & perpes. Successit, vt opinor, Augusto C. Turranius: de quo sic Tacitus lib. I. Annalium: *Sex. Pompeius & Sex. Appuleius Consules primi in verba Tiberij Cæsaris iurauere: apudq; eos Seius Strabo, & C. Turranius, ille Prætoriarum cohortium præfectus, hic Annonæ.* Ex quibus verbis, & ex ordine iurandi satis clarum, inter primas fuisse eam dignitatem. Cassiodorus sanè eam proximam facit à præfecturæ vrbis. Sed cuiluit tamen posteà: & scribit eccè Boëthus lib. III. De Consolat. *Siquis quondam populi curasset annonam,*

Initium Præfecti annonæ.

Duo Curatores annonæ diuidendæ.

Coniectura in Suetonio.

Quatuor facti Curatores, & plures.

Præfectura annonæ sumpta ab antiquis.

Eius dignitas.

Posteà vilitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et munera. *magnus habebatur: nunc ea Præfectura quid abiectius?* Munera Præfecti annonæ Cassiodorus explicat lib. VI. Variar. & Seneca De Breuitate vitæ, cap. XVIII. & XIX. eleganter. Alloquitur Paulinum, qui Præfectus Annonæ (etsi ambigua ea historia) sub Claudio: *Tu quidem*, inquit, *orbis terrarũ rationes administras, tam abstinenter quàm alienas, tam diligenter quàm tuas, sed tamen, mihi crede, satius est vitæ suæ rationem, quàm frumenti publici nosse.* Et statim, *Simile tu putas esse, vtrum cures vt incorruptum à fraude aduehentium & negligentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur, & concalescat, vt ad mensuram pondusq; respondeat: an ad hæc sacra & sublimia accedas, &c.* Alterutrum sanè est, aut Præfectus frumenti hic Paulinus fuit, aut Curator.

Paulinus, præf. annonæ.

Quomodo distribuerint. Tesseræ frumentariæ.

Distribuebant igitur Curatores. Ratio distribuendi per tesseras erat. Non enim frumentum ipsum à Curatoribus, (vile id & magnarũ molestiarum munus fuisset) sed tesseras frumentarias siue symbola quædam in ligno aut plumbo capiebant: quibus acceptis, ire iis licebat ad horrea publica petitum frumentum. Et de ligno quidem in Tesseris ludorum palàm est in Dione bis terq́ue: de plumbo aut alio metallo cur non liceat suspicari? Certè lex quinta Cod. Theodos. de *Annonis Ciuicis* ostendit & ex ære fuisse. Atque istæ Tesseræ: quas, si frumenti non egerent, aut aliâ de caussâ, vendebant. Iuuenalis,

Summula ne pereat, qua vilis tessera vēnit
Frumenti.

De hisdem tesseris, aliquot locis Iurisconsulti: vt Vlpianus, *Si libertis suis tesseras frumentarias emi voluerit testator: apparet ex genere comparationis Romæ id fideicommissum præstandum.* Et Paullus, *Si Titio tessera frumentaria legata sit.* Nescio an has tesseras soliti accipere ad Minutiam frumentariam. Verisimile quidem est certum ei rei designatum locum: & de Minutia, suspicandi auctor nobis Appuleius, libello De mundo: *Alius ad* Minutiam frumentatum venit, & aliis in iudiciis dicitur dies. Reus ita purgandi se necessitate, vt sectandi studio accusatur. Venit ille moriturus, ad supplicij locum ducitur: hic ad conuiuij repotia vespertinus commissator aduentat.* quem emendo, *Reus ita purgandi se necessitate, vt sectandi studio accusator venit. Ille moriturus ad s. l. ducitur.* Sanè cognomen ipsum indicat, eò loci aliquid fuisse frumentariæ rei. Nam duplex Minutia, siue Minitia (anceps enim in libris scriptura est) nominatur Victori & Sex. Rufo: Minutia vetus, & Minutia frumentaria, vtraque regione IX. vrbis ad Circum Flaminium. Lampridius etiam in Commodo, *Herculis signum æneum in Minutia per dies plures sudauit.* Nomen ei videtur siue à Minutio primo Frumẽtariæ rei Præfecto, siue â Deo Minutio cuius inibi ara. de qua vide Festum. Lego & in lapidibus priscis, CVRATOR. AQVARVM. ET. MINICIAE. TIBERIS: nec satis intellego quid velint. Hoc de loco.

Locus, vbi reperint.

Minutia frumẽtaria. *Piscina ibi publica & scorta. vide Socr. Eccles. Hist. V. C. XVIII. *Appulsus correctus.*

Quãdo distribuerint. Nonis cuiusque mensis. Suidas ridiculum errorem.

Tempus distribuendi eas tesseras, principium cuiusque mensis. Iam inde à Graccho, vt opinor, quia largitio eius menstrua fuit; & Appianus disertè ait, definiisse eum σιτηρέσιον ἔμμηνον. Ex Suida colligimus solitum id fieri sub ipsas Nonas. Satis enim putidè Annonas deriuat à Nonis, ὡς ἀπὸ τὰς Νόνας, inquit, διδομένας. Mutare eam consuetudinem tentauit Augu-

Augustus, sed destitit propter aduersam populi voluntatem. Sueton. cap. XL. *Ac ne plebs frumentationum caussa frequentius à negotiis auocaretur, ter in annum, quaternûm mensium tesseras dare destinauit: sed desiderantĩ consuetudinem veterem concessit rursus vt sui cuiusque mensis acciperet.* Locum dixi & Tempus: vellem possem Modum. qui non in Græca, non in Latina historia, vsquam expressus. Si coniecturis agendum sit: crediderim, vt minimum, sex modios siue medimnum Atticum accepisse eos in mensem. Quidni credam? Tribunus certè apud Sallustium optimates criminatur propter exilem largitionem modiorum quinque. Amplius ergo aliquid. Obiici mihi menstruum militis potest: quod non plus quatuor modiis fuisse videtur, Polybij quidem ætate. Esto. quis præstat, non id postea, sicut stipendium ipsum, auctum? Denique quid pagano, cum milite? Quatuor modij satis militi, qui solus, non circumducta vxore aut liberis: quomodo satis proletario ciui, cui eo frumento pascenda domus tota? In Suetonij Iulio lego, cap. XXXVIII. populo diuisisse eum frumenti denos modios, & totidem olei libras. Ego valdè vereor, ne ea menstrua largitio, sed extra ordinẽ fuerit. In lapide illo qui Ancyræ, gloriatur Augustus his verbis, CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM. COLVMPIO. EMENSVS. SVM. Res facta esset, si expressisset frumentationis modum. non fecit, quia notus. In lapide illo exscribendo, vt pluriens, aberratum: & lego, FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO.

Quantũ distribuerint. Coniectura accepti de modo.

Militũ menstruum quantum.

Tesseris acceptis dixi itauisse eos ad horrea: & verum est. Nam Romæ horrea, ad capiendum frumentum publicum, in quaque regione vrbis complura. Numerum ex P. Victore iniui ad Trecenta & nouem. Cognomina etiam plerisque addita ab auctore, *Horrea Aniceti, Vargunteij, Galbiana, Domitiani Augusti, Seiani:* quæ & in Descriptione vrbis reperies, & in spectionibus antiquis. Frumenta hic reposita, posterior ætas ἁπλῶς dixit, Condita. Titulus est lib. X. Codicis, *De conditis in publicis horreis.* Ibidem Valentinianus Imp. *Non prius ad id frumentum extendatur expensio, quod sub Præfectura tua Vrbis horreis infertur, quàm vetera condita fuerint erogata.* Corrige Spartianum ea voce, in Hadriano, *Laborabat præterea vt condita militaria diligenter cognosceret.* vulgo, *condicta*, & interpres ibi Egnatius, verè dicam, blattit nugas. Condita enim militum, in horreis prouincialibus: vt ciuium, in vrbis. His horreis appositi Frumentarij mensores, qui populo admetiebantur: sic tamen, vt quisque, opinor, ad horrea iret suæ regionis. Lucilius,

Horrea publica Romæ.

Condita, quid.

Correctus Spartianus.

Frumentarij.

Frumentarius est, modium hic secum atque rutellum
Vnum habet.

Paullus De Excusat. tutorum, ait, *Frumentarios mensores excusari à tutela, idq́; Præfecto annonæ Imperatores rescripsisse.* Frumentarij alia etiam significatio fuit; & sic dicti, qui vltrò citrò cursitabant per prouincias, per domos, ad frumenta conquirenda conuehendaq;. Græci eos Πυροφόρους dixerunt, Latini alio nomine, Agentes in rebus. Adi de iis Turnebum lib. XIII. & Cuiacij ad Codicem Notas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Panis distributio loco frumenti. Quando eius initiū.

Et olim quidem frumentum ipsum datum ciuibus: postea cœpit panis. credo, quia id commodius visum in egenam plebem: quæ hac ratione operas & impensas pistorias faciebat lucri. Quando cœperit, non diserte scio: suspicor, in imperio Traiani. Præeunt mihi ad coniecturam verba Aurelij Victoris hæc, *Romæ à Domitiano cœpta fora, atque alia multa, magnificè coluit ornauitque. & annonæ perpetuæ mirè consultum, reperto firmatóque Pistorum collegio.* Si collegium pistorum à Traiano, ad commodandum annonæ: ergo & panis. Iuuat aliquantum & Iuuenalis, qui illi ætati compar:

Vide de pistoribus Cuiaciū ad lib. XI. Cod.

——— *atque duas tantùm res anxius optat*
Panem & Circenses.

nominat enim ecce, panem. In Epistola Aureliani Imp. ad Præfectum annonæ scriptum est, *Inter cetera, quibus, dis fauentibus, Romanam rem iuuimus, nihil mihi est magnificentius, quàm quòd additamento vnciæ omne annonarum vrbicarum genus iuui.* Et in eius vita, *Panibus vrbis Romæ vnciam de AEgyptio vectigali auxit.* Zosimus de hoc ipso: *Præter hæc & panum honoraria munere populum Rom. donauit.* Cassiodorus lib. VI. Variar. in Formula Præfecti annonæ, solum panem agnoscit. *Tui siquidem studij est,* inquit, *vt sacratissimæ vrbi præparetur annona, vbique redundet panis copia, & tam magnus populus tamquam vna mensa satietur. Per officinas pistorum ciboſq; discurris, pensum & munditiā panis exigis: nec vile iudicas, vnde te possit Roma laudare.* Hic panis, qui vicarius frumenti, distribui in gradibus solitus: vnde panis gradilis dictus. Titulus est lib. XIV. Codicis Theodosiani, *De annonis ciuicis & pane gradili.* sed scio quàm id sequius interpretati magni viri: Prudentius lib. I. contra Symmachum:

Vbi distribui solitus hic panis.

Panis gradilis vnde dictus.

Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,
Quiq; terit silicem variis discursibus atram,
** Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.*

*Adde Cassiodor. lib. IX. Variar. epist. V.

A tribus notis describit humilem plebem, quòd in alto habitaret; quod pedibus incederet, non lectica ferretur; quòd aleretur publico pane gradili. Idem Poëta:

Quis venit esuriens magni ad spectacula Circi?
Quæ regio gradibus vacuis ieiunia dira
*Sustineat? aut quæ * Ianiculo mola nota quiescit?*

*Procopius lib. I. De bello Goth. notat omnes molas ad Ianiculi radices in Tiberi fuisse.

Vnde amplius disco, videri in singulis regionibus vrbis (XIV. fuerunt) gradus erectos fuisse vbi hęc diuisio. Nec scio tamen an in gradibus ipsius Palatij. In Suida enim lego genus panum, Palatinos ab hac causa dictos. Παλατῖνοι, inquit, εἶδος ἄρτων. ἐς ἐφιλοτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνσταντῖνος ὁ μέγας καθ' ὃν ὑπάτευε χρόνον, ἕτως ὀνομάσας αὐτοὺς, οἷα ἐκ τοῦ παλλατὶς χορηγουμένους. Siue etiam in aliis: quia omnia congiaria & donatiua sic dari solita, vt videmus in Nummis. Res ipsa id suadebat, vt scilicet in loco altiori exempti & secreti distributores essent à premente turba. Nescio an huius sententiæ sit, quod Romæ legi in marmore, hortis Medicæis,

Congiaria in gradib.

COLLEGIO. DENDROPHOR.
ROMANOR. QVIBVS. EX
S. C. COIRE. LICET. ARGEN

TI. P. X. ET. HS. X. MILIA. N.
REDDEDIT.
QVAE. DIVISA. SVNT. POPVLO. PER. GRADVS
KAL. AVG. N. COLLEGI.

Vnde adusti solitum id frumentum.

Dixi omnia, quæ ad distributionem. quæres non immeritò, vnde hæc tanta his frumenti? Dico, è prouinciis, è Sicilia, Sardinia, & præsertim Africa atque Ægypto, quæ bina horrea populi Romani. Tacitus lib. XII. Annalium, *At hercule olim ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias commeatus portabant: nec nunc infecunditate laboratur, sed Africam potius & AEgyptum exercemus, nauibusq; & casibus vita populi Rom. permissa est.* Eleganter Varro, lib. II. De R. R. **Igitur quod nunc intra murum fere patres familiæ correpserūt, & manus mouere maluerunt in theatro ac circo, quàm in segetibus ac vinetis: frumentum locamus qui nobis aduehat, qui saturi fiamus ex Africa & Sardinia, & nauibus vindemiam condimus ex insula Coa & Chia.* Ægyptum tacuit Varro, quia tunc nondum in prouinciam redacta. At tributaria illa facta ab Augusto: vnicum fuit subsidium habitum annonæ. Plinius in Panegyrico: *Percrebuerat antiquitùs vrbem nostram nisi opibus AEgypti ali sustentariq; non posse: superbiebat ventosa & insolens natio, quòd victorem quidem populum, pasceret tamen, quodq; in suo flumine, in suis manibus vel abundātia nostra, vel fames esset. Refudimus Nilo copias suas, recepit frumenta quæ miserat, deportatasq; messes reuexit. Discat igitur AEgyptus, credatq; experimento, non alimento se nobis, sed tributa præstare.* Ideo classis Alexandrina, vt existimo, instituta ab ipso Augusto, quæ quotannis aduheret frumentum. De ea classe, præter alios, Seneca Epistola LXXVIII. *Subitò nobis hodie Alexandrinæ naues apparuerunt, quæ præmitti solent, & nunciare secturæ classis aduentum. tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ adspectus est. Omnis in pilis Puteolorum turba consistit, & ex ipso genere velorum, Alexandrinas, quamuis in magna turba nauium intellegit: Solis enim licet supparum intendere, quod in alto omnes habent naues. Cum intrauere Capreas, & promontorium ex quo*

Alta procelloso speculatur vertice Pallas:

ceteræ velo iubentur esse contentæ, supparum Alexandrinarum insigne [indicium] est.* Et satis indicat Puteolos solere appellere: sicut & Statius in Propemptico Metij Celeris,

Simillima querela Columellæ lib. I. Præfat.

Ægyptus tributaria facta, damnata in magnum numerum frumenti.

Classis Alexandrina ab Augusto. argumento cap. XCIX. in Suetonij Aug. vide.

——— *modo nam, trans æquora, terris*
Prima Dicarchæis Pharium grauis attulit annum.
Prima salutauit Capreas, & margine dextro
Sparsit Thyrrenæ Mareotica vina Mineruæ.

*Glossema. & ideo tollo.

Hæc classis seruiit posteà Byzantio: relicta Romanis sola Africana. Apud Claudianum De bello Gildonis, Roma ipsa facundè sic queritur:

Tot mihi pro meritis Libyam Nilumq; dedêre:
Vt dominam plebem bellatoremq; Senatum
Classibus æstiuis alerent, geminoq; vicissim
Litore diuersi complerent horrea venti.
Stabat certa salus; Memphis si fortè negaret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pensabam Pharium Gætulis messibus annum.
Frugiferas certare rates, lateq; videbam
Punica Niliacis concurrere carbasa velis.
Cùm subitò par Roma mihi, diuisaq; sumpsit
AEquales Aurora togas. AEgyptia rura
In partem cessere nouam: spes vnica nobis
Restabat Libyæ.

Diuisio frumenti facta inter Romanos et Byzantinos. A Constantino Magno

Quæ diuisio indubiè instituta ab ipso Constantino cùm imperiũ transferret. Zosimus libro II. *A bellorum curis vacuus, populo publicam annonam distribuit, quam & ad hoc æui semper habuit.* Sed vicem tamen detractæ Ægypti suppleſſe Macedonia sæpe videtur, vt colligo ex Symmachi Epistola LV. libri III. *Ager qui me tenet Tiberim noſtrum iuncto aquis latere prospectat. Hinc libens video quid æternæ vrbi indies frugis accedat, quid Romanis horreis Macedonicus adiiciat commeatus.* Et de modo quidem frumenti, qui ex Ægypto tempore Augusti, Aurelius Victor mihi suggerit in Principis eius vita: *Huius tempore*, inquit, *ex AEgypto, vrbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur:* vbi vox vel littera potius M. inserenda, quæ Modium notet. Etiam de Africano, Plutarchus in Cæsare, Ἀλλὰ γὰρ εἰς ἐπανῆλθεν εἰς Ῥώμην ἀπὸ Λιβύης, πρῶτον μὲν ὑπὲρ τῆς νίκης ἐμεγαλήγορησεν πρὸς τὸν δῆμον, ὡς τοσαύτην κεχειρώμενος χώραν, ὅση παρέξει καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τὸ δημόσιον, σίτου μὲν εἴκοσι μυριάδας ἀττικῶν μεδίμνων, ἐλαίου δὲ λιτρῶν μυριάδας τριακοσίας. Frumenta tamen ea, classem propriam non habebant: primus instituit Commodus. Lampridius, *Classem Africanam instituit, quæ subsidio esset, si fortè Alexandrina frumenta cessassent.* Nec verò solùm è tributis hæc frumenta, sed si sterilitas alibi aut grauior annus, resp. emebat. Nũmi argentei sunt Pisonis & Cœpionis, in quibus cernuntur duo viri inter spicas sedentes, cum inscriptione, AD FRV. EMV. EX. S. C. Plinius in Panegyrico: *Deuehunt ipsi quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit, nec nouis indictionibus pressi ad vetera tributa deficiunt. Emit fiscus quidquid videtur emere; inde copiæ, inde annona, de qua inter licentem vendentemq; conueniat.* In Augusti lapide suprà, FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO.

Ægyptij frumenti modus.

Africani modus.

Id est, frumenti CC. M. medimnũm: olei, tricies centena millia librarum.

Classis Africana.

Emi solet à rep. frumentum.

Vniuersa frumentatio quot modiorum.

E prouinciis ergo id frumentum. Sed modus vniuersæ huius largitionis quis fuit? Videor sanè eum colligere posse ex verbis Spartiani in Seuero, *Moriens septem annorum canonem, ita vt cottidiana* LXXV. *millia modiorum expendi possent, reliquit.* Cottidiana, ait, LXXV. millia modiorum. Quid dicam? immensum, incredibile: & qui non stupeat ad has opes populi Romani, ipse stipes. Et tamen variè Canonis postea auctus. Canonem autem posterior ætas dixit, certum eum numerum frumenti qui in vna aliqua vrbe quotannis absumeretur. Ita Canon Alexandrinus, Canon vrbis Romæ, vrbis Constantinopolitanæ, passim apud historicos inferioris æui, & iurisconsultos.

Canõ, quis.

Oleũ etiam ciuib. datũ.

Nec verò frumentum solum gratuitum ciuibus fuit, sed etiam oleum & caro. Olei creber vsus Romæ, propter balnea cottidiana: ideo largitio ea antiqua. Liuius lib. XXV. ait Scipionem, cui pòst Africano cognomen fuit, *cùm AEdilis esset, congium olei in vicos singulos dedisse.* Suetonius, Cæsarem, post Africanam victoriam, in capita denas olei libras. Dio libro XLIX. M. Agrippam in Ædilitate salem & oleum in populum distribuisse. Vt iure mirer, cur quasi rem nouam in Nerone narret id Tacitus, lib. XIIII. *Gymnasium eo anno publicatum, præbitumq; oleum equiti ac Senatui, Græca facilitate.* sed dicam ibi. Quis perpetuum oleum illud fecerit, non inueni. puto non vanè Seuerum Imp. Lampridius in Alexandro, *Oleum quod Seuerus populo dederat, quodq; Elagabalus imminuerat, turpissimis hominibus Præfecturam annonæ dando, in integrum restituit.* Spartianus in Seuero, *Olei tantum reliquit, vt per quinquennium non solùm vrbis vsibus, sed totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret.* Carnis diuidundæ principium ab Aureliano. Flauius Vopiscus in eius vita, *Idem & carnem porcinam populo Rom. distribuit, quæ hodieq; diuiditur.* Ideo Suarij subiiciuntur Præfecto annonæ apud Cassiodorum: *Suarÿ quoque*, inquit, *Romanæ copiæ causſa reperti, tuo deputati videntur examini.* quorum mentio in lapidibus vrbis, & Cod. lib. X I. Imò & vinum idem Aurelianus dare conceperat. *Statuerat*, inquit Vopiscus, *& vinum populo gratuitum dare, vt quemadmodum oleum, panis, & porcina gratuita præberentur, sic etiam vinum.* En, quò largitio.

Quando id cœperit.

Caro porcina item diuisa.

Suarij.

Non ergo mirum si multi appeterent ciuitatem Romanam; & si inter causſas frequentatæ vrbis Appianus posuit τὸ σιτηρέσιον ἐν μόνῃ τῇ Ῥώμῃ τοῖς πένησι χορηγούμενον: (nam his quidem inuitamentis facile sit frequentare vel Libyæ deserta:) tamen diſplicita omnis hæc largitio graui auctori Salluſtio, cuius, De Rep. ordinanda, præceptum ad Cæsarem exstat: *Igitur prouideas oportet, vt plebs largitionibus & publico frumento corrupta habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur.* etiam Augusto ipſi, qui aliquotiens cogitauit de tollenda, si fides Suetonio cap. XLII. *Vt tandem annona conualuit, impetum cepisse se scribit, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quòd earum fiducia cultura agrorum cessaret: neque tamen perseuerasse, quia certum haberet, posse per ambitionem quandoque restitui.* Nec plura ad hunc morem. in quo si quid bene & non è triuio sumptum dixi; gratia aliqua esto: si quid aliter, & si peccaui; quod olim Lentulus, præbeo suram.

Cur frequentata Roma.

Salluſtij de hu annonæ iudicium.

CAPVT IX.

E Statij Papinij Siluis decermina. Sacerdotes Salij reposiſi. Statuæ in honorem Cæsaris ex teſtamento.

DIVERTI nuper, laxandi animi causſa, ad Statij Papinij Siluas: & eas lentè perambulans decerpsi has quasi ἐπιφυλλίδας. Libro V. Epicedio in patrem:

Mox & Romuleam stirpem, proceréſque futuros
Inſtruis, inque patrum vestigia ducere pergis.
Sub te Dardanius facis explorator opertæ,
Qui Diomedæi celat penetralia furti,
Creuit, & inde sacrum didicit puer arma probare.
Monſtratis alis, præsagumque æthera certis

Augu-

Augurijs, cui Chalcidicum fas voluere carmen,
Lanea cui Phrygij coma flaminis, & tua multum
Verbera succincti formidauere Luperci.

Egregius & è media antiquitate locus: sed partim confusus turpiter, partim corruptus. Emendo,

Creuit, & inde sacrum didicit puer. arma probare
Monstrasti Saliis. Clara correctio. Lasciuit scilicet in laudes sui patris Statius. Et è tuo, inquit, sinu Romani proceres prodierunt, rei diuinæ periti & humanæ. Tu Pontificem, cui cura & magisterium Vestalium, docuisti suos ritus: tu Salios, tu Quindecimuiros, tu Flamines & Luperceos. Hos enim omnes sacerdotes versibus aliquot περιφραζεται: qui non obscuri deinceps ex vita hac nota. Ibidem,

Sacerdotes Salij.

Protinus ad patrij raperis certamina lustri,
Vix implenda viris, laudum festina: sed vt dux
Ingenij stupuit, primæua ad carmina plebes
Eubœa, & natis te monstrauere parentes.

Qui sententiam videt, facilè sequetur me emendantem,

Poëtica phrases, Festinus laudum, & Audax ingenij.

——— *laudum festinus, & audax*
Ingenij stupuit primæua ad carmina plebes. Eodem libro, carmine cui index, Abascantij pietas, ——*tu limite cæpto*
Tende libens, sacrumq; latus geniumq; potentem
Irrequietus ama, nunc quod cupis ipse videri,
De Capitolinis æternum sedibus aurum.
Quo niteat sacri centeno pondere vultus
Cæsaris, & propriæ signet cultricis amorem.

Verba sunt Priscillæ morientis: sed reuera, vt nunc leguntur, glossaria mortualia, sine mente, sine sensu. Corrigo,

Irrequietus ama. nunc quod cupis ipse iuberi,
Da Capitolinis æternum sedibus aurum,

Mos ponendi statuas, ex testamento.

Quo niteant s. Res vera est, quam tangit poëta, & visum illi innectere carmini suo partem testamenti Priscillæ. Damnauerat enim moriens maritum, vt statuam Cæsaris in Capitolio collocandam curaret ex auri pondo centum. Mos siue adulatio illa ætate satis frequens. Lapis in Hispaniis, Coloniæ Aug. Gemellæ:

PIETATI. AVG.
L. LVCRETIVS. FVLVIANVS. FLAMEN
COL. IMMVNIVM. PROVINTIAE
BAETIC. PONTIF. PERPETVVS
DOMVS. AVG. T. P. I. EX. ARG. P.

Id est, Testamento poni iussit ex argenti pondo. Numerus deest. Alius in eadem prouincia lapis:

P. NVMERIVS. MARTIALIS. ASTIGITANVS
SEVIRALIS. SIGNVM. PANTHEI. TESTAMENTO
FIERI. PONIQVE. EX. ARGENTI. LIBRIS. C.
SINE. VLLA. DEDVCTIONE. IVSSIT.

Quas

Quas inscriptiones, cum pluribus aliis, acceptas fero à se & à maioribus nobilissimo viro, Augerio Busbekio, Cæsaris apud Gallorum regem legato. cuius eximias laudes ne vt attingam quidem, fiducia mihi est in hoc loco.

CAP. X.

Correctiones aliquot in Seneca. Elogium eius de Publij versu emendatum. glossema sublatum. alia quædam notæ melioris.

DE Seneca philosopho diuersi plerique abeunt ab arbitrio, quod, verè dicam, parum candidum est in Noctium scriptore. Et hercle meum iudicium sit; ausim dicere ad formulam priscam, Bene appellatum, malè iudicatum. Placet legitimis Censoribus ille vir. nec rebus solùm, (cui enim non, si placet ipsa virtus?) sed phrasi & genere dicendi. Quod aliud, ab optimo esse, non infiteor: cui tamen sua Venus sit, vel acumine sententiarum, vel frequentia & breuitate. In eo genere quia multa hodie non sana: quædam hoc capite

De Seneca Agellius falso iudex.

Sanatum iri, mea ego id promitto fide.

Fide paullo meliori, quàm in illo medico Plautino.

De Consolatione ad Martiam cap. IX.

Quidquam tu putas non futurum, quod multis scis posse fieri? quod multis vides euenisse? Egregium versum & dignum audiui, est enim è populo:
Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.

Publij Mimographi versus est. sed corruptum de illo Senecæ elogium. Et sane nimium diuersa librorum vett. lectio, *& dignum audiui qui non è populo heri & cuiuis potest accidere.* Emendo, *& dignum audiui, qui non in populo periret: Cuiuis potest accidere.* Vera coniectura, & quam non recuso exigi ad obrussam. Dolet videlicet Senecæ egregium versum & ex intima philosophia, perire in theatris inter plausus & adclamationes vulgi, dignum scholis & aure seueriori. Vide non absimilem locum eiusdem Senecæ, De Tranq. vitæ, cap. XI. At Pincianus apposuerat iis verbis hanc notam: *Deprauatissimus locus, si quis in toto opere, non tantùm verbis vitiatis, sed ordine etiam inuerso.* Legit deinde, *Egregium versum audi, & dignum qui non esset Publij Syri: Et cuiuis potest.* coniectura audaciori, non prorsus tamen spernenda.

Is emendatus.

Pinciani coniecturæ non spreta.

Eodem libro, cap. XII.

Vtrùmne malles degenerem aliquem & numerum tantum nomenq; filij expleturum habuisse: an tantæ indolis, quantæ tuus fuit? Iuuenis citò prudens, citò pius, citò maritus, citò pater, citò omnis officij curiosus, citò sacerdos, omnia tam præpropera.

Non concoquo illa verba, *citò omnis officij curiosus:* & audeo adfirmare esse à mala manu. Scalpellum adhibeo, & lego: *citò pater, citò Curio, citò sacerdos.* Curio maximus inter sacerdotes; & suffragus populi legebatur: *Curiones,* cuiusque rei frequens mentio apud Liuium. præerat reliquis curionibus, *qui* qui totidem numero quot curiæ erat. Hoc sacerdotium credo equidem consecutum Martiæ filium; & faciunt verba quæ infrà, cap. XXIIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hac sanctitate morum effecit, vt puer admodum dignus sacerdotio videretur, materna sine dubio suffragatione: sed ne mater quidem nisi pro bono candidato valuisset. Verba illa inepta intrusa in Senecam miremur? Non ego. qui scio plura eiusmodi emblemata addita scriptori huic à grege sacro. Alioqui, quid est officij alicuius esse curiosum? Sanè, vt phrasim condonem, constat ex hoc ipso scripto planè adolescentem mortuum hunc Cremutij nepotem, nec ad aliud munus publicum admotum. De Beneficiis lib. II. cap. XII. cùm narrat factum Caligulæ, qui Pompeio Pœno (malim scribi, *Penno*) osculandum sinistrum pedem dedit:

Examinata Senecæ verba.

Parum iudicauit, si Senator senex, submissis honoribus (lego, *summis honoribus*) *in conspectu principum supplex sibi eo more iacuisset, quo victi hostes victoribus iacuere. inuenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non hoc est remp. calcare? Equidem dicit aliquis: Non potest ad rem pertinere, sinistro pede. Parum enim fœdè furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat, nisi in os senatoris ingessisset Imperator pigros suos.*

Acuta sententia reposita.

Cedò, quis Palæmon hæc capiet? Sed acutam sententiam vera emendatione eruo ego, *Non hoc est remp. calcare, & quidem (licet aliquis non putet ad rem pertinere) sinistro pede?* Argutatur non insolens. Non solùm, inquit, pedem osculandum præbuit, sed quod fœdius, sinistrum. Ex *dicit*, feci, *licet*, non abnuentibus aliquot libris, qui *litiget*, & *licitet*, referunt: & pro *potest*, scripsi, *putet*.

De Beneficiis lib. I. cap. XIIII.

Nemo se stabularij aut cauponis hospitem iudicat, aut conuiuam dantis epulum: vbi dici potest, Quid enim in me contulit? Nempe hoc quod in illum & vix bene notum sibi, quòd in illum etiam inimicum & turpissimum hominem. Nunquid enim me dignum iudicauit? Morbo suo morem gessit.

Duplex correctio.

Quare hîc de morbo? Non paullò melius & acutius legeris, *Moribus morem gessit.* atque ita spondeo Senecam scripsisse. Malim etiam scribi, *in illum etiam mimicum*, non *inimicum*.

Consolatione ad Martiam cap. III.

Illum ipsum iuuenẽ dignissimũ quiete, semper nominãs cogitansq́, facies, meliore pones loco, si matri suæ qualis viuus solebat hilaris & cũ gaudio occurrit.

Vota manium.

Excidit vox, quam repono: *dignissimum quiete, quietum semper nominans cogitansq́, facies.* Summa votorum apud manes (loquor ad morem Rom.) vt quieti essent, & ne quis se solicitaret. Eam opinionem vulgi, ad consolandam Martiam aptans Seneca: id, inquit, futurum filio tuo est, si placata tu & quieta memoriam eius & nomen conserues. In fine etiam scribo, *hilari*: &, *occurret*.

In Consolatione ad Polybium, cap. XXXI.

Rectorem Romano imperio filium longa fide approbet, & ante illum consortem patris quàm successorem accipiat.

Correctus & explicatus Seneca.

Inuoluta sententia, quam verbi correctione euoluo, *ante illum consortem pater, quàm successorem accipiat.* Britannicus, inquit, Romanum imperium diu cum patre regat: & antè illum collegam pater accipiat, quàm successorem. Poëtica adulatio.

De

De Tranquillitate lib. I. cap. II.

Tarentum petatur laudatúsque portus, & hiberna cæli mitioris, & tecta vel antiquæ satis opulentæ turbæ.

Vide totum locum, qui disertè fastidium illud exprimit se fugientium. Quæ adduxi, fœdè interpolata sunt: in parte sanare possum, *tecta Veliæ Antiique.* Duo ea loca inter amœnos & salubres secessus habita. Reliqua sanabit is cui ego do herbam.

Velia, & Antium. Horat.

Eodem libro, cap. XV.

Qua sit hiemi Veliæ. de Antio frequens.

Vt Socrates cogitur in carcere mori, Rutilius in exilio, Cato ille virtutum vigua imago incumbens gladio simul de se & de rep. palam facere.

Intricatus Senecæ locus.

Non semel molestus mihi locus. quid si legas, *de se & de rep. aleam iacere?* id est, prouerbiali quodam sermone, in extremum discrimen adducere. Tamen deliberandum est: & nescio quid simile in Suetonij Nerone legi, *Septemdecim natus annos, vt de Claudio palàm factum est.* In eiusdem Tiberio: *Excessum Augusti non priùs palàm fecit.* Vtrum ergo hoc dicit, eum in suo funere palàm fecisse funus reip. vnà exstinctæ?

CAPVT XI.

Ritus in scenam producendi scorta. Liuio, Statio, Tertulliano, Plauto, data lux. Cur theatro adiuncta ædes Veneris: & Suetonius explicatus.

Scorta in scenam.

ILLVSTRABO hoc capite ritum scenæ veterem, & eâdem aliquot Plauti locos, qui egere lucis videntur, nec facile est vt accipiant nisi ab illo. Prostibula per ludos publicos in scenam introduci solent, & exponi omnium non libidini solùm, sed licentiæ. Scilicet vt quæ perditi homines in Mimis & cetera obscenitate fabularum paullo antè natantibus oculis viderant, ea post ludos in reliquo corpore peccarent. Is mos Romę vetus. Ita explico Liuium libro II. *Eo anno Romæ cùm per ludos ab Sabinorum iuuentute per lasciuiam scorta raperentur, concursu hominum rixa ac propè prælium fuit.* Scorta intellegit scenica, vt & Statius in Siluis:

Quàm antiquus ille mos.

Liuius, Statius, Isidorus explicati.

Iam noctis propioribus sub vmbris
Diues sparsio quos agit tumultus?
Huc intrant faciles emi puellæ.

De eo more eleganter Isidorus lib. XVIII. *Idem verò theatrum, idem & prostibulum: eò quòd post ludos exactos meretrices ibi prosternerentur.* Et clarè ante omnes Tertullianus, *Ipsa etiam prostibula*, inquit *publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, plus miseræ in præsentia feminarum quibus solis latebant. pérque omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducuntur, locus, stipes, elogium etiam quibus opus non est, prædicatur.* Ex quo apparet hanc productionem scortorum non sine solemni pompa fuisse, & cum prædicatione publica præconis. Ad hunc ritum accommodo versum ex Prologo Casinæ, non Plauti, sed Plauto digna:

Et Tertullianus.

Item Plautus.

Ea inuenietur & pudica & libera,
Ingenua Athenensis: neque quidquam stupri

Universidad de Deusto
Biblioteca

Faciet profectò in hac quidem comœdia.
Mox hercle verò post transacta fabula
Argentum si quis dederit, vt ego suspicor,
Vltrò ibit nuptum, non manebit auspices.

Ecce enim persona virginis in hac fabula opus erat. sed ea quia nusquam interloquitur, saltem, quod Græci aiunt, κωφὸν πρόσωπον: non histrio adhibitus ad repræsentandum, sed de scena aliquod scortillum. Ideò non temperat sibi scriptor à ioco: Et hæc tam pudica, inquit, statim post ludos ad ingenium redibit, & sine vllis nuptiis nubet. Refero huc & edictum illud Imperatoris Histrici in prologo Pœnuli,

Scortum exoletum ne quis in proscenio
Sedeat.

Theatrum Veneri sacrum.

ex more scilicet, quo theatrum, imò scenam & proscenium scorta obsidebant. Non ergo mirũ si lasciuiæ illa sedes Veneri olim sacra. Et Pompeius ab eadem causſa theatro suo Veneris ædem superposuit. Tertullianus, *Itaque Pompeius Magnus theatro solo suo minor, cùm illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ Censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit: & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit: Cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum.* Ex hoc loco clara lux data Suetonio in Claudio cap. XXI. *Ludos dedicationis theatri Pompeiani, quod ambustum restituerat, è Tribunali posito in orchestra, commisit: cùm prius apud superiores ædes supplicasset, perq; mediam caueam, sedentibus ac silentibus cunctis, descendisset.* Intellegit enim supplicasse Claudium apud templum Veneris superpositum theatro. ideò rectè, superiores ædes. & quia gradus spectaculorum, id est cauea & orchestra, subiecta ædi: bene addit, descendisse eum inde per mediam caueam ad orchestram. Interpretibus ante me hîc caligo. Beroaldus nescio quæ templa ædificat in illa parte vrbis quæ super theatrum. Læuinus Torrentius V. C. & de Suetonio nuper, olim de vniuersa antiquitate optimè meritus, legi mauult, *apud superiores sedes*, id est, inquit, in superiori parte theatri. Si quid mutandum, legerim ipse, *apud superiorem ædem.* At de sententia, quam dixi, non muto.

Suetonius aliterquàm vulgò explicatus.

Tortasse & emendatus.

CAP. XII.

E Suetonij Augusto loci aliquot vitiosi. liberti à memoria. De compacto.

SVETONII librum, qui est De vita Augusti, legi per hos dies: & quæ obseruaui, pro bono facturus videor, si cõmunicem cum iuuentute.

Cap. vlt. De Testamento Augusti,

Legauit populo Romano, quadringenties: tribubus, tricies quinquies HS *prætorianis militibus singula millia nummûm.*

Quomodo tribubus, si antea legauit populo Romano? Nónne hoc est, δὶς ταυτὸ εἰπεῖν? Certè enim omnis populus Romanus in XXXV. tribubus. Itaque mirum quantum æstuant interpretes in hoc nodo. Viro docto nuper-

nuperrimè visum, hoc totum de tribubus glossema esse, & ideo inducendum. Tam magnis ceruicibus non sim ego: & potius emendem, *Tribulibus.* Idq; verũ est. Legauit enim vniuerso populo Augustus: sed quia propria quædam ei cõmunctio cum tribulibus (φυλέτας Græci dicunt) excipuum quiddam reliquit illis. Sic suprà cap. XL. *Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis, die comitiorum, nè quid à quoquam candidato acciperẽt, singula millia nummûm à se diuidebat.* In Fabia autem tribu Augustus, adoptione, opinor, per gentem Iuliam: in Scaptia, per suam, Octauiam.

Tribules, repositi in legatis Augusti.

Quæ tribus Augusti.

Cap. LXXIX.

Nasum habuit à summo eminentiorem, & ab imo deductiorem: colorem, inter aquilum candidumq.: staturam breuem. quam tamen Iulius Marathus libertus etiam in memoriam eius quinque pedum & dodrantis fuisse tradit.

Cui bono, illa verba? *etiam in memoriam eius.* In silentio omnium interpretum ego sanè confidenter emendo, *Iulius Marathus, libertus, & à memoria eius.* Operæ fuit Suetonio addere quis fuisset hic Marathus: Libertus Augusti, inquit, & à memoria eius. Non ignotus mos antiquus, qui tenuit temporibus Imperatorum, vt liberti alij à Studiis, à Voluptatibus, à Libellis, ab Epistolis, à Memoria essent. Quæ omnia sic efferebant, Polybius, à Studiis; Thallus à manu, &c. Hoc munus, quod reposui, reperies in Alexandro Lampridij: *Post meridianas horas subscriptioni & lectioni epistolarum semper dedit operam: ita vt ab Epistolis, & Libellis, & à Memoria semper adsisterent.* In Herodiani libro IIII. ἦν δέ τις αὐτοῦ τῶν ἐπιτηδείων Φήστος ὄνομα, τῆς δὲ βασιλείας μνήμης προῆγεν: vbi doctè Politianus *A memoria* vertit. Et in Vopisci Caro: *Iunius Calpurnius qui ad memoriam dictabat, talem ad Præfectum vrbis super morte Cari Epistolam dedit.* vbi τὸ *dictabat*, apparet à glossemate insertum: quoniam mos illius ætatis etiam sic loquendi, Calpurnius ad Memoriam, Malchio ad Vestem: vt clarum ex lapidibus. Credo hos eosdem esse, qui postea Magistri memoriæ dicti.

Liberti à memoria.

Vel, Ad memoriam.

Cap. XV.

Exstiterunt qui traderent consultò eum ad arma isse, vt occulti aduersarij facultate L. Antonij ducis præbita detegerentur, deuictisq; his & confiscatis promissa veteranis præmia soluerentur.

Aduersum mentem Suetonij hæc lectio, & aduersum libros. qui omnes paullò antiquiores, *conspecto*, vel, *è conspecto*: nemo, *consulto.* Quod vidit etiam Turnebus, emendationem quomodo non viderit, miror. Clarè scribendum, *compecto eum ad arma isse.* vel potius, *eos.* Compecto valet, compacto, scribendi ratione tunc tralaticia, à compeciscor; vt Appuleio Depector litium, etiam in libris vulgatis. Compacto, ἐκ συνθήματος: merum Latium. Plautus, *Omnes compacto rem agunt, quasi in Velabro olearij.* Alibi, *Sciui extemplo rem de compacto geri.* Liuius lib. V. *Vt multo verisimilius sit compacto eam rem, & communi patriciorum fraude actam.* vbi item libri aliquot, *conspecto*: & alij, *ex composito.* Vsus & Cicero ipse ad Atticum. Glossæ veteres, *Conlusio, compactum,* σύνθεσις.

Σ cõpacto, vel è compecto, quia.

Cap. XCVII.

*Atque itinere intohato, Asturam perrexit: & inde, * præter consuetudinem, de nocte ad occasionem aurea euectus est.*

** Fortasse, pro consuetudine. Vide Notas meas ad Suetoniũ.*

Discors sibi Suetonius; quod miremur in scriptore tam accurato. Cap. LXXXII. scribit, *Itinera lectica, ac noctibus ferè, eáque lenta ac minuta faciebat.* Ecce. ibi ait noctibus Augustum soluisse iter facere: hîc negat, & ponit quasi rem insolentem. Quid dicam? Sanè quin hæc pugnent inter se, non Paterpatratus impetrauerit, & omnes Fetiales. Memoriæ vitium in Suetonio sit, an scripturæ in alterutro loco, nondum constitui.

Pugna in Suetonij verbis clara.

CAPVT XIII.

De vestitu Romano conlectanea. Color togæ albus. obiectiones remotæ duæ. Plautus, Suetonius, Persius, Horatius, illustrati. De Lacernis, & Pœnulis. Spartianus & Tacitus correcti. Item Seneca, eximio loco. De Tunica & Calceis.

DE colore vestium apud Romanos, itemq; de Candidatis, Sordidatis, Pullatis, non satis plana hodie res est. Ego paullò vberius dicam, quàm qui ante me: & quidquid in his arduum aut cliuosum explanabo, exorsus rem à capite, & quod Aristophanes ait, ἀπὸ βαλβίδων.

Vestes Rom. albæ.

Romanis in vestitu placitum reperio colorem album. siue, quia is, vt Plato alibi vult, lætitiæ proprius, & deorum: siue potius agrestis illa & prima gens, spretis accersitis coloribus, lanæ natiuum retinuit, id est, album. Ita Toga Romanorum alba, & Tunica fuit, & Calcei, & omnis cottidiana vestis. Toga, inquam, alba. Titinnius poëta vetus,

Toga alba.

Qui in togis candidis sunt, tunicis sordidis.

Agellius de Africano, *Eúmq; cùm esset reus, neque barbam desisse radi, neque non candida veste vti, neque fuisse solito cultu reorum.* Plautus Casina,

Plautus explicatus, & mos libertorũ in mutanda veste.

At candidatus cedit hic mastigia.

de Olympione, qui iam libertus. At liberti noui in toga apparebant, id est, communi ciuium veste. Tertullianus de Resurrect. carnis, *Si famulum tuum libertate mutaueris; & vestis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine, ac tribu mensáque honoratur.* Toga igitur alba. Statius, in Siluis, ——— *albentíque humeros induxit amictu.*

albentem amictum, Togam appellat virilem, ab eodem colore Græcis modò λευκὴν; modò ad discrimen prætextæ, dictam ὁλολευκὴν. Eamdem circumscripsit Persius,

Itẽ Persius.

——— *totáque impunè Suburra*
Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo.

Vmbones in toga.

Candidus vmbo, τυτικῶς, pars pro ipsa veste. Nam Vmbones in toga Tertullianus agnoscit de pallio; & describit eos eleganter Appuleius lib. XI. in palla. Martialis etiam albũ colorẽ togæ aliquot locis dat. vt, *Et toga non tactas vincere iussa niues.*

Item,

Martialis prater vulgi mentem explicatus.

Non amet hanc vitam, quisquis me non amat, opto:
Viuat & vrbanis albus in officiis.

Albus, non ad pallorem, sed ad vestem: quoniam officia hæc anteambulonum in toga alba. Ideò Iuuenalis,

——— *niueósque ad frena Quirites.*

Et exempla plura sunt, quæ mox opportunè reddam. Obiiciunt ista: Si togæ vulgò albæ; cur qui prensabant induebantur toga candida, vt hac quasi nota intellegi & excerni possent à reliqua plebe? Respondeo: Albi coloris togas vulgò fuisse, non candidi. Albus color, natiuus lanæ est: candidus propriè, splendens ille, & qui est ab arte. Ideò Polybius λαμπρὰν dicere maluit petitorum togam, quàm λευκὴν: & Latinè commodè eam dixerimus splendentem. Seneca, *Non splendeat toga, nec sordeat quidem.* spernit enim à sapiente hunc colorem eximiè candentem. Subtilia hæc videntur? sunt vera. Nam petitores non contenti insito lanæ colore, cretam addebant in vestem vt candesceret, imò splenderet. Hac ergo nota discreti à vulgo, & κατ' ἐξοχὴν dicti Candidati. Isidorus, *Fit toga addito quodam cretæ genere candidior.* Persius huc alludens,

Contra colorem togæ quid dici possit.

Responsio.

Discrimen inter albam togam & candidam.

Candidatorum toga cretata.

——— *quem ducit hiantem*
Cretata ambitio.

Liuius libro IV. *Placet tollendæ ambitionis caussa Tribunos legem promulgare, ne cui album vestimentum addere petitionis caussa liceret. Parua nunc res, & vix seriò agenda videri posit, quæ tunc ingenti certamine patres ac plebem accendit.* Emendo, *ne cui album in vestimentum addere*, auctoribus libris & sententia ipsa. quoniam non alba vestis interdicta, (absurdum id) sed additio albi in vestem, id est, cretæ.

Liuius emendatus.

Obiiciunt item de diebus festis. Romani, inquiunt, saltem per dies festos in veste alba erant: non ergo cottidianas togas censendum candidas.

Obiectio altera.

Horatius:

Romani albati in die festo.

Ille repotia, natales, aliósque dierum
Festos albatus celebret.

Xiphilinus, die celebri Romæ ob ingressum Teridatis, Μάλυσα δὲ ἐπ' ἀγορᾶ ἐπεπλήρωτο. τὸ μὲν γὰρ μέσον αὐτῆς ὁ δῆμος λευχειμονῶν καὶ δαφνηφορῶν κατὰ τέλη εἶχε, τὰ δ' ἄλλα οἱ στρατιῶται λαμπρῶς ὁπλισμένοι. id est, populus albatus & laureatus. Latinus Pacatus in Panegyrico ad Theodosium: *Quid ego referam festum liberæ nobilitatis occursum? conspicuos veste niuea Senatores?* Vopiscus in Floriano, *Tantum illud dico Senatores omnes ea esse lætitia elatos, vt domibus suis omnes albas hostias caderent, albati sederent.*

Persius, ——— *negato*

Iuppiter hoc illi, quamuis te albata rogarit.

Sed expedio me ab hoc nodo, & dico non aliud fuisse in eo more, quàm vt per dies priuatim aut publicè lætos, togas recentes sumerent, & vsu nondum sordidas aut obsoletas. Pollux id exprimit, ὑπὸ νεωρυῷ στολῇ, ὑπὸ νεοπλυεῖ ἐσθῆτι. Clarè discimus ex Prudentio contra Symmachum,

Solutio.

Exsultare patres videas pulcherrima mundi
Lumina, conciliúmque senum gestire Catonum,
Candidiore toga, niueum pietatis amicum
Sumere. ——— & Ouidio,
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.

Ecce

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecce, ait vestes intactas: & bene Persius in re simili, recentes,

Scilicet hoc populo pexusq́, togaq́, recenti
Et natalicia tandem cum sardonyche albus
Sede leges celsa.

Color enim ille à principio in omni toga niueus, habendo sordes trahebat & squallorem: quod in vulgata toga ferebant, non ferebant per dies festos. More plane gemino moribus nostris. Inde est quòd per ludos apud Martialem & alios Candidati leguntur: inde, quod apud Plautum Aululania scribitur:

Plauti versus illustrati.

Qui vestitu & creta se occultant, & sedent quasi sint frugi.

In homines, nisi fallor, tenuiores, quibus cùm copia mutandæ togæ non esset; tamen vt nitidi & melioris fortunæ apparerent, sub dies ludorum togulam suam incretabant. Potest & referri ad seruos: qui vt liberos mentirentur, fortasse cretam addebant in vestem, vt in cauea fallerent permixti. Nec Romani solùm in lætitia aut in sacris adhibebant hunc colorem, sed etiam, vt obseruatum mihi, externi. Liuius lib. XLV. De Rhodiis: *Inter multas Asiæ Græciæq́, legationes, Rhodiorum maximè legati ciuitatem conuerterunt. Nam cùm primò in veste candida visi essent (quod & gratulantes decebat, & si sordidam habuissent, lugentium Persei casum, præbere speciem poterant) postquam consulti à M. Iunio Consule patres, &c.* Suetonius Augusto, cap. XCIX. De Ægyptiis: *Fortè Puteolanum sinum præteruehenti vectores nautæq́, de naui Alexandrina quæ quidem tunc appulerat, candidati coronatique & thura libantes, fausta omnia & eximias laudes congesserant.*

Vestis alba etiã externis in vsu.

Cur tam frequens mentio fullonum.

Propter has togas albas, fullonum apud veteres creberrimus vsus; ratus tinctorum. Fullonum, qui maculas scilicet ac sordes è toga eluebant, & addito sulfure ac creta iterum cande eam faciebant. Adi Plinium de vtroque, lib. XXXV. cap. XV. & XVII. Comœdiæ plenæ fullonum: testes Togatæ. & eorum munus expressit eleganter Titinnius apud Nonium,

——— *terra hæc est, non aqua,*
Vbi tu solitus argutarier pedibus
Cretam dum compesceis vestimentaq́, lauas.

Argutationem pedum, vocat id quod Seneca, Fullonium saltum.

Discrimen in veste: & qui Sordidati.

Alba igitur toga. & ea quamdiu in communi vsu, discrimen nullum inter ciues fuit à colore vestis. nisi quòd diuites, munduli, elegantes, semper in toga sua à fullone niuea; vulgus, ferè sordidiores essent, & togis magis pallentibus, ac, vt propriè dicam, obsoletis. Ideò Seneca, Epist. CXV. per sordidos intellegit vulgum: *Mirari quidem non debes*, inquit, *corrupta excipi non tantùm à corona sordidiore, sed ab hac turba quoque cultiore. Togis enim inter se isti, non iudiciis dissident.* Ait diserte, Togis. Sed & viri illustres ac nobiles rei facti, per dies iudicij sumebant hanc togam sordidam, posita niuea, vt miserabiliores essent in veste plebeia. Itaque rei in Sordibus esse dicuntur, aut Sordidati: non Pullati, ne quis erret. qui color tantùm funebris. Viri etiam graues ac rigidi non amabant eximium illum candorem: & ab hac re simia ille apud Horatium,

Rei sordidati.

Horatij vera lectio firmata.

Exiguaq́, togæ simulat tesquore Catonem.

Recta illa lectio. malè vulgò, *textore*. Duo enim lauti homines amabant

bant in toga, laxitatem & candorem: spreuerat vtrumque Cato, arcta toga contentus, & ea squallenti. Id enim Horatio, Tesquor.

Togæ exsilium.

Hæc olim. Mutata republica, & imperio labente; mirum quantum mutauerit vestis. Toga, quæ olim necessaria ciuibus (certè inter exempla legimus Rabirio Posthumo publicè obiectum in iudicio, quòd ad gratiam Ægyptij regis, sumpto pallio, posuisset togam) Imperatorum temporibus apud paucos remansit, & non nisi honestiores. Vulgus, spreta ea, abiit ad Pænulas, Lacernas, aut Tunicas solas; easque coloris pulli. Cœpit id statim sub Augusto, de quo Suetonij verba sunt cap. XL. *Etiam habitum vestitumque pristinum reducere statuit: ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus ac clamitans, En ait,*

Suetonius explicatus.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Negotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circòue, nisi positis lacernis, togatum consistere. Irruperant per bella ciuilia scilicet Lacernæ iam tum in vrbem; quæ antea militiæ, & castrorum.

Propertius,

Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

Et post Augustum, vt libertas, sic toga magis magisque exoleuit. Hadriani quidem temporibus vix in Senatoribus & Equitibus ius suum tenuit, adiuta Principis edicto. Spartianus in Hadriano; *Senatores & equites Romanos semper in publico togatos esse iussit, nisi si à cœna reuerterentur.*

Soli Senatores & Equites togati.

Spartiano & Appiano data lux.

Mentio nulla plebis, quia in illa, insolentia hæc vestium longo vsu iam recepta. Appianus, qui suppar huic ætati, hoc amplius, excludit à toga etiam Equites: & ostendit in solis propemodum Senatoribus reliquum fuisse eius vsum. Id enim sibi volunt hæc verba sanè notanda, lib. I. Bellorum ciuil. Παμπληθές τε γάρ ἐστιν ἤδη τὸ πλῆθος ὑπὸ ξενίας, καὶ ὁ ἐξελεύθερος αὐτοῖς ἰσοπολίτης ἐστὶ, καὶ ὁ ἐλεύων ἔτι τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος (χωρὶς γὰρ τῆς βουλευτικῆς ἡ ἄλλη στολὴ τοῖς θεράπουσίν ἐστιν ἐπίκοινος) τό τε στιπάσιον τοῖς πένησι χορηγέμενον ἐν μόνῃ Ῥώμῃ, &c. Nam βουλευτικὴν στολὴν, non aliud interpretari est quàm Togam. Imò ipsi Senatores id temporis in publico sæpe sine toga. Apud Agellium T. Castritius discipulos quosdam suos Senatores obiurgat, quòd die feriato lacernis & tunicis & gallicis induti fuissent, abiecta toga. Et addit tamen, *eiusce modi vestitum de multo iam vsu esse ignoscibilem.* Non ergo mirum, si hic Appianus & alibi Seneca queruntur, liberos non fuisse à seruis veste discreta. Discerni enim toga sola poterant: pænulæ, tunicæ, lacernæ, communes cum seruis, * vt pòst docebo.

Spartiano & Appiano data lux.

Senatoria vestis quid.

Lacerna vsitata etiã Senatoribus vulgò.

Vix discrimen inter liberos & seruos à veste.

* Cap. XXV.

Lacernæ in vsu vulgi, pullæ erant. Excipio delicatos, qui amethystini coloris sumebant aut coccinei, non tamen sine nota hominum seuerio-rum. Martialis,

Lacernarũ quis color.

Amator ille tristium lacernarum
Et bæticatus atque leucophæatus,
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystináque mulierum vocat vestes:
Natiua laudet, habeat & licet semper
Fuscos colores, Galbanos habet mores.

Purpureæ lacernæ, delicatiorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Seneca Epist. CXV. *Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam aut interuellunt, qui labra preßius tondent & abradunt, qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam, qui nolunt facere quidquam quod hominum oculis transilire liceat.* Lacernæ coloris improbi, purpureæ sunt, quoniam insolens ille color adhuc Senecæ temporibus & audax. Simile in Pænulis; quæ vulgò item Pullæ: purpureæ tamen quædam lautiorum. Dio Cassius lib. LVII. De Tiberio: Καὶ ἐπειδή γε πολλῇ ἐσθῆτι ἀλλαγείσῃ ἄνδρες συχνοὶ, καίπερ ἀπαγορευθὲν πρότερον, ἐχρῶντο, διεμέμψατο μὲν οὐδένα, οὐδὲ ἐζημίωσεν, ὑστερῷ δὲ ἐν παννυχίδι τινὶ γενόμενος, φαιὰν μανδύην ἐπενδύσας καὶ τοῦτο ἔσχε· οὐδεὶς αὐτῶν ἀλλοῖον ἔσθημα λαβεῖν ἐτόλμησε. Et hinc liquet, quotiens interdictus Tyrius color, non ad Togas id referendum (albæ enim & pullæ tantùm in vsu) sed ad Pænulas & Lacernas. In Pænulis peccat largiter Spartianus, si modò ita scripsit, in Alexandro Seuero: *Pænulis intra vrbem frigoris causſa vt senès vterentur, permisit: cùm id vestimenti genus semper itinerarium fuisset aut pluuiæ.* Quid? Pænulæ in vrbem primùm temporibus Alexandri? Planissimè falsum. Iam inde ab Augusto Pænulis vtebantur per ludos, vtique pluuiæ tempore aut hiemis. Præter Dionis locum suprà, Tertullianus: *Video & theatra nec singula satis esse nec nuda. Nam ne vel hieme voluptas impudica cessaret, primi Lacedæmonij pænulam ludis (*malè vulgò *nudis) excogitarunt.* Et Vespasiani temporibus adeò vulgatæ pænulæ, vt iis in foro vterentur Oratores. Auctor Dialogi De Causſis corruptæ eloquentiæ: *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse pænulas istas; quibus adstricti & velut inclusi cum iudicibus fabulamur!* Hadriani temporibus etiam Senatores. Colligo ex verbis Castritij apud Agellium, *Pigitum est cinctos saltem esse & pænulatos.* Non ergo anteà, pluuiæ tantùm aut itinerum: & vapulet Spartianus, si ita sensit. Sed crediderim herclè in Spartiano legendum, *vt senatores vterentur permisit.* correctione & sententia tolerabili. Et peccatum in hac voce aliàs scio: vt apud Tacitum lib. II. Annal. *Reperio apud scriptores Senatorésque eorundem temporum.* Quorsum Senatores? Lege, *seniorésque.* de quo arbitrabuntur docti.

Item Pænulæ.

Spartiani allucinatio, in vsu Pænularum.

Oratores causſas agebant in Pænulis.

Correctus Spartianus & Tacitus.

Redeo ad colores. Pereunte igitur toga, ad interitum abiit color albus; & pullæ, plebeiæ omnes vestes. Hinc Pulla paupertas Calpurnio dicta:

O vtinam nobis non rustica vestis inesset!
Vidissem propius mea numina. sed mihi sordes
Pullaque paupertas & aduncо fibula morsu
Obstiterunt.

Pullæ vestis tenuiorum: & Pullati.

Hinc Pullati Suetonio, in Augusto cap. XLIIII. *Sanxit ne quis pullatorum media cauea sederet.* Quod edictum lucem dat Calpurnij loco quem adduxi; item isti,

Venimus ad sedes vbi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras.

Calpurnius explicatus.

Intellegit enim caueam summam. Hinc discrimen natum inter ciues, ignotum sæculo priori: vt alij candidati dicerentur, Pullati alij. Candidati, non ij qui peterent (vt olim) sed honestioris ordinis ciues: Pullati, infima

infima plebs, siue vulgus. à colore scilicet vestium quibus vtrique vtebantur. Plinius libro VII. Epistolarum, *Nónne cùm surgis ad agendum, tum maximè tibi diffidis? tum commutata non plurima, sed omnia, cupis? Vtique si latior scena, & corona diffusior. Nam illos quoque sordidos pullatósque reueremur.* Quinctilianus lib. XI. *Collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mirè ad pullatum circulum facit.* Idem lib. VI. *Imperitis ac sæpe pullatæ turbæ relinquunt.* Pullati vbique, vulgus. Discrimen hoc expresserat Seneca eleganter, nisi imperiti corrupissent, De Vita beata, cap. II. *Quæramus quid optimè factum sit, non quid vsitatissimū: quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit. Vulgus autem tam chlamydatos, quàm coronatos voco. Non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt, adspicio: oculis de homine non credo.* Apollo fatidicè, qui isti chlamydati aut coronati? Impunè dixerim, eximiè emendauimus, *Vulgus autem tam candidatos, quàm coloratos voco.* Diserta enim Senecæ allusio ad hunc vestium colorem: vel ipso teste, qui subiunxit, *Non enim colorem vestium aspicio.* Coloratos vocat, Pullatos: vt alibi Voluptatem palliдam describit; Virtutem puluerulentam & coloratam, id est, fuscam. Vulgatam lectionem numquam erit vt explicent omnes Quindecimuiri fatalium librorum. Auctor huic emēdationi meæ Senecæ locus alter, hoc eodem libro cap. XXV. *Nihilo miserior ero, si lassa ceruix mea in fœni manipulo acquiesset, si super Circense tomentum per futuras veteris lintei effluens incubabo. quid ergo est? malo quid mihi animi sit ostēdere prætextatus & candidatus, quàm nudis scapulis.* At vulgò etiam hic ad oram notarunt, *chlamydatus.* credo, quasi emendantes. Quod ait, *prætextatus,* vide ne scribendū, *pexatus.* Simile enim est illi Persiano, —*pexúsque, togaú recenti:* & lautiores homines, in candida toga & pexa. Martial.

Pexatus pulchrè rides mea Zoile trita.

Seneca eximium locum correctus.

Seneca alius explicatus.

Et emendatus.

Quid pexati. In Festo coniectura.

Pexis togis aduersæ, tritæ, Festo Decotes dictæ. *Decotes togæ,* inquit, *detrita.* Malim, *Decutes:* quod esset, sine flocco & quasi sine cute.

Satisfactum de Toga: supereſt de Tunica & Calceis, quod promisi. Tunica liberorum hominum alba. Ex Vopisco in Aureliano, *Sciendum tamen congiaria illum ter dedisse, donasse etiam populo Rom. tunicas albas manicatas ex diuersis prouinciis.* Ex Iuuenali,

Sufficiunt tunicæ summis AEdilibus albæ.

Tunica vulgò alba.

Et argumento satis claro, Ex Cicerone, qui Verri obiicit quòd in officina sedere solitus sit cum pallio & tunica pulla. Viro docto, qui nuper adfirmauit, tunicas omnes purpurei coloris fuisse, credam ego? non si credendi auctor mihi Phœbus ipse. Argumenta quæ adfert, facilè aliàs soluam. Calcei item albi. Martialis,

Sordidior cœno cùm sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi Cinna niue:
Deiecto quid inepte pedes perfundis amictu?

Calcei, albi.

Spartianus in Alexandro: *Fasceis semper vsus est: baccas albas habuit, non coccineas, vt prius solebant.* Emendo, *baxcas albas.* Baxeæ pro Calceis apud Plautum, & Appulejum lib. II. *Iuuenem quempiam linteis amiculis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

intectum, pedésque palmeis baxeis indutum. In Floridis, *Vestem de texterna emere, baxeas istas de suterna præstinare.* Ciuile autem illud, quòd Alexander Calceis albis vsus more ceterorum; non coccineis, vt ante eum Imperatores, & homines aliquot delicatiores. Malè ergo in Vopisci Aureliano calcei albi damnantur, vt parum viriles: *Calceos mulleos, & cereos, & albos, & ederatios viris omnibus tulit, mulieribus reliquit:* & censeam scribendum, *& cereos, & galbos.* Galbus color in veteri glossario, χλωρὸς, id est, herbacei coloris, qui idem galbeus, & galbanus. Et is sanè color femineus. Iuuenalis,

Vopiscus emendatus.

Galbei calrei, & quis ille color.

Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Martialis, —*galbanos habet mores:* huc respiciens, quod non obseruant interpretes. Eumdem colorem intellegi credo Martialis versu,

Herbarum fueras indutus Basse colores.

Sed hactenus: ne abeam, quod Græci dicunt, ἐκτὸς τῶν ἑλαιῶν. Explicaui colorem togæ, ritum in Candidatis, in diebus festis: interitum togæ, & mutationem vestis: addidi de Pænulis, Lacernis, Tunicis. & hæc, satis scio, non omnia protrita vulgò. Quæ præterea ad lucem sunt vestiariæ rei, cum Deo, alibi dicam.

CAPVT XIV.

E Cornelio Nepote vetus mendum sublatum in vita Attici. Statuas inscribendi mos.

SERENO quondam, vel, vt veteres loquebantur, terso die, ambulabam cum Iacobo Susio, viro nobili, &, si quis alius in Belgica nostra, doctrinæ huius priscæ amanti & scienti. In sermonem venit Cornelij Nepotis locus, de vita Attici, *Quamdiu adfuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipsi & Phidiæ locis sanctissimis posuerunt.* Censui emendandum ego, *ipsi & Fidei.* Prorsus idem Susio iam antè visum. At non Manutio & Lambino, qui Piliam pro Phidia substituunt, Attici vxorem. Non persuadent. recedunt à libris, & peccant in sanctissimos Attici mores, à cuius moderatissimo ingenio nimium abfuit hæc ambitio. Scio equidem & feminis statuas olim positas: Plinius libro XXXIIII. *Exstant*, inquit, *Catonis in censura vociferationes mulieribus Romanis in prouinciis statuas poni*: sed hoc insolens in Prætoribus ipsis, nedum in homine priuato. Ad summam, si Atticum noui; crucem ille potius sibi, quàm statuam vxori. Emendatio nostra à ritu veteri est. quo receptum, vt in statuis inscribendis, cum nomine, causssam exprimerent habiti honoris. Adde quòd inuidia minor, si virtutes ipsæ quasi consecrarentur, non ij qui exercuissent. Sic Aram Clementiæ, & Adoptioni in Tacito: Prouidentiæ Tiberij Cæsaris, Pietati Augusti, Clementiæ, Securitati, & sexcenta id genus legimus in nummis & spectionibus vetustis. Nec alia mens verborum Ciceronis, eximia illa epistola ad Q. Fratrẽ: *Quare cum istis in vrbibus cum summo imperio ac potestate versêris, in quibus tuas virtutes consecratas & in Deorum numero collocatas vides.* Fidei igitur T. Pomponij Attici inscripta statua, titulo merito, quia Athenienses pecunia, frumento, aliisque rebus iuuerat, summa comitate & fide.

Feminis statuæ positæ.

Mos vetus inscribendi statuas.

Cicero explicatus.

CAPVT XV.

Veterum legum de re agraria aliquot capita, nisi fallor, publicè nondum visa. Ea ad priscam scripturam variè correcta.

PVLCHRÆ, ita me Deus amet, reliquiæ in manus meas venerunt, celebris illius legis Mamiliæ, Fabiæ, Roscíæ, & aliarum aliquot, quæ ad rem agrariam, legum. quas, iniquus sim, si debeam diutius studiosæ iuris & antiquitatum iuuentuti. Excerpsi eas è libro manuscripto, in quo coniunctim varij De Finibus & Re agraria scriptores. qui lucem adhuc toti non viderunt, & spero visuros breui, opera C. V. Francisci Nansij amici nostri; apud quem scio adseruari simile volumen. Nam ea Frontini & Ageni Vrbici quæ exstant, mera nugamẽta sunt præ illis. Codicem quem ego vsus sum, is, pleraque in parte, fuit grandi littera Romana: & in eo, ordine inserti libri isti & scriptores:

Index scriptorum Agraria rei.

M. Iuni Nilsi.
Aprosoditi.
Betruui Rufi Architectonis.
Iuli Frontini (aliâs *Frontonis*) *De agrorum qualitate.*
Hygini Constitutio.
Ageni Vrbici, De controuersiis agrorum.
M. Varronis, De Geometria.
Hygini De limitibus.
Hygini De diuisionibus agrorum.
Hygini liber Gromaticus.
Balbi liber ad Celsum. Expositio & ratio omnium formarum.

Capita hæc legum electa sunt è libro Hygini De limitibus. qui casu bis in eodem volumine descriptus: & ideò, quidquid altera lectio mutabat, notatum mihi cum fide infrà. Eum Hyginum referre aliqui videntur ad ætatem Augusti: ego clarè colligo vixisse eum in imperio Traiani. Nam scribit ecce ipse: *Nuper quidam euocatus Augusti, vir militaris disciplinæ, professionis quoque nostræ capacissimus, cùm in Pannoniam agros veteranis ex voluntate & liberalitate Imperatoris Traiani Augusti Germanici adsignaret.* Nominat Traianum, vt vides; & ait, Nuper. Nunc pono leges ipsas: & ad oram, quæ digna nota.

Ætas Hygini indicata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LEX MAMILIA. ROSCIA. PEDVCAEA. A LIAENA. FABIA. [2]K. III.

Quae[b] *coloniae lege deducta, quo iure municipium, praefectura, forum & conciliabolum constitutum erit, qui ager*[c] *inter adfines eorum erit, qui termini in eo agro statuti erunt, quo in*[d] *lo terminus non stabit, in eo loco*[e] *his cuius* SS. *ager erit, terminum*[f] *restituendum*[g] *curatóque recta autem actum esse vellit. idque magestratus qui in ea colonia, municipio, praefectura, iurisdicundi praeerit,*[h] *facto vti fiat.*

K. IIII. *Qui limites*[i] *decimani qui in lege deducti erunt,*[k] *quacumque posse limites in eo agro erunt, qui ac lege ager*[l] *cundatus adsignatus erit, niquis eos limites*[m] *decimanos non obsequi, neuae quit in eis molitum nec eo quit ibi oppositum habet, neuae eos arato, neuae eas fossas optorato. neuae quis epito quo minus*[n] *fuit tener aquai replere posit. Siquis aduersus ea quid fecerit, in*[o] *res singulas quotiens cumque fecerit,* VIII. S. *colonis, municipibus*[p] *eis aque in quorum agro id factum erit,*[q] *deinde esto. pecunieque qui volet petitio ac lege esto.*

K. V. *Qui ac lege coloniam deduxerit, municipium, praefecturam, fora, conciliabola constituerit, in eo agro, qui ager intra fines*[r] *eius qui coloniae, municipij fori, conciliaboli praefecturae erint, limites decimanoque vt fiant terminique statuantur curato. quique fines statuerit, fines eorum sua acto, dum ne extra agrom colonicum*[u] *territorium vt fines ducat. quique terminias lege statuti erunt, nequis eorum quem*[x] *cicito, neuae loco moueto insciens dolo malo. siquis aduersus ea fecerit, in terminos singulos quos*

a Id est, Kaput tertium. ita enim prisci scribebant. sic mox, K. IIII. & K. V.

b Ex alia lectione scribend. *colonia hac lege deducta, quodue.*

c Lege, *intra fines.* vel potius ad scripturam veterem, *intera* ita dicebant, vt apud Lucret. non semel. *supera.*

d *loco*, scribe.

e Valet, *in cuius suprascriptus.*

f Melius, *destituendum.*

g Non facile me extrico: tamen puto sic. *curato. vtique recta actum pactum esse velit.* Tale aliquod geminatum verbum fuit.

h *facito.*

i Forte *decimanique.*

k Legerim, *quacumque fosse, limites.* idem Hyginus alibi agros finit, terminis, arboribus, superciliis, vepribus, fossis. Alia tamen lectio, *quicumque possis.* Forte, *quicumque positi.*

l Scribo, *cumque datus.*

m Me iudice hæc omnia scribenda, *decimanóue obsepito, néue quid in eis inolitum, néue quid ibi opsitum habeto.* Inolitum, ad arbores pertinet; obsitū, ad fruges. Vide infrà.

n Lego, *suo itinere, aqua ire fluere possit.* vt apud Frontinum in S C. *quo minus ea aqua ire, fluere, cadere.*

o Malim, *in ter. singulos.* id esset, terminos singulos. vt hac ipsa lege, infrà.

p Alia scriptura, *eis adque.* puto antiquos vsurpasse. Eis atque, pro Eisque.

q Facilis emendatio. Notæ enim fuerunt, *d. d esto.* id est, *dare damnas esto.* Formula prisca, quam non cepit quisquis hic exscriptor.

r Lego, *eiusce coloniæ.*

s Vetius, *erit:* & statim, *decimanique.*

t Similis alia lectio, nisi quòd *horum* habet. Ego hic prorsus nihil video.

u Scrib. *territoriúmue, fines.*

x Fuit, *cicito.* & statim, *sciens,* non *insciens,* ex altera scriptura & sententia.

quos ejecerit loco mouerit[a] *insciens D. M. hoc est dummodo SS. V. M. N. in publicum eorum quorum intra fines his ager erit*[b] *adesto. déque ea re*[c] *curatores quae hac lege rit iurisdictio*[d] *reciperatorumque ratio adicitio esto. Cum curator hac lege non erit, tum quicumque magistratus in ea colonia, municipio, foro, conciliabolo, praefectura, iurisdicundi praeerit, eius magistratus de ea re iurisdictio iudiciśque datio adictio esto. inque eam rem his qui hac lege iudicium dederit testibus publicis dumtaxat*[e] *inter singulas* SS. X. *milia*[f] *denuntiandi haecessantem facito, ita vti è rep. fideque sua videbitur. & si duo*[g] *sunt de ea pecunia petierint condemnatus erit, eam pecuniam ab*[h] *eodem vt denique eius primo quoque tempore exigito. eiusque pecuniae quod receptum erit, partem dimidiam*[i] *& huius vnius operam maximè his condemnatus erat, partem dimidiam in publico redigito. quo in loco terminus*[k] *haberit si quis in eum locum terminum*[l] *restituere volet,*[m] *summa & sine fraude sua licito facere, neuae quid cui his ob eam rem hac lege damnas esto.*

a Imperitum glossema. Concepta lex fuit, *scíens d. m.* SS. V. *M. N.* Id est. *dolo malo, sestertium quinque millia nummum.* Boni viri, D.M. dummodo interpretabantur; & inde in contextum venit glossa, quam eiicies.

b Error qui suprà scribe, *d. d. esto.* dare damnas esto.

c Lego, *curatoris qui h. l. erit.*

d Alia lectio, *reciperatorumque.* XX. *datio.* scribe etiam, *addictio.*

e Legerim, *in ter. singulos.* id est, in terminos, vt suprà.

f Non tolero hoc mōstrum lectionis. Aliàs scribitur, *denuntiandi adfectante.* Lego, *denuntiandi potestatem.* Apud Probum de Notis: *Quanti ea res erit, tanta pecunia iudicium recuperatorium dabo, testibusque dumtaxat decem denuntiandi potestatem faciam.*

g Iterum nodus, quem conabar sic euoluere: *& si duo simitu de ea p. petierint condemnatiue erunt.* vel potius, *de ea pecunia petita condemnati erunt.* Nam altera lectio, *petita erint* habet, pro *petierint.* Alij hæc scribunt, *& si is vnde ea pecunia petita erit, condemnatus erit.* fortasse rectius.

h Etiam hæc ad priorem sententiam sic aptabam, *ab eodem aut denique eis, primo.* Discrepat tamen scriptura alia, *ab eodem vt bonis sub eius.* Quidam, *ab eodem déue bonis eius.*

i Emendo, *ei cuius vnius opera maximè.*

k Censeo leg. *haud erit:* vel, *aberit.*

l Melius, *destituere.*

m Subolet error ex notis. & scriptum fuit, *S. M. & sine fraude,* id erat, *Sine malo.* Tale quid sanè sententia flagitat. Et statim, *liceto.*

Dixi ad hanc legem quæ sciui, quæ potui. Reposui suprà vocem Inolitum, *neue quit in eis inolitum, neue quit ibi opsitum habeto.* tamen alia lectio, *molestum,* sed vera, puto, emendatio mea: quam ad hunc Liuij locum velim pertingere, lib. XXXIX. *Aquam publicam omnem, in priuatum ædificium fluentem aut agrum, ademerunt: & quæ in loca publica inædificata immolitáue priuati habebant, intra dies* XXX. *demoliti sunt.* scribique, *inædificata, inolitáue.* Agellius lib. XII. *Natura, quæ nos genuit, induit nobis inoleuítque amorem nostri & caritatem.* Etsi Immoliendi etiam verbum spernam haud vsquequaque. Videntur sanè ea verba solemnia in legibus ad vetandum nequid ædium priuatarum, neu quid arborum, in loco publico esset.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XVI.

Ex Annæi Senecæ Epistolis complures loci. Ladas cursor. Exsaniare. De Turdo, prouerbium. Oculifera. & alia plura.

LEGEBAMVS nuper Annæi Senecæ librum, qui Epistolarum inscriptus est; & compluria in eo offendimus digna nota, nec notata prioribus Aristarchis. Ea ego hoc capite, non distinctè nec per partes, sed vna, quod dicitur, pertica admetiar.

Epistola LXXXIIII.

Marcum Antonium quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana traiecit, quàm ebrietas? Nec minor vino Cleopatræ amor. Hæc illum res hostem reip. hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cùm capita principum ciuitatis cœnanti referrentur, cùm inter apparatissimas epulas luxusq; regales ora ac manus proscriptorũ recognosceret, cùm vino grauis, sitiret tamẽ sanguinem. Intolerabile erat quod ebrius faciebat, si sobrius faceret: quanto intolerabilius, quod hæc ipsa in ebrietate faciebat?

De M. Antonio acutus locus. Disertus locus; vt Seneca in reprehensionibus plerumque. Postrema nulli rei, quæ emendo, *Intolerabile erat quod ebrius fiebat: quanto intolerabilius, quod hæc ipsa i. e. faciebat?* Præiuit mihi vnicus liber, in quo vestigium non est pessimarum vocum quas eieci. Sententia patet. Intolerabilis, in Antonio, & in Triumuiro reip. constituendæ, ebrietas: quanto intolerabilior in ebrietate crudelitas?

Epist. LXXXVI.

Quantulum autem sapienti damus, si imbecillimis fortior est, & mœstissimis lætior, & effrenatissimis moderatior, & humillimis maior? Quid si miretur velocitatem suam laudans, ad claudos debilésque respiciens?

Ladas cursor. Noli dubitare quin scripserit, *velocitatem suam Ladas.* Ladæ cursoris prouerbio celebrata velocitas est: & per hanc vocem vide quàm acutior sensus.

Epist. LXXXVII.

At nunc quis est, qui sic lauari sustineat? pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint, nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdederit, in quas multa sudatione corpora nostra exinanita demittimus.

Exsaniare, proba vox. Verbum vetus præferunt aliquot mei libri, *corpora nostra exsaniata.* Exsaniare, saniem tollere. Celsus de morsu rabidi canis, *Sal enim exsaniat.* Indubiè Seneca ita scripsit: & reuocandum in vsum probissimum verbum. Simile mendum in hac sanie, apud eumdem scriptorem, Epistola XCVI. *Et antiqui medici nesciebant dare cibum sæpius, & vino fulcire venas cadentes: nesciebant sanguinem emittere, & diutinam ægrotationem balneo sudoribúsque laxare.* Legendum, *saniem emittere*, & referendum ad hunc morem in balneis sudandi. Seneca alibi, *Quid mihi cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis, in quæ siccus vapor corpora exhausturus includitur?* Sanguinis missionem qui ignaram putat medicis antiquis: dignus cui ipsi sanguis, sed è capite, mittatur.

Seneca alibi emendatus.

Mos sudãdi in balneis siccis.

Epistola

Epistola XXII.

Interim, quod primum est, impedire te noli; contentus esto negotiis in quæ descendisti, vel quod videri potest maius, incidisti. Non est quod ad vlteriora nitaris, aut perdes excusationem, & apparebit te non incidisse.

Libris aliquot abest, τὸ *potest.* Irrepsit, & omnino scribe, *vel, quod videri mauis, incidisti.* Acute lusit in vocibus Descendere & Incidere. Clara res ex sequentibus. *Glossema remotum.*

Epistola LVI.

Speluncæ sunt duæ magni operis, laxo atrio, paries manufactus: quarum altera solem non recipit, altera vsque in Occidentem tenet. *De villa Vatic. loci dicto.*

Et statim,

Has laudes eius ipse noui: nunc esse illas totius anni credo. Occurrit enim Fauonio, & illum adeò excipit, vt Baias neget.

Descriptio est villæ Seruilij Vatiæ. Prima lego, *laxo atrio, pares manufactis.* Speluncas enim natiuas fuisse vult, sed tam eleganti ingenio loci, vt prouocare possent omnes manufactas. Posteriora in mss. reperio, *ipse noui: esse illam totius anni credo.* Optimè, si scribas, *esse villam.* & infrà, *vt Baiis neget.*

Epistola LXVI.

In locum stili sermo successit: ex quo eam partem ad te perferam quæ in lite est. te arbitrum adduximus: plus negotij habes, quàm existimas.

Repone phrasin fori veteris, *te arbitrum adigimus.* quæ nota iam ex Cicerone & Ictis. *Prisca phrasis reposita.*

Epist. LXXXVII.

Hæc si nimium tristia tibi videbuntur, villæ imputabis. in qua didici ab Ægialo diligentissimo patrefamilias, quamuis vetus arbustum posse transferri. Hoc nobis senibus discere necessarium est, quorum nemo non oliuetum alteri ponit. Quod vidi, hoc dico: illud arbustum trimum & quadrimum haud fastidienti fructus autumo.

Depone, te quoque proteget illa, quæ
Tarda venit seris factura nepotibus vmbram

vt ait Virgilius noster. qui non quid verissimè, sed quid decentissimè diceretur, adspexit: nec agricolas docere voluit, sed legentes delectare. Nam, vt omnia alia transeam, hoc quod hodie mihi necesse fuit deprehendere, adscribam:

Vere fabis satio est: tunc te quoque medica putres
Accipiunt sulci, & milio venit annua cura.

Annuo tempore ista ponenda sunt: & an vtriusque verna satio sit, hinc æstimes licet. Iunius mensis est, quo tibi scribo, iam procliuus in Iulium. Eodem die vidi fabam metentes, & milium serentes.

Longè diuersam lectionem haurio ex libris: *Quod vidi hoc dico: illud arboretum trimum aut quadrimum fastidienti fructus Autumno deponere. Te quoque p. i.* Ita mei manuss. nisi quod, *arborum*; vnde ego, *arboretum.* In sequentibus prorsus lego, *An vno tempore ista ponenda sint.* & paulò antè, *reprehendere:* valdè appositè ad sententiam. Ecce enim, vt libenter antiquos, sic Virgilium hic noster tangit, tamquam agrariæ rei parum peritum: quoniam scripsisset milium & fabam sub idem tempus seri. Sed mehercle calumniatur, aut ludit iste Socrates. Milium ex iis *Virgilium Seneca reprehendit, non optimo iure.*

Ee quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ trina tempestate anni seruntur, æstate, hieme, vere: in Italia tamen plurimùm, æstate. Quam solam sationem hîc Seneca agnoscit. At tu vide Plinium lib. XVIII. cap. VII. & liberabis facilè Virgilium huius culpæ.

Epist. XCVII.

Hi qui iactantur, & per operosa atq; ardua, sursum deorsum eunt, fortes viri sunt, primoréque castrorum. Isti quos publica quies aliis laborantibus molliter habet, turturillæ sunt, tuti contumeliæ caussa.

Obscurus locus, ad illustrandum aliqua coniectura.

Hærere in hac voce necessum est, qui nusquam hærent. Pincianus, vir egregius & doctrina minimè ventosa, legebat, *Tutilinæ sunt*, allusione ad Deam priscam, cui nomen à tutando. Non conuenit. in vitium enim hæc Seneca dixit, non in laudem. Aptius fortasse ego, *Turdi illi sunt.* Turdum reperio paullò supra eam ætatem hominem mollem, & infamis cuiusdam ignauiæ. Quid autem, si nomen eius abiit in dictum vulgi? qualia quædam ex ima plebe scriptor hic aliâs vsurpat. Verba Senecæ patris sunt libro IX. Controu. IIII. *Oppressi sunt in templo ab omni multitudine, quæ postulabat vt Romam Sabinus cum Turdo proficisceretur. Erat inter infames maximè & inuisos homines Turdus. Cùm Turdus promitteret iturum se, Sabinus, silentio facto, ait, Ego ad Cæsarem non sum iturus cum mattea.* Ex quibus clarum de infami mollitie huius Turdi. fortasse & tota illa cum Sabino actio caussam aut principium huic adagioni dedit. Et herclè tam magis cogito, tam magis probo.

Epistola CI.

Desit sanè varietas marmorum, & concisura aquarum à cuniculis interfluentium, & pauperis cella, & quidquid aliud luxuria miscet.

Laquearia in ædibus.

Ausim legere, *concisura laquearium cubiculis interfl.* Certè manuss. ferè, *cubiculis.*

Epistola CIII.

Magna & generosa res est humanus animus: nullos nisi communes cum Deo sibi ponit terminos patitur. Primum humilem non accipit patriam, Ephesum aut Alexandriam, aut si quod est etiamnum frequentius, oculis lætius vectis solum.

Emendo, *frequentius incolis, lætius tectis solum.* Hæc sanè opidorum ornamenta; multitudo ciuium, amœnitas ædificiorum.

Epistola CIX.

Cùm ad hanc eandem lectionem philologus accesit, hoc subnotat, duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Seruij matre dubitatur: Anci pater Marcius Numæ nepos dicitur.

Ex historia Seneca correctus.

Veruecium caput, quisquis corrupit. Nónne aduersum mentem Senecæ disertè ista? Negabat alterum regem, id est Ancum, patrem habuisse: ecce nominat Marcium. Discant à me & à libris scribendum, *Anci pater nullus, Numæ nepos dicitur.* Nam Anci Marcij pater ambigitur: satis habent Liuius & Dionysius dixisse Numæ nepotem.

Epist. XXXIII.

Continuum est apud nostros, quidquid apud alios excerpitur. Non habemus itaque ista odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inuenturum cùm intrauerit præter ea quæ in fronte suspensa sunt.

Nouum, sed idoneum planè verbum suggerunt libri, *ista oculifera.* vel, vt Modius

vt Modius noster repperit; *ocliferia.* Germana lectio. Sic appellat significanter, illa quæ ad speciem in fronte tabernarum cum titulis exponunt: quæ incurrunt in transeuntium oculos, & emptorem alliciunt. Eiusmodi, inquit, inuitamenta in nostra secta Stoica non reperies. Cumulaui hoc capite plura; nec pœnitet. rem enim dedi. Pœnitet populariorum aliquot adolescentium meorum, qui Lectori, post magnifica promissa, non aliud quàm nugas diuendunt, & nebulas in pariete pictas. Si sic pergitur: quod Domitius Afer in re simili, non meritò ego dicam? *Centumuiri, hoc artificium periit.* *Oculifera, nouum & non insolita vox.*

CAPVT XVII.

De lecto Aduerso, planè & dilucidè dictum. Laberius & Spartianus correctus. Horatius illustratus. Item occultior mos texendi in atrio telas.

DVPLEX mos apud Asconium tangitur in Miloniana enarratione: de quorum altero, non omnia dicta sunt; de altero, quod sciam, nihil. Quem vtrumque hoc capite clariorem faciam,

Quàm solis esse rady, cùm sudum est, solent.

Verba Asconij sunt: *Deinde omni vi, ianua expugnata, & imagines maiorum deiecerunt, & lectulum aduersum vxoris eius Corneliæ, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itémque telas, quæ ex veteri more, in atrio texebantur, diruerunt.* Quæritur de Lecto aduerso. ego censeo eumdem prorsus fuisse cum lecto Geniali. Nouæ nuptæ lectus sternebatur magnifico apparatu, quem Catullus descripsit, & Lucanus in II. *Lectus aduersus idē cum Geniali.*

——*gradibúsque acclinis eburnis*
Stat thorus, & picto vestes discriminat auro.

Is lectus in nuptiis ipsis, Genialis dicebatur: vel quia Genio & Iunoni sacer; vel ominis caussa, à genendo. Arnobius, *Cùm in matrimonium conuenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum Genios aduocatis.*

Iuuenalis,

——*Tyriúsque palam Genialis in hortis*
Sternitur.——

Situs lecti Genialis, & cur Aduersus dictus.

At post nuptias, idem mutato nomine plerumque, aduersus; vel etiam Genialis. Caussa alterius nominis, quòd hunc lectulum religiosè seruari mos fuit, & in atrio collocari, ianuæ exaduersum. scilicet coniugij monumentum, & quasi pignus. Ab ea positura, lectus Aduersus.

Laberius,

Laberij versus correcti.

Nunc lentus es tu, nunc tu susque déque fers.
Materfamilias tua in lecto aduerso sedet,
Seruos sexcentis verbis nefariis vtitur.

sic eos versus apud Agellium lego, expleto vltimo auctoribus libris. Seruos pro Seruus. Cuique autem matronæ suus hic lectus; & in nouo coniugio, nouus. Cicero pro A. Cluentio: *Lectum illum Genialem, quem biennio antè filiæ suæ nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari ac sterni, expulsa atque exturbata filia iubet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Propertius.

Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,
Sederit & nostro cauta nouerca thoro:

Nona vxore, nouus Genialis lectus.

Idem erat, si dixisset, Lectum Genialem. Ducta enim vxore alia, nouus Genialis lectus: & is post nuptias, Aduersus. Quòd seruarint hunc Genialem lectum, discimus ex Lampridij Alexandro. qui inter omina imperij ponit, *quòd tabula Traiani Imperatoris, quæ Geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum decidit.* Ecce. diu post coniugium ista: & tamen mentio lecti Genialis. Nec alium intellegere est, quàm hunc Aduersum qui in atrio: vbi item imagines magnorum virorum ponebantur. Sed quod ait, *Geniali lecto patris*, videndum ne potius sit, *lecto matris.* Lectulos enim istos matronis adtribui, non maritis, perpetua obseruatio est: & id clarum ex locis quos adduxi. De eodem lecto capio Horatij illud,

Is seruari solitus.

Lampridij non certa lectio.

——*lectus Genialis in aula est?*
Nil ait esse prius, melius nil cælibe vita.

Horatius explicatus.

Tenebrosum sanè locum, nisi lucem capiat ab hoc ritu. Coniugij verissimum & proprium signum lectus Aduersus. ideò Poëta signum pro re vsurpans, Age, inquit, maritus est quispiam? lectum Genialem in atrio adspicit? malit cælebs esse, & tædium fatetur eius vitæ. Quàm aptum autem ad hunc morem quod addit, in aula? Nam Aula profectò hic atrium. Glossæ priscæ, αὐλὴ, *atrium.* Addo iam dictis, hunc lectum non tam ad vsum, quàm ad religionem seruatum fuisse: aut si ad vsum, non promiscuum coniugum, sed matronarum tantùm, quæ in eo solitæ sedere, & operas eas edere quas nunc dicam.

Aula proprie, idem quod Atrium.

Matronæ sedebant in lecto Aduerso.

Ideò bene Propertius,

Sederit & nostro cauta nouerca thoro. & Laberius,
Materfamilias tua in lecto aduerso sedet.

Mos texendi in atrio telas.

Transeo ad morem alterum, qui est de texendis in atrio telis. Eum sic explico: Lanificium Romanis antiquis impensæ curæ. docent nuptiæ, in quibus sponsæ colus præferebatur cum lana; cingulum erat è lana; postes velati lana; omnia videlicet signa & indicia matronis operæ fuit curæ. Lanam enim domi sedulò exercebant, telam texebant, cõficiebant vestem. Et hæc omnia matronæ etiam primi ordinis. Laudabile herclè, si quod aliud Romæ, institutum: cuius tamen ignoratio ansam quibusdam præbuit mutandi Suetoniani loci in Augusto cap. LXXIII. *Veste non temerè alia quàm domestica vsus est, ab vxore, & sorore, & filia neptibúsque confecta.* Tentarunt enim legere, *Veste non temerè alia domestica vsus est, quàm ab vxore.* ad discrimen, inquiunt, Forensium, quas putant sumpsisse eum, credo, extraneo aliquo vendente. Errant. ego non imminuo laudem Augusti: & verisimile optimum patrem familiâs seruasse domi morem antiquum, vt feminæ lanam traherent & facerent vestem. Itaque eam domesticam intellegit, quæ domi confecta. Indicat idem Suetonius cap. LXIIII. *Filiam & neptes*, inquit, *ita instituit vt & lanificio assuefaceret.* Nec miremur. Textrina enim, & quidquid ad perficiendam vestem, olim muliebre opus. Eiusmodi igitur operas, nere, texere, fuere, exercẽ-

Lanificium & textrina Rom. mulierum.

Suetonius explicatus.

exercebant in primore parte ædium, id est, in atrio: scilicet ad testificandam diligẽtiam suam, siue ad exemplum. Arnobius aduersum Gentes libro II. *Matres familias vestræ in atriis operantur domorum, industrias testificantes suas.* Aemilius Probus in Præfatione, *Quem enim Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur?* Primum locum ædium, cape, atrium. De his igitur telis quas Cornelia cum ancillis texebat, intellego loqui Asconium. Asconium, quem scripsisse temporibus Claudij Imp. scio, & perfamiliarem fuisse Silio Italico poëtæ. qui haud dubiè ad gratiam amici sui inseruit duodecimo Punicorum hos versus:

Et Arnobius.

Item Aemilius.

Ætas, obiter, Asconij, & Silij de eo elegãs elogium.

Polydamantæis iuuenis Pedianus in armis
Bella agitabat atrox; Troianáque semina & ortus,
Atque Antenorea sese de stirpe ferebat.
Haud leuior generis fama: sacróque Timauo
Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus, Venetæque ex ordine gentes,
Aque Apono gaudens populus. seu bella cieret,
Seu Musas, placidus: doctæque silentia vitæ
Mallet, & Aonios plectro mulcere labores.

Quibus argutè sanè, & quasi aliud tractans, mores, patriam, ingenium, huius Asconij descripsit. quod in aliis factitasse eum reperio aliquot præterea locis.

CAPVT XVIII.

Appuleius variè correctus. De clauis in cruce. Plauti versus emendatus, & Martialis. Mos tangendi oculos. Iusiurandi etymon. Principes Africæ. Appuleius non seruus.

APPVLEII grauiora quędam intexere huic capiti constitui, & hanc operam gratificari doctis. Tantùm doctis. quos magni facere scriptorem illum, & multa haurire cottidie ex eius fontibus, satis mihi constat. At vos Tulliani pueri, Bonum factum, si hoc caput non tangetis.

Lib. III. Milesiarum:

Instruxit feralem officinam omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis litteratis, & infelicium nauium durantibus clauis defletorum, sepultorum etiam cadaverum expositis multis admodum membris: hîc nares & digiti, illic carnosi claui pendentium: alibi trucidatorum seruatus cruor, & extorta dentibus ferarum trunca caluaria.

Calua mortuorũ.

Claui pendentium in iis error Beroaldi.

De officina illa magica loquitur, & eius ornamentis. Initio scripserim, *infelicium manium durantibus caluis.* Calua, κράνιον apud Liuium & Caprum grammaticum. In clauis pendentium qui sequuntur, ridiculus est Beroaldus. Intellegit vlcera illa vel tuberculos, qui pedibus innascuntur, cum magna molestia ingredientium: qui medicis Clauiculi & Claui. Cor Aristarchi! Nos scimus Appuleium de clauis eorum loqui, qui in cruce mortui: ad quam suffigi corpora solent quaternis clauis.

Quot clauis in cruce, olim.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Plautus, Mostellaria,

Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit:
Sed ea lege vt offigantur bis pedes, bis brachia.

Seneca, De Vita beata, cap. XIX. *Cùm refigere se crucibus suis conentur, in quas vnusquisque clauos suos adiicit.* Plinius lib. XXVIII. cap. IIII. *Item in quartanis fragmentum claui à cruce, inuolutum lana, collo subnectunt.*

Transfigi manus & pedes soliti. Transfigi autem in seruili illo supplicio manus & pedes solere, docent sacræ historiæ: & Appuleius clarè lib. IIII. *Paullatim Chryseros adrepit, grandq. clauo manū ducis nostri, repentè nixu fortissimo, ad ostij tabulam adfigit, & exitiabili nexu patibulum relinquit.* Patibulum, id est, ita adfixum quemadmodum in patibulo fontes solēt. Eadem significatione Plautus dixerat Carbonaria, *Patibulus ferar per vrbem, deinde suffigar cruci.* Agnoscit enim Nonius Patibulum ibi genere masculino. Tamen in vulgatis eius libris scribitur, *Patibulum ferat per vrbem*: vt sentio, mendosè; nisi tamen scribas, *suffigat cruci.* ita recidet res eôdem. Clauos igitur pendentium in cruce, intellegit scriptor Milesius: & ideò rectè additum, carnosi.

Nonius correctus.

Claui in suspendiosis. Aliâs, clauos etiam reperies in suspendiosis: ad quos alligabant scilicet restim. Inscriptio vetus, ATIMETO. LIB. CVIVS. DOLO. FILIAM. AMISI. RESTEM. ET. CLAVOM. VNDE. SIBI. COLLVM. ALLIGET. Ammianus: *Repertúmque funiculum, quem finiendæ vitæ parauêre casus, de clauo parieti affixo suspendit.* Simile illud legatum fuit apud Martialem, lib. IIII.

Coniectura in Martialis versu.

Nihil Amiano præter aridam restem
Moriens reliquit vltimis pater ceris.

Restem enim lego, non vestem, vt vulgus interpretum sine argutia vlla.

Redeo ad Appuleium, qui eodem libro ait,

Tandem denique reuersus ad sensum præsentium, arrepta manu Fotidis, & admota luminibus meis: Patere oro te, inquam, dum dictat occasio, magno & singulari me affectionis tuæ fructu perfrui, & impartire nobis vnctulum indidem, per istas tuas papillas, mea mellitula, tuúmque mancipium irremunerabili beneficio tibi perpetuò pignora.

Mos tãgendi oculos in obtestatione. Lego, *per istas tuas pupillas.* Modus rogandi per oculos satis notus: vti & iurandi, ex Petronio, Propertio, Plauto. Eum ergo hîc restituamus, maximè cùm præcesserit, *admota luminibus meis manu.*

Lib. I. Floridorum, ab initio,

Vt fermè religiosis viantium moris est, cùm aliquis lucus aut locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, portum apponere, paullisper adsidere.

Donum apponere in via. Prisca scriptura, *pomum apponere.* Facio ego, *donum.* suadente Appuleio ipso in Apologia I. *Similiter si posueris donum aliquod, si sacrificaueris, si verbenam sumpseris.* Florid. IIII.

Eorum ego sermonem ratus & vobis auditu gratissimum, & mihi compositè congruentem: & dedicatur religio summo in principio libri ratio, quendam ex his qui mihi Athenis condidicêre percontari à Persio Græcè. &c.

Nihil potest corruptius. Emendo, *& vobis auditu gratisimum, & mihi compositu congruentem, & dedicatu religiosum, in principio libri facio quendam ex his*, &c. De Dialogo suo loquitur, & caussis eius componendi: & facio

facio, inquit, in principio loquentes tales & tales. Non Æsculapius melius huic loco fecerit medicinam. *Dialogus quidã Apuleij, & eius principium.*

Libello, De Deo Socratis,

Si nemo huic capiti crediderit, quis pro te deus fidem dicet? An vt ferocissimo Mezentio dextra & telum quod missile libro? Apagesis tam cruentos deos, dextram cædibus fessam, & telum sanguine rubiginosum. Vtrumque idoneum non est per quod adiures, vt'ue per ista iurent, cùm sit summi deorum hic honor proprius: Nam & iusiurandum dicitur, vt ait Ennius. Quid igitur iurabo? per Iouem lapidem Romano ritu?

Iusiurandi subtile etymon. Dicit iusiurandum summi deorum esse proprium: & id verbis Ennij probatum vult. Vbi ergo illa? Nam quæ sequuntur, nihil ad eam sententiam. Censeo scribendum, *Nam & Iouis iurandum dicitur, vt ait Ennius.* Iurandum per Iouem esse, id est summum deorum, à verbo ipso colligit: quia formata vox quasi Iouisiurandum sit. Ennij versum quem intellegit, ecce apud Ciceronem, *Fides alma, apta pennis, iurandum Iouis.* Potuisset etiam adducere Næuij versum, *Ius sacratum Iouis iurandum sagmine.* Notetur ego nouitas & argutia huius etymi.

Ibidem, infrà,

Neque enim pro maiestate deûm cælestium fuerit, vt eorum quisquam vel Annibali somnium pingat, vel Flaminio hostiam corrodat, vel Accio Nauio cotificet, vel Sibyllæ fatiloquia versificet.

Reiectum barbarum verbum. Noli ambigere quin scripserit, *vel Attio Nauio cotim ficet*: antiquè, pro fecet. Inde monstrum verbi propagatum in omnes libros.

Initio libri III. Florid.

Priusquam vobis occipiam, Principes Augusti, gratias agere, ob statuã quam mihi præsenti honestè postulastis.

Principes Afr. tituli proprium Carthaginiensis. Ad Carthaginienses hæc dicuntur, in Carthagine vrbe: & vnde huc Principes Augusti? Profestus sanè Appuleius, si titulum regibus Romanis proprium tribuit suæ genti. Sed error ex notis. Scripsit, *Principes Af.* id erat, Africæ. Ea quidem legitima illo æuo appellatio Senatus populíque Carthaginiensis. Tertullianus librum De Pallio orsus est, *Principes semper Africæ, viri Carthaginienses.* Ipse Appuleius infrà, *Is etiam laudator mihi apud Principes Africæ viros quodammodo exstitit.*

Apol. I.

Falsi, quòd leporem marinum esse dixerunt, qui alius omnino piscis fuit; quem mihi Thenus conseruus noster medicinæ non ignarus, vt ex ipso audisti, vltrò adtulit ad inspiciendum.

Non seruus Appuleius. Bilis mihi in naribus. Quid? Seruus vt fuerit Appuleius? Id enim, si quid sapio, verba illa euincunt, *conseruus noster.* Nam conserui, qui vnà seruiunt, vt condiscipuli, conliberti. Crimen librariorum: & quo nunquam eos soluat Lua mater. Emendo libens, *Themison seruus noster.* Nihil verius. Themisones aliquot inter primores medicos: ideò medicorum pueri amabant id nomen. *Themison medicus.* Iuuenal.

Quot Themison ægros Autumno occiderit vno.

At illi balathrones iterarunt hoc conuicium infrà, *Piscem, inquiunt, cui rei nisi malæ, proscidisti, quem tibi Thenus conseruus adtulit?* Pariter scriben-

Universidad de Deusto
Biblioteca

scribendum, *Themison seruus*. Appuleius quidem tantum fuit à seruo, vt stirpem suam vbique iactet: patrem Theseum II. virum Madaurensem, proauum Plutarchum celebrans.

CAPVT XIX.

De Lectica & Sella prisci ritus. Quando cœperint. Earum forma, discrimen. Catullus & Martialis explicati. Gracchus correctus, & Propertius. Variorum scriptorum loci explicati.

LECTICÆ & Sellæ apud veteres frequens mentio, frequens vsus. Ego quæ de iis sparsim legi, collecta vulgabo: & hoc genere scribendi pergam reddere obnoxiam mihi iuuentutem.

Duplex lectica vsus. Lecticam apud Romanos comperior fuisse in duplici vsu, Ad mortuos ferendos, & Ad viuos. Ad mortuos, antiquus Romæ mos. & iam inde à regibus mortui in lectis efferebantur, siue in lecticis. Dionysius lib. IIII. cadauer Lucretiæ efferri facit ἐπὶ κλίνης μέλασιν ἀμφίοις ἐσταλμένης, *in lectica nigris vestibus instrata*. Et inter leges XII. fuit, *ne plures lecti sternerentur vni*. Mansit is mos, quamdiu mansit res Romana. Asconius, *Cadauer Clodij in via relictum Sex. Tedius Senator, qui fortè rure in vrbem reuertebatur, sustulit, & lectica sua Romam ferri iussit*. C. Gracchus disertè, in verbis quæ mox reddam. Nepos in vita Attici: *Elatus est in lecticula, vt ipse præscripserat, sine vlla pompa funeris*. Tacitus III. Histor. *Simul ferebatur lecticula paruulus filius, velut in funebrem pompam*. Atque hinc nati ioci aliquot Martiali, vt libro II. in Zoilum,

Mortui, in lecticis.

Martialis aliquot epigrammata illustrata.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

Significat Zoilum in illa ipsa superba & paucorũ hominum lectica ferri ad sepulchrum: id est, nõ aliud esse, quàm, quod dicitur, viuum cadauer. Item libro VI.

Inuidiosa tibi quàm sit lectica requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Iocus inde. Mortui honestiores lectica hexaphoro efferebantur: at tenuiores, sandapila, cui subiuncti saltem homines quatuor. Poëta idem:

Sandapila, hominum quattuor.

Quattuor inscripti portabant vile cadauer.

Ait igitur, Tam indignè homines ferunt te iuuenem, te egenum, ferri hexaphoro; vt id vix passuri in mortuo videantur. quod tamen aliâs non insuetum. Quia lectica mortuorum: in monumento M. Antonij Antij Lupi, quod exstat etiam nunc via Hostiensi, sculpta lectica cum puluino & corona cernitur; funebre scilicet signum.

Sepulchrũ Antonij Antij: & cur ibi lectica.

Ad viuos quando adhiberi lectica cœperit, ignoro. Plauti ævo, id est, sub bellum Punicum secundum, nec in mulierum quidem vsu lecticæ fuerunt: nedum virorum. Argumento, quòd in Comœdiis eius nusquam mentio: cùm aliâs non inuitus eiusmodi delicias tangat sæculi sui. Argumento clariori, quòd in Aulularia, vbi ex professo ineptias describit mali sexus; mulos, muliones, vehicula, plaustra nominat, non mutit de lecticis. Sed & apud Liuium, in Oratione Catonis pro Lege Oppia,

Lectica gestandi vsus.

Quando non fuerit.

Oppia, inter postulata muliebria carpentum est festis profestisque diebus, non lectica aut sella: & Valerius Tribunus qui respondet, ostendit turpe esse Latinas feminas carpento vehi, Romanas pedibus sequi, *tamquam in illarum ciuitatibus*, ait, *non in sua imperium sit*. Non ergo viuorum tunc lectica. Et quamquam de initio callidè non scio: tamen venisse eas primum in vsum credo, post bellum Punicum, Asia deuicta. Facio coniecturam, quòd in Bithynia & Cappadocia frequens lectica: & ideò probabile, instrumentum illud luxuriæ & desidiæ inde translatum Romam. Fauere coniecturæ meæ versus Catulli videntur, originem lecticarum referentis ad Bithynos,

Quando fuerit. & vbi inuenta.

Catulli alius intellectus.

At certè tamen, inquit, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lectica homines.

Apparet enim eum dicere lecticas natas in Bithynia & inuentas. Et facit huic sententiæ Cicero, lib. V. in Verrem: *Nam vt mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur*. Quidquid de Bithynia sit, ex his C. Gracchi verbis (nec aliud sanè vestigium lecticæ apud scriptores est vetustius; si rectè litaui deæ Monetæ) clarè colligo nec vetustam nimis lecticam id ætatis fuisse, nec frequentem. *His annis*, inquit, *paucis ex Asia* (noli cunctanter scribere, *in Asiam*, flagitante sensu) *missus est qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur. ei obuiam bubulcus de plebe Venusina aduenit: & cùm ignoraret qui ferretur, per iocum interrogauit num mortuum ferrent?* Ecce nónne quasi delicias eas reprehẽdens obiicit Gracchus? & propter insolentiam rei, de mortuo suspicatus est bubulcus? At neutrum fuisset, si, pariter ac postea, frequens tunc lectica.

Antiquissima mentio lecticæ.

Gracchus apud Agell. correctus, explicatus.

Hactenus de origine scio: dicam aliquid de progressu. Vsus lecticæ primus in agris; non in vrbe. Vtebantur enim, vt obseruo, ad iter tantùm: non ad desidiam vrbanam. Itaque in peregrinationibus frequens mentio lecticæ: nulla, quod sciam, in vrbe, ante ætatem Ciceronis. Illa ipsa Catulliana mulier lectica ferri petit ad Serapis. at Serapæum tunc extra vrbem. Tamen vicerunt deliciæ, & sub tempora Iulij Cæsaris recepta lectica in vrbem: scilicet corruptis moribus, & per bella ciuilia impunito luxu. Ita Cæsarem ipsum lectica latum per vrbem, colligo ex Ciceronis verbis Philip. II. quæ vsui mihi erunt infrà: & amicos Antonij cum lecticis ad curiam venisse, in quibus scuta reconderent, auctor idem Cicero non vno loco. Vulgatæque iam lecticæ in feminas, in viros, in omnes ordines: donec animum iterum reip. aduertens Cæsar, in parte restituit morem pedibus eundi antiquum. Suetonius hoc voluit in Iulio, cap. XLIII. *Lecticarum vsum, item conchyliatæ vestis & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, pérque certos dies, ademit*. Et, qui Suetonio dat lucem, Eusebius in Chronicis: *Prohibitæ*, ait, *lecticis vti margaritisque, quæ nec viros nec liberos haberent, & minores essent annis quadraginta*. Nollem artassет Eusebius hoc interdictum ad feminas: ego scio pertinuisse etiam ad viros. quà de lecticis quidem est. Et fortasse vetuit Cæsar lecticis vti, nisi Senatores aut senes. Certè vetitæ

Lectica, primò ad viam.

Postea admissa in vrbem.

Cæsaris interdictum de promiscuo eius vsu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in seruis & libertis. ex Suetonij Claud. cap. XXVIII. qui vtrem nouam narrat, quod *Harpocræ liberto, lectica per vrbem vehendi spectaculáque publicè edendi ius tribuerit.* Id autem edictum Cæsar concepit, cùm Cleopatra vrbem ingressa esset, magno comitatu & regio luxu. sed non habuit vires. Paullò pòst enim promiscuæ iterum in vrbe lecticæ; & ab Augusti temporibus credo eas non solùm sine pœna fuisse, sed etiam sine lege. Nihil enim tam obuium in omni historia temporum illorum, quàm vrbanæ lecticæ: nisi quòd Domitianus Imperator, *Vsum lecticarum probrosis feminis ademit*, notante Suetonio, cap. VIII.

Id nō diuturnum.

Lectica duplex. Aperta, quæ forma.

Addam nunc & lecticæ formam: quæ duplex, alia Aperta, alia Tecta. Apertæ, forma simplex, asseres aliquot compacti, qui capere puluinum oblongum possent, in quo homo singularis porrectus iaceret. Ad summam non aliud quàm modicus quasi lectus. Disco facilè ex scalptura veteris illius monumenti: præterea ex scriptoribus, quorum loca adducam lucis caussa. Asserum in lectica mentio Iuuenali Sat. II.

Asseres lecticarij.

——*ferit hic cubito, ferit asse re duro*
Alter. —— & Sat. VII.
Pérque forum iuuenes longo premit asse re Medos.

vbi asserem, pro ipsa lectica dixit: vti & Martialis,

Vt Canusinatus nostro Syrus asse re sudet.

Suetonius in Caligula, cap. LVIII. *Ad primum tumultum lecticarij cum asseribus in auxilium accurrerunt.* Ex quo loco, non vanè quis suspicetur asseres eos exemptiles fuisse, & facilè in lecticam reponi potuisse aut tolli. Eò magis, quòd vinculorum aliquotiens mentio, quibus lectica colligata. Gracchus: *Vbi audiuit, lecticam deponi iussit: stuppis quibus lectica deligata erat, vsque adeò verberari iussit, dum animam efflauit.*

Vincla in lectica.

Martialis,

Quem grex togatus sequitur & capillatus,
Recénsque sella linteíque loríque.

Puluinum in lectica, adstruo ex Cicerone, vt in Verrem: *Lectica octophoro ferebatur, in qua erat puluinus perlucidus, rosa farctus.* Ait, rosa farctus: at Iuuenalis pluma, quod magis ex more vulgi.

Puluinus item.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos.

Indignatur enim sceleratum illum sublimem & superbum ferri in lectica. De puluino etiam Seneca, De Consolat. ad Martiam, cap. XVI. *Equestri insidens statuæ in sacra via celeberrimo vrbis loco Cloelia, exprobrat iuuenibus nostris puluinum ascendentibus, in ea illos vrbe sic ingredi, in qua etiam feminas equo donauimus.* Eleganter. nam intellegit eos ascendere lecticam, in qua puluinus. Sed & pedes quidam breuiores ad infimam lecticam; quos intellexit Catullus,

Seneca explicatur. Pedes lectica.

Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.

Et Athenæus lib. v. cap. x. Athenionis philosophi lecticam describit pedibus argenteis, vel, vt eius verba sunt, φορεῖον ἀργυρόπουν. His pedibus lectica

lectica deposita insistebat. Vide exempla in Suetonij Augusto, cap. LXXVIII. & XCIIII.

Eadem omnia in lectica tecta. nisi quòd hæc maiorum deliciarum fuit, contráque aspectum hominum siue iniurias aëris clausa vndique & munita. Ideò *Cubiculum tectum* Plinius Nepos alibi in Epistolis dixit: & auunculus *Cubicula viatoria*, nisi fallor, lib. XXXVII. Histor. Natur. cap. II. cùm Neronem ait *sceptra, & personas, & cubicula viatoria vnionibus construxisse.* Munita autem pelle & velo: opere arcuato, planè ad eum modum quem aspicimus hodiè in Italica rheda. Pellis mentio Martiali,

Lectica tecta forma.

Pellis in lectica.

Non te cucullis asseret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle velóque.

Et scriptori incerto apud Suidam: πλέγμα ποιήσαντες, φορεῖον τύπῳ γυναικείων, δέρμασι βοείοις ἐπιπλάσαντες ἀκατεργάστοις. qui de lectica aliqua militari & subita locutus videtur, coriis boum ad formam lecticæ muliebris intecta. Opus arcuatum eruo ex Taciti verbis lib. XV. *Cùm ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellæ; vinclo fasciæ quam pectori detraxerat in modum laquei ad arcum sellæ rectricto, indidit ceruicem, & corporis pondere conniſa tenuem iam spiritum expressit.* Clausa igitur vndique hæc lectica. nisi quòd fenestræ quædam in ea ad prospectum.

Lectica arcuata. Tacitus illustratus.

Fenestræ eius.

Iuuenalis,

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

Ex ipsæ velo siue linteo tegebantur, quod dimouere licebat seu adducere, pro voluntate vehentis. Ausidius Bassus, de morte Ciceronis: *Cicero paullum remoto velo, postquam armatos vidit: ego verò consisto, ait. actede veterane, & si hoc potes saltem rectè facere, incide ceruicem.* Nam in lectica, & quidem tecta, Cicero interfectus. Eiusmodi vela ad fenestras oppansa, Plagulas Suetonius appellat in Tito, cap. x. *Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, cùm inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis calum, multúmque conquestus eripi vitam sibi immerenti.* Nonius, *Plagæ grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lecticariam sindonem dicimus*; quarum diminutiuum est plagulæ. Lecticam hanc tectam intellexit Iuuenalis,

Velum in ea.

Plagulæ lecticariæ.

Suetonius & Iuuenalis explicatus.

Qua vehitur clauso latis specularibus antro.

Fortasse & Propertius, cuius versus est ambiguæ sanitatis libro IIII.

Colla cauè inflectas ad summum obliqua theatrum,
Nec lectica tuæ sidat aperta moræ.

cui ausim mederi, *sit adoperta moræ.* hac sententia: Nolo, inquit Cynthia, collum flectas ad summam caueam, vbi feminæ: nolo etiam lectica per viam te moretur clausa; ne curiosè inspicias, quæ aut qualis vehatur. De sententia non ambigo: turbat me leuiter syllabæ modus, quam produxit præter morem poëtarum. Quamquam mihi & exempla suppeditant licentiæ talis.

De Propertij versu coniectura.

Clausa lectica quando cœperit, non quærerem, nisi inducere multos posset Dionis locus. Ad eum prouidebo, ne quis impingat. Dio Cassius lib. LX. de Claudio imperatore: Καὶ μέντοι καὶ ὄχῳ κατασχὼν πρῶτος

Origo lecticæ tectæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

πρῶτος Ρωμαίων ἐχρήσατο, καὶ ὃς ἐκείνῳ καὶ νῦν οὐχ ὅπ οἱ αὐτοκράτορες, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ ὑπατευκότες διφροφορούμεθα. πρότερον δὲ ἄρα ὁ, τε Αὔγουστος καὶ ὁ Τιβέριος, ἄλλοι τέ τινες ἐν σκιμποδίοις, ὁποίοις αἱ γυναῖκες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν, ἔστιν ὅτε φέρονται. Quæ verba sic reddidit vir eruditus Xilander: *Primus hic inter Romanos lectica operta vsus est, ac inde ea non Imperatores modò, sed etiam nos qui consulatum gessimus, vehimur. cùm antè Augustus & Tiberius lecticis tantùm gestarentur, quibus nostro tempore nonnumquam mulieres vehuntur.* Quid audio? lectica operta noua ætate Claudij? Primus ille inter Romanos ea vsus? Væ Dioni, si hæc scripsit. Nam mihi procliue est docere, Tectam in vsu fuisse iam inde à temporibus Iulianis. & in vsu dico frequenti. Ipse Cæsar lectica tecta per vrbem latus: ex Cicerone Philippica II. *Quis vmquam apparitor*, inquit, *tam humilis, tam abiectus? nihil ipse poterat, omnia rogabat. caput in auersam lecticam inferens, beneficia quæ venderet à collega petebat.* De Antonio & Cæsare sermo est: illum ait caput inseruisse in auersam Cæsaris lecticam. quomodo autem id conuenit, nisi in Tectam? Suetonius in Iulio, cap. LXXI. *Masintham nobilem iuuenem, & abstrahentibus statim eripuit, occultauitque apud se diu: & mox ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia statim prosequentium, fascésque lictorum lectica sua auexit.* Ea ipsa occultatio Masinthæ vix intelligi potest, nisi de Tecta. Quid muginor? Dioni repugnat ipse Dio, in verbis quæ reddam infrà. Sed deriuanda profectò omnis hæc culpa à scriptore veteri est: in solum expetit Xylandrum, qui verba eius non peruidit. δίφρον καταξέγον ille vertit, lecticam opertam. Scilicet discrimen ignorauit apud Romanos inter Sellam & Lecticam: apud Græcos inter σκιμπόδιον & δίφρον. Id verba dedit homini docto. Discat à me iuuentus. Lectica inuenti veteris fuit: Sella, nouioris. Ideò Dio, qui diligens morum veterum, cum cura adnotatum voluit tempus, quo Sella venit in vsum. & id ait fuisse imperio Claudij, ipso duce. Non dubiè ista Dionis mens. Qui Græcè locuti propriè, σκιμπόδιον semper de lectica; δίφρον de sella dixerunt; φορεῖον de vtroque. Nam σκιμπόδιον non aliud quàm grabatus: & grabati nomine ipsa lectica Catullo dicta,

Fractum qui veteris pedem grabati.

Interpres Aristophanis, τὸν κράβατον, σκίμποδα λέγουσιν ἀττικοί. οἱ δέ φασι σκιμπόδιον. Itaque quod in Agellio legimus lib. XIX. *veniisse eum ad Cornelium Frontonem, & offendisse cubantem in scimpodio Gracienfi.* non aliud quàm lecticulam capio, in qua Romano ritu etiam domi iacebant. Talem descripsit Suetonius in Augusto, cap. LXXVIII. *A cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat. ibi donec residua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat.* Addo amplius, Lecticam tectam Dionis ætate tantùm apud primarias feminas. Dio verè explicatus.

Latinus error interpretis in Dionis verbis.

Reiectio falsæ illius interpretationis.

Discrimen inter Sellã & Lecticã.

Quid propriè σκιμπόδιον.

Lectica decrepita.

Lectica tecta Dionis ætate tantũ apud primarias feminas. Dio verè explicatus.

ὁρᾶσιν, ἢν ποτέ τις αὐτῶν ἀθενῶς ἔχων ἐκεῖσε ἐσίοι, κατακείμενον αὐτὸν ἐσφέρεσθαι, καὶ τοῦτο καὶ ὁ Τιβέριος ποτε ἐποίησε, καὶ διελέχθη γέ τινα ἐκ τῆς σκιμποδίου προκύψας. En: Tiberij ævo, inquit, lectica tecta (vtitur voce σκιμποδίου) in vsu etiam viris fuit. Et quare hoc tam curiosè notat? scilicet quia aliter res erat eius sæclo; & vicem Lecticæ Sella vsitata quà feminis, quà viris. Excipio tantùm vxores Senatorum. Clarè idem Dio, paulò supra eum locum quem adduxi, de Libone Druso: νοσήσαντα δὲ ἐπὶ θανατον ἐν τε σκιμποδίῳ καταξέγῳ, ὁποίοις αἱ τῆς βελευτῶν γυναῖκες χρῶνται, ἐς τὴν ἀγορὰν ἐσεκόμισε. Hæc non tam anxiè notarem, nisi quia tunc id genus lecticæ propemodum ignotum. Tacitus de eodem Libone, contentus est dixisse, lectica eum delatum ad fores curiæ. Ad hæc firmanda adde verba illa Dionis ex loco superiore, lib. LX. Πρότερον δὲ ἄρα ὁ, τε Αὔγουστος καὶ ὁ Τιβέριος ἄλλοί τε τινες ἐν σκιμποδίοις, ὁποίοις αἱ γυναῖκες, ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν, ἔστιν ὅτε φέρονται. id est, *Augustus & Tiberius & alij quidam lecticis tantùm vsi, quibus etiam nunc feruntur feminæ.* Confer cum loco postremo, videbis clarè eum intellegere Tectas: & interpretem, qui eam pugnam in verbis suis non vidit, dimittes non sine risu. Concludam de Tectis, si addidero qui huc facit Ouidij locum lib. II. De Remedio amoris,

Ouidij versus de lectica tecta.

Fortè aderam iuueni. dominam lectica tenebat:
Horrebant sæuis omnia verba minis:
Iámque vadaturus, lectica prodeat, inquit.
Prodierat: visa coniuge mutus erat.

Hoc eò, vt intellegamus Augusti ætate id genus lecticas in promiscuo fuisse feminarum vsu: aliter quàm Dionis, quo tantùm in vsu matronis Senatorum.

De origine, progressu, forma, quod satis est dixi: adtexam de modo iacendi, & ferendi. Iacebat, qui ferebatur, in pulmo resupinus: non sedebat.

Modus recumbendi in lectica.

Ex Ouidio lib. I. De Arte,

Interea, siue illa thoro resupina feretur,
Lecticam dominæ dissimulanter adi:
Siue vagis illi pedibus spatiosa teretur
Porticus, hic socias tu quoque iunge moras.

Sic iacentem ferebant serui sublimem, lectica sibi, vt Catulli verbis vtar, in collo collocata. Expressit scitè Seneca Epist. LXXXI. *Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum suprãque turbam delicatos lectica suspendit. Omnium istorum personata felicitas est.* Ferebant autem serui, plurimùm, sex: vnde frequens mentio hexaphori. & ideò poëta,

Seneca explicatus.

Quot serui ad lecticam.

——— *cùm iam sexta ceruice feratur.*

Hexaphores.

Item alter, *Quid te Cappadocum sex onus esse iuuat?* Interdum octo: quod genus, lectica octophoros. Rarenter viris vsurpata, nisi in supinis deliciis aut morbo. Suetonius Caligula, cap. XLIII. *Iter confecit modò festinanter & rapidè: interdum adeò segniter & delicatè, vt octophoro veheretur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Martialis,

Octophoros — *Octophoro sanus portatur Auite Philippus:*
Hunc tu si sanum credis Auite, furis.

Sæpius, vt opinor, feminis, & minori probro. Appuleius II. Apologia, *Vehebatur octophoro. vidistis profectò ipsi qui adfuistis, quàm improba iuuenum circumspectatrix, quàm immodica sui ostentatrix.*

Martialis,

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.

Serui lecticarij. Qui ferebant, serui lecticarij dicti: & id propriè inter seruilia munera fuit. Seneca in Epistolis: *Non turba seruorum lecticam tuã per itinera vrbana ac peregrina portantium.* Ser. Sulpicius, *Coactus sum in eadem lectica, qua ipse delatus eram, meisq; lecticariis in vrbem eum referre.* Inscriptio vetus Romę:

TI. CLAVDIO
AVG. LIB.
TIGRANO
EX. CORPORE
LECTICARIORVM
CAESARIS.

Et alibi, CASTRA LECTICARIORVM.

Item,* DEC. LECTICARIORVM. BRITANNICORVM. Et in Pandectis ea vox sæpe. Ab hac voce Martialis Lecticariolam finxit, quæ cum lecticariis, vt honestè dicam, soleret.

* Id est, Decanus siue Decurio: vt Cubiculariorũ Decurio, Suetonio Domit. cap. XVI.

Epigramma eius est lib. XII.

Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipsa
Lecticariola est: estis, Alauda, pares.

Sanè curæ fuisse videtur hominibus soluti luxus, vt hi lecticarij formosi essent. ideò non mirum si amati feminis. Scripsisse mihi ab ea mente Seneca videtur, loco tamen corrupto, Epist. CXI. *Hoc ipse mihi dico, quotiens tale aliquid præstrinxerit oculos meos, quotiens occurrit domus splendida, cohors culta seruorum, lectica formosis imposita coloribus.* vbi scribendum, *formosis imposita calonibus.* Itaque longos eligebant & erectos. Tertullianus ad Vxorem lib. II. *Vnde ergo nisi à diabolo maritum petant, bonum exhibendæ sella & mulabus & cinerariis peregrinæ proceritatis?* Imò plerumque Germanos, quia ij tales. Idem scriptor De Virgin. veland. *Non vestium tædia, non Gallicos vultus, non Germanicos baiulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt.* Et ad vxorem: *Nec Germanicos baiulos præsume.* Clemens Alexandr. Pædag. lib. III. cap. IV. οἱ δὲ τὰ φορεῖα εἰς ὕψος αἴροντες τῶν γυναικῶν φοράδην βαστάζοντες Κελτοὶ πολλοί. id est: *Qui lecticas mulierum in altum tollant, & cum impetu baiulent Germani multi.* Etsi ex alia etiam gente crebrò. sed tamen cum dilectu ferè magnitudinis & formæ. scilicet vt magis sublimes ferrentur. Iuuenalis Epitheton ego huc traham:

Octophoros

Iuuenalis explicatus.

——— *turba cedente vehetur*
Diues, & ingenti curret super ora Liburne:
Atque obiter leget aut scribet, vel dormiet intus.

De

De lectica enim capio, & grandibus è Liburnia seruis. Benè ergo in Seneca (illuc enim redeo) Formosos calones lego. eoque melius, quod hi lecticarij vestiti ferè vt calones, & militariter pænulati. Seneca idem De Beneficiis lib. III. cap. XXVIII. *Quò tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? quò te pænulati isti, in militum quidem non vulgarem cultum suborнati? Quò, inquam, te isti efferunt?* (lego, *ferunt*) *ad hostium alicuius hostiarij, ad hortos alicuius ne ordinarium quidem habentis officium.* Elegans prorsùm in hanc rem locus. Cubile, vocat lecticam; Gerulos, lecticarios seruos. In collo enim, siue in humeris seruorum, lectica. vnde Succollandi verbum Suetonio natum, *Ab his lecticæ impositus, & quia serui diffugerant, vicissim succollantibus in castra delatus est.* Plin. in Paneg. *Ante te principes, fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu, vsum pedum amiserant. illos ergo humeri cervicésque seruorum super ora nostra; te fama, te gloria, te ciuium pietas, te libertas, super ipsos principes vehunt.* Hic non dubiè perpetuus gestandæ lecticæ mos. Viro docto & magnæ famæ vbi mens fuit, cùm in vita Ciceronis scripsit: *Ille autem militum aduentu ex strepitu & rumore cognito primum consistere seruos, & iumenta iussit, & aperta lectica,* &c. Risi malis non alienis, cùm hæc legi. Iumenta ad lecticam? apage, cucurbitam sibi quærunt illa verba. Numquam nisi homines ad lecticam: aliter quàm in essedo, aut in rheda. Si fallo, iumentum ego.

Seneca explicatus, & leuiter correctus.

Lambini supinus error.

Sella haud dubiè distincta à Lectica. Ex iurisconsulto, l. XLIX. De legat. *Legato continentur mancipia, puta lecticarij, qui solam matrem familiàs portabant: item iumenta, vel lectica, vel sella, vel burdones.*

Aliud Sella à Lectica.

Ex Martiali,

Lecticam, sellámque sequar? nec ferre recuso.

Ex Suetonio in Domitiano, cap. II. *Habitabat cum patre vnà, sellámque eius ac fratris, quotiens prodirent, lectica sequebatur.* Et tollunt omnem dubitationem illa Dionis, quæ adduxi suprà. Videri poterat confudisse Martialis, in his versibus:

Cùm tibi non essent sex millia Cæciliane,
Ingenti latè vectus es hexaphoro.
Postquam bis decies tribuit dea cæca, sinúmque
Ruperunt nummi, factus es ecce pedes.
Quid tibi pro meritis & tantis laudibus optem?
Di reddant sellam Cæciliane tibi.

Lecticarij tam de hominibus ad Sellã, quã Lecticam.

Non confudit. Nam hexaphoros non minus de Sella dicitur quàm Lectica. Ne Suetonius quidem, in Othone cap. VI. *Tunc abditus propere è muliebri sella in castra contendit, ac deficientibus lecticarius cùm descendisset,* &c. Nam quòd lecticarios subiungit sellæ: hoc eò, quia sellarij alterius significationis sunt, & obtinuit vt communi nomine Lecticarij dicerentur tam ad Sellam homines, quam ad Lecticam. Seneca De Tranquillitate vitæ lib. II. cap. XIIII. *Tanta quosdam dementia tenet, vt contumeliam sibi fieri posse putent à muliere. Quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quàm oneratas aures, quàm laxam sellam? æquè impudens animal est, & nisi scientia accessit ac multa eruditio, cupiditatum ferè incontinens.*

Vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sella laxa, & minuta.

Vbi notabis laxam sellam, potentiorum fuisse, vt & apud Martialem,

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit:

contrà; minutam, & artam, tenuiorum. quam facilè ferrent homines duo. Ita procurator insulæ Bargates apud Petronium *à duobus lecticariis in mediam rixam perfertur.* Nec alia sententia versuum Iuuenalis est, cùm inter vota sua ponit,

Iuuenalis explicatur.

——— *& duo fortes*
De grege Mœsorum, qui me ceruice locata
Securum iubeant clamoso insistere circo.

Nam sellis deferebantur in circum, siue in theatrum, & in iis etiam persedebant. Suetonius in Nerone, cap. XXVI. cuius verba mox reddam; & Calpurnius,

Inter femineas spectabat turba cathedras.

Cathedras non absurdè capiam pro sellis, suadente Iuuenali,

Quid cathedra.

——— *cum iam sexta ceruice feratur*
Hinc atque inde patens, ac nuda pænè cathedra,
Signator falsò.

Sella muliebris.

quamquam ea vox propriè de sella muliebri. Discretam sanè eam fuisse à virili, satis mihi auctor Suetonius, in Othone cap. VI. *Tunc abditus properè muliebri sella in castra contendit.* De ea & Seneca I. De Benefic. *Rusticus, inhumanus & maleuolus* (malo ex meo veteri, *& mali moris*) *est, si quis coniugem in sella prostare vetuit, & admissis inspectoribus vehi vndique perspicuam.* Vbi carpi vides in feminis sellam apertam, quia velamenta scilicet magis ad sexus illius pudorem. Idem alibi: *Non quam margaritæ suffocent: quam in patente sella circumlatam per vrbem populus ab omni parte æquè ac maritus inspexerit.* Patens ergo sella virorum magis: tecta feminarum. Reperio & gestatoriam sellam; non tamen genus aliquod proprium, vt censeo, sed cautionis fortasse gratia sic dictam ad discrimem sedentariæ sellæ. Suetonius in Nerone cap. XXVI. *Interdiu quoque gestatoria sella clam delatus in theatrum, seditionibus Pantomimorum, ex parte prosceny superiore, signifer simul ac spectator aderat.* Et Vitellio, cap. XVI. *Continuo igitur abstrusus gestatoria sella.* Vbi de eadem re Tacitus, *Vitellius in domum vxoris sellula defertur.* Vt suspicari non de nihilo quis possit, sellam illam minutam, & qua vulgus in theatrum deferebatur, Gestatoriam dictam. Interpretem nuperum, virum eximiè doctum, illa Suetonij aptare ad gestationem; demiror ego. & adducit è Claudio locum cap. XXXIIII. *Solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alueóque aptatis, ne lusus confunderetur:* nec videt ex ipsis verbis, Gestationem propriè in essedo fuisse aut rheda, subiunctis mulis aut equis: longè aliter quàm in Sella.

Sella gestatoria.

Error interpretis, ad Suetonium.

Quando Sella orta. & Suetonij qui obstabat, remotus locus.

De origine Sellæ non quærerem (liquida enim ex Dionis verbis, quæ suprà) nisi nubem rei claræ induceret Suetonius, cap. LIIII. in Augusto, *In Consulatu pedibus ferè: extra consulatum, sæpe adoperta sella per publicum incessit.* Considera. Sella adoperta incessit vulgò Augustus? quomodo potest? Suprà enim ex Dione docui, Claudium Imp. primum omnium Romanorũ Sella operta vsum. Nimium claris verbis id adfirmauit scriptor

scriptor Græcus. Quid dicam? Fumus in oculis meis hæc Suetonij verba: & ne alterutri abroganda fides sit, abrogabo potius receptam lectionem, scribamq; *, sella adaperta.* Ita dirempta pugna: quasi sella quidem vsus Augustus, sed aperta, non tecta. Tamen ne quid mentiar, non nimium id placet. potius crediderim, dum sua tempora Suetonius respicit, fugisse ab ore eius Sellæ verbum, cùm tamen intellexerit lecticam. Caussa huic opinioni, quoniam non reperio Augusti æuo Sellam, semper Lecticam. At post Claudium, plerumque Sellam, rara memoria Lecticæ. Et Sellam dico tam in feminis, quàm viris. Iuuenalis, in viris:

Correctus, si fortè Suetonius.

Post Claudium Sella frequens, vix antè.

Respicit hoc primum qui litigat, an tibi serui
Octo, decem comites, post te sit sella, togati
Ante pedes.

Martialis,

Et mea sit cultro sella cliente frequens.

In feminis: Tacitus lib. XIIII. *Agrippinam, auditis insidiis gestamine sellæ Baias peruectam.*

Iuuenalis,

Ostendens vacuam & clausam pro coniuge sellam.

Et exempla vbique obvia.

Sella, postquam recepta in vsum, dignior habita Lectica. ex Suetonij vnico, & ideò notando loco, in Domitiano, cap. II. *Ob hæc correptus, quòd magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre vnà, sellámque eius ac fratris quotiens prodirent, Lectica sequebatur.*

Sella dignior Lectica.

Superest Sellæ forma. eam credo ita compactam fuisse, vt apta esset ad sedendum: eoq; discretam à Lectica, quæ ad iacendum. Colligo ex voce; & quia non lectus in Sella, sed tantùm ceruical, ad caput scilicet reclinandum. Iuuenalis,

Forma Sellæ qualis.

Vt spectet ludos conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, Sellam, ceruical, amicas.

Vt id genus gestatorij videatur non absimile illi, quod hodie in vsu virorum principum, quotiens molliter & sine succussu ferri volunt. Tantum quod olim serui: nũc subiunguntur muli aut equi. Faciunt aliquid ad descriptionem Sellæ hæc Lampridij in Elagabalo, *Facta sunt S C. ridicula de legibus matronalibus, quæ quo vestitu incederent; quæ cui crederent* (lege, *cederent*, scilicet per viam) *quæ pilèto, quæ asino veheret, quæ sella. quæve earum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata.* Caput exasceatum est de Lecticis & Sellis. quarum vsum moneo ignotum priscis Græcis, ex Iuuenali,

Sella pellicea, ossea, &c.

Ignota Lecticæ Græcis.

——— *quamquam non essent vrbibus illis*
Prætexta & trabeæ, fasces, Lectica, tribunal.

Etiam Orientis populis Tacitus lib. II. Annalium de Vonone rege Parthorum, *Accendebat dedignantes & ipse diuersus à maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura: quotiens per vrbes incederet, Lecticæ gestamine, fastúque erga patrias epulas.* Quæ vitia omnia ad Parthos Roma transtulerat Vonones, olim ibi obses.

Et Barbarũ ad Orientem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XX.

In Suetonio selectiora aliquot loca. Qualis lex Iulij fuerit, concepta de matrimoniis. Eloquentia Cæsaris. De Iano clauso, accurata disceptatio.

SVETONIANI aliquot loci sunt obscuræ & intricatæ, partim etiam ambiguæ historiæ; & quam, vt Plato ait, ἀ πᾶσα ὖς εἴσεται. Ego quia videor iis præter priscos interpretes posse dare lucem: carceres aperiam, & emittere equos incipiam ad palmam.

In Iulio, cap. LII.

Heluius Cinna trib. pl. plerisque confessus est, habuisse se scriptam paratámque legem, quam Cæsar ferre iussisset cùm ipse abesset, vti vxores liberorum quærendorum caussa, quas & quot ducere vellent, liceret.

Ambigit de lectione V. clarissimus Torrentius. Meritò. cui enim probabile, Cæsarem eò impudentiæ venisse, vt sublato omni status & ordinis discrimine, quot & quas cuique visum esset legitimas duceret vxores? Dico legitimas. id enim valent verba illa priscæ formulæ, Liberorum quærendorum caussa. En legislatorem! dignum laqueo Zaleuci. Torrentius tamen, vt in parte minuat inuidiam legis, scribi vult, *vti vxores lib. quær. caussa, quot ducere vellent, liceret.* alia illa voce omissa. Vt numerus quidem vxorum arbitrarius fuerit: at non conditio aut status. puta ne seruas ducerent, ne peregrinas. Verius mendi hunc locum libero ego, scribóque, *vellet*, non *vellent*. Lectio leuiter, sententia immane discrepat. Ad Cæsarem enim ipsum ea lex pertinuit. & inter argumenta insanę cuiusdam libidinis ponit Suetonius, quòd legem promulgari voluerit quæ ius sibi esset legitimas vxores habendi quas & quot vellet. Turpe hoc ipsum. quis defendit? tamen tolerabilius, præ quàm illud primum. Eam Suetonij & conceptæ legis mentem fuisse, clarè docet Dio lib. XLIIII. qui inter alios honores Cæsari decretos, fuisse narrat qui ius illi darent cum quibusuis feminis se iungendi. Verba eius adscribã, fidei meæ caussa: ἀμέλει καὶ γυναῖξιν ὅσαις ἂν θελήσῃ συνεῖναι οἵ ἐτόλμησάν τινες ἐπιτρέψαι, ὅτι πολλαῖς καὶ τότε ἔτι, καίπερ πεντηκοντούτης ὤν, ἐχρᾶτο.

Lex Iuliana de vxoribus.

Ea correcta, & vera eius sententia posita.

Cap. LV.

Eloquentia militari: qua re aut æquauit præstantissimorum gloriam, aut excessit, post accusationem Dolabellæ haud dubiè principibus patronis annumeratus est.

Ain tu? eloquentia tantùm militari Cæsar? Tenuis, imò falsa laus. & Cæsarem etiam forensi eloquentia valuisse vsque eò scimus, vt ambiguam facere palmam potuerit Ciceroni. Sed & caussas olim in foro egit: testes, Cicero pro Q. Ligario, & Quinctilianus. Emendo igitur, *Eloquentia militaríque re, aut æquauit.* Bene & verè Suetonius. Duas enim virtutes celebrat: & eloquentia quidem, ait, attigit summorum gloriam; re militari excessit.

Eloquentia Cæsarú militia, & domi.

Correctus Suetonius.

Cap.

Cap. LXXXIII.

Sed nouissimo testamento tres instituit heredes sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, L. Pinarium & Q. Pedium ex quadrante. Reliquos in ima cera; C. Octauium etiam in familiam noménque adoptauit.

Qui isti reliqui in ima cera scripti? Et multa sanè verba in explicatione huius loci iam olim perdidit Alexander, Genialium dierum lib. I. cap. I. Dico, perdidit. quia lectio & distinctio vulgata non sine mendo: quod, me auctore, eluendum: *L. Pinarium & Q. Pedium ex Quadrante reliquo. In ima cera C. Octauium etiam*, &c. Nec opus habeo lectioni per se claræ facere lucem.

Verba Testamenti Augusti correcta.

In Octauiano, cap. XXII.

Ianum Quirinum semel atq; iterũ à condita vrbe ante memoriam suã clausum, in multo breuiori temporis spatio, terra mariq; pace parta, ter clausit.

Cerebrum multis excussit hic locus, quia pugnare iis visus in historia cum Liuio & Plutarcho. ex quibus quasi rem confessam sumunt, Ianum Geminum non ter ab Augusto, sed semel clausum, idque post Actiacum bellum. Igitur ne manifestò Suetonius huius rei mendax: visum pridem Glareano scribere, *tertiò clausit.* hac sententia, vt qui bis ante Augusti æuum clausus Ianus, eum tertiò clauserit ipse. Placitum idem doctissimo & optimo Belgarum Langio; & hoc amplius, tolli è Suetonio illud totum, *in multo breuiori temporis spatio*, quasi glossema. Videbat enim sacrilè vir acutus subuerti lectionem Glareani, stantibus iis verbis. Sed parcite boni manes, non ego vos sollicito: tamen hîc largiter errastis. Auulgata lectione stant omnes libri: à sententia Orosius, lib. VI. qui distinctè & per partes notat rem Ianum clausum ab Augusto. Primò post Actiacam pugnam: iterum, victis Cantabris: tertiò gentibus omnibus terra mariq; pace compositis. Etiam Dio, qui clarè lib. LIII. de Cantabris scripsit, Αὔγουστος ταῦτά τε ἐν τοῖς πολέμοις ἔπραξε, καὶ τὸ τοῦ Ἰανοῦ τεμένισμα ἀνοιχθὲν δι' αὐτοὺς ἔκλεισεν. Vide eumdem & lib. LIIII. Tempora quibus clausus, hæc. Primò, in cõsulatu Augusti quinto, post Actiacam pugnam. clarum. Iterùm consulatu decimo, anno Vrbis DCCXXX. ex Dione. Tertiò, consulatu vndecimo, ex lapide qui Emeritæ in Hispania: IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBVNIC. POT. X. IMP. VIIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. IANI. CLVSO. Quid nunc dicitis? pugnare cum hac historia Liuium & Plutarchum? Videamus. Liuij verba sunt è libro I. *Bis deinde post Numæ tempora Ianus clausus fuit; semel T. Manlio Cos. post Punicum primum perfectum bellum; iterum, quod nostræ ætati dij dederunt vt videremus, post bellum Actiacum, ab Imp. Cæsare Augusto, pace terra mariq; parta.* Ex iis colligimus, inquiunt, semel dumtaxat Ianum clusisse Augustum. Non hercle ego. & audite me. Tempus inspiciundum vobis fuit, quo scripsit ista Liuius. Viui nempe amicitia Augusti floruit scriptor Patauinus: historiam suam illo viuente exorsus, imò res adhuc gerente. Quo tempore ergo ista narrabat, semel Ianum clauserat Augustus. Cantabri, inquã, nondum victi erant, cùm ad gratiam amici magni, operi æterno insevit illa Liuius. Quomodo ergo tunc de triplici clausione scribere potuit,

De Iano clauso nodus intricatus.

Glareani & Langij super ea re sententia.

Ij refutati.

Verus intellectus verborũ Liuij.

nisi si superstitiosus, aut diuinus? Hæc mera veritas: & eadem scripturum in re tam clara Liuium fuisse, quæ Suetonius, Orosius, Dio (si tamen libros eò perduxisset) tam liquet mihi quàm me viuere. At Plutarchus dissentit etiam, qui sic scribit in Numa, de Iani templo: νομίζεται ἀνεῳχθαι μὲν αὐτὸν, ὅταν ᾖ πόλεμος, κεκλεῖσθαι δ' εἰρήνης γενομένης. ὁδὶ ἡ χαλεπὸν ἦν καὶ ἀπανίσιον γινόμενον ἀεί τινι συνηρτημένης πολέμῳ τῆς ἡγεμονίας διὰ μέγεθος τοῖς κύκλῳ περικεχυμένοις γένεσι βαρβάροις ἀντερείδουσης. πολὺν ὕστερον τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος ἐκλείσθη, κατέλυσε τὸν Αντώνιον. καὶ πρότερον ὑπατευόντων Μάρκου Ἀτιλίου, καὶ Τίτου Μαλλίου, χρόνον ἐπολύν, εἶτα εὐθὺς ἀνεῳχθη πολέμου συῤῥαγέντος. En: Rarò, inquit, clauditur Ianus propter barbaricos motus, qui perpetui: nisi quòd Augustus clausit, victo Antonio, & M. Atilius & T. Manlius Consules, olim. Respondeo: Plutarcho non id propositum, vt enumeret quotiens Ianus clausus. Si fuit, non libero eum prorsus culpæ: quia per ætatem suam & historiam, scire potuit sæpius ab Augusto, quàm victo Antonio clausum. Sed scriptor Græcus haud dubiè oculos adiecit ad Liuij locum; & illum, vt solet, satis habuit exprimere. Concludam, & addam firmandæ Suetonij historiæ Fragmentum Taciti, apud Orosium his verbis: *Deinde, vt verbis Corn. Taciti vtar, sene Augusto patefactus Ianus, dum apud extumos terrarum terminos nouæ gentes sæpe ex vsu & aliquando cum damno quæruntur, vsque ad Vespasiani duranit imperium.* Ait, sene Augusto. Ergo post Actiacam pugnam necessariò iterum apertus, iterum clausus Ianus. Nam illa pugna, iuuenis sanè Cæsar. Sed & ait mansisse ad Vespasiani imperium, quia clausuram illam Neronis (de qua Sueton. & Numi) subterhabuit vt vanam). Sicut & Orosius lib. VII. qui à Vespasiano Ianum clusum sextùm disertè tradit. Sextum inquam, ad rationem meam & Tranquilli.

Verba Plutarchi latè interpretanda, ni sint, latè erravit ipse.

CAP. XXI.

Agelliani complures loci. Cautus, quid. Macrobius correctus. Leges Flaminicæ emendatæ. Item Cato. Priscæ locutiones repositæ. Glossemata aliquot sublata.

CALVMNIANTVR multi hoc Criticum studium, vt inutile: multi abiiciunt, vt leue. Et reuera, si ventosa aliquot ingenia species nostri æui; non peccant. abutuntur enim multi per vanitatem & imperitiam. Sin veros illos & legitimos censores; adseuerandum est non priscam illam Censuram magis fuisse iuuandis moribus, quam hanc nostram litteris. Paucis hoc videbitur. quid refert? mihi cum Lucilio fiducia est vt dicam,

Me paucis malle abs sapientibus esse probatum
H^a πᾶσιν νεμέσσα καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

vt transiens emendem eos versus. Operam hoc capite Agellio omnem dabo: cuius pleroque locos vera inuram nota.

Correxit Lucilius, apud Nonium, Pauci. vbi male, Nõ paucis malè, sed f. e. p. n.

Lib. X. cap. XV.

Cærimoniæ impositæ Flaminj Diali multæ, item casus multiplices, quos in libris

libris qui De Sacerdotibus publicis compositi sunt, scriptos legimus.

Falsa haud dubiè vox, *casus*. Legebam olim, *castus*. resipui, postquam inspexi libros priscos, qui habent, *cautus*. Amplector propriæ significationis vocem: & eo nomine accipio, quidquid in sacris cauendum, & religionis gratia vitandum aut omittendum sit. Vsum ea bis reperio Macrobium, seu quem alium scriptorem ex quo Macrobius hausit lib. I. Saturn. cap. XV. *Cæsar*, inquit, *sacra stata custodiens, nec in illis mensibus, quibus binos adiecit dies, ordinem voluit mutare Nonarum. quia peractis totius mensis feriis, dies suos rei diuinæ cautus inserait.* Vbi equidem emendo, *die suo rei diuinæ cautus*, & accommodo ad hanc sententiam. Et in verbis quæ statim, *Ideò autem minor Pontifex numerum dierum qui ad Nonas supereſſent, calando prodebat: quod post nouam Lunam oportebat Nonarum die populares qui in agris essent confluere in vrbem, accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, sciturosq; quid eo mense esset faciendum*, pariter lego, *accepturos cautus sacrorum*: & ita in Macrobio scriptum disertè primæ editionis.

Cautus, in sacris quid.

Macrobius bis correctus.

Eodem Agellij capite,

Ignem è Flaminia, id est, Flaminis Dialis domo, nisi sacrum efferri ius non est.

Scribe voce inserta *nisi in sacrum*, postulante sententia, quam sic expressit Festus: *Ignem ex domo Flaminia nisi diuinæ rei gratia efferri ius non est.*

Vox reposita, quæ excideraț.

Ibidem.

Nodum neque in apice, neque in cinctu, neque in alia parte vllum habet.

Flamen non habet nodum in apice? Miror. Atqui Festus ex Titio ait, *Offendices nodos esse quibus apex retineatur & remittatur.* Vide eundem in verbo, Apex: & nummos priscos, in quibus Albogaleri forma cum Apice. Sequor igitur libros priscos, qui habent, *Nodum in apice, neque.* hac sententia, vt nusquam nodo vinctus Dialis, præter in Apice esset.

Vox reiecta, quæ supererat.

Ibidem:

Propagines è vitibus altius prætentis non succidet.

Moneo in prisca lege obseruandam priscam scripturã, *Succidet*, pro Succeder. Non enim vetatur succidere propagines vitium Flamen, sed subire. Ad eam interpretationem cogunt nos verba Plutarchi in Caussis: Διὰ τινὰ δὲ αἰτίαν οὐδὲ κιττοῦ θίγειν ἐφίετο τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς, οὐδὲ ὀδὸν διελθεῖν ἀναδενδράδος ἄνωθεν διατεταμένης & adde quæ sequuntur. Scriptura illa prisca manet etiam hodie locis aliquot in Plauto. Vt Truculento, ——— *mane iam. ego te hîc offatim conficiam.* C. E. *occidi optumum est.* Occidi ea significatione scriptum, quam notat Festus, *Occidamus*, ait, *Plautus posuit pro contrà cedamus.*

Scriptura vetus, Succido. Nouus intellectus priscæ legis.

Plauto aliqua luxata.

Ibidem,

Eadem fermè cærimoniæ sunt, quas Flaminicas sacerdotissas Dialis seorsum aiunt obseruitare.

Dele inculcatam vocem, reposita etiam phrasi antiqua, *quas Flaminicas, Diali seorsum.* Flaminica, Flaminis vxor. Seorsùm autem Diali, eleganter: id est, separatim & propriis quasdam cærimonias seruat sibi.

Glossemæ recisum.

Eodem libro, cap. XVIII.

Mausolus autem fuit, vt M. Tullius ait, rex terræ Cariæ; vt quidam Græcarum

Universidad de Deusto Biblioteca

earum historiarum scriptores dicunt, prouinciæ Græcæ præfectus, quem σατράπην Græci vocant.

In Mausolo error librariorum. Mausolum prouinciæ Græciæ præfectum, in nulla historia, quod sciamus, scriptum est. Et quomodo potuit? aut quando * Græcia in Prouinciam redacta à rege magno? profectò fraudem aliquam hîc frausi librarij. & aut deleta ea voce scribendum, *prouinciæ præfectus*; aut mutata, *prouinciæ à rege præfectus*. Alterum horum vetissimum est. In eo scilicet dissensio scriptorum, rexne terræ Cariæ fuerit, an præfectus. Præfectum tantùm fuisse sensit Suidas qui scribit, Μαύσωλος ἄρχων Κάρων. Contrà cum Tullio Pausanias regem. quem adi, si lubet, libro VIII.

Nisi tamen ita appellata Græcissans ea pars Asiæ.

Eodem lib. cap. XXIII.

Sed M. Cato non solùm existimatas, sed etiam multatas à iudice mulieres refert, non minus si vinũ bibissent, quàm si probrum & adulteriũ admisissent.

Vetus scriptura in Catonis verbis, eaq; proba. Non parum concinnior lectio vetus, *non minus si vinum in se, quàm si probrum & adulterium admisissent.* Admittere in se vinum, admittere adulterium, lepida vocis alternatio est.

Libro XI. cap. IX.

Critolaus scripsit, legatos Mileto publicæ rei causſa venisse Athenas, fortasse an dixerit auxilij petendi gratia.

Fortassean. prisca vox. eius ignoratione cõmissum. Interpositum verbum ab iis quibus ignara vox Fortassean. tu scribes, *fortassean auxilij p. gratia.*

Libro XIII. cap VIII.

Quæ libri aut magistri per quasdam inanitates verborum & imaginum, tamquam in somnio delectauerint.

Delectare, antiqui scribebant. Scribendum, *dictauerint.* Error ex scriptura prisca, *deictauerint.*

Libro XVIII. cap. V.

Et vt non turbidæ fidei nec ambiguæ, sed vt purè liquentiusq; esset, equúsne an eques Ennius scriptum reliquisset.

Liquens & pura fides, id est, clara, certa. Corrigo, *vt puræ liquentisq;*. liquentem & puram fidem opponit Turbidæ; prorsus proprie.

Lib. XIX. cap. III.

Quoniam, inquit, qui maledicit & vituperat, quanto id acerbius facit, tam maxima mole pro iniquo & inimico ducitur: & plerunque propterea fidem non capit.

Turpe glossema ad phrasim veterem. Dij deæq; istos imperitos, quibus nihil priscum est sanctum. Scripserat Agellius, *tam maximè pro iniquo & inimico ducitur*, phrasi veteri & obuia in Plauto. Interpolarunt nebulones: vtinam ego illorum os!

Lib. XIX. cap. X.

Ex quibus cùm elegisset vnam formam speciemq; veris, interrogauit quantus esset pecuniæ conspectus ad id totum opus.

Species operis. Alij, *speciemq;*, *verbis interrogauit.* Ego, *speciémque operis.* Ita appellat quam Græci ἐχνογραφίαν.

Lib. XX. cap. I.

Sed quæso te, cùm tamen digrediare paulisper è curriculis istis, &c.

Quæso tecum, prisca dictio. Pendula tota sententia est, & censebis quidpiam deesse. Non deest. tantum repone antiquum genus sermonis, *quæso tecum tamen.* Ita dicebant, pro

pro quæso te. Plautus, Asinaria: —— *hanc iube orare mecum.* Ennius, —— *tecum precibus pater orat.*

Lib. VII. cap. XVIII.

Annibal ex captiuis nostris electos decem Romam misit, pactusq; est vt, si pop. Rom. videretur, permutatio fieret captiuorum: & pro iis quas alteri plures acciperent, darent argenti pondo libram scilicet & selibram.

Glossema iterum. Censeo à glossographo esse tria postrema verba; & Agellium scripsisse, *darent argenti pondo libram.* Ita solitum antiquis, cautionis quasi gratia geminatis iis vocibus dicere, Pondo libra, aut libræ. Dicam, fors fuit, accuratè ea de re in Liuio. Id corrumpendo fuit huic loco.

Lib. V. cap. XIX.

Alioqui si iuris ista antiquitas seruetur, etiam seruus à domino per prætorem dari in adoptionem potest.

Massurij verbaturis, non recta. In verbis Massurij legant, me auctore, Iurisconsulti, *si iuris tantùm æquitas seruetur.* quæ voces confusæ & in aliam sententiam falsamq; aptæ.

Lib. III. cap. XV.

Philippides quoque comœdiarum poëta haud ignobilis, ætate iam edita, cùm in certamine poëtarum præter spem vicisset.

Ætas exita Vult dicere Philippidem ætate senecta fuisse. Ea vis an vocis Editæ sit, ignoro. potius scripserim, *ætate iam exita.* Similis illa apud Suetonium locutio in Claudio, *ætate progressa.*

Eodem lib. cap. VIII.

Cùm Pyrrhus rex in Italia esset, & vnam atq; alteram pugnam prosperè pugnasset, satisq; angerentur Romani, & pleraque Italia ad regem desciuisset.

Satis agere, quid proprie. Vetus lectio, *satisq; agerentur.* Scribo, *satisq; agerent Romani.* Propria quædam & venusta eius verbi notio, in magna aliqua & laboriosa cura. Sic idem scriptor, lib. XIX. cap. I. *Tum postea complorantibus nostris omnibus, atque in sentina satis agentibus.* quem locum pariter libido quibusdam fuit deprauandi. Bene Glossæ, *satagit*, ἀγωνιᾷ.

Lib. II. cap. XXIII.

Quòd ancillam suam non inscito puellam ministerio, & facie non illiberali, coactus erat venumdare.

Illatabilis, vetus vox. Coniectura leuior in Plauto. Restituo ex libris, *facie non illatabili.* Fortassis & in Plauti versu, Menæchmis: *Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore illutibili:* scribendum, *odore illatabili.*

CAP. XXII.

Serui publici apud Romanos. Eorum nomina, A regionibus, & A personis. Brutiani, Cyprij, Clodiani, Corneliani, Gelliani.

Serui publici, facti à Scipione. ROMANIS mos fuit, vt ex gente captiua plerumque seruos quosdam respublica sibi seligeret atq; seponeret, ad varios vsus. Vt apud Liuium libro XXVI. Scipio victa Carthagine noua, *Opifices ad duo millia hominum publicos fore populi Romani edixit. cum spe propinqua libertatis, si ad ministeria belli enixè operam nauassent.* Et apud Polybium eadem de re:

τοῖς

Universidad de Deusto
Biblioteca

τοῖς δὲ χειροτέχναις κατὰ τὸ παρὸν εἶπε, διότι δημόσιοι τῆς Ρώμης εἰσιν. Mos vetus etiam in Græcia. Ideò in palliata Plauti scriptum, cui index Capteiuei.

Seruitus publica.

Sed is priuatam illic seruitutem seruit, an publicam?
AEG. *Priuatam medici Menarchi.*

Eiusmodi seruos, vt distingui possent, à duplici ferè causa appellabant, A prouinciis, aut A personis. A prouinciis, vnde adducti: vt Brutiani, vt Cyprij. De Brutianis vide Agellium lib. x. cap. III. & Festum. parcam enim verba adscribere in re iam nota. De Cypriis obseruo fortasse primus, ex Dione lib. XXXIX: Κλώδιος, inquit, ἐπεχείρησε μὲν τοὺς οἰκέτας τοὺς ἐκ Κύπρου ἀχθέντας, Κλώδιος, ὅπ αὐτὸς τὸν Κάτωνα ἐκεῖσε ἐπεπόμφει, ὀνομάσαι. ἐκ δὲ τούτου ἐλευθερωθέντος αὐτοὺς. οἱ μὲν Κύπριοι ἐπεκλήθησαν καὶ τοιούτων Πορκίους σφᾶς αὐτοὺς ἐπονομάζειν ἐτελησάντων. Idem de Picentibus & Lucanis tradit etiam Strabo libro V. in extremo: γυμνοὶ δὲ καὶ μισθὸν ζῶσιν ἀπωθέντες ὑπὸ Ρωμαίων διὰ τὸ φρονεῖν Ἀννίβαν κοινωνίαν. ἀντὶ δὲ σφαγῆς ἡμερόδρομον καὶ γραμματοφορεῖν ἀπεδείχθησαν, ἐν τῷ τότε δημοσίῳ, καθάπερ καὶ Λευκανοὶ καὶ Βρέττιοι κατὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας. A personis nominabantur, qui vicerant quive adduxerant. Et in ea appellatione quærebatur quasi honos. Ideò Clodius, in loco Dionis quem adduxi, ambitiosè contendit illos è Cypro seruos, à se Clodianos dici; quoniam ipse Catonem illuc misisset. Contrà Cato Cyprios dici maluit, spretis consilijs eorum qui ab eo dici volebant Porcianos. Sic & Cornelius Sulla Dictator seruos proscriptorum ad decem millia publicauit, & à se dixit Cornelianos. Elegans Appiani locus lib. I. ἔμφυλ. τοῖς δὲ δήμῳ τοὺς δούλους τῶν ἀνῃρημένων τοὺς πεντακοσίους τε καὶ χιλίους μυρίων πλείους ἐλευθερώσας ἐγκατέλεξε καὶ πολίτας ἀπέφηνε Ρωμαίων, καὶ Κορνηλίους ἐφ' ἑαυτοῦ προσεῖπεν. Ex quibus verbis hoc amplius apparet, eos seruos plerumque manumitti solere, & asseri in libertatem: sic tamen, vt nihilo secius officia quædam reipub. deberent, quasi liberti. Hæc de agnominatione seruorum quæ prædixi, non absurdè lucem dabunt verbis Atteij Capitonis apud Agellium lib. XIII. cap. XII. *Cùm à muliere quadam Tribuni plebis aduersus eum aditi, Gellianum ad eum misissent, vt veniret & mulieri responderet.* Nam Gellianum, vocat Tribunicium viatorem: quia tunc genus aliquot, credo, seruorum publicorum Gelliani, incertum à quo Gellio dicti. Eiusmodi seruis annua quædam resp. præstabat, ad victum & vestem. Plinius lib. X. Epistol. *In plerisque ciuitatibus, maximè Nicomediæ & Niceæ, quidam vel in opus damnati vel in ludum, similiaq; his genera pœnarum, publicorum seruorum officio ministerioque funguntur, atque etiam vt publici serui annua accipiunt.* Tantum mihi fuit dicere super hoc non planè protrito more. plura sententiæ non absimilis reperies apud C. V. Petrum Fabrum: cuius Semestria non compilo. virum (nihil ignoti hominis gratiæ dabo) rari, constantis, & admirabilis cuiusdam, ingenij, iudicij, modestiæ. Di faciant, vt ad id exemplum multi hodie scribant.

Duplex agnominatio talium seruorum.
A prouinciis.
Brutiani.
Cyprij serui.
Picentes & Lucani.
A personis.
Clodiani serui.
Porciani.
Cornelianí
Atteius Capito explicatus.
Quid Gellianus, & cur ita dictus.
Annua horũ seruorũ.
P. Fabri vera laus.

CAP.

CAP. XXIII.

De lictoribus eorumque origine, conditione, ministerio, & ritu Conlectanea accurata. Nonius in etymo eorum correctus, item Agellius. Lictores è libertis aut libertinis. ciues fuerunt, & ideò togati. Liuius correctus. Summotio propriè quid, & quomodo ea vsi. Plinius explicatus, Cicero emendatus. Animaduersio quid. Assurgendum magistratui erat, caput aperiendum, equo descendendum, & curru. Ferrum ponendum. Tacitus explicatus. Præitio, qualis. è Liuio glossema ablatum. Quis Primus lictor, quis Proximus. Turnebi in eo error. Fasces lictorum. Mos eos ferendi, submittendi. Virgæ lictorum. Percussio solemnis ianuæ. Bacilli. Seneca correctus. Bacilli prælati municipalibus magistratibus. Quot lictores cuique fuerint.

SCITVM illud Ennij, quod non iniuria amo,

Moribus antiquis res stat Romana, virisque.

verum comperior etiam in litteris. quæ nec haberi hodie, nec tractari commodè possunt, absque notitia sit prisci moris. qua nisi tinctus mihi lector est & imbutus: non purè & liquidè, sed quasi per nebulam intellegere eum optimos scriptores necesse est. Ea gratia visum mihi hoc loco Lictorum omnes ritus, quos sparsim memini legere, digestos proponere: & addere à me quidquid aut ad illorum lucem faciet, aut scriptorum. Gratiam si non ineo à doctis; certè à iuuentute. cui consultum ibo hoc genere scribendi, & simul dolori meo. quem ex patriæ non periculo, sed funere, iure capimus acerbum.

Dolet pudétque Graium me natum & piget: ait ille.

Origo lictorum à Romulo: exemplum, ab Etruscis: nomen à ligando. Nonius Marcellus, *Lictoris proprietatem à ligando dictam vetustas putat. ita enim antiquitùs carnificis officium fungebatur.* scribe alia sententia. *isti enim a. c. o. fungebantur.* Nam hoc monitum vult, antiquitùs carnifices Romæ non fuisse, & eorum vicem præstitisse lictores quod verum testimonio prisci carminis, *I lictor, colliga manus.* Cum Nonio sentit Valgius Rufus & pleraque Grammaticorum pars tamen miremur, quo flexu à ligando lictor. esset enim potius ligator. Sed moneo (vt in re grammatica paullo tenuius disseram) Ligo, ligere, & ligui lictum, fuisse antiquis: vt Frico, fricui, frictum: Plico, plicui, plictum. vnde hodieq; Perfricui, & Explicui, & similia plura. Inde igitur certissimè & ἀναλόγως Lictor. Non vidit hoc fortasse (venia dicto sit) Tyro Tullius: & ideò per ambages inclinat à Licio vel à Limo. *Licio enim transuerso* (ait ipse apud Agellium lib. XII.) *quod limum appellatur, qui magistratibus præministrant, cincti erant.* Tyronis verbis & huic cinctui prælucet Isidorus: *Limus*, ait, *est cinctus quem publici habent serui: ita dictus, quia transuersas habet purpuras, id est, limas.*

Prima lictorum origo, & etymon.
Nonius correctus.
Quomodo à ligando lictor. subtiliter dictum.
Limus cinctus publicis seruis.

limas. ita ibi lege. Iterum, *Transuersa omnia antiqui lima dicebant. Hinc & Limus vocabulum accepit, cingulum quo serui publici cingebantur obliqua purpura.* Sed & scriptores Gromatici siue Finales, Limitem in agris deducunt consensu à Limo, siue transuerso. Ab hoc licio in veteri formula sunt, *Furta per lancem & licium.*

Limes vnde dictus.

Lictorum qua conditione Liberos eos fuisse, non seruos.

Lictores qua conditione fuerint, quæri potest: liberi, an serui? Dico, Liberi. eligebantur enim plerumque ex ima Quiritium plebe. Liuius lib. II. *Quatuor & viginti lictores apparere Consulibus, & eosipsos plebis homines: nihil contemptius, neque infirmius, si sint qui contemnant.* Valerius Maximus lib. IX. cap. I. *Gemellus Tribunicius viator, ingenui sanguinis, sed officij intra seruilem habitum deformis.* Taciti, & suprà paullo, tempore, etiam è libertinis aut libertis. Ea sententia verborum eius libro XIII. Annalium: *Quippe latè fusum id corpus.* (libertos intellegit) *hinc plerasque tribus, decurias, ministeria magistratibus & sacerdotibus, cohortes etiam in vrbe conscriptas.* Ministeria magistratibus; id est, Lictores, Viatores, Accensi, Scribæ, Statores, Præcones. Sed & Tiberius Gracchus Tribunus, viatorem sibi legit è propriis libertis; nouo tunc more, & non optimi exempli. Eleganter Plutarchus: ὁ μὲν Τιβέριος τῶν ἀπελευθέρων τινὰ προσέταξεν ἀπὸ τοῦ βήματος ἑλκύσαι τὸν Ὀκταβιον. ἐχρῆτο δὲ ὑπηρέταις ἀπελευθέροις ἰδίοις. Bene Plutarchus. Nam aliàs receptum non è propriis libertis sumi, sed è seruis publicis, aut è plebe. Sed & togæ ius lictoribus fuit. ergo liberi, imò etiam ciues. Cicero in Pisonem, *Togulæ ad portam lictoribus præsto fuerunt: quibus illi acceptis, sagula reiecerunt.* Liuij tamen locus est, qui videtur adimere iis togas, libro III. *Quod autem istud imperium est. Decemuiri, quod tenetis? tectis at parietibus iura dicturi estis? Non pudet lictorum vestrorum maiorem propè numerum in foro consistici, quàm togatorum, aliorumque?* Falsò. scribendum enim ibi, auctoribus libris, *quàm togatorum aliorũ.* Ita ille ipse locus qui adimebat, iam addit. Paullatim tamen, vt Gracchus è suis libertis; sic alij sumebant è propriis seruis. Ni id fuisset; non posita hæc ab Antonio, Lepido, Octauiano III. viris lex esset: μήτε δ' ἐλεύθερον μονομαχεῖν, μήτε δ' ἄλλον ῥαβδοῦχεῖν. Notat Dio lib. LVI.

Liuius in ære correctus.

Lex Triumuiralis de lictoribus.

Officia & munia lictorum.

Munera lictorum præcipua, tria: Submotio, Animaduersio, Præitio. Submotio, & Submouere, proprium lictoribus verbum. Ideò Summotor aditus, pro ipso lictore positus Liuio, lib. XLV. *Assuetis regio imperio, nouum, formam terribilem, præbuit tribunal. summotor aditus, præco, accensus, insueta omnia oculis auribusque.* Fiebat cum strepitu & imperio quodam: cùm voce, manu, virga, locum facerent sequenti magistratui. Expressit scitè Liuius, lib. VIII. vbi subitus in Curiam venit Papirius. *Repentè*, inquit, *strepitus ante curiam lictorum submouentium auditur: & ipse infensus aderat.* Non sola, inquam, voce. Disco ex Seneca, epistola XCV. *Non est quòd tibi tranquillitatis tuæ fastidium faciat, ille vel ille sub illis fascibus purpura cultus. non est quòd feliciorem eum iudices, cui submouetur, quàm quem lictor semita deiicit.* vbi vetus, *quàm te quem l. s. d.* Ex Festo: *Matronæ à magistratibus non mouebantur, ne pulsari contrectarive viderentur, néve grauidæ concuterentur.* Pulsari, ait, & contrectari. sicut Appianus in eadem re, verberare. lib. I. Bell. ciuilium.: τῶν δὲ ῥαβδοφόρων τινὸς ὁδοποιοῦντος τῷ Κίννᾳ,

Lictores togati, ideò ciues.

Seneca correctus.

Κίννα, καί τινα τῶν ἐν ἅμαξαις παταξάντος, ἕτερος ἐκ τοῦ ῥάτεως τὸν ῥαβδοῦχον ἐπάταξε. Latinus Pacatus in Panegyrico: *Tum longè populus arcebatur: nec otiosa viatoris manus plebem verbere submouebat.* Imò adeò virgam ad hunc pulsandi vsum gestasse lictores videntur: de qua dicam statim. Inuidiosa igitur & superba hæc submotio censebatur: & illi, qui in magistratu asperè ea vsi. Plinius in Panegyrico Traianum laudat, quòd lictores habuerit quietos & silentes. *Neque enim*, ait, *stipatus satellitum manu, sed circumfusus vndique nunc Senatu, nunc equestris ordinis flore, silentes quietósque lictores tuos subsequebare.* Bene & signanter, vt solet, Plinius. Quietos, ad pulsationem referens: silentes, ad vocem. Etiam Ouidius in Tristium lib. V.

Submouēdi munus non sine inuidia.

Plinius explicatus.

Ceditur & cæcis: & quos prætexta verendos
Virgaq; cum verbis imperiosa facit.

Magistratus enim circumscribit, quibus viam faciunt, inquit, Virga & Verba. Sic Cicero, in illa quæ de cælo delapsa, epistola, ad Q. Fratrem, Octauium laudat: *apud quem*, inquit, *primus lictor quicuit, tacuit accensus.* Et mox eumdem fratrem suum, qui iracundior natura & imperiosior, monet seriò vt moderatè vtatur hac submotione. *Sit lictor*, ait, *non suæ sed tuæ lenitatis apparitor: maioráque fasces illis præferant dignitatis insignia, quàm potestatis.* Vbi ausim equidem scribere, *Sit lictor *manfues, & tuæ lenitatis apparitor.* Vah, impudens? inquiet aliquis. Non sum. considera ductum litterarum: non nimium aberro. sententia certè egregia ex hac lectione efficitur; quæ ex vulgata, si quid ego sentio & sapio, nulla. Obseruabant autem diligentissimè lictores, vt submouerent personas infames, puta lenones, meretrices, id genus. credo, ne occursu, vt propriè dicam, obsceno maiestas populi principis contaminaretur. Seneca Pater in Controuersia II. lib. IX. inter excerpta Blandi ponit, *Maiestatem læsam dixissem, si tibi exeunti lictor è conspectu non summouisset meretricem.*

Itē Cicero.

**Melius, è libro Fulsiuius, lictor non sæuitiæ, sed. quæ post hæc didici.*

Meretrices solitæ submoueri.

Sequitur Animaduersio. idipsum proprium in re lictoria verbum. Suetonius in Iulio, cap. LXXX. *Q. Maximo suffecto trimestri, Consule theatrum introeunte, cùm lictor animaduerti ex more iussisset.* Liuius lib. XXIIII. *Vt Consul animaduertere proximum lictorem iussit, & is vt descenderet ex equo inclamauit.* ex quo loco clarũ, Animaduersionem verbis fieri solitam & clamore. Plinius in Panegyrico, *Vtriusque adhuc oculis paullo antè dimissi fasces oberrabant: vtriusque solemnis ille lictorum & prænuncius clamor auribus insederat; cùm rursus curulis, rursusq; purpura,* &c. Comprehendebant hoc verbo, opinor, quidquid honoris venienti magistratui exhiberi solemne esset. vt Assurgere: Caput aperire: Equo aut curru descendere: Ferrum ponere, & si quid tale. Tangit quædam ex istis coniunctim Seneca, Epistola LXV. *Si Consulem*, inquit, *videro aut Prætorem, omnia quibus honor haberi solet faciam: equo desiliam, caput aperiam, semita cedam.* ego, lucis caussa, dicam de singulis seperatim. Quòd Assurgerent; Suetonius docet in Iulio, cap. LXXVIII. *Triumphanti & subsellia Tribunicia præteruehenti sibi, vnum è collegio Pontium Aquilam non assurrexisse adeò indignatus est; vt proclamauerit, Repete ergo à me remp. Tribunus.* Moris enim vt non solùm priuati assurgerent, sed etiam minor magistratus maiori. Sic in

Animaduersio, quid.

Assurgendum erat magistratui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dione lego lib. xxxvi. ab Acilio Consule Sellam Luculli Prætoris confringi iussam: quoniam prætereunti sibi non adsurrexerat. At ille facetè alteram loris intentam reposuit: exprobrans consuli suspectam libertatem. Quòd Caput aperirent; præter Senecam, Plutarchus testis in Pompeio, cui venienti ait Sullam solitum assurgere, & aperire caput. videlicet quasi Imperatori. Et ad hanc historiam pertinuit Sallustij fragmentum illud, *Quibus de caussis Sullam in victoria Dictatorem, equo descendere sibi vni, assurgere de sella, caput aperire solitũ.* Loquitur enim ipse Pompeius. Quæri potest, quomodo caput aperuerint, si vulgò Romani erant capite intecto? Nam pilleum sanè aut petasum ritu nostro non ferebant. Ea de re scribam plenè alio loco aut potius iam scripsi. Nam Saturnalibus meis exactus decimus mensis: nec aliud lucem eorum moratur, quàm tenebræ & nimbus huius belli. Quòd Equo descenderent; clarum ex Liuij, Valerij, Plutarchi historia de Q. Fabio. Etiam ex Dione; apud quem lib. xxxvi. Pompeius descendere sibi equo Tigranem regem iussit per lictorem. Quod miremur; auctor idem Dio, Seruilio Isaurico cùm fortè obuius quidam equo non descendisset; re delata ad iudices, caussam satis idoneam visam hominis eius damnandi. Ea pertinacia erat prisci moris. Appuleius graphicè prorsus expressit hunc ritũ habendi honoris, lib. iii. Floridorum: *Si quem conspicantur ex principalibus viris, bene consultum, bene cognitum, quamquam opidò festinant; tamen honoris eius gratia cohibent cursum, releuant* (corrupta ea vox est, & aliàs scribitur, *reuelant*: mihi non est ad manum medicina) *gradum, retardant equum, & ilicò in pedes desiliunt: fruticem quem verberando equo gestant, eam virgam in læuam manum transferunt: itaque expedita manu adeunt ac salutant.* Simile fuit in curru. Festus, *Viri sedentes cum vxoribus in vehiculo descendere non cogebantur.* Quòd ferrum siue Gladium ponerent, nescio an vulgò notum sit; sed eruò ex Plutarcho, de Pompeij congressu & Tigranis: ὡς δὲ ἦλθεν, inquit, ἱππότης ἐπὶ τὸν χάρακα, ῥαβδοῦχοι δύο τοῦ Πομπηίου προσελθόντες ἐκέλευσαν ἀποβῆναι τοῦ ἵππου καὶ πεζὸν ἐλθεῖν. καὶ ταῦτα μὲν ἦν Τιγράνης ἐπεί θετο, καὶ τὸ ξίφος αὐτοῖς ἀποδυσάμενος παρέδιδου. Item ex Xiphilino in Nerone. ad quem veniens Teridates rex, & iussus acinacem ponere, noluit: ἀλλ', inquit, ἥλοις αὐτὸν τοῦ κολεοῦ προσέπηξε, *clauis eum vaginæ adfixit.* ritu non absimili ab eo qui in pleraque Italia hodie obtinet: in cuius opida cincti non admittuntur peregrini, nisi gladio ad vaginam funiculo aliquo, dicis caussa, vincto. Inuenio eumdem discingendi ritum apud Tacitum lib. xv. Ann. *Rex propriis nuntiis à Corbulone petierat, ne quam imaginem seruitij Teridates præferret, neu ferrũ traderet, aut complexu prouincias obtinentium arceretur.* qui etiam addit de complexu: de quo, ad ipsum.

Tertium, Præitio. Ibant enim ante magistratum lictores, non gregatim aut confusè, non item bini ternive, vt quis suspicetur: sed singuli, & in lineam. Hoc seriò monitum volo, quia non aliter est, vt capias, quis Primus, quis Proximus lictor. Ibant, inquam, singuli. Ex nummis Iunij Bruti: in quibus expressus hic ordo euntium lictorum. qui Nummi in volumine, quod publicauit nuper Fuluius Vrsinus amicus noster, citra controuersiam Italiæ suæ flos. Item ex Fabiana historia, quæ apud Valerium

Caput aperiendum.
Romani sine petaso aut pilleo.
Equo descẽdendum.
Corruptus Appuleij locus.
Curru descendendũ.
Gladius ponendus.
Tacitus explicatus.
Præitio, qualis.
Singulatim præibant lictores.
Fuluij Vrsini locus.

rium & Liuium. ita enim narrant, vt nisi de hoc ordine intellegi non possint. Valerij verba sunt lib. ii. *Fabius à Senatu ad filium Consulem, Suessam missus, postquam animaduertit eum ad officium suum extra opidum processisse: indignatus quòd ex lictoribus vndecim nemo se equo descendere iussisset, plenus iræ sedere perseuerauit. Quod postquam filius animaduertit, proximo lictori, vt sibi appareret, imperauit.* Liuij sunt lib. xxii. iii. *Cùm obuiam filius progrederetur, lictoresij, verecundia maiestatis eius taciti anteirent, [non summouentes patrem] præter vndecim fasces equo præuectus senex,* &c. Verba, quę adduxi Liuij bono. corrupta enim: & circumcidam in iis latens vlcus. Hæc, *non summouentes patrem*, occultum, sed ineptum glossema sunt; tollenda, inducenda. Liber optimus mihi auctor, & res ipsa. Attende enim cor glossographi. Liuius ait lictores tacitos anteisse; ille addit, non submotum ab iis patrem. Quid? submotionis res hic erat? Accedere pater filium debebat, vt legatus populi Romani. Is ergo submouendus à conspectu fuit? aut id postulabat filius? Falsum prorsus. non intellexit baburrus ille vim submouendi, aut Liuij mentem. Taciti anteibant lictores, & passi patrem propius accedere vehentẽ in equo. In eo peccarũt: animaduertere debuerant, & clamare, Descende. Ex hoc igitur ordine facilè eruo, quis Primus, quis Proximus lictor. Primus, is qui anteibat & quasi ducebat agmen: Proximus, qui claudebat, & proximè aberat à magistratu. vnde etiam nomen. Ita intelleges priscũ morem, qui apud Valerium lib. i. *Maxima diligentia maiores hunc morem retinuerũt, ne quis se inter Consulem & Proximum lictorem, quamuis officij caussa vnà progrederetur, interponeret.* Conniuere visa in hac re Turnebi diuina mens, dum adseuerat Proximum lictorem eumdem esse cum Primo. Apage. nec terram nec cælum tangit ea sententia. Primus lictor, ab ordine euntium, vt dixi, non à dignitate: cuius proprium munus, submouere. primus enim incurrebat in turbam. Cicero ad Q. Fratrem, *His rebus nuper C. Octauius iucundissimus fuit, apud quem Primus lictor quieuit, tacuit accensus.* Proximus, inter xii. postremus. cuius erat mandata à magistratu aut litteras accipere, & præstare ea quæ operæ familiarioris. Hic dignissimus, & quasi caput inter lictores: & haud dubiè is, qui alio nomine Summus lictor. Glossę veteres, *Summus lictor, ἀρχιῥαβδοῦχος.* Mentio Proximi, apud Sallustium: *Hiempsal in opido Thumida fortè eius domo vtebatur, qui Proximus lictor Iugurthæ, carus acceptúsque ei semper fuerat.* Apud Ciceronem, *Denique Proximus lictor, de quo sæpe iam dico, Sextius.* Vidimus & lapidem,

M. VALERIVS
ACHILLEVS. LI
CTOR. PROXIMVS
LAVRENS. LAVINAS.

Dixi munera lictorum: addam Insignia, & quæ cum insignibus munia coniuncta. Insignia eorum, Fasces & Virgæ. Fasces appellamus, bacillos aliquot teretes loro colligatos in modum fasciis. quorum exemplar frequens in lapidibus & nummis. Eos bacillos ex vlmo fuisse antiquitus, docere videntur Comœdiæ Plauti, non vno loco. Plinius tamen Betullam arborem terribilem ait magistratuum virgis: & nescio vniuersè id

E Liuio glossema sublatum.
Quis Primus lictor.
Quis Proximus.
Maximè Turnebi aberratio.
Primi lictoris prouincia submotio.
Occultior Ciceroni intellectus.
Summus lictor.
Lictorij fasces.
Ex vlmo, aut betulla, si fortè.

accipiendum, an ex verbis ejus, de Gallia tantùm. Italiæ sanè cõmunior vlmus. Fascium inuentum Vetuloniæ Etruriæ vrbi adscribit Silius:

Origo fascium.

Mæoniæq́ decus quondam Vetulonia gentis,
Bissenos prima illa dedit præcedere fasces,
Et iunxit totidem, tacito terrore, secures.

Secures adempta fascibus. Inde traducti Romam. Et fasces quidem hæserunt Romæ, non secures. P. enim Valerius non falsò Poplicola dictus, inuidiæ Cõsulum minuendæ, primus dempsit fascibus secures. quasi nè nimius ille terror deliberet aliquid de populari libertate. Ex eo tempore exsules vrbe Roma secures: ius tantùm suum in bello tenuerunt, & extra vrbem. Clarè Dionysius lib. IV. Βεβαίαν τε ποιῆσιν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τὴς δημοτικοὺς λαβεῖν βουλόμενος, ἀφεῖλεν ἀπὸ τῶν ῥάβδων τὰς πελέκεις. καὶ κατεῖστο τοῖς μετ' αὐτὸν ὑπάτοις ἔθος, ὃ καὶ μέχρι τῆς ἐμῆς δέμειναν ἡλικίας, ὅταν ἔξω θεν τῆς πόλεως γένωνται χρῆσθαι τοῖς πελέκεσιν, ἔνδον δὲ ταῖς ῥάβδοις κοσμῶσθαι μοναῖς. Liuius lib. XXIIII. *Lictores ad eum accedere Consul iussit. & quia in vrbem non inierat, protinus in campum (Martium intellegit) profectus: admonuit cum securibus sibi fasces præferri.* Vbi satis clarè eum morem agnoscit Liuius; libro tamen secundo, vbi opportunè id poterat, verbo de eo admonere oblitus. Mirum ergo Appianum scribere lib. I. Bellor. ciuilium, Octauium in sella curuli sedisse, prætexta indutũ, fascibus & securibus, quasi Consulem, cinctum. & id narrat euenisse Romæ: ἐπὶ τε, inquit, τὸ θρόνω τοῦ καθῆτο τὴν τῆς ἀρχῆς ἐδῆτα ἐστιλεύμενος, ῥάβδων καὶ πελέκεων ὡς ὑπάτῳ περικειμένων. Ipse Octauius hoc peccauerit contra priscum morem, in tumultu ciuili; an per neglegentiam suam ita narrauerit scriptor Græcus, non dicam. Mos quidem non ambiguus est, vt quem Dionysius adfirmet perseuerasse ad suam ætatem. Excipio tamen ab hoc more Dictatorem, quotiens sine prouocatione creatus. Illi enim prælatæ secures etiam in vrbe. Auctor Dionysius lib. IV. & Liuius lib. II. Fasces igitur istos ante magistratum ferebant lictores. erectósne, an in humeris inclinatos? Censeam in humeris, suasus à Nummo Bruti in quo ea specie cernuntur: sed & ab Hegesippo, libro V. excidij: *Habent & sacerdotia suos fasces, qui eleuantur non humeris, sed moribus, & attolluntur non virgarum proceritate, sed fidei altitudine.* vbi clarè de *Humeris*: etsi aliter etiam surrectos haud negem. Sed in ea gestatione mos, vt si per viam maiori alicui magistratui occurrerent, statim submitterent fasces, &, honoris habendi caussa, inclinarent. Ortus mos, vt videtur, ab eodem Valerio, qui primus summissis fascibus in concionem ascendit. *Gratum id multitudini spectaculum fuit* (ait Liuius) *summissa sibi esse imperij insignia confessionemq́ factam, populi, quàm Consulis, maiestatem vimq́ maiorem esse.* Summissis fascibus, id est, in terram depressis & ante pedes quodammodo deiectis. Errant qui in Liuio interpretantur fasces depositos, & abire iussos lictores. Plutarchus signanter scripsit, αὐτὰς τὰς ῥάβδους εἰς ἐκκλησίαν παριὼν, ὑφῆκε τοῦ δήμου, καὶ κατέκλινε. id est, submisit inclinauitque. Dionysius amplius aliquid addit ad hunc morem: solitum videlicet in eiusmodi occursu (si forte extra vrbem vsu venisset) vt minor magistratus deponeret etiam secures. Verba eius lib. VIII. de Marcio Coriolano: Ἐκέλευσεν τοῖς ὑπηρέταις

Tantum prælata extra vrbem.

Liuius explicatus.

Appiani parũ cauta scriptio.

Dictatori solitus in vrbe fuendi secures.

Modus ferendi fasces.

Mos submittendi fasces;

Et deponẽdi secures.

ταις ἀποθεῖς τὰς πελέκεις, καὶ τὰς ῥάβδους καταστεῖλαι. τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ τοιοῦν Ρωμαίοις, ὅταν ὑπαντῶσι ταῖς μείζοσιν ἀρχαῖς οἱ τὰς ἐλάττους ἔχοντες. Nec terra solùm, sed mari seruata hæc submissio. Vnicum ad hanc rem locum Appiani inuenio lib. V. Ciuilium. vbi Antonij & Domitij Aënobarbi prætoriæ naues casu sibi obuiæ: Πλησίον τε ἦσαν ἀλλήλων ἤδη, καὶ αἱ ναυαρχίδες ἐκ τῶν σημείων ἐφαίνοντο, καὶ ἀλλήλαις προσέπλεον, καὶ τῶν ῥάβδουχων ὁ ηγούμενος Αντωνίῳ κατὰ τὴν πρώραν ὥσπερ ἔθος ἐστὶν ἐστὼς, ὡς ὑπηκόοις ἢ ἐλάσσοσιν ἀνδράσιν ὑπαντῶσι, προσέταξε καθελεῖν τὸ σημεῖον, οἱ δὲ καθῆρουν τε, καὶ τὴν ναῦν ἐς τὰ πλάνια τῆς Αντωνίου νεὼς περιέρεφον. Vbi mos duplex. quòd signum prætoriæ nauis deponerent: & quòd lictores, ad speciem imperij, soliti stare in prora nauis. Ab hoc ritu natum prouerbium, Submittere fasces: id est, cedere, & fateri se minorem, vsurpatũ præter alios Ciceroni in Bruto. Addere hic aliquid de diuisione fascium poteram instituta à Iunio Bruto: sed res non obscura; & pete, si voles, ab Agellio lib. II. Suetonio in Iulio, cap. XX. Liuio, lib. III. de X. viris.

Idem ritus in nauibus.

Alterum Insigne lictorum, Virgæ. Nam præter fasces, videntur manu gestasse virgam, duplici vsu: & ad submouendum, & ad ianuam tangendam. De virga lictorum in submotione, Martialis,

Virgæ lictorum.

Aptæ ad submouendum.

——— *nec superba clamosi*
Lictoris abiget virga bastiatorem.

Et Plauto digna prologus, non Plauti,

Et ad tangẽdas fores.

Scortum exoletum ne quis in proscenio
Sedeat, neu lictor verbum aut virgæ mutiant.

In ianua percutienda, Martialis,

Bis senos iubet en redire fasces
Nato Consule: nobiliq́ virga
Vatis Castalij domum sonare.

Nam quotiens magistratus suam aut alienam domum intraturus erat; lictor præcedens, virga fores percutiebat, quasi ad significandum eius aduentum. Liuius libro VI. *Fortè ita accidit, vt in Ser. Sulpicij Tribuni militum domo, sorores Fabiæ cùm inter se, vt fit, sermonibus tererent tempus: lictor Sulpicij, cùm is de foro se domum reciperet, forem vt mos est virga percuteret. cùm ad id moris eius insueta expauisset minor Fabia, risui sorori fuit.* Plinius libro VII. *Cn. Pompeius, confecto Mithradatico bello, intraturus Posidonij sapientiæ professione clari domum, fores percuti de more à lictore vetuit.* Statius de Nuptiis Stellæ,

Mos ille diffusius explicatus.

——— *dum feruent agmine postes*
Atriaq́, & multa pulsantur limina virga.

Et sanè eius moris reliquum vestigium hodie in aulis magnatium: in quibus fores, per singulos ciborum missus, ab* Oeconomo, tereti baculo feriri satis notum est. Tale quid hæc virga. Ideò in Glossis scriptum, *Virgarius*, ῥαβδοῦχος. Cum fascibus confundi eam mihi non placet, nec ratio est. distinguit sanè Appianus I. Ciuilium, in seditione Gracchana, ῥάβδους καὶ ξύλα τὰ ἐν χερσὶ τῶν ὑπηρετῶν ἁρπάσαντες, &c. ait, fasces & virgas. Cicero etiam has ipsas virgas nominare videtur Bacillos, lib. XI. ad Atticum: *Propius accedere, vt suades, quomodo sine lictoribus possum, quos*

* Atqui etiã Ammianus lib. XIV. ait Præfectum familiæ virgam dextra gestasse.

Aliud virgam, aliud esse fasces.

Bacilli, idẽ quod virga.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quos populus dedit? qui mihi incolumi adimi non possunt. quos ego paullisper modo cum bacillis in turbam conieci, ad Oppium accedens, ne quis impetus militum fieret. Nam quòd vir doctus ibi fasces intellegendos dicit: de summo pectore id dicit, & parum conspectè. Verior sententia: quia fasces illi laureati nimium incurrebant in oculos, & ad vitandam inuidiam in depressa fortuna; ideò, ait Cicero, remotis iis accessi, retinui solas virgas. Casum quem Cicero metuebat, euênit Cæcinæ Consuli apud Tacitum libro III. Historiar. & seditio militaris excitata, solùm propter conspectos in partibus iam victis fasces. *Sed vbi Cæcina*, ait, *prætexta & lictoribus insignis, dimota turba, consul incessit: exarsere victores.* & quæ sequuntur. Seneca easdem virgas nominat, libro I. De Tranquillit. cap. I. *Placet vim præceptorum sequi, & in mediam ire rempublicam: placet honores fasces, non purpura aut aureis virgis adductum capessere, sed vt amicis propinquis, & omnibus ciuibus paratior vtilior, sim.* Vbi mendo manifesto scriptum, *aureis*. Nam aureas eiusmodi virgas fuisse, nemo dixit, scripsit, pinxit. Assentior libris aliquot qui legunt electa ea voce, *aut virgis adductum*. Poterat etiam scribi littera addita, *laureis virgis*: vt neget Seneca magistratum cupiendum, aut capiendum, per ambitionem & desiderio triumphi. Nam in triumpho laurus in fascibus; ac laureæ virgæ in manibus militum & triumphantis. Nec Romæ solùm in vsu hæ virgæ, sed etiam in coloniis & municipiis, etsi vsu paullo diuerso. Nam Duumuiris, Ædilibus Quinquennalibus, Sexuiris, (qui magistratus colonici & municipales) lictores præibant nõ cum fascibus, sed cum nudis virgis aut bacillis. Appuleius lib. I. Milesiarum, *Nam & lixas & virgas, & habitum prorsus magistratui conuenientem in te video. Annonam curamus, ait: & AEdilem gerimus.* Ædilem intellegit in Thessaliæ Hypata Quinquennalem. Cicero in Rullum, *Nam primum cùm ceteris in coloniis Duumuiri appellentur, hi se Prætores appellari volebant. Deinde anteibant lictores non cum bacillis, sed vt hic Prætoribus anteeunt cum fascibus duobus.* Ecce bacilli præferri Duumuiris soliti loco fascium. qui ritus ne nunc quidem exoleuit in colonia Agrippinensi; vbi lixæ, qui maiores Consules comitantur, oblongum teretem baculum gestant, insigne magistratus. At Campanæ superbiæ fuit, quòd illi fasces sumerent: vt apud Petronium pariter vanus ille Trimalcio, quoniam Sexuir Augustalis, fasces poni sibi iussit, & quidem cum securibus. Ideò adolescens qui spectabat, *Et quòd præcipuè miratus sum*, inquit, *in postibus triclinij fasces erant cum securibus fixi: quorum vnam partem* (legendum, *imam partem*) *quasi embolum nauis æneum finiebat, in quo erat scriptum,* G. POMPEIO. TRIMALCIONI. VI. VIRO AVGVSTALI. Cur id præcipuè miratus? quia insolens scilicet, & præter omnem morem.

Dixi de lictoribus quæ sciui: addendum aliquid de numero, & quot fuerint cuique magistratui Dictatori tribuunt vulgò XXIIII. & is numerus apud Dionem, initio lib. LIIII. scilicet quia duplex in eo imperium, ideò & insignia Consulis vtriusque. Appian. lib. I Ciuil. bellor. de Sulla, πελέκεις τε γὰρ ἐφέροντο, inquit, πρὸ αὐτοῦ ὅσα Δικτάτωρας εἴκοσι καὶ τέσσαρες, ὅσοι καὶ τῶν παλαι βασιλέων ἡγοῦντο. Et Plutarchus in Fabio narrat, Dictatorem eum, cum XXIIII. fascibus statim processisse in forum, vt populo vim

Manutij nõ vera opinio.

Seneca corruptus & correctus locus.

Virgæ siue bacilli præferebantur magistratibus coloniæ Ædilibus Quinquennalibus

Itẽ duumuiris.

Item Sexuiris.

Petronius correctus.

Quot lictores, & quibus magistratibus. Dictatori XXIIII.

vim ostenderet eius imperij. Huic tamen vulgatæ sententiæ pugnat Epitome Liuiana. in qua claris verbis scribitur, lib. LXXIX. *Sulla Dictator factus, quod nemo quidem vmquam fecerat; cum fascibus viginti quatuor processit.* Id si verum: ergo omnes ante Dictatores XII. tantùm fascibus vsi. Ita vanus Plutarchus, qui Fabio XXIIII tradidit: vanus Appianus, qui eum numerum proprium censuit Dictaturæ. Ego sanè hic hæreo. nihil delendum id totum in Epitome, *quod nemo quidem vmquam fecerat.* tamquam à scioli cuiuspiam infausta & infesta manu. Quidquid sit, ea tamen parte peccat Appianus, quòd scribat regibus lictores fuisse XXIIII. & inde exemplum traductum ad Dictatores. Peccatum largum. Liuius sanè, Dionysius, & quos ego viderim historici, consensu tribuunt XII. lictores regibus: vel à numero auium, inquiunt, quæ Romulo regnum portenderant; vel exemplo ab Etruscis, quorum XII. populi creato regi singuli singulos lictores dabant.

Nodus in Epitome Liuiana.

Tollendi conatus.

Appiani clarus error.

Magistro equitum lictores sex fuerunt. Ideò notandum, quia Dionis vnicus locus, ex quo id haurimus. apud Latinos nulla mentio. Libro XLII. de M. Antonio, qui Magister equitum Cæsari: *At Antonius*, inquit, (vertam enim eius verba) *si vestitum eius spectares, imaginem popularis status præferebat: prætexta enim vtebatur, itemsi lictores, non enim plures quàm sex habebat. At si gladium spectares, quo cingebatur, & multitudinem militum qui eum comitabantur: reuera ostendebat regnum & imperium vnius.*

Magistro equitum, sex.

Consuli fuerunt XII. Prætori, sex. Tribunis & Ædilibus non Lictores, sed Viatores. Quæstori, neutri. Varronis verba vide apud Agellium lib. XIII. cap. XII. Tamen Liuius Quæstori P. Sextio dilecto tribuit lictorem lib. IIII. in seditione militari: sed non, vt Quæstori. Præerat enim castris, absente Consule.

Quæstori, nulli.

Legatis etiam lictores, in prouinciis. Spartianus in Seuero, qui Legatus Proconsulis Africæ: *In ea legatione*, inquit, *cùm eum quidam Leptitanus, præcedentibus fascibus, ipse plebeius amplexus esset.* Mutasse tamen aliquid videtur Alexander Seuerus, & instituisse vt milites anteirent loco lictorum. Lampridius, *Apparitores denique nullos esse passus est. Tribunis aut ducibus, nisi milites, anteire noluit. iussitq; vt ante Tribunum quatuor milites ambularent, ante Ducem sex, ante Legatum decem.*

Legatis lictores.

Magistris etiam vicorum Romæ, per certos dies, lictores bini. Instituit Augustus. vide Dionem lib. LV.

Magistris vicorum, bini.

Virginibus Vestalibus in publico semper vnus lictor. Instituerunt IIIviri, Antonius, Lepidus, Octauianus. Narrat multis verbis Dio libro LVI. quem adi, & Plutarchum caute lege in Numa, qui lictorem Vestalium referre videtur ad institutum Numæ. Pertinet ad Vestales Vinitij locus, qui apud Senecam Patrem legitur in Controuersia, Sacerdos prostituta: *Procedente hac lictor submoueri videbitur: huic Prætor via cedet, summum imperium Consules cedent tibi.* vbi emendo, *lictor submouere iubebitur.* Lictore etiam ad hoc exemplum vsæ Imperatorum aliquot vxores. Sed & Flaminius lictor, & Curiatus, nominati Festo.

Vestalibus vnus.

Seneca Pater emendatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XXIIII.

Ausoniana aliquot emendationes. Lumen, de filiis eleganter dictum. Fastus Campanus. Ausonius quando Consul.

NAVI cursus mihi nuper Brugas fuit. vrbem, & à se, & à ciuium ingeniis inter primas Europæ nobilem. Sed ea nauigatio cum parum ex voto mihi esset, flantibus ventis aduersis; & dies complures præter opinionem coleremus in naui: ad fallendum sedentarium illud otium, Ausonium arripui, qui casu tunc præ manu. Eum percurrens hæc sublegi: exigua, & digna fortassis illo, in quo nata, mari. In Parentalib. ad Cæcilium Arborium auum suum:

Amissum flesti post trina decennia natum,
Saucius extincto lumine cassus eras.

Lumen pro filio. Vana lectio, à vanissimo illo correctore Lugdunensi: cui non semel os verberat Scaliger. Scriptura vetus erat, *Saucius ocleruo.* ex quo princeps ille Criticus, *Sautius ocle tuv.* Mihi tamen probabatur, *Saucius ac læuo lumine.* Bini liberi huic Cæcilio Arborio, Æmilius Magnus Arborius, & Æmilia Æonia Ausonij mater. Æmilium quia amisit, dicit eum poëta cassum lumine læuo: id est, alterum è duobus eum amisisse lumen. Honesta sanè locutio, similiter vsurpata Quinctiliano lib. VI. *Mihi filius minor quintum egressus annum, vt in malis agerem, prior alterum è duobus eruit lumen.* Nam liberi, parentum quasi oculi & lumen. Festus, *Orba est quæ patrem aut matrem, aut filios quasi lumen amisit.*

De claris vrbibus, Capua:

Mox vt in occasum vitiis communibus acti
Corruerent Pœni, luxu Campania festo.

Fastus Campanus. Haud parum melior sententia, si legas, *Corruerunt, Pœni luxu, Campania fastu.* Hoc sanè ait, postquàm communibus infecti vitiis Campani & Pœni perierunt; Pœni quidem luxu, Campani fastu: tunc illa potens Capua sic cecidit, vt nunc vix octaua. Hactenus enim sententia continens, & vno ductu legenda. Campana superbia, prouerbio innotuit.

De Fastis suis,

Hactenus adscripsi Fastos: si fors volet, vltrà
Adiiciam. si non, qui legis, adicias.
Scire cupis qui sim? titulum qui quartus ab vno est,
Quære: leges nomen Consulis Ausonij.

Ausonij versus de consulatu suo correctus. Leue mendum versu tertio, sed quod momentum ad historiam habet. Scribe, *qui quartus ab imo est.* Nam Ausonius Fastos suos perduxit ad annum vrbis ∞. C. XXIII. Ipse autem consul, collega Syagrio, (illo cui inscriptum Epigramma generis sui) ∞. C. XVIII. Clarum ergo cur titulum inspici velit à fine quartum.

CAP.

CAP. XXV.

Seruorum quæ propriæ olim vestes. Tunicatos primò fuisse. sicut & rusticos Romanos in coloniis in municipiis. Plinius emendatus. Postea serui pænulati, earum pænularum color rufus. Canusinatus, quid? Cuculli, Bardocuculli. Imperatorum serui alia veste. Ij albati, vel aurati.

IN ciuium veste quid fuerit, & quæ mutatio, dixi: nunc operæ mihi est, vt eandem operam sumam in veste seruili. Tunica, communis Romæ seruorum vestis. In Plauti Amphitruone, Sosia loquitur, *Tunica sola, propria seruorum.*

Imò equidem tunicis consutis huc aduenio, non dolis.

Seneca, De Breuitate vitæ, cap. XII. *Cùm videam quàm diligenter exoletorum suorum tunicas succingant, quàm suspensi sint quomodo aper cæsus à coco exeat.* Et qui hac parte non differebant à seruis, etiam rusticorum in colonis & municipiis. Cicero in Rullum de Capuanis: *Iam verò quæ mœstitia erat tunicatorum illorum? in Albana & Seplasia quæ concursatio peroxantium quid Prætor edixisset?* Martialis, *Rustici Romani, tunicati.*

Quos Faustine dies, qualem tibi Roma Rauennam
Abstulit? ô soles, ô tunicata quies!

Plinius lib. VII. Epistolar. *Quin ergo aliquando in vrbem redis? vbi dignitas, honor, amicitiæ tam superiores, quàm minores. Quousque regna vis? quousque vigilabis cùm voles? dormies quamdiu voles? quousque calcei? nusquam toga feriata? liber totos dies?* quæ ad hanc sententiam emendo, *quousque regnabis?* & statim, *quousque calcei nusquam? toga feriata?* Nam in municipiis, vt non togæ, sic nec calceorum vsus: quæ vestis vtraque forensis. *Plinius emendatus.*

Martialis,

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga,
Oliduæve vestes murice.

Et in seruis hoc obtinuit antiquitus ac temporibus imperatorum qui luxus ad liberos homines, idem pertinuit ad seruos. Non tunicæ amplius meræ, sed pænulæ in vsu seruorum. Seneca lib. III. De Benef. cap. XXVIII. *Pænula, vestis seruorum.* *Quò te pænulati isti in militum quidem non vulgarem cultum subornati, quò, inquam, te isti efferunt?* Quòd ait in militum cultum: hoc ideò, quia pænula vestis etiam militaris. Seneca De Benef. lib. V. cap. XXIIII. *Item militum.* *Quendam ex commilitonibus Cæsari pænulam suam substraxisse.* Ab hoc ritu lucem Martiali do, in Apophoretis, Lemmate: *Canusinæ rufæ:*

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis.
Et placet hic pueris militibusq; color.

Pueros ecce coniungit & milites, quia vtrique in pænulis rufis. Lana ad pænulas istas rufas laudatissima Canusij. Plinius, *Apulæ lanæ breues villo, nec nisi pænulis utiles. circa Tarentum Canusiumq; summam nobilitatem habent.* Ideò Canusinati ἀπολῶς, serui nominati, qui pænulas indutui haberent huius coloris. Martialis: *Canusinatus, de pænulâ.*

Vt Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Suetonius in Nerone, cap. xxx. *Numquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, & canuſinatis mulionibus.* Sed & in Galliis arbor quædam ad tingendas has veſtes. Plinius lib. xvi. cap. xviii. *Item vaccinia, Italiæ in auctipis ſatis: Galliæ verò etiam purpureæ, tingendi cauſſa ad ſeruitiorum veſtes.* Hæc in elegantioribus ſeruis: at villioribus, per illam ætatem, frequens vſus cuculli. Martialis,

Cuculli, vtiles ſeruorũ.

Pullo Mæuius alget in cucullo.

Lampridius in Elagabalo, *Tectus cucullione mulionico, ne agnoſceretur.* Capitolinus in Vero, *In tantum vitiorum Catanborum & Neronianorum fuiſſe æmulũ, vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio.* Nec diſſimile, quòd Bardocucullum Martialis appellat,

Es Bardocuculli.

Gallia Santonicâ veſtit te bardocucullo:
Cercopithecorum pœnula nuper erat. & alibi,
Lybica Tyngbnicus Tyranthiva bardocucullus.

Obtinuerunt hæc in priuatorum hominum ſeruis. Imperatorij miniſtri veſte videntur fuiſſe à vulgo ſorteta: aut certe colore veſtis. Nam viles ſeruorum, omnes pulli: Martialis,

Imperatorum ſerui diſcreti veſte.

Lana quidem triſtis, ſed conſis aptamenta libris:
Quales non primo de grege menſa vocat.

Ij albati.

Honeſtiores, vt dixi, rutuli aut rufi: Cæſariani verò, albi, qui color proprius libertatis, & ideò digniſſimus. Suetonius in Domitiano, *Generum fratris indigne ferens, & ipſum albatos nunciatras habere, proclamauit, & ἐκ δὸς πολυχρονίην.* interpretor non in togis albis, ſed tunicis aut pœnulis. Nam togam permiſſam ſeruis qui credam? In tunicis potius albis, ſicut Ædiles Quinquennales apud Iuuenalem, vbi inter tunicatos aliqua nota eminerent, albati dra[illegible]

Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ,

inquit. Moderatior Domitiano Aurelianus, qui, vt Vopiſcus ait, *Curſores eo habitu quo ipſe habebat, Senatoribus conceſſit.* eo habitu, id eſt, albatos.

Eſſeda auratis,

Sed & auratæ veſtes fuiſſe videntur Imperatoris ſeruis. Lampridius in Alexandro, *auratam veſtem miniſtrorum nullam, vel in publico conuiuio habuit.* Atque ita intellego quod Seneca ſcribit de Tranquil. vitæ, cap. i. *Cùm bene illa placuerint, præſtringit animum apparatus alicuius pædagogij, diligentius quàm tam intra priuatum larem veſtita & auro culta mancipia.* Et in tunicis hocaurum: ex Ammiano libro xxvi. *Sterit itaque ſubinde, nuſquam reperto paludamento, tunica auro diſtincta, vt regius miniſter*

Chlamydes ſeruorum.

indutus à calce in pubem in pædagogiani puerſpectem. Sed & chlamys ſeruis aulicis fuit. ex Lampridij Alexandro, vbi Conſtantinum Imp. adfatur: *Et tu ſeruos eo loci habes, vt nec chlamyde vti iuſſeris, ſed neceſſitatibus domeſticis delegaris.*

CAPVT XXXV.

Gloſſemata aliquot non paruæ rei è Seneca ſublata.

ANNÆVS Seneca frequenter mihi in manibus eſt: vt ego ſentio, non ſine fructu. Siue enim doctrinam quæro, multa inuenio in ritibus

tibus priſcis recondita: ſiue ſapientiam; deus bone, quid ad mores & ad vitam, ſcriptum vnquam præclarius? Qualis ille, & quàm Romanus, vbi Seneca laudatio. que animus? quæ telâ aduerſum caſus ſubminiſtrat, & ipſam mortem? quomodo vitia eripit, inſerit virtutes? Fatendum eſt in cacumine Olympi montis conſtitutus mihi videor cùm illum lego: ſupra ventos & procellas, ſupra omnes res humanas. Eò libentior hoc caput vtiliſſimo ſcripti dabo: & vitia illi minuam, qui ſæpe mihi, parens philoſophiæ Romanæ. Conſolatione ad Polybium, in extremo,

[Hæc vtcumque potui longo iam ſitu obſoleto & hebetato animo compoſui: quæ ſi aut parum reſpondere ingenio tuo, aut parum mederi dolori videbuntur, cogita quàm non facilè Latina verba ei homini ſuccurrant, quem Barbarorum inconditus grauisq; fremitus circumſonat.]

Vt Seneca hæc ſcripſerit? verbis tam humilibus, tam ineptis? numquam Gloſſema prædendum. factum. Quidquid adduxi merum additamentum eſt, ab Ixione aliquo librorum & Ægiſtho. A fine enim huius libri clarè aliquid deeſt. id conatus fuit reſarcire ſuis verbis ſectarius iſte veruex. At vide etiam cor ouiculæ? negat Senecæ vltrà ſuecurrere verba Latina: credo, quia ſimile alibi legerat in Ouidij ſcriptis. Conſidera quæſo, Lector: &, ſi Heraclitus es, ride. In libello ad Gallionem De Remediis fortuitorum, initio,

Licet cunctorum poëtarum carmina gremium tuum ſemper illuſtrent, aliquando deliberans, hoc tibi opuſculum pro accidentibus caſibus dirigere cœpi, quod non præſentes, ſed poſteri narrabunt. Vnde ergo primum incipiamus? Si tibi videtur à morte? Ab vltimo, inquis, imò à maximo.

ἀτελὴς ille prior liber fuit, ἀκέφαλος iſte. Sed quomodo explerunt, di boni? Non pannum in purpura, vt ait ille, magis conſpicuum ſit, quàm hic ad Senecam adtextus. Sententia tota ridicula: verba, maculantia, barbara, ſpurca. Et non vidit hoc Eraſmus, aut Pincianus? digni mehercule illi ipſi cenſores cenſoria nota. Viliſſimæ pecudis gloſſema eſt, totum illud quod ſcripſi, ad hæc vſque verba, *Vnde ergo primum.* Reliqua Senecæ eſſe clarum ex acumine ipſo. Iterũ gloſſema.

De Diuina prouidentia, cap. III.

Quanto magis huic inuidendum eſt, quàm illis quibus gemma miniſtratur, quibus exoletus omnia pati doctus [exectæ virilitatis aut dubiæ] ſuſpenſam auro niuem diluit?

Simile, niſi fallor, gloſſema ad vocem Exoleti. ideò delendum. Tertium.

De Tranquillitate lib. I. cap. I.

Placet cibus, quem nec parent familiæ, nec ſpectent, [non antè multos paratus dies, nec multorum manibus miniſtratus,] ſed parabilis facilisq;, nihil habens accerſiti pretioſivè.

Ea quæ concluſi lineis, nihil ambigo quin interpretamentum ſint ad ea Quartum. verba paullò breuius & concinnius dicta, *quem nec parent familiæ, nec ſpectent.*

Epiſtola XCVI.

Petis à me vt quod in diem ſuum dixeram debere differri, repræſentem, & ſcribam tibi.

Scribe, *quod in diem dixeram debere, repræſentem.* reliqua ſunt à mala manu. Quintum.

In diem debere, & Repræsentare aduersa sunt: ea metaphora à re pecuniaria Seneca lusit.

De Benefic. lib. VII. cap. XXI.

Pythagoricus quidam emerat à sutore phæcassia, [rem magnam,] non præsentibus nummis. Post aliquot dies venit ad tabernam redditurus, & cùm diu clausam pulsaret, fuit qui diceret, Quid perdis operam? sutor ille quem quæris elatus, combustus est.

Sextum. Phæcassia, inquit, rem magnam. Quare rem magnam? nos scimus ita appellari Græcanicos calceos, & pretium eorum non plus tribus denariis, vt statim addit. Dico ego glossema esse imperiti alicuius Macci, ad Phæcassia vocem. quam ille non magis intellexit quàm Milphio Pœnulum Plauti. Pleraq; ex istis probasse olim me scio M. Antonio Del-rio, (eum honoris & amoris caussa nomino) clarissimo viro, & non ad hoc sæculum amico: cuius fides certa mihi fuit, rebus incertis.

CAPVT XXVII.

Error communis in historia & Fastis de censu & lustro. Plutarchi peccatum, & eius caussa. Epitome Liuiana corrupta ostensa.

ADVERSVM Plutarchum mihi, optimum aliàs & sanctissimũ scriptorem, hoc caput conceptum est: vel potius aduersum vanam opinionem, quæ ab illo capite in libros manauit & in vulgus. Eam tollam, argumentis ita certis:

Vt contrà quisquis sentiat, nil sentiat.

Creditur Iulius Cæsar, victa Africa, censum instituisse, & in eo repperisse ciuium non plus centum quinquaginta millia. cùm tamen ante bellum ciuile, censa essent millia trecenta viginti. Plutarchus claris verbis:

Adstipulatores Plutarchi. μετὰ δὲ τὰς θύρας τυμένων πύστεων, ἀντὶ τῶν πρότερον δυοῖν καὶ τριάκοντα μυριάδων, ἐξετάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα πλιακοντα χιλιάσιν ἀπειργάσατε συμφορὰν, καὶ τοσοῦτον ἀπανήλωσε τοῦ δήμου μέρος. id est, *Post spectacula verò, censu acto, pro trecentis viginti millibus ciuium, quot prius fuerant, censi sunt in vniuersum centum quinquaginta millia. Tantam intulit bellum ciuile cladem, & tantam absumpsit populi partem.* Et Epitome Liuiana, *Censum egit, quo censa sunt ciuium capita centum quinquaginta millia.* Hos duces sequuntur Fastorũ hodie scriptores Sigonius & Onufrius Panuinus. Multi, vt video, in partibus: tamen aduersum eas omnes copias, veteres & nouas, confligã ego solus. Primùm an censum vllum legitimũ egerit Cæsar,

Cæsarem non egisse censum. dubito: (nõ monuit id Suetonius, aut Dio:) non condidit certè lustrũ. Si non lustrũ, ergo nec numerũ vniuersum ciuium in tabulas rettulit, & in acta. Non enim id solet, nisi condito lustro. Vide omnes Liuij libros, integros & decurtatos: solemnis vbique hæc narratio, *Lustrum conditum: quo censa tot millia ciuium.* Quòd non condiderit lustrum, testis mihi extra suspicionem omnem & calumniã lapis, in quo Breuiarium Augusti. Ibi sic de se Augustus: IN. CONSVLATV. SEXTO. CENSVM. POPVLI.

PVLI. COLLEGA. M. AGRIPPA. EGI. LVSTRVM. POST. ANNVM. ALTERVM. ET. QVADRAGESIMVM. FECI. LEGI. QVO. LVSTRO. CIVIVM. ROMANORVM. CENSITA. SVNT. CAPITA. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA. O thesaurum repertum, non lapidem! Ecce, ait diserte Augustus XLII. annos elapsos, ante illud suum, sine vllo lustro. Quomodo ergo Cæsar condiderit lustrum, vix sedecim antè annis? Discite amplius vos Fastorum scriptores, nullum lustrum Romæ conditum à L. Gellio & Cn. Lentulo Censoribus, ad hoc Augustæum. ita corruunt omnia illa vestra imaginaria lustra, quæ ex solis numeris Censorini corruptis, inseruistis. Sedeamus enim ad calculos. Augusti ille census incidit in annum vrbis DCCXXVI. At Cn Lentulus & L. Gellius, censores fuerunt anno vrbis DCLXXXIIII. Vide quàm conueniat ratio: iustum interuallum est annorum XL. duorum. Tamen esto. lustrum & censum condiderit Cæsar: in re & in numero quàm fœdus Plutarchi error? Ait tãtùm censa C.L. millia ciuium, cùm ante bellum ciuile censerentur trecenta millia XX. Dupliciter peccat. primùm in numero, qui ante bellum ciuile. Trecenta, ait, XX. millia. quomodo potest? Ego reperio iam ab annis viginti quinque ante bellum ciuile, censa Romæ quadringenta quinquaginta millia ciuium, Lentulo & Gellio Censoribus. Is numerus, qua clade, tam subitò imminutus? præsertim florentissimis populi R. rebus? Vide omnia lustra. adiectum semper aliquid ad numerum reperies, non detractum. Imò vetus codex Epitomes Liuianæ, lustro illo quod modò dixi, præfert non *quadringenta millia* L. sed *nongenta* L. Nec vlla hyperbole est, aut error. Auctus enim immaniter numerus ciuium, populis aliquot Italicis paullo antè ciuitate donatis. At ante donationem eam, vt anno DCXXXIX. reperio circiter ad quadringenta millia censa: quid ergo mirum, si nunc tanto amplius? Errat etiam in numero, qui post bellum. & cui sano persuadebit, tantùm superfuisse C.L. millia ciuium? Attriuit multos bellum ciuile, fateor: num plures quàm bellũ Punicum secundũ? Atqui post tot clades populi, & tot infeliciter pugnatas pugnas, cẽsa sunt tamen C.XXVII. millia. vide Fastos. Denique quid tergiuersor? & cur non venio ad decretorium stilum? Hîc, ecce, omnis fons erroris. Iulius Cæsar cùm publicè & priuatim turbata omnia repperisset per bellum ciuile: non Censuram, sed imaginem quandam eius sumpsit, ad sistendos & vinciendos labentes mores. Præfectus morum dici voluit, & fuit. Eo iure non censum instituit. non, inquam, solemne illud opus: sed recẽsum. id est, examen & inquisitionem in eos qui iure aut iniuria vtebantur publico frumento. Repperit in confusione illa rerum, numerum creuisse ad trecenta XX. millia: recidit, & reduxit ad sola centum quinquaginta. Suetonius clarè cap. XLI. *Recensum populi, nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: atque ex viginti trecentisq; millibus accipientium è publico frumentum, ad centum quinquaginta retraxit.* Similia prorsus istis, Dio lib. XLIII. cuius verba posui supra, & nunc non repeto. Hic omnis ille census, quem egit Cæsar: hic numerus, non ciuium omnium

Quot anni inter positum libera reip. lustrum, & primũ Augustæum.

Vide Onufrium impeditè dissentientem in Comment. ad Fastos A.V. DCIIII.

Errat in numero Plutarchus

Epitome Liuiana correcta.

Cæsar, non Censor, sed Præf. morum. Recensus eius non legitimus census.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnium (nihil vanius:) sed tenuis tantùm & egenæ plebis, quæ è publico alebatur, & quam ideo hirudinẽ ærarij Cicero alibi dixit. At scriptori Græco, qui conniuentibus oculis ista legerat, obiectus error: & nata popularis illa sententia, ad inuidiam ciuilium bellorum. Simile in Epitome factum: in quam confidens quispiam nebulo intrusit illa verba de censu: à Liuio quidem, non scripta, non picta. Reipsa quàm grandis numerus ciuium illa ætate fuerit: facilè coniicimus vel ex centibus Augusti, qui omnes vltra quadragies centena millia. vt ex lapide illo clarũ, quem publicauit amicus noster A. Schottus, suggerente Augerio Busbequio legato olim Byzantino.

Vnde obitus error Plutarcho.

CAP. XXVIII.

Mos histrionius in baculis, quos manu tenebant. Suetonio data lux, Appuleio, & Ausonio. Correctus semel atque iterum Suetonius.

IN Suetonij Nerone videor obseruare morem veterem, cui, meo animo, interpretes non faciunt claram satis lucem. Faciam ego.

Cap. XXIIII.

Atque etiam in quodam Tragico actu, cùm elapsum baculum citò resumpsisset; pauidus & metuens ne ob delictum certamine amoueretur, non aliter confirmatus est, quàm adiurante hypocrita non animaduersum id inter exsultationes succlamationesq; populi.

Baculi in manu histrionum quales.

Baculum intellegi volunt lauri ramum, quem vates & actores inter canendum manu tenebant: vnde ῥαβδῳδοὶ & σιχῳδοὶ dicti Græcis. Et quin tale aliquid apud priscos Græcos fuerit, non eo negatum: paullo aliter tamen mos scenæ fuit, quem tangit Romanus scriptor. Eum intellegere videor ex solius Plutarchi verbis, libello περὶ παίδων ἀγωγῆς: quæ sic concepta: οἱ δ' ἀρμάτειοι τρόχοι πόνῳ καμφθέντες, ὁδ' ἂν εἴτι γένοιτο, τὴν ἐξ ἀρχῆς δύναιντο ἂν λαβεῖν εὐθυωρίαν. τάς γε μὴν καμπύλας τῶν ὑποκριτῶν βακτηρίας ἀπευθύνειν, ἀμήχανον. id est, *Rotas curruum cum labore curuatas, cùm omnia feceris, in pristinam rectitudinem non restitues: & incuruos histrionum baculos, in rectum reducere nulla vis possit.* Clarum enim ex eo, baculos aliquos inflexos fuisse, quos histriones, & præsertim saltatores, manu gestarent: siue ad concinnitatem aliquam motus, siue ad gesticulandum. Qui baculi etiam nunc in vsu eiusmodi nugis theatri apud Belgas, non sine vestigio prisci ritus. Nec è ligno solùm ij baculi, sed è ferro. Disco ex Appulei Apologia altera, in Rufinum quemdam saltatorem fabularum: *Ingens indignatio animo oboritur. tùne effeminatissime, tua manu cuiquam viro mortem minitaris? At qua tandem manu? Philomelæ, an Medeæ? an Clytæmnestræ? quas tamen consultas, tanta mollitia animi, tanta formido ferri est, sine cludine saltas.* Emendo, *quas tamen cùm saltas.* Vox cludinis (incorrupta modò sit) propria fuisse videtur huic mimico ferro. Ad eum morem prorsus capiendus Ausonius,

Plutarchi notandus locus.

Suspectus Appulei locus, in parte emẽdatus. Cludm. quid. Ausonius explicatus.

Deceptæ felix casus semiscuit arti:
Histrio, saltauit qui Capanea, ruit.

In

In Canace visus multo felicior, ipsa
Quòd non hic gladio viscera dissecuit.

Gladium illum saltatoriũ intellegit. Lucem hinc do abbreuiatori Dionis in Antonino Caracalla: sub quo narrat Theocritum quemdã, olim scænicum, præpotentem fuisse: quem cùm dicto aliquo offendisset Titianus procurator Alexandriæ, atque is stricto ferro è sede sua in illum prosiluisset: ridens Titianus, Ὡς ὀρχηστὴς ἐποίησας, inquit, *Vt saltator fecisti.* In quo nihil dubito allusum ad hoc mimicum ferrum. Addam alia Suetonij, ne ventosum & inane caput.

In Tiberio, cap. LII.

Filiorum neque naturalem Drusum, neque adoptiuum Germanicum patriæ caritate dilexit: alterius vitiis infensus. Nam Drusus animi fluxioris, remissioris q; vitæ erat.

Metuo vt aliquid desit, plenior certè, & quæ vtrumque membrum complectatur, lectio erit, *alterius virtutibus, alterius vitiis infensus.* Germanicum enim oderat, propter eximias virtutes: Drusum, propter vitia.

Correctus Suetonius.

Cap. XLVII.

Paucorum Senatorum inopia sustentata, ne pluribus opem ferret, negauit se aliis subuenturum, nisi Senatui iustas necessitatum causas probassent. Quo peracto, plerosque modestia & pudore deterruit.

Scriptum fuit à Suetonio, *Quo pacto plerosque*, at linea neglegenter litteræ. p. indita, locum mox corrupit.

CAP. XXIX.

Conlectanea de imaginibus. Qui nobiles apud Romanos: & è quo magistratu primùm imagines. Cicero correctus. Imagines quid fuerint, correctusque Ouidius. In atrio locari solitas, & in thecis. Mos eas aperiendi in die festo. Tituli imaginum; & emendatus Tibullus. Mos eas ferendi in funere.

DE imaginibus quidquid dignum legi, conscribam: &
Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea inducitur ratis:
sic ego Electis eiusmodi rerum, ad doctrinam veterem præibo iuuentuti.

Generis apud Romanos discrimen duplex. Alij Patricij, alij Plebeij. rursum ex vtrisque, alij Nobiles, alij Noui. Nobiles censebantur illi soli, quorum maiores magistratum ceperant, quique ius habebant imaginis ponendæ. Noui, quorum maiores vitam priuatam vixerant, & quibus imagines nullæ. Regum temporibus, & post Regifugium aliquot annis, penes solos Patricios magistratus erant: ideò & nobilitas. Postea, per contentiones Tribunicias, communicati cum plebe honores: simulque nobilitas & imagines. Imò non rarò ex eo, plebeius quispiam, nobilis ante patricium: vt Claudij Marcelli, vt Decij, Flaminij, Luctatij, & quæ aliæ è plebe familiæ plenæ honorum. Non enim ex genere, sed ex imaginum multitudine omnis nobilitas: & imagines ex magistratu. Liuius

Romanũ, qui nobiles.

Qui noui. Plebeij nobiles quãdo cœperint.

Ex imaginibus omnis Romana nobilitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

libro primo *Ancus Marcius nobilis vna imagine Numæ.* Idem libro XXII. *Nec finem antè belli habituros, quàm Consulem verè plebeium, id est hominem nouum fecissent: Nam plebeios nobiles iam hisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem cœpisse, postquam contemni desierint à patribus.* Suetonius in Vespasiano, *Gens Flauia obscura illa quidem, & sine vllis maiorum imaginibus, sed tamen reip. non pœnitenda.*

Imagines, ex quo magistratu.

Imagines, dixi, è magistratu non tamen quouis, sed curule. Quæstura, Tribunatus, & qui alij inferiores honores, ius imaginis non dabant: dabat inter ordinarios magistratus, prima, curulis Ædilitas. Disco ex Ciceronis verbis, libro quinto in Verrem, vbi loquitur de se Aedile: *Ob earum rerum solicitudinem atque labores, fructus illos datos, antiquiorem in Senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius, imagines ad memoriam posteritatemq; prodendam.* Scribe potius *ius imaginis.*

Ciceronis emendatio.

Imagines, non totius corporis.

Hæ imagines non aliud fuerunt, quàm expressa corporis effigies humerorum tenus, è cera. Dico, humerorũ tenus. non enim corporis totius erant, sed capitis atq; vultus. Plinius lib. XXXV. *Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis.* ait disertè, vultus. Cicero in Bruto, cui ab hac obseruatione lux: *Ex quo, tamquam ex ore imago, exprimatur.* Addidi item, è cera. Idque adeò verum, vt vulgò eas nobilium imagines poëtæ appellent Ceras. Iuuenalis,

E cera solitæ fieri.

Tota licet veteres exornent atria ceræ.

Ouidius correctus.

Et Ouidius; in cuius verbis prisca labes, lib. I. Amorum.

Nec te decipiant veteris quinquatria ceræ:
Tolle tuos tecum pauper amator auos.

quam amoueo, & lego, *veteri cincta atria cera.* Nam lena est, quæ monet puellam ne se pulchris aut nobilibus vulget, sed tantùm diuitibus & pecuniatis. Imagines autem istæ in atriis. Seneca, *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus: animus est qui facit nobilem.* Idem Consolatione ad Polybium: *Vides omnes has imagines, quæ impleuere Cæsareum atrium: nulla non harum aliquo suorum incommodo insignis est.*

In atriis ponebãtur.

Martialis:

Atriaq; immodicis artat imaginibus.

Valerius lib. V. cap. VIII. *Prudentissimoq; viro succurrebat, effigies maiorum cum suis titulis idcirco in prima ædium parte poni solere, vt eorum virtutes posteri non solùm legerent, verùm imitarentur.* Prima enim ædiũ pars, Atrium. Seneca de Benefic. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine & multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant.* Alij malè, *parte summa.* Ausonius,

Hos ille Serum veste contexi iubet,
Hos cælat argento graui:
Ceris inurens ianuarum limina,
Et atriorum pegmata.

Ouidius iterum correctus.

Imagines igitur istæ ex cera. ideò bene monui olim in hoc Ouidij versu, lib. VI. Fastorum,

Vidimus ornatos, ærata per atria, picta
Vesse triumphales occubuisse senes,

legen-

legendum, *cerata per atria.* Æris in atriis nulla mentio, at frequens cerarum. Statius tamen opitulari vulgatæ lectioni videatur II. Thebaid.

— læto regalia cœtu
Atria complentur. species est cernere auorum
Comminus, & viuis certantia vultibus æra.

Quamquam & sit nulla mihi religio rescribere, *Certantia vultibus ora.*

Imagines in thecis.

Collocabantur autem ordine in ligneis thecis, siue, vt Plinius appellat, armariis. Libro XXXV. *Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines quæ comitarentur gentilicia funera.* Ausonius in versibus quæ suprà, pegmata maluit dicere. Eæ thecæ diebus festis aut lætioribus tantùm aperiebantur; aliàs, vt videtur, clausæ. Cicero pro Sullâ: *Domus erit, credo, exornata, aperientur maiorum imagines.* Vopiscus in Floriano, *Tantùm illud dico, Senatores omnes ea lætitia esse elatos, vt domibus suis omnes albas hostias cæderent, imagines frequentes aperirent, albati sederent, conuiuia sumptuosiora præberent.* Apud Senecam patrem Triarius, lib. VII. Controu. VI. *Indicit diem festum, aperiri iubet maiorum imagines, cùm maximè tegendæ sunt.* Et hoc est quod Polybius lib. VI. scribit, has imagines publicis sacrificiis proferri, & magnificè ornari. Cui curæ haud dubiè olim præfectus Atriensis.

Titulus, siue Index imaginis.

His imaginibus subscripti Tituli, siue Indices honorum & rerum in magistratu quoque gestarum. Plinius, *Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum.* Tibullus,

Non tua maiorum contenta est gloria fama,
Nec quæris quid quaque index sub imagine dicat.

Emendatus Tibullus.

Ita emenda. Nam intellegit hunc Indicem, quem Liuius ferè Titulum appellat, & sæpe queritur ab eo corruptam historiæ fidem. Vt lib. IIII. *Minutium apud quosdam auctores transisse à patribus ad plebem, vndecimumq; Tribunum plebis cooptatum, inuenio. sed ante omnia refellit falsum imaginis titulum paucis antè annis lege cautum, ne Tribunis collegam cooptare liceret.* Libro VIII. *Vitiatam memoriam falsis imaginum titulis reor, dum familia ad se quæque famam rerum gestarum honorumq;, fallente mendacio, trahunt.* Libro X. *Cuius imaginis titulo, Consulatus, Censuraq; & triumphus æquo animo legetur: si pontificatum vel auguratum adiecerit is, non sustinebunt legentium oculi?* Valerius libro IIII. cap. IIII. *Plurimorum ac maximorum operum prætexto titulum imaginum suarum amplificauit.* Ad hunc titulum, Taciti locus pertinet, lib. XVI. *Obiectauitq; Cassio, quòd inter imagines maiorũ, etiam C. Cassij effigiem coluisset, ita inscriptam,* DVCI PARTIVM.

Imagines ad funera.

Vsus præcipuus earum imaginum, vt in funere nobilium ferrentur. Propertius,

Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa.

Liuij Epitome XLVIII. de Lepido: *Præcepit filiis lecto sternato sine linteis, sine purpura, efferrent. imaginum specie, non sumptibus nobilitari maximorum virorum funera solere.* Et exempla vulgò apud scriptores. Ratio ferendi in oblongis perticis erat siue hastis, vt fercula solent triumphorum. Ideò Feretra ea dixit Silius libro X.

Non coniux, natiue aderant, non iuncta propinquo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanguine turba virûm: aut celsis, de more, feretris
Præcedens prisca exequias decorabat imago.

Dio Cassius adfirmare videtur, non ferri solere imagines eorum qui relati in deos: ambigo de ea sententia, & scripsi quædam libro IV. Epistolicarum. Illud mihi certius, si quis turpi & immani crimine damnatus esset, damnari etiam & frangi eius imaginem solere, nec in exsequiis ferri. *Damnata imagines & fracta.*

Iuuenalis,

Frangenda miseram funestat imagine gentem.

Tacitus lib. II. *Cotta Messallinus, ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit.*

CAP. XXX.

Spartianus, Capitolinus, Lampridius, & Vopiscus emendati: item Trebellius Pollio. Iocus hominis mimi illustratus. Coctilia, quid. Adclamatio Senatus solemnis, Omnes. alia plura.

SCRIPTORIBVS Cæsareæ historiæ, qui redacti in vnum corpus, non sine suspicione scalpelli, lucem aliquam à me dabo, forsan & medicinam. In Capitolini M. Antonino, in extremo,

Crimini ei datum est, quòd adulteros vxoris promouerit, Tertullum, & Vistilium, & Orfitum, & Moderatum ad varios honores: cùm Tertullum etiam prandentem cum vxore deprehenderit. De quo minus in scena, præsente Antonino, dixit, cùm stupidus nomen adulteri vxoris à seruo quæreret, & ille diceret, Tertullus. & adhuc stupidus quæreret, respondit ille. Iam tibi dixi, Tertullus dicitur.

Iocus in pronunciatione. Iocus latet hominis mimi. Res autem sic se habet. quærebatur nomen adulteri: seruus ter repetitò dixit, Tullus, Tullus, Tullus. Iterum quærebat alter: & subdidit allusione ad hunc Tertullum, Iam dixi ter, Tullus dicitur. Ex ambigua pronunciatione facilè collectu, Tertullus. Ita ergo scribe in Capitolino, *& ille diceret ter, Tullus.* & pòst, *dixi ter, Tullus dicitur.* In Spartiani Seuero,

Vxorem tunc Martiam duxit, de qua tacuit in historia vitæ priuatæ, cui posteà in imperio statuas collocauit.

Tatius Cyrillus historicus. Placeret mihi, *de qua Tatius in historia.* Tatius Cyrillus eorum temporum scriptor fuit: nominat eum & imitandum sibi proponit Iulius Capitolinus, in Maximinis, sub initium.

Ibidem,

Opera publica præcipua eius exstant, Septizonium, & thermæ Seuerianæ. Eius denique etiam ianuæ in transtiberina regione, ad portam nominis sui.

Iani, quid. Scribo, *Eius denique etiam iani.* Iani dicti, transitiones peruiæ, quales multas Domitianus exstruxit. Suetonius, Cicero, &alij.

In Trebellij Pollionis Claudio,

Et hunc tamen quidam historici laudare conati sunt, & ridiculè quidem. Nam Gallus Antipater ancillariorum, & historicorum dehonestamentum principium de Aureolo sic habuit: Venimus ad Imperatorem nominis sui.

Puto

Puto eum scripsisse, *Gallus Annius, pater ancillariorum.* non ignota phrasi, vt Pater elegantiarum, & similia. *Pater ancillariorū*

In Lampridij Alexandro:

Consules quoscumque vel ordinarios vel suffectos creauit, ex Senatus sententia nominauit, sumptum eorum contrahens, & nundina vetera ex ordine instituit, vel dies vel tempora.

Ego nihil ambigo quin hæc, *vel dies vel tempora,* glossema sint ad vocem, *nundina:* ideò delenda. Sententia autem videtur, Alexandrum restituisse priscum morem comitiorum de Trinundino. *Glossemæ deletum.*

Ibidem,

Fecit Romæ Curatores vrbis XIIII. sed ex Coss. veros, quos audire negotia vrbana cum Præfecto vrbis iussit.

Lego, *sed exconsulares viros.* Sunt autem hi curatores, qui à Sexto Rufo & Victore ponuntur in quaque regione vrbis bini, aucto scilicet posteà numero. *Exconsulares viri.*

In Hadriano Spartiani,

Post Quæsturam acta Senatus curauit, atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius prosecutus est.

Scribendum, *Traianum in familiaribus.*

Ibidem,

Equitauit ambulauitq; plurimum, armisq; & pilo se semper exercuit.

Melius, *palo.* Nam intellegit exercitium, Palaria, Vegetio dictum. Iuuenal. *Quis nescit, aut quis non vidit vulnera pali?* *Pali exercitium.*

In M. Antonino Capitolini,

Tantum autem honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas in Larario haberet, ac sepulchra eorū additis hostiis & floribus semper ornaret.

Fortasse, *annuis hostiis.*

Ibidem,

In Saliatu omen accepit imperij, coronis omnibus in puluinar ex more iacentibus, aliæ aliis locis hæserunt: ipsius, velut manu, capiti Martis aptata est.

Eluceret hic mos, si leges *coronas:* &, *iacientibus.* Martis statua in puluinari erat, vt solitum: in eam detractas sibi coronas Salij iaciebant. *Mos iaciendi coronas.*

In Ælio Pertinace,

Nam pater eius tabernam coactiliariam in Liguria exercuerat.

Sudant interpretes in coactilibus istis eruendis. ego scribi censeam, *coctiliariam.* Coctilia videntur appellasse carbones ligneos semiustos, aptos ad ignem. Vt in Claudio Pollionis, *Ligni cottidiani pondo mille, si est copia; sin minus, quantum fuerit, & vbi fuerit, coctilium cottidiana batilla quatuor.* *Coctilia.*

Quid Coactilia sint, scio; & legi in Glossis, *Coactiliarius,* φιλοπτοιὸς: sed non id munus exercitum patri Pertinacis, verùm aliud illud, quod dixi. Ecce Capitolinus ipse, in principio, *Ælio Pertinaci pater libertinus Ælius Successus fuit: qui filio cognomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fatetur.*

Ibidem,

Cùm ad Senatum venisset, & cellam curiæ iussisset aperiri, neque inueniretur aditus, in templo Concordiæ resedit.

Melius, *neque inueniretur adituus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Tacito Vopisci,

Hac oratione & Tacitus ipse vehementer est motus, & totus Senatorius ordo concussus. Statimque acclamatum est: Omnes omnes in Decium ad campum Martium, ibi comitiale tribunal ascendit.

Turnebi acumen aberrat.

Locus corruptus; nec mederi potuit peritissimus Turnebus, qui legit, *Omnes illicium ad campum.* & adfert nescio quid de illicio apud Varronem: quod hîc, nihil ad Bacchum. Scribo ipse, *Statimq; acclamatum est, Omnes, omnes. Inde itum ad campum.* Satis certa ea lectio: etiam mos ille acclamandi in communi consensu Senatus, Omnes. Suprà, in Actis Senatus, *Tacite Auguste, di te seruent. Deinde omnes interrogati prætereà, qui post Tacitum sedebat Metius Nicomachus in hæc verba disseruit.* emendo, *Deinde, Omnes. Interrogatus prætereà.* Trebellius Pollio, in Valerianis, *Quæ cùm essent sæpius dicta, addiderunt omnes, atque ita discessum est.* scribe, *addiderunt, Omnes.* Notanda igitur iuuētuti ea solemnis & quasi legitima forma acclamandi, quam reperies etiam alibi. Hæc leuia: quis negat? at quàm leuiores illi, qui reges sibi videntur, in vna aut altera simili nota? Capita iis tota explet corrupta vna vocula aut littera: & principium cùm leges, censebis, munere deûm, venisse nouum medicum, qui crus fractum obligare possit Æsculapio ipsi. Iam verba, quàm nitida, quàm composita! quasi tessellæ omnes in pauimento. Quid dicam, nisi Cæcilianum illud? O tristes ineptias! Mihi in hoc genere, duo, curæ, Breuitas & Veritas: alterum secutum me scio, alterum assecutum. Faue, mi Lector.

Acclamatio Senatoria, Omnes.

FINIS.

APPROBATIO.

Hunc Iusti Lipsij laborem sine tædio ob variam eruditionem perlegi, & sine vlla Catholicæ fidei offensa studiosis communicari & euulgari posse iudico.

VValterus vander Steeghen,
S. Theol. Licentiatus.

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

REFVTATA *vulgi opinio de scriptore Controuersiarum. Non esse Annæum Senecam philosophum. ostensum id ab ætate, à vita, à stilo. Esse illius patrem. id quoque clarè ostensum. Senecarum stemma. Locus vnus correctus.*

CAP. II. *Stipendij militaris initia, & progressus. Quis primò modus. quæ deinceps accessio. Aliud denarium esse, aliud denos asses. Tacitus explicatus. Liuius correctus. item Suetonius in loco tenebroso.*

CAP. III. *Iuuenalis versus correctus & illustratus. Mos antiquus de lucernis ad ianuas, ad fenestras, ad arbores, ad lupanaria noua. Vates præferebant lucernam. Tertullianus. Xiphilinus, Seneca, Persius, & Prudentius explicati.*

CAP. IV. *Aquam calidam antiquitùs ad potum fuisse. imò ad delicias. Thermopolium Plauti quid? Dio explicatus. Calida vino mixta. Plautus illustratus, & Tacitus. Plautus correctus. Senecæ ex Athenæo data lux.*

CAP. V. *Carmen poëtæ veteris, non antea visum. De scriptore quæsitum. multa in eo emendata, & illustrata.*

CAP. VI. *Ritus collocandi cadaueris. Suetonij nouus & verus intellectus, & Virgilij Conlocatio. Cærimonia in ea adiuncta. Persius illustratus. Seneca etiam emendatus. Amictus in corpore mortuo. Appuleius, Iuuenalis, Martialis explicati.*

CAP. VII. *In Agellio complura emendata. Rumices. Trifices. Caupuli. Prisca aliquot verba, Claudere. Imparientia. Secus pro sexu. Exerrationes. Catonis fragmentum correctum. Consipere, probum verbum: item, Despreti. & plura alia.*

CAP. VIII. *De frumentatione, accurata conlectanea. Eius origo prima. Indicatum in Liuij loco mendum. Appiani in Gracchi lege apparens error. Sallustij insignis emendatio. Menstruum seruorum. Clodij Annonaria lex. Recensus populi, & in ea voce Suetonius correctus. Dionis error in tempore. Recensus Augusti. Persius explicatus & Plinius. Ambigua Capitolini lectio. Cælius in Epistolis ad Cicer. correctus bis. De origine Præfecti & Curatorum annonæ. Minutia Frumentaria. Appuleius emendatus. Panis gradilis. Prouinciæ frumentariæ. Oleum & caro distributa, & alia compluria.*

CAP. IX. *E Statij Papinij Siluis decermina. Sacerdotes Salij repositi. Statuæ in honorem Cæsaris ex testamento.*

CAP. X. *Correctiones aliquot in Seneca. Elogium eius de Publij versu emendatum. glossema sublatum. alia quædā notæ melioris.*

CAP. XI. *Ritus in scenam producendi scorta. Liuio, Statio, Tertulliano, Plauto, data lux. Cur theatro adiuncta ædes Veneris: & Suetonius explicatus.*

CAP. XII. *E Suetonij Augusto loci aliquot vitiosi. liberti à memoria. De cōpacto.*

CAP. XIII. *De vestitu Romano conlectanea. Color togæ albus. obiectiones remotæ duæ. Plautus, Suetonius, Persius, Horatius illustrati. De Lacernis, & Panulis. Spartianus & Tacitus correcti. Item Seneca, eximio loco. De tunica & calceis.*

CAP. XIV. *E Cornelio Nepote vetus mendum sublatum in vita Attici. Statuas inscribendi mos.*

CAP. XV. *Veterum legum De Re agraria aliquot capita; nisi fallor, publicè nondum visa. Ea ad priscam scripturam variè correcta.*

CAP. XVI. *Ex Annæi Senecæ Epistolis complures loci. Ladas cursor. Exsaniare. De Turdo, prouerbium, Oculifera, & alia plura.*

CAP. XVII. *De lecto aduerso, planè & dilucidè dictum. Laberius & Spartianus correctus. Horatius illustratus. Item occultior mos texendi in atrio telas.*

CAP. XVIII. *Appuleius variè correctus. De clauis in cruce. Plauti versus emendatus. & Martialis. Mos tangendi oculos. Iusiurandi etymon. Principes Africæ. Appuleius non seruus.*

CAP. XIX. *De Lectica & Sella prisci ritus. Quando cœperint. Earum forma. discrimen. Catullus & Martialis explicati. Gracchus correctus. & Propertius. Variorum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum scriptorum loci explicati.

CAP. XX. *In Suetonio selectiora aliquot loca. Qualis lex Iulij fuerit, concepta de matrimoniis. Eloquentia Cæsaris. De Iano clauso, accurata disceptatio.*

CAP. XXI. *Agelliani complures loci. Cautus, quid. Macrobius correctus. Leges Flaminicæ emendatæ. Item Cato. Priscæ locutiones repositæ. Glossemata aliquot sublata.*

CAP. XXII. *Serui publici apud Romanos. Eorum nomina, A regionibus, & A personis. Brutiani, Cyprij, Clodiani, Corneliani, Gelliani.*

CAP. XXIII. *De lictoribus eorumq; origine, conditione, ministerio, & ritu Conlectanea accurata. Nonius in etymo eorum correctus: item Agellius. Lictores è libertis aut libertinis. ciues fuerunt, & ideo togati. Liuius correctus. Summotio propriè quid, & quomodo ea usi. Plinius explicatus, Cicero emendatus. Animaduersio quid. Assurgendum magistratui erat, caput aperiendum, equo descendendum, & curru: ferrum ponendum. Tacitus explicatus. Præitio, qualis. è Liuio glossema ablatum. Quis Primus lictor, quis Proximus. Turnebi in eo error. Fasces lictorum. Mos eos ferendi, submittendi. Virgæ lictorum. Percussio solemnis ianuæ. Bacilli. Seneca correctus. Bacilli prælati municipalibus magistratibus. Quot lictores cuique fuerint.*

CAP. XXIIII. *Ausoniana aliquot emendationes. Lumen, de filiis eleganter dictum. Fastus Campanus. Ausonius quando Consul.*

CAP. XXV. *Seruorum quæ propriæ olim vestes. Tunicatos primò fuisse. Sicut & rusticos Romanos in coloniis, in municipiis. Plinius emendatus. Postea serui pænulati. earum pænularum color rufus. Canusinatus, quid? Cuculli, Bardocuculli. Imperatorum serui alia veste. Ij albati, vel aurati.*

CAP. XXVI. *Glossemata aliquot non paruæ rei è Seneca sublata.*

CAP. XXVII. *Error communis in historia & Fastis de censu & lustro. Plutarchi peccatum, & eius causſa. Epitome Liuiana corrupta ostensa.*

CAP. XXVIII. *Mos histrionius in baculis, quos manu tenebat. Suetonio data lux, Appuleio, & Ausonio. Correctus semel atq; iterum Suetonius.*

CAP. XXIX. *Conlectanea de imaginibus. Qui nobiles apud Romanos: & è quo magistratu primum imagines. Cicero correctus. Imagines quid fuerint, correctus, Ouidius. In atrio locari solitas, & in thecis. Mos eas aperiendi in die festo. Tituli imaginum: & emendatus Tibullus. Mos eas ferendi in funere.*

CAP. XXX. *Spartianus, Capitolinus, Lampridius, & Vopiscus emendati: item Trebellius Pollio. Iocus hominis mimi illustratus. Coctilia, quid. Adclamatio solemnis in Senatu, Omnes. alia plura.*

IVSTI LIPSI

ELECTORVM

LIBER SECVNDVS.

In quo mixtim Ritus & Censuræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVSTI LIPSI

ELECTORVM LIBRI SECVNDI

CAPVT PRIMVM.

Lampridij obscurioris mendi locus elautus. Qui Trossuli: & de Principe iuuentutis. E Senecâ glossula sublata.

BELLA mihi visa, non nego, emendatio nostra Lampridiani loci: in quo labes altior & occultior, quam nec eruat nec eluat mihi quiuis. Ait de Commodo, in eius vitâ: *Decimoquarto ætatis anno in collegium sacerdotum adscitus est. Coöptatus inter tres solos Principes iuuentutis, cùm togam sumpsit.* Quæro qui isti tres Principes, quos inter Commodus adscitus quartus? Morem veterem scimus ab ambitione Augusti, designandi & nuncupandi Principes iuuentutis eos, qui in proximâ spe ad Imperij successionem. Scilicet vt ipse Imperator veteri exemplo & nomine, Princeps Senatus: sic illi, proximum titulum fruebantur Principum iuuentutis. At præter Commodum, quis tunc eâ spe aut gradu? Nemo. nedum vt tres vnà alij, quod nego factum vmquam in Romanâ re aut cogitatum. Caius quidem & Lucius Cæsares, Principes iuuentutis sub Augusto: sed nempe fratres. nec tamen scio planè an temporibus & annis iisdem. Cetera exempla, quæ varia & multa, conuenient dumtaxat in vnum. Denique esto. mos & ius fuerit creandi plures: quæ tamen hæc dictio aut adiectio, *tres solos?* Itáne solos? An denos igitur aliquos creari vis aut vicenos? Nugamenta rerum verborumque; quæ correctione tollo, & reduco ad serium verumq; sensum. *Coöptatus inter trossolos:* siue, *trossulos.* Rem ipsam dixi. Nam Trossuli, equites: & titulus ille proprius ordinis huius. Censores enim olim in lustri conditione ordinumque recensu, quem primùm honoris & virtutis causâ in primo ordine legebant: is Princeps Senatus. quem primum item in ordine secundo, is Equitum: sed recepto tamen nomine, Iuuentutis Princeps dicebatur. Reuera enim Equites, Iuuenes, descriptione Seruianâ: & quia statim à togâ virili, in hoc ordine fas censeri. Prius è Liuio clarum, libro XLII. in oratione Persei ad Macedonas suos: *Equitatum Romanum, quo inuictos se esse gloriabantur, fudistis. Equites enim illis, Principes iuuentutis, equites seminarium Senatus.* Alterum è scriptoribus passim, & è Dione definiente etiam annos: καταλήγοντος χρῆς τὴν ἡλικίαν ταύτην ἀπὸ τῶν καὶ δεκέτους. ἐν γὰρ ταύτῃ ἥλικία μάλιστα ἥ τε τῶν σωμάτων ἰσχὺς, καὶ ἡ τῶν ψυχῶν ἐπιτηδειότης διαφαίνεται. id est:

Princeps iuuentutis, gradus ad Imperium.

Inter Trossulos coëptari, siue equites. Princeps Senatus à censore lectus: item Iuuenum. Equites, iidem cum Iuuenibus, vulgatâ quadã vsurpatione.

Anni equestris ordinis præcipij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Legendi autem in Equitem, qui ex Todeccennes. Nam in hac ætate & corporum habitudo maximè, & animorum promptitudo iuxtà apparet. Mens igitur Cæsarei scriptoris, Commodum sumptâ virili togâ, relatum in Equites: & quidem Principem eius ordinis, vt solet, honestè dictum. Atque hæc sine obice. illud turbet fortasse musteos Criticos, quod vetustior vox Trossulorum, quàm pro Lampridij æuo. Errabunt. Nam vetus quidem illa vox, & ante Ciceronem, fateor: sed quæ post-æuo refloruit iterum sub Principibus & velut reuixit. Nam & Seneca ecce minimè sectator aut reprensor verborum fugientium, eâ bis vsus in hac Equitum siue Iuuenũ notatione. In Epistolis: *O quàm vellem Catoni nunc occurrere aliquem ex his trossulis in viâ diuitibus; cursores, & Numidas, & multum antè se puleris agentem!* Vbi opportunè glossematium amolior, τὸ, *Diuitibus*: ad vocem *Trossulis* à benignis illis patribus parum peritè adiectum. Idem Seneca iterum: *Quid ergo? idem faciam quod trossuli isti & iuuenes? Benè mecum agitur, si hoc vnum senectutem meam dedecet.* Quem locum si totum inspicis, opponi eam vocem Senibus clarè videbis. At quod veteribus Trossuli dicti Equites, è Plinio, Festo, Varrone iam alij monuerunt: & tibi promptum, Lector, cuius memoriæ cymbam, vt sic loquar, non decretum mihi onerare obuiâ istâ merce.

Deleta superuacua vox è Senecâ.

Trossuli pro iuuenibus.

CAP. II.

Quis locus honestior priscis, dexter an sinister? illum videri. Refutatus vir doctus, qui nuper aliter sensit, & scripsit. Quid sit Latus tegere: quid Exteriorem esse, quid Interiorem. Scriptores aliquot explicati, Sallustius in cursu emendatus.

IMPROBVM hoc caput, in quo bellum mihi cum meo ciue. sed bellum imbelle tamen, sine sanguine aut funere: & qualia vtinam hęc Belgarum! Sententiam & morem nouum præiuit nobis nuper vir doctus in sua Hermathenâ, de loco dextro & sinistro. adseruit validè plerisque gentibus sinistrum locum honestiorem habitum: etiam Romanis. Tela quibus id expugnatum iuit, breuiter (nam ipse diducit & dilatat) sunt ista. Ait primò: Senibus & ætate grandibus honestissimum locum adtributum in sessu siue incessu, nemo ambigit: tributus autem illis medius aut sinister: honestissimus post medium iste igitur. Ab Ouidio firmamentum quærit:

Aduersor Io. Goropio Becano.

Rationes eius ordine posita.

Prima.

Et medius iuuenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior, si comes vnus erat.

Interior enim, inquit, sinisterior, vel Seruio interprete in illud Virgilij

——— *ad saxa suburget Interior.* ———

Secunda. Ait secundò: Pallanti apud Virgilium omnes honores habentur, vt hospiti, vt auxiliatori, vt regio nato. ille autem ipse in medio semper aut ad sinistram collocatur à seruantissimo rituũ poëtâ. cõfit igitur quod prius.

De

De loco medio, ecce:

——— *ipse agmine Pallas*
In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis.

De sinistro autem:

——— *Pallásque sinistro*
Adfixus lateri.

Ait tertiò: Suetonius idem clarè exprimit in Teridate: cùm in Nerone scribit, *Teridatem perductum in theatrum ac rursus supplicantem, iuxtà se latere dextro collocauit.* Hoc, inquit, contumeliæ fuit, non honoris: deprecianti Teridati, non attollendo. & iure. quis enim regem supplicem collocatum censeat, supra Principem generis humani? Indignior igitur locus dexter. Denique post tela hæc auctoritatum, machinas etiam admouet rationum. Dextra in nobis manus nata defendere. hanc qui tegit, significat sese tutorem defensoremque nostri esse, & vt custodem. at qui custodit, vilior eo quem protegit. ideoq; meritò locatus ad dextram, vt partem viliorem. Sed & Auspicia quæ bona, sinistra dicuntur. & Græci cùm ἄριστον, optimum dicant, ἀρίστερον ab eo siue Sinistrum formarũt, præstantiam hanc spectantes & bonitatem. Denique natura ipsa nónne id vociferatur & clamat? quæ collocauit cor nobis ad sinistram, illum vitæ fomitem, illum fontem sanguinis. quid, nisi vt dignissimum membrum sedem haberet in dignissima hominis parte?

Tertia.

Plures aliæ mixtim à moribus aut natura.

HAEC illa argumenta, vt ipse aliique putant, firma, solida: quæ euertere mihi tamen posse videor non magno nisu. Nasonem in prima acie ponit, qui senem facit isse Interiorem, id est sinisteriorem ex Seruij mente. Mi homo erras. abnuo tibi Interiorem id valere: & quid huius rei sit, clarius mox dicam cùm stabiliam mea. At Seruius. Quid ille? non ego Seruij huius seruus: quem deliria quædam mage maiora scio delirasse. Et Virgilij sanè alia mens est. Quem ipsum cùm aduocas in aciem secundam, pugnas seriò an ludis? Pallas, inquis, in medio agmine. Fateor. sed in suo agmine, idque vt dux & imperator. Quis hîc honoris istius, vt sic dicam, togati & ciuilis adspectus; aut quæ comparatio ad alium, siue altiorem siue minorem? Nulla. mos militiæ exprimitur saltem, qui obtinuit plurimum inter gentes. Sed idem illi Æneæ etiam ad sinistram. Quid ais? valere hoc à te vis? ego ad me trahebam, & iure. Cessisse enim Pallantem Æneæ censeo, vt seni, vt regis magni filio, denique vt deâ nato. Tu quid contrà? flectis vaniter & intorques: & tamen cùm omnia feceris, fateri debebis aut aduersum tibi esse hunc testem, aut incertum. Hunc igitur mittamus. ecce tertiæ aciei robur, Tranquillum: qui omnia, credo, nobis tranquillabit. Ille ait Teridatem collocatum Neronis latere dextro. O varum acumen! Quis tibi dixit, depressionis caussâ id factum à Nerone, non sublationis potius? Tuus sensus: sed sine adsensu nostro. Ego enim probabiliter contrà sentio, & Neronem omnes honores Teridati habuisse autumo, vt peregrino, (& inprimis hoc loci & temporis) vt nouo & à se facto regi. Et mecum, scio, sentient omnes ij quibus purior sensus. Iam rationes quas adducis, quàm non ratæ? stipulæ & palcæ sunt: quæque non ferent primum examinis mei ignem.

Refutata ea omnes ordine.

Ad primam responsio.

Ad secundam.

Dux agmini vis in medio.

Ad tertiam

Ad mixtas rationes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dextra promptior & robustior.

Dextra manus apta defensioni. Bonum factum, bonum dictum. & ideò igitur præstare eam meritò Siniſtræ volumus, vt habiliorem, vt fortiorem: & qui ad hanc locatur, locari ad digniorem. Tu nescio quid aliter hic inuoluis & perplexaris: quod, vapulem, si satis cepisti ipse. At Grammatici etiam ita sentiunt. Túne ad hæc castra? sed te repellunt, & illinpsi literatores Græculi ἀρίστερα cũ bono omine & nomine dicta fatentur, etsi in re malâ. nimirũ κατ' εὐφημισμον quemdam, vtrique linguæ non ignotum. Non igitur rei dignitatem ex verbo isto adiicies, non ex illorũ mente quidem: potius delibabis. Ecce enim tibi ex illa ipsa corte, qui ἀριστερὰ, τὰ μῶρα interpretetur, & δεξιὰ, τὰ συνετὰ. quàm non ad tuam mentem, vides. Sed Auguria etiam captas, & iam vaticinaris. Siniſtra, inquis, censent optima. Scimus pridem, ô bone, & eius rei causſam: scimus tamen & hoc, gentes quasdam fuisse, quibus auspicatiora dextra. Sed quid superstitionem hanc mihi ingeris? quæ si locum habet vbi sessionis ciuiliter res aut itionis: cur non religionem tibi regero, meliori iure? In deorum adoratione ad dextram se vertebant: melior illa igitur. In mensâ, in * dextram potum circumferebant: melior illa igitur. Sed bonâ & Belgicâ fide, quid hæc firmandæ causſæ aut infirmandæ? Quin rem tange potius: & omitte digladiari in vmbrâ, aut cum vmbris. Iam tango, inquis, & quidem letaliter in ipso corde. Hoc enim ad siniſtram. Nonnihil dicis, fateor: sed vide quàm facilè protelem hoc telum. Rem nudam in situ hoc adspicis non eius veram causſam. Dignitatis enim esse vis: commodi autem est & fructus. Nam vt capias, prudens ille conditor & dispositor deus cor in pleroque omni animali medium esse voluit, sine flexu in dextrum aut siniſtrum. scilicet vt scaturigo illa sanguinis, spirituum, vitæ, à parte mediâ pertineret & se diffunderet ad fouendas & irrigandas æquiter omnes partes. In homine tamen paullùm id aliter est, & inclinat vergitque siniſtrorsum. quid ita? prouido idipsum & magno consilio, quod ex Aristotele non vltrà te celabo. Ait Naturæ ille germanus alumnus: ἐπὶ δὲ ἧ καρδία τοῖς μὲν ἄλλοις ζώοις κατὰ μέσον τοῦ στηθικοῦ τόσω. τοῖς δὲ ἀνθρώποις εἰς τὰ εὐώνυμα μικρὸν παρεκλίνουσα, πρὸς τὸ ἀνισοῦν τὴν κατάψυξιν τῶν ἀριστερῶν. Pulcherrimè, veriſſimè. nec aliud hîc, quàm arcanum Prouidentiæ opus: quæ benigno quodam & miseranti respectu cor propius Siniſtram admouit, vt vitalis ille calor subsidium è propinquo ferre posset, & vegetare malam rigentem que partem. Μάλιστα γὰρ τῶν ἄλλων ζώων ὁ ἄνθρωπος ἔχει κατεψυγμένα τὰ ἀριστερά, vt idem Sapiens addit. Hæc vides quàm sint ad tuum stomachum: quæ tamen si ingeris & demittis, reuomas & refundas necesſum est fallacem illum primæ opinionis succum. Sed tua tela quoniam satis cuitaui, & quidem solo amictu: præbe te paullùm certiori ferro, & *Aſſice num mage sit noſtrum penetrabile telum.*

Dextro ortymo vocii Græx.

Auguria siniſtra bona, à sinendo.

Contra minutas has rationes, minutæ alix.

* Licet addas, receptas locutiones in re fausſâ: *dextro Hercule, Mercurio, aut Cor cur homini ad siniſtram.*

Post refutationem, argumenta quæ à me sunt.

Nam pro loco dextro ita pugno. Valerius mihi (bono quidem omine) in principiis. qui de Tiberio honores omnes Druso fratri exhibente: *Præcepit etiam dextrâ in parte Prætorium ei statui, & Consulare & Imperatorium nomen obtinere voluit: eodemq; tempore & fraternæ maiestati cessit* (οἵου quid his verbis clarius?) *& vitâ excesſit.* Plutarchus, in Bruto: μετὰ ταῦτα τὰ περὶ τάξεως αὐτοῖς λόγος ἐγένετο, τῶν φίλων παρόντων, καὶ Βροῦτος ἠρέτο Καίσιον

Auctoritas Valerij.

Et Plutarchi.

Καίσιον αὐτὸς ἡγεῖσθαι τοῦ δεξιοῦ κέρατος, ὃ δὴ ἐμπειρίαν καὶ ἡλικίαν μᾶλλον ἔφερτο Καισίῳ προσήκειν. Satin' vt his quoque verbis clarè dextrũ cornu præfertur siniſtro, idque in aspectu honoris? Ades & tu Suetoni, vt pugnem verbis è Tiberij cap. VI. *Dehinc pubescens, Actiaco triumpho, currum Augusti comitatus est siniſteriore equo, cum Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur.* Nihil certius, quàm præstatum in hac sessione Marcellum: qui & ætate Tiberio maior (anni vnius, vt obseruo) & qui ad imperij spem ab auunculo iam admotus. Idem in eodem Tiberio cap. XXV. narrat eum, Libonem, quem suspectum nouitatis habebat, ad colloquium quidem admisse, sed ita *vt dextram obambulantis veluti incumbens, quoad peragerentur sermo, contineret.* Vtrum in hac ambulatione digniorem censes, Tiberium an Libonem? Non dubiè illum. Atqui is ad dextram Liboni ambulauit, eamque pressit & innixus est suâ siniſtrâ. Intorqueo etiam missile Salluſtij lacerto, qui in Iugurthino: *Sed Hiempsal qui minimus ex illis erat, ignobilitatem Iugurthæ, quia materno genere impar erat, desiciens, dextrâ Adherbalem adsedit. at medius ex tribus, quod apud* (lego insita copula, *quod & apud.* nam certè scimus de medio loco obtinuisse etiam Romæ, ne apud Numidas tantùm censeas) *Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. Dein tamen vt ætati concederet, fatigatus à fratre vix in alteram partem transductus est.* Et examinata ea verba vulnus tibi imprimunt latis altum. In solemni hoc consessu regum res ita constituta ex more. dextrâ Adherbal consideret, medius Iugurtha, siniſter Hiempsal. Turbauit per ferociam iste, & superbè transiit ad dextram. Primus igitur locus medius, proximus dexter. Quin poëta etiam Sulmonensis à me, in hac pugnâ: ambiguè, primo adspectu; certò & fidenter, si intueare.

Secunda Suetonij.

Tertia eiusdem.

Quarta Salluſtij.

Ità, obiter correctus.

Libro IV. Metamorph. de Perseo:

Quinta Ouidij.

Dis tribus ille focos totidem de cespite ponit.
Læuum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo:
Ara Iouis media est. mactatur vacca Mineruæ,
Alipedi vitulus, taurus tibi summe deorum.

Mineruam enim apertè supra Mercurium collocat: idque apertum ex ratione victimarum, quam addit. Sicut & Hecaten siue Dianam, supra Iuuentam, istis versibus, lib. VII.

Sexta eiusdem.

——— *statuitq; aras è cespite binas,*
Dexteriore Hecates, at læuâ parte Iuuentæ.

Ratio pro loco dextro firmata.

Sed quid velitor? ecce falarica grandis quæ te necat. Nemo ambigit, quin latus claudere, tegere, eius sit qui vilior quique honorem defert. Exempla clara. Valerius: *Alexander, Epheſtione ſibi latus tegente, ad Darij necessarios venit.* Horatius:

Vísne tegam spurco Damæ latus?

Iuuenalis:

Diuitis hic serui cludit latus.

Quid sit latus tegere.

Atqui latus tegere, est esse ad siniſtram: vilior hæc igitur. Hoc diserte docco è Suetonij & Eutropij compositis locis. Ait ille in Claudio: *Aulo Plautio ouationem decreuit. ingreſsóque vrbem obuiam progreſſus, & in Capitolium euntí, & inde rursùs reuertenti, latus texit.* Ait iste in re eâdem: *In amicos*

Universidad de Deusto
Biblioteca

amicos tam ciuilis, vt etiam Plautium virum nobilem, qui in expeditione Britannica multa egregiè fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, & Capitolium conscendenti læuus incederet. Et videsne quod alter ait latus tegere, hunc appellare & exprimere Incedere læuum? Quo fuco aut fumo obscures tam claram lucem? Sed & Oppius De bello Alexandrino: *Eoq; ipso die,* inquit, *meridianâ horâ cùm in basilicam iret, quidam Minucius Silo cliens L. Racilij, libellum, quasi aliquid ab eo postularet, tradidit. deinde post Racilium (nam is latus Cassij tegebat) quasi responsum ab eo peteret, celeriter dato loco cùm se insinuasset, sinistrâ corripit eum, dextraq; bis ferit pugione.* Vbi latus Cassio Racilius tegit, nõ dubiè minor, cùm ille alter prouinciæ eius Præses. Hoc ipsum est, quod vocabant Exteriorem esse. Horatius non ambiguè:

Quid Exteriorem & Interiorem esse.

——— *nec tamen illi*
Tu comes exterior, si iusserit ire recuses.

Exterior enim ibi sinisterior, vt vetus interpres verè notat. Et contrà Interior, is qui dexter. Hæc mens Ouidij est (redeo enim ad maiori luce perfundendum primam tuam iniectionem) illo versu:

Ibat & interior si comes vnus erat.

Quæ caussa eius dictionis. Turnebi opinio.

Sed quare Exterior ille, hic interior dictus? quæ caussa huic sermoni? Hærent viri docti, interque eos magnus Turnebus. Putat vel à Circo ductum: quia qui dexter est, interiore flectit gyro; qui sinister, exteriore: vel à naturâ, quia, inquit, proximior cuique & interior est dextra pars, remotior sinistra. Sed mihi expeditior ratio in mente, & fortasse verior: quam pandam. *Interiorem* enim arbitror à positurâ senem dici. quia in deducendo aut comitando non æquabiliter iuerunt, & pari velut iugo: sed honestior præibat leuiter, proximè adhærente altero, & latus velut claudente. Ideò ille *Interior*, hic Exterior, alter alterius respectu. Nec dissimulo in quibusdam membranis (Giselinus me docuit) Ouidianum illud legi, *Ibat & anterior*: planè hoc nostro sensu. Atque hic in honore verus vetusque Romæ mos: quem non temerè migrarunt item aliæ gentes. Nam quod Xenophon de Cyro tradidit, solitum eum amicos locare ad suam læuam, vt cordi propiores: nouum & illi vni proprium est: & tamen si attendis, non honoris, sed adfectus. nec id trahendum ideò ad morem totius gentis. In Turcis tantùm aliter esse fateor. quos honestiorem hodieque habere locum læuum docuit me non læuus arbiter Augerius Busbequius, scientissimus harum rerum. Caussam illi dant, quia eam partem gladius honestet: & qui ad dextram, obnoxium eum habeat & subiectum alterius manu; sinister contrà, eum expeditum. En caussas non caussas, militares imò barbaras, & dignas eâ gente. At pro dextro loco, pugnat nobis Natura ipsa. Ea meliora omnia & fortiora dextra fecit: & Plinius vniuersè nec vanè scripsit, *vires dextrâ parte esse maiores.* * Aristoteles item benè: διὰ τὸ τὴν κίνησιν εἶναι ἐκ τῶν δεξιῶν, καὶ ἰσχυροτέραν διὰ ταῦτ' εἶναι τὴν φύσιν τῶν δεξιῶν. Et res visusque adprobat. & in corpore hoc humano, hepar splene melius: & è renibus, testiculis, manibus, pedibus, potiora omnia dextra. Caussa, quia calidiora. Aristoteles: τῶν μερῶν θερμότερα τὰ δεξιὰ. & de sinistris scribit contrà; τὴν φύσιν τὴν τῶν ἀριστερῶν ὅλως ὑγροτέραν εἶναι καὶ ψυχροτέραν. Sed & mouere

Cyri aduersa huic communi moratio. Etiam apud Turcas.

Argumenta pro nobis à Naturâ.

** III. De partib. animal. cap. II.*

uere atque agere Dextri est, moueri & pati Sinistri. Idem * Sophus: χινεῖν πέφυκε τὸ δεξιὸν, κινεῖσθαι δὲ τὸ ἀριστερόν. Possem in hanc sententiam plura (bibimus enim & nos naturæ & Sophiæ illos fontes:) sed abstineo. quia non reuera istæ Herculis sagittæ, quibus expugnemus hãc Troiam. Rituum antiquorum res est: qui ab vsu potius quàm ratione spectandi, & testimoniis quàm argutiis firmandi. Tu mi popularis, etsi mortue, tamen salue: & scripta hæc à me certò scito,

** Libro περὶ ζώων μορίων.*

Non tam certandi studio, quàm propter amorem.

Placet enim nobis acre ingenium tuum, multa & recondita lectio: etsi iudicium requirimus interdum.

CAPVT III.

Agellij complura loca emendata. Imitus, Aduerbium. Canalicola. Fama minuens. Plautus correctus. Sol meridies. Oscæ compellationes. Erucius Clarus Præf. vrbi. Ignauiones. plura alia non è circulis vulgarium correctorum.

AGELLII non vno loco tenebrosas noctes, illustriores reddere minati multi: & nuper etiam ego. Adeò serio, vt liber iam apud Typographum esset: & vota concepta pro hoc partu. Cùm ecce audio in Galliâ & Germaniâ viros doctos esse, qui idem moliti imò iam emoliti conatu magno. Itaque destiti; librum recepi; & solemne illud meum seruaui, vt ne lucis meæ caussâ luminibus obstruerem alienæ famæ. Non enim ita ego eius sitiens: & si sim, patent vnde hauriam alij fontes. Quia tamen me nunc quidem clamatum toties Hylam hunc videmus: quid nocuerit proprias quasdam argutias nostras (nam quæ è libris sunt, credo indubiè obseruata aliis) referre in hoc caput? Nam vt maximè etiam illis in mentem & stilum ista venerint: tamen vt Plato ait, δὶς γε καὶ τρὶς τὸ καλὸν ῥηθὲν οὐδὲν ἐλάττει.

Lib. XVII. cap. X. vbi insignis illa comparatio, Phauorino iudice est, Virgilianæ Ætnæ cum Pindaricâ: in nostro carpendo hæc leguntur:

Virgilius autem dum in strepitu sonitúque verborum conquirendo laborat, vtrumque tempus nulla discretione factâ confundit. Atque ille Græcos quidem fontes imitatus ignes eructare, & fluere amnes fumi & flammarum fulua & tortuosa volumina in plagas maris ferre quasi quosdam igneos amnes, luculentè dixit.

Ad quæ insistas iure. Quis enim hic ille qui Græcos fontes imitatus? Virgilium censeas. falsò. nusquam hæc enim in eius versu, quæ subdit. Pindarum igitur? ridiculum. quomodo Græcum conuenienter dixeris imitari Græcos? quomodo sermo ipse satis lautus & Latinus, Imitari Græcos fontes? Nam eos sanè nemo imitatur, sed sumit ex iis, haurit, delibat. Nec refello pluribus. tu me duce hæc scribito, *Atque ille Græcus quidem, fontes imitus ignis eructare.* Imitus, vt Stirpitus, Radicitus, Medullitus. & respondet ad verbum illis Græcis Pindari, τοῦ πυρὸς ἀγνότατα ἐκ μυχῶν πταχαί. Sed & statim corrige, *quasi quosdam igneos angues.* quod inter-

Vox erutæ noua, sed proba, Imitus.

Ignei angues.

Universidad de Deusto
Biblioteca

interpretandis illis Dircæi vatis facit, ἀφαίσιον ἔρεπτον: imagine audaci sanè & verè poëticâ, & quæ mihi blanditur.

Libro IIII. cap. XX.

Qui iurabat cauillator quidam & canicula & nimis ridicularius fuit.

Non canis hic, non canina facundia satis apta. Ioci enim nudi res est, sinè vllo morsu. Valdè libens & ad ingenium Geniumque veterascentem Agellij legam, *& canalicola.* Ita enim dicti olim homines forenses, dicaces, ἀγοραῖοι; quia ad canalem crebri. Festum vide in capse voce, & Plautum Curculione. Lib. I. cap. II.

Canalicola, quis.

Dissertationum Epicteti digestarum ab Arriano primum librum.

Imò hæc quæ subiicit, hodieque leguntur in Arriani libro secundo cap. XIX. Sic igitur corrige: nisi si alia tunc dispositio aurei illius scripti. Simul exple lacunas aliquot hîc hiantes ex eodem Arriano, in verbis Græcis quæ à capitis Agelliani fine.

Numerus corruptus, & loci protinus explementum indicatum.

Lib. I. cap. III.

Minimaq; illa labes & quasi lacuna famæ imminentis, partarum amico vtilitatum ratione solidatur.

Scribo, *famæ minuentis.* id est, imminutæ. elegantiâ priscâ & huic acceptâ. item *laciniam* malim, quàm *lacunam.* Sequitur enim solidari eam: quod duriter omnino transferas ad lacunam.

Fama minuens, Pathetico.

Libro III. cap. III. in verbis mei Comici:

Nam me puero vetus hic erat solarium
Multo omnium istorum optimum & verissimum.

Parum connexa hæc aut consequa aliis. Corrigo, *me puero vterus hic erat solarium.* nisi fallor, perappositè ad parasitum. Quid opus, inquit, solâriis & his obseruationum nugis? Me puero vnum cuique & non fallax solarium, venter. vbi is monebat cibum sumere, sumebatur.

Plautini versus correctio.

Vterus solariũ, voto parasiti.

Eodem lib. cap. II.

Magistratus quando vna die eis auspicandum est & id super quo auspicauerunt agendum, post mediam noctem auspicantur, & post exortum solem agunt: auspicati esse & egisse ex eodem die dicuntur.

Libri plerique veteres, *post mediam noctem auspicantur & post meridiem solem magno auspicati esse.* ex quis firmiter lego, *& post meridiem solem agunt.* Eoq; exemplo tuta & defensa hæc prisca dictio, quo Sol occasus. Paullò etiam antè in hac ipsa disputatione & capite, *Sacra sunt Romana partim diurna, partim nocturna: sed ea quæ inter noctem fiunt, diebus adiiciuntur, non noctibus:* legam libens, *quæ internoctu fiunt*, eâ formâ quâ Interdiu.

Sol meridies, priscâ phrasi.

Internoctu, vna vox.

Lib. I. cap. V. de Hortensij cultu & munditiâ male audiente:

Qui cum multa munditiâ & circumspectè compositeq; indutus & amictus esset, manusq; eius inter agendum argutæ admodum forent & gestuosæ: maledictis appellationibusq; propositis iactatus est.

Quæ sunt *proposita maledicta* siue *compellationes?* (ita enim veteres, melius quàm appellationes.) Non explicamus. Itaque substituunt, *probrosis.* Ego ex scripturæ tramite, *prope Oscis.* Et valdè conuenit. quoniam in Hortensium, vt mollem & parum externis illis indiciis virum, cauilli quidam & ioci obscæni iacti & in modum Oscum.

Oscæ compellationes.

Libro

Libro V. cap. I. in Musonij seriâ oratione:

Animus is, inquit, audientis philosophũ quæ dicuntur vtilia ac salubria sunt.

Sententia & verba suspensa. tu siste, & scribe, *quæ dicendo vtilia.*

Verba dicendo vtilia.

Libro V. cap. XIIII.

Tum sole medio rapido & flagranti specum quamdam nactus remotam.

Priscianus hæc citat, sed in eo scriptum *sole arido.* Nos, *sole ardido,* fuisse vix ambigimus. Qui autem toto hoc capite *Androdus* est, verius *Androclus* scribetur: atque ita Æliano dicitur in Variæ Histor. lib. VII. c. XLVIII.

Sol ardidus

Androclus, non Androdus.

Lib. VI. cap. VI.

Audiui Apollinarem Sulpicium L. Claro Præfecto vrbis dicere.

Scribo, *Erucio Claro.* è Plinij epistolis, & ipso Agellio libro XIII. cap. XVI. Nominatur & in Pandectis lib. II. De offic. Præf. Vigil. sed is alius ab isto (fortasse eius proles) qui sub Antonino vixit, nec vrbi sed vigiliis præfuit.

Erucius Clarus Præfectus.

Libro septimo cap. XIIII.

Et in Senatum quidem introducti, interprete vsi sunt Cæcilio Senatore.

Hæc ipsa tota res narrata Macrobio, in quo *Cælio* legitur: narrata Plutarcho in Catone maiore, qui Γαΐου Ἀχίλιον appellat. Igitur hîc quoque diuisim legerim, *C. Acilio.*

C. Acilius.

Libro XV. cap. XII. in Gracchi verbis:

Si cuiusquam seruulus propter me solicitatus est, omnium nationum postremissimum nequissimumq; existimatote.

Magna viri integritas, quam iactat. verbum quoque redintegremus, *omnium natorum.* id est, omnium hominum qui vnquam & vsquam nati. Nam nationes huc non aptè traxeris.

Postremissimus natorum, id est hominum.

Libro XVI. cap. XIIII. in verbis Verrij Flacci:

Festinat, inquit, à fando dicitur, quoniam isti ignauiores qui nihil perficere possunt, plus verborum quàm operæ habent.

Cur verò comparandi casu Ignauiores extulit, nec Ignauos dixisse contentus? Nos de mendo suspicabamur & remotiore verbo; quod puto fuisse, *isti ignauiones.* Formabát ita nomina, Optiones, Volones, Edones, Geriones, * Gestiones: eaq; ab ipsis verbis, & terminatione eâdẽ. Ignauire vetus vox, & Ignauit in Pacuuio, si commemĩni, Nonius obseruat. Hac facie à Satagendo, Satagios Seneca etiam dixit.

Ignauio, noua siue prisca patius vox.

Gloss. Philoxeni. in quis male Gestio, καλέβιος. lego, καλέζιος: à gestiendo.

Libro vltimo, cap. vltimo:

Neque item desunt, qui libris suis indices fecerunt, aut Epistolarum moralium, aut Epistolicarum Quæstionum, aut Confusarum.

Titulus Epistolicarum hîc quidem corruptus & alienus est. Nam præcessit lineis aliquot antè: *Sunt qui de Philosophiâ inscribant, & De naturâ humanâ, & Epistolicarum Quæstionum.* Ne igitur vanè iteret, scribe, *aut Epistolarum quæsitiorum.* Plura mihi in hoc Attico agello: sed messem vberem aliorum videbo, & legam fors fuit spicas.

Epistolæ quæsitiores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. IIII.

Plinij defensio. Africam vrsos non gignere, non certè vulgò. Quid Vrsi Numidici antiquis. sententia noua, & ad lucem plurium scriptorum.

Plinij de vrsis adsertio.

FACIAM sedulò, Plini: & pressum per iniuriam, imò oppressum te alleuabo, ô Naturæ magne mystes. Scripsisti libro VIII. cap. XXXVI. *Annalibus notatum est M. Pisone M. Messalla Coss. a.d. XIIII. Kal. Octobres Domitium Aenobarbum Aedilem curulem vrsos Numidicos centum, & totidem venatores Aethiopas in Circo dedisse. Miror adiectum Numidicos fuisse, cùm in Africâ vrsos non gigni constet.*

Et iterasti eamdem adseuerationem in fine eiusdem libri:

Africa autem nec Apros, nec ceruos, nec capreas, nec vrsos gignit.

Quæ mul. ti carpunt et infirmat.

En, altè satis & clarè negas in Africâ esse vrsos. Hinc carptores, & linguatum multa tela. Passim te insiliunt, insibilant. &, Festum diem hominis! inquiunt: quàm fallitur? Luce istâ clarius est in Africâ esse vrsos, & quidem præstantes, insignes. Herodotus in Melpomene, de Libyâ quæ πρὸς τὴν νότον, siue ad orientem. καὶ οἱ λέοντες κατὰ τοῦτους εἰσὶ, καὶ οἱ ἐλέφαντές τε, καὶ ἄρκτοι. *Et Leones apud istos sunt, & elephantes, & vrsi.* Solinus cap. XXIX. *Numidici vrsi formâ ceteris præstant, rabie dumtaxat & villis profundioribus*, etsi veteri meo libro abest hîc vox, *forma*. & rectè.

Solinus correctus.

Iuuenalis:

Profuit ergo nihil misero, quod cominus vrsos
Figebat Numidas.

Martialis:

Quod fræno Libyci domantur vrsi.

Virgilius:

——— ——— *occurrit Accestes*
Horridus in iaculis & pelle Libystidos vrsæ.

Strabo de Mauris (quem tamen locum ipsi non vidêre:) οἱ δὲ πέζοι τὰς τῶν ἐλεφάντων δορὰς, εἰς ἀσπίδας προβάλλονται. τὰς δὲ τῶν λεόντων καὶ παρδαλέων καὶ ἄρκτων ἀμπέχονται καὶ ἐγκοιμῶνται. *At pedites elephantum pellibus pro clypeis vtuntur, leonum autem, pardalium, vrsorum induuntur, & indormiunt.* Ecce testes. quis verbum pro te mutiat in tam multos, in tam probos? Ego. etiamsi plures aduenient, &, cum Homero, μαλὰ μύριοι. Nego nihilo secius clarè & contentè, errasse Plinium: aio illos, qui errare eum errant. Numidia non gignit vrsos: aut si; raros certè minutosque. Quid tot mihi testes? ad vsum & ad visum adpello: nec hodiè quidem dabunt, qui terram eam frequentent vrsis. Aluaresius locorum eorum inspector, hoc tantùm contra veteres mutat, quòd visos à se in vlteriore Africâ ait etiam ceruos. Scilicet cuique animanti, pro ingenio & indole, suæ sedes. & frigidior ista ad Septemtriones & Occasum plaga est, quâ gaudent & gliscunt vrsi; non calida illa & sicca terrarum. Appuleius verè & peritè libro IIII. Milesiar. *An ignoras hoc genus bestiæ*

Affirmatio Pliniana sententia.

In Africâ etiamnunc pauci aut nulli vrsi.

Qui frigore delectantur.

(vrsum

(vrsum intellegit) *lucos consitos, & specus rosidos, & colles frigidos, & fontes amœnos semper incubare?* Itaque Martialis Caledonium vrsum benè agnominat:

Nuda Caledonio sic pectora præbuit vrso.

Et epitheta iis à loci frigidi.

Et Arctoum alibi:

——— *venabula condidit vrso*
Primus in arctoi qui fuit arce poli.

Plinium non potuisse tàm stupidè sutpère.

Poëtæ etiam alij Scythicum, Lucanum &c. Denique boni viri quid censetis? tam fungum, tam bardum Plinium, qui nescierit vnde Romam adueherentur cottidie vrsi? Nullus mensis præteribat in Italiâ, imò pænè dicam dies, sine venatione & vrsis: ecce ille sagax indagator remotissimarum rerum, aures aut oculos non habuit in re cottidianâ. Nesciuit centenos aliquot vrsos ex Africâ aduehi ad vnos ludos. Indignor. Ac enim illi testes. Quid testiculamini? Hoc fortasse Straboni (non enim Herodoto temerè aut Solino) accredam vrsos pauculos & paullulos in montanâ aliquâ Africæ parte esse; negabo feroces, negabo multos. Latini nostri non me mouent. Aliud enim quiddam in hac re latet, quod reserabo & aperiam primus. Ecce in Annalibus siue in Actis cùm, Plinio admirante, scribitur, *Centum vrsos Numidicos datos*: renuo intellectos ibi vrsos. Quomodo? ita dico, vt iis verbis firmem significari leones. Hem! Ne miremini. caussa opinioni meæ, firma, iusta. Primum, cur vt mirum aut nouum notarint Annales de tot vrsis, cùm obuia per omnem Europam ea fera, & frequentiâ suâ vilis? Scio & docuero, centenis ante Domitij editionem annis, vrsos Romæ datos non multo pauciores. Sed nec enituisse eam in vrso video, video in leone. Nummus vetus planissimè suggerit, qui in memoriam Ædilitatis eius cuius cum venatore & leone: ecciste.

Ad testes responsum.

Quid vrsi Numidici, in Annalibus Actis.

Nõ esse verè vrsos, ex ipsâ re dictum.



SED, inquies, quæ hæc peruersa Actorum dictio aut ratio, Vrsum pro leone? Imò proba priscis & trita. Iam enim bibe hoc arcanum, quod (liberè & verè dico) latuit & fefellit Plinium ipsum, non alias ad hanc Annalium auctoritatem adhærescentem & stupentem. Romanos illos veteres etsi in vrbe, stiuam tamen adhuc oluisse scies & suum agrum. Parum in factis culti aut amœni, parum in dictis. Itaque peregrina ista cùm ad eos aduehebantur, stupebant: & nomen iis dabant non suum (nec cura iis quærere) sed obuium aliquod & è vicino suo rure. Ita Elephantem cum boue compararunt, & vocarunt: tamen cum discrimine aliquo, Bouem Lucam. Ita Struthionem, Passerem (vide quàm appositè) dixêre; sed quia trans mare aduectus, Marinum. Ita Camelopardalim,

Cur ea abusio vulgò in vocibus.

Romani rebus ignotis nota nomina dabant.

Bos luca. Passer marinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quis fera. Mus Africanus.

dalim, Quem feram. Ita Pantheras, Mures, vt opinor, Africanos. idemq; in pluribus, comparatione semper aliquâ ad notas & indigenas animantes. Tale in Leonibus est. Cùm primùm visi; non Leones externo eos nomine insignierunt, sed noto & domestico Vrsos. cum adiectione tamen Numidicos, quia inde importati. Nec aliter, scio, sensêre plerique è testibus, quos contrà aduocarunt. Virgilium quidem, dum Acestem tegit —*pelle Libystidos vrsæ*: certũ mihi intellexisse Leoninam. Ea enim heroi & viro forti conueniebat, Herculis veterumq; exemplo. Nec Seruium id planè fugit. Attollit enim hîc paulisper oculos, & scribit: *Aut reuera vrsæ, aut feræ Africanæ.* Iuuenalem etiam nihil ambigo de pugnâ sensisse cum leone. Et Martialem clarissimè, qui leones subiuges curru facit: nullo sanè miraculo, si de vrsis, qui mites & dociles ad magis stupenda. At de leonibus idem factitatum à M. Antonio Plinius tradidit, non sine portento. Numidici quidem aut Africani epitheton adeò Vrsis propriè non conuenit, vt Liuius, Dion, aliiq́ue scriptores, distinguant eos passim contra Africanas. quæ exempla notata mihi libris De Venatione. Hæc audax & noua sententia nostra est, scio: inuidenda tamen fortasse potius, quàm irridenda. Siue enim vera dixi, laudem sagacitas merebitur: siue falsa, veniam pietas.

Vrsa Libycæ, & similia apud Latinos poëtas pro Leone.

Africanæ, distinguuntur ab Vrsis.

CAPVT V.

Locus in Floro magis eximius correctus. Veterum fluctus & erratio super religione Iudaicâ. Vitis aurea in eorum templo. quid, quaque formâ ea fuerit. Plinius explicatus.

De vero nomine & gente Flori.

LANNÆVS Florus (ita enim indigetare cũ priscis libris malim, quàm L. Iulium: quoniam Hispanâ origine fuisse colligo, & nisi fallor ex ipsâ Senecarum gente.) is inquàm Florus compendium non tam Liuij, à quo sæpe dissentit, quàm rerum Romanarum scripsit, siquid mei iudicij est, compositè, diserte, eleganter. Subtilitas quidem & breuitas in eo sæpe mira: & sententiarum quædam gemmulæ cum iudicio insertę & veritate. Is liber & vulgi manibus tritus, & limatus nuper doctorum virorum censuris, probè & peritè, fateor: nisi quod sordium etiam nunc aliquid supereſt, purgandum nobis. Inter eas locus de victoriis Pompeij Magni lib. III. cap. v.

Laudabile eius compendium.

Hierosolyma defendere tentauere Iudæi: verùm hæc quoque intrauit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, sub aureo vti cælo.

Correctio in eo.

Nam quæ istæc comparatio patentis arcani, cum aureo cælo? Inepta, & nulli rei. Quin si attendis, fatebere verè nos & cum historiæ momento emendasse, *sub aureo vitem cælo.* Ita scilicet res est. Vitis aurea magnæ artis & pretij, in Iudæorum templo fuit, quam Pompeius illic, siue reppererit, vt Florus & Tacitus volũt, siue oblatam ab Aristobulo recepit, vt Iosephus & Zonaras narrant. In hanc vitem ludit & dentem stringit nunc Florus: & En, inquit, hoc illud secretum & grande arcanum, quod templi

Vitis aurea Hierosolymis.

Irridet Iudæos Florus, ridendus ipse.

pli sui adytis Iudæi cælant & colunt. Nam Græci plerique & Romani, quoniam sacra illa gens aliena à ritibus receptis & profanis, nec statuas in templo haberent aut simulacra; mira & prodigiosa de religione eorum & mysteriis suspicati. Alij mundum ab iis coli, alij nubes, alij Bacchum: quidam asinum, & suem. At Florus quasi rem acu tangens, prodit de vite. De quâ ipsâ Tacitus: *Sed quia sacerdotes Iudæorum tibiâ tympanisq́; concinebant, vitisq́; aurea templo reperta, Liberum patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati sunt.* Vbi hoc amplius discis, vitem hanc tractam in argumentum Liberi cultũ. Quæ opinio item Plutarchi est, diffusè posita & firmata ab eo in lib. IIII. Symposiac quæstione v. Iosephus de vite eâdem, lib. Antiquitat. XIV. Πομπηΐος δὲ ἐς Δαμασκὸν ἀφικομένου, ἦκον παρ' αὐτὸν πρέσβεις ἐξ ὅλης Συρίας καὶ Αἰγύπτου, καὶ ἐκ τῆς Ιουδαίας. ἐπεμψε γὰρ αὐτῷ μέγα δῶρον Αριστόβουλος, ἄμπελον χρυσῆν, ἐκ πεντακοσίων τα λάντων. μέμνηται δὲ τοῦ δώρου καὶ Στράβων ὁ Καππάδοξ, λέγων ὧδε. ἦλθε δὲ καὶ ἐξ Αιγύπτου πρεσβεία καὶ στέφανος ἐκ χρυσοῦ τετρακισχιλίων. καὶ ἀπὸ τῆς Ιουδαίας εἴτε ἄμπελος, εἴτε κῆπος. τερπολὴν ὀνόμαζε τὸ δημόσιγμα. τοῦτο μέντοι τὸ δῶρον ἱστορήκαμεν καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Ρώμῃ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτολίνου, ἐπιγραφὴν ἔχον Αλεξάνδρου τοῦ τῶν Ιουδαίων βασιλέως. ἐτιμήθη δὲ εἶναι πεντακοσίων ταλάντων. id est: *Pompeius autem cùm Damascum venisset, legati ad eum venêre ex omni Syria, Aegypto, Iudeâ. Misit verò illi insigne donum Aristobulus vitem auream pretij quingentorum talentorum. Cuius doni Strabo etiam Cappadox meminit, his verbis. Venit & ex Aegypto legatio, & corona aureorum quater mille. & ex Iudeâ siue Vitis, siue Hortus. Terpolem, id est delectamentum, vocabant id opus. quod vidimus etiam nos Romæ dedicatum in templo Iouis Capitolini, cum inscriptione Alexandri Iudæorum regis: æstimabatuŕq; quingentis talentis.* Et ex eo Zonaras: μετ' ὀ πολὺ δὲ Πομπηΐου ἀφικομένου εἰς Δαμασκὸν, ἦκον πρέσβεις πολλαχόθεν τε καὶ ἐξ Ιουδαίας, δῶρον ἐξ Αριστοβούλου μέγα κομίζοντες, ἄμπελον χρυσῆν ἐκ πεντακοσίων ταλάντων; ταύτην φησὶν ὁ Ιώσηπος ἐν Ρώμῃ θεάσασθαι, τῷ ἐν Καπιτωλίῳ ἀνατεθειμένην Διΐ. id est: *Non multò pòst Pompeio Damascum profecto, cùm multis aliis ex locis, tum è Iudæa legati venerunt vitem auream, munus Aristobuli, ferentes, quingẽtûm talentûm. quam se Iosephus Romæ vidisse adserit in Capitolio dedicatam.* Ad hanc ipsam nobilem vitem traho Plinij locũ, siue Actorum potius, quorum verba in Plinij XXXVII. cap. II. vbi inter dona, triumpho Asiatico, Pompeius intulisse fertur *Montem aureum quadratum, cum ceruis & leonibus & pomis omnis generis, circumdatâ vite aureâ.* Quibus verbis appositè obserua, vitem hanc non simplicem fuisse, sed monti aureo implexam, totumq́ue opus in formam horti flexum. Ideò in Straboni verbis apud Iosephum, εἴτε ἄμπελος εἴτε κῆπος, ambiguè positum. ideò in Floro, *Vitis sub aureo cælo.*

Suspiciones gentium de hac gente.

Bacchum putarunt ab iis coli, inuentorem vitis.

Iosephi in hac vite Tacitique dissensus.

Plinius explicatus.

CAP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. VI.

De oſculis, & oſculandi variâ ratione, Romæ. Quo fine fuerint: qua formâ & modo. Diuina fuiſſe, Humana fuiſſe. Adorare quid propriè ſit, & vnde ea vox dicta & ducta. Scriptores multi explicati. in Ouidio coniectura. Verrere templa crinibus. Statius emendatus. Ad manum accedere, quid in Cæſareis hiſtoricis.

ABI Venus. fallam ego te, quæ ipſa multos: & de Oſculis Caput ſcribam & inſcribam, in quo tamen nihil tibi loci aut iuris. Suauia illa tua inſuauia ſperno: pura tantùm & officioſa tangam, quæ Romæ olim in vario diſcrimine & vſu.

Oſcula fine duplici. ADHIBITA enim in Deorum cultu & Hominum. Deorum, tripliciter. Aut enim os iis venerabundi oſculabantur, aut manus, aut pedes.

Dis os ore libabant. De ore, Cicero in Verrem libro v. *Ibi eſt ex ære ſimulacrum ipſius Herculis, quo non facilè dixerim me quidquam vidiſſe pulchrius. vſque eò, iudices, vt rictum eius ac mentum paullò ſit attritius: quòd in precibus ac gratulationibus* (credo, *gratationibus* eum ſcripſiſſe, voce magis conuenienti cùm diis agerent grates) *non ſolùm id venerari, ſed etiam oſculari ſolent.* Quod tamen rarius factum, vt Cicero ipſe indicat, & recepti magis cultus hi demiſſi qui ſequuntur. Oſculabantur enim deorum dextras.

Cicero emendatus.

Aut manus. Lucretius:

— tum portas propter, aëna
Signa, manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu prætereá, meantum.

Aut pedes. Aut denique ipſos pedes. Appuleius: *Exoſculatis veſtigiis deæ quæ gradibus hærebat argento formata, ad ſuos diſcedunt Lares.* Atque hæc in diuino cultu ſimplex oſculorum ratio. alia eſt magis ſuperſtitioſa & quæſiti cultus. Verebantur enim plerumque deos ipſos ore profano ſuo tangere; ſed eminus ſtantes manum porrigebant, eamque ſtatim verenter ad os ſuum referebant & ſuauiabantur. Hic habitus receptiſſimus, & velut ſolemnis Adorantium fuit: quem mihi ingerunt ſcriptorum loci multi. Plinius: *In adorando, dextram ad oſculum referimus.* Minutius Felix in Octauio: *Cæcilius ſimulacro Sarapidis denotato, vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admouens oſculum labiis impreſſit.* Appuleius Apologiâ priore: *Nulli deo ad hoc æui ſupplicauit: nullum templum frequentauit: ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admouere.* Nec Romanis ſolùm hic ritus, ſed Syris olim, & Orienti. In ſacrâ hiſtoria Iobi cap. XXXI. *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & oſculatus ſum manum meam ore meo.* id eſt, ſi lunam aut ſolem adoraui. Vetus interpres III. Regum: *Quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum oſculans manum.* Hieronymus in Ruffinum: *Qui adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere.* & ſæpius in Hebræorum phraſi Deoſculatio,

Sæpe etiam eminus oſculabatur: porrectâ manu.

Idē adoratio propriè.

latio, eſt Adoratio. Atque ego Latinis ipſis hinc cenſeo formatum Adorandi verbum: quia manus ad ora admouebant. non ab Ador (frumenti id genus) quod cenſet Grammaticorum acumen. Ad eumdem adorandi morem, meo monitu, referes ſcriptorum aliquot locos: quorum aliàs interior & vera te ſententia fallat. Taciti illud è lib. XVI. Annalium, de Nerone cantillante: *poſtremo genu flexus, & cœtum illum manu veneratus.* Nam omnia feciſſe eum vult ex præſcripto, & ad legitimum hiſtrionem: adeò vt etiam ſpectatores adorarit. Illud Suetonij, in Claudio: *Eoſdem ſpectacula edentes ſurgens & ipſe, cum ceterâ turbâ, voce ac manu veneratus eſt.* Denique hoc Martialis:

Vnde & nomen. quia manus ſcilicet ad ora.

Manu adorare in Tacito: In Suetonio: In Martiale.

Roma ſalutauit voce manuq; deum.

Etſi poſſit hæc quiſpiam, non nego, de ſimplici protenſione manus accipere, quæ ipſa in cultu. ex Tacito I. Hiſtoriar. *Nec deerat Otho protendens manus adorare vulgum, iacere oſcula, & omnia ſeruiliter pro dominatione.* Qui tamen, ſi attendis, à me locus. Adorare enim dicit, & oſcula adiungit: quæ non alia eſſe potuêre, quàm iſta manuum, quia in aureo & alto ſuggeſtu ſublimis Otho; & hoc ipſum in ea re Dionis compendium tibi dicet. Addo, quòd protenſio nuda manuum, precantium propriè non venerantium nota. Appuleius: *Orantium ille habitus eſt, vt manibus extenſis in cælum precemur.* Ante eum Ariſtoteles De Mundo: πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐχὰς ποιούμενοι. Horatius ſupinas manus id vocat: *Cælo ſupinas ſi tuleris manus.* Sed redeo ad lineam, & amplius noto: manuariam iſtam adorationem non ſimplicem aut rudem omnino fuiſſe, ſed certâ quadam conformatione & geſtu. Appuleius vnus eum expreſſit, lib. v. Mileſiar. De Pſyche: *Multi denique ciuium, & aduenæ copioſi, inacceſſæ formoſitatis admiratione ſtupidi, & admouentes oribus ſuis dextras, primore digito in erectum pollicem reſidēte, vt ipſam prorſus deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur.* Qui geſtus quidem nihil abit ab Heſperiorum ritu hodie, qui ex pollice & indice quaſi crucem formantes, eam in adoratione & templis deoſculantur. excipio quod iſti pollicem indici imponunt, Romani contrà. Ouidium neſcio trahámne iſtuc, vbi ad amicam:

Protenſo ſola manus, in habitu precantium.

Quæ forma adorantis manus.

Ouidio lux.

Tange manu menſam, tangunt quo more precantes
Optabis merito cùm mala multa viro.

Nam formam videtur indicare voluiſſe hanc, manus adorantis & precantis. Certè vt de ſimplici tactu menſæ accipias, dilutum & alienum videtur: etſi ſcio in precibus, aras ſolere tangi. Fuit cùm hic legerem, *mentum*, non *menſam*. quia Plinius admonuerat, *antiquis Græciæ in ſupplicando mentum attingere moris fuiſſe.* Quod Seruius tamen ad Frontem rettulit: *Auris*, inquit, *memoriæ ſacra, frons Genio: vnde venerantes deum, tangimus frontem.* Sanè in Homero, barbam ſupplicantes tangunt: ſed aliud ſcilicet eſt in venerando. Porrò ad manu Adorationem etiam Capitolini illud referam in M. Antonino Philoſopho: *Cùm Lucillam matrem Marci in viridario venerantem ſimulacrum Apollinis vidiſſet.* Item Quidij, appoſitâ ſuggeſtione elegantiſſimi Mureti:

Et fortaſſe emendatio.

Capitolinus lux: &

Iterū Ouidio.

Ecce lacu medio, ſacrorum nigra fauillâ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ara vetus stabat, tremulis circumdata cannis.
Restitit, & pauido, Faueas mihi, murmure dixit
Dux meus, & simili, Faueas mihi, murmure dixi.

Etiam huius sæculi morem, quem seruiliter adulatio seruat. Ferè enim aulicæ illæ muscæ, cùm potentiorem salutant, vestem aut partem aliquam corporis manu illi tangunt: eamque statim cum veneratione quâdam ad os reportant. Nec dubitabis, quin super hoc vestigium sit priscæ illius adorationis.

Aulici noſtri ritus origo.

Oſcula ianuis & poſtibus templorum.

IAM alia etiam oscula in hoc diuino cultu (superstitionem magis verius dixerim) quæ liminibus templorum data, postibus, aris. Quæ demissio Romæ vsurpata in rebus arctis. Tibullus de eâ:

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis
Et dare sacratis oscula liminibus.

Statius etsi leuiter corruptus, v. Siluarum:

—— nunc anxius omnibus aris
Illacrimat, signatq; fores, & pectore terget
Limina. ——

Malè enim edunt, *Lumina*. Abiiciebant autem se & osculis lacrimisque terram complebant, & crines etiam fœminæ sparsim effundebant. Statius idem Thebaïde quartâ:

Te sine sat dubium cœtu solante timorem
Fallere, & incultos aris aduertere crines.

Statius correctus.

Vbi scribito, *aduerrere*. & priore etiam versu forte, *calatho solante*, non *cœtu*. Verrendi quidem verbum hîc probum, & à re ipsa. Liuius libro III. *Stratæ passim matres, crinibus templa verrentes, veniam irarum cœlestium expoſcunt.* Idem libro XXVI. *Matronæ circa deûm delubra discurrunt, crinibus paſsis aras verrentes.* Polybius: αἱ δὲ γυναῖκες παραπορευόμεναι τὰς ταὰς, ἱκέτευον τὰς θεὰς, πλύνασαι ταῖς κομαῖς τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη. τοῦτο γὰρ ἔθος ἀνταῖς ἐστὶ ποιεῖν, ὅταν τις ὀλόχερος τὴν πατρίδα καταλαμβάνῃ κίνδυνος. In Mamertini Panegyrico ad Maximianum: *Matres Italæ pensa manibus abiecerunt, paruos liberos abreptos ad templa traxerunt, ibi ædes sacras passo capillo suo quæque verrebat.* Appuleius lib. v. *Tunc Psyche vlcri fletu rigans deæ vestigia, humúmque verrens crinibus suis.*

Crinibus paſsis templa verrentes in ſupplicio.

Lucanus lib. I.

Hæ lacrimis sparsêre deos, hæ pectora duro
Adfixêre solo, lacerâsque in limine sacro
Attonitæ fudêre comas.

Nec plura addo de osculis in diuinis, transeo ad Humana.

Oſcula in Hominum cultu.

Ea variè vsurpata vulgò, & in omni ferè corporis parte. Primum in facie, ibique os, genas, oculos suauiabantur: in itu, reditu, gratulatione, imò in salutatione & cottidiano occursu. Qui mos inualuit maximè, vt opinor, sub Augusto: ideoque Tiberius vt nouitium conatus pellere, *& oscula cottidiana*, ait Suetonius, *prohibuit edicto.* Sed hæsit nihilominus, & creberrima oscula iterum sub Principibus secutis. Vnum Martialem mihi lege, cui benigna materia iocorum, ista. Quin ipsi Principes, (certè qui magis moderati) osculo excipere soliti ciues digniores. Plinius

Ora oſculabantur aliena. Tiberius, morem ſo- natus tolle- re. Frustrà,

Lauda-

Laudatione Traiani: *Gratum erat cunctis, quod Senatum oscula exciperes, sicut dimissus oscula fueras.* Latinus Pacatus de Theodosio: *Ille cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille oscula consecratus est.* Suetonius in Othone: *Manè Galbam salutauit: vtq; consueuerat, osculo exceptus, etiam sacrificanti interfuit.* Et reprehendit idem scriptor Neronem, quod *neque aduenienti neque proficiscens, quemquam osculo impertiret.* Et hæc illa oscula, quæ vulgabant vulgò & spargebant in obuios omnes modicè saltem notos. Nec enim tam amoris ista, quàm officij & vrbani cuiusdam cultus. Philo Iudæus benè & huc appositè: φίλημα δὲ, inquit, διαφέρει τὸ φιλεῖν. τὸ μὲν γὰρ ψυχῶν ἔυρεσιν ἁρμοζομένων εὐνοία, τὸ δὲ ψιλὴν καὶ ἐπιπόλαιον δεξίωσιν χρείας πρὸς ἑς ταυτὸν συναγόσης ἔοικεν ἐμφαίνειν.

Ipſi Principes per humanitatē id vſurpabant.

Talia oſcula, efficie-

SECVNDÒ manus osculabantur, sed non tamen nisi potentiorum. Is mos etiam liberâ rep. etsi rarus. Plutarchus de Catone: ἐπεὶ δὲ τέλος εἶχεν ἡ στρατεία τῷ Κάτωνι, προεπέμφθη εὐχαῖς, ὁ κοινόν ἐστιν, οὐδὲ ἐπαίνοις, ἀλλὰ δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἁπλήστοις, ὑποπιπτόντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶ καὶ βαδίζοι, καὶ καταφιλόντων τὰς χεῖρας, ἃ τῷ αὐτοκράτορι ὀλίγοις μόλις ἐπῆσαν οἱ τότε Ῥωμαῖοι. id est: *Postquam finiit Catonis militia, non votis neque laudationibus, quod tralaticium est, eum dimisêre, sed cum lacrimis multis & complexibus, vestes pedibus eius substernentes quà incederet, & manus eius deosculantes. quæ paucis omnino Imperatorum eius ævi Romani tribuebant.* Qui in militiâ quidem eum collocat: sed cui originem tamen ego dem in campo. Natus enim videtur à blanditiis candidatorum, prensantium, rogantium, & alienas manus osculantium. Seneca epistola CXIX. *Alius eorum manus osculis conterit, quibus designatus contingendam manum negaturus est.* Valerius de Scipione Nasicâ: *Cùm ædilitatem curulem adolescens peteret, manúmque cuiusdam rustico opere duratam, more candidatorum, tenacius apprehendisset: ioci gratiâ interrogauit eum, Num manibus solitus esset ambulare?* Sed siue tamen à sago natus siue ab albenti togâ, increuit statim & increbuit in totâ vrbe, imò orbe. idque in petitione, in gratiarum actione, gratulatione, atque omni officij aut demissionis notâ. Plinius: *Dextra oscula auersa appetitur, in fide porrigitur.* vbi & situm formamque nota manus osculandæ. Tacitus I. Historiar. *Ruere cuncti in castra, laudare militum iudicium, exosculari Othonis manum.* Idem XV. Annal. *Agere grates diis, genua ipsius aduolui, & dextram osculis fatigare.* Suetonius Tiber. cap. LXXII. *Chariclem medicum, quòd manum sibi osculandi causâ apprehendisset.* Appuleius: *Pontianus pedes nostros aduolutus, flens, & manus nostras osculabundus.* Seneca: *Hos ego deprehendam alienorum seruorum osculantes manum.*

Etiã olim, & ante Auguſtũ.

Vnde id ortum.

Quã parte oſculum manui impreſſum.

Martialis:

Basia das aliis, aliis das Postume dextram.
Dicis, vtrum mauis elige. malo manum.

qui iocus in hominem non puri capitis; & ex inopinato, poëta præfert manuum osculum, illi honestiori oris. Atqui proprie istud seruorum erat. Artianus me docet lib. II. Dissertationum cap. XX. ἤξιωται δημαρχίας; πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται. ἄλλος τὲς ὀφθαλμὲς καταφιλεῖ, ἄλλος

Viliores, & ſeruili pro- prie manus oſculaban- tur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δ' ἕλοι τὰς χεῖρας. *Tribunatum adeptus es?? ecce obuij omnes gratulantur. alius. oculos osculatur, alius collum, serui manus.* Quin etiam Homerus iam olim Eumæum osculantem facit Thelemachi heri sui manus, Odyss. XVI.

Κύσε δὲ μιν κεφαλήν τε καὶ ἀμφω φάεα καλὰ,
Χεῖράς τ' ἀμφοτέρας.

Ad manũ accedere, quid in Vopisco: Et Capitolino.

Hoc posterioris æui scriptores, suâ & peculiari phrasi, dixêrunt Ad manum accedere. Doceo id nouiter iuuentutem, ex Vopisci Aureliano: *Posthæc Valeriani dicta surrexit Aurelianus, atque ad manus accessit, agens gratias militaribus verbis.* Ex Capitolini Maximino: *Fuit Maximinus sub homine impurissimo tantùm honore præditus Tribunatus: sed numquam ad manum eius accessit; numquam illum salutauit.*

Genua osculabãtur & pedes.

TERTIÒ deniq; genua osculari, imò & pedes. De genibus, Ammianus libro XXVIII. *Ex his quidam cùm salutari pectoribus oppositis cæperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suauianda vel manus.* De vtroque, Capitolinus in Maximino: *In salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, & genua sibi osculari patiebatur, nonnumquam etiam pedes.* Plinius in Traiano laudat, quod hæc non fecerit: *Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis.* Atque hoc genus vilissimi osculi natum, nisi fallor, sub Caio, imò ab Caio: qui vt Dio ait, ἐφίλει ὀλιγίστους· τοῖς δὲ πλείστοις καὶ τῶν συμβουλευτῶν ἢ τὴν χεῖρα ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε. *paucissimos osculatus est: plerisq; autem etiam Senatorum vel manum vel pedem præbuit adorandum.* Dico adorandum, & ita Græcum verbum est. vt videatur ex eo elici non os quidem admotum pedibus, sed dextram: eamque deinceps ad os relatam, vt descripsi suprà. Quamquam & pedes etiam reipsâ osculo affecti: & quidem sub eo monstro. Idem Græcus: Πομπώνιος Σεκοῦνδος τότε ὑπατεύων παρὰ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ καθήμενος, ἐπικύπτων συνεχῶς αὐτοὺς ἐφίλει. id est: *Pomponius Secundus tunc Consul, pedes Caligulæ adsidens, idemtidem se inclinans eos osculabatur.* Et tenuêre superbum & inhumanum hunc morem Principes aliquot secuti, sed non è bonis. Exempla non accumulo, quę obuia. finem potius longo huic Capiti impono: longo, sed iratâ Venere, fortasse parum venusto. Quid ad me? Gratiæ tãtùm & Lepos & Iocus comites eius deæ propitij mihi sint, numquam ipsa.

Turpi & plusquam seruili ritu. qui videtur à Caio.

CAPVT VII.

Commentarios Cæsaris non vsquequaque tam puros & laudabiles, quàm videantur. Mos attollendi dextras. aliaque emendata & explicata.

Interpolatus variè Cæsar.

FAS sit dicere. in Commentariis Cæsaris sæpe quæro Cæsarem. Multos in illam purpuram pannos insutos video: nec in dictione ipsâ spirat vbique naribus meis aura illa, &, vt sic dicam, stacta puræ antiquitatis. Lege, relege. multa otiosa reperies, disiuncta, intricata, interpolata, repetita: vt omnino non absit, quin ad hanc veluti prisci operis statuam nouella

nouella aliqua accesserit & imperita manus. Ego alia aliàs: nunc quædam notauero ex his inquinamentis.

Libro VII. De Bello Gallico, vbi prœlium ad Gergouiam:

Ij similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt, ac tametsi dextris humeris exsertis animaduertebantur, quod insigne pacatis esse consueuerat, tamẽ idipsum sui fallendi caussâ milites ab hostibus factũ existimabant.

Glossema insigne, sed occultum.

Quæro diu hunc morem humeros dextros exserendi in pace. Fruſtrà. qui reperiam? repugnat natura & res ipsa. Quomodo enim exseri humeri possunt? attolli fateor leuiter aut submitti: sed vt id procul conspici haud facilè possit. Turpe hîc glossema, quod eiicio scriboque: *dextris exertis animaduertebantur.* Ita enim olim mos, ita etiamnunc, vt sublatio dextræ socij & amici aduentus sit signum. Fidus & appositus mihi testis Xenophon Institutionis Cyri libro IIII. vbi in re simillimâ cùm Hyrcanij aduenirent, incertum adhuc socij an hostes, mittit nuncium ad eos Cyrus, & si quidem amici essent, iubet tollere dextras. Verba hæc: ἐκ δὲ τούτου πέμπει πρὸς αὐτοὺς, προσάξας λέγειν, εἰ φίλοι εἰσὶν, ὡς τάχιστα ἀπαυτᾶν τὰς δεξιὰς ἀνατείναντας. Nec pleræque gentes hodie aliter.

Socij dextras tollere sueti in aduentu subito aut sueto.

Libro II. in prœlio cum Neruiis:

Cæsar ab decimæ legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, vbi suos vrgeri videt.

Falsa hæc narratio. Nam suprà iam dixerat, Cæsarem ab cohortatione legionis decimæ transisse in partem alteram: idque ante pugnam. Libri quidam *Cohorte* habent. ex quîs omnino lego, *Cæsar cum decimæ legionis cohorte.* Ita enim mos huic viro, vt plerumque in prœliis cohortem vnam ex fortissimâ hac & fidissimâ legione ad tutelam suam adsumeret, aut etiam ipsam. Emendo in hac ipsâ re locum alium.

Cæsar confisus legioni decimæ maximè.

Libro VII.

Cæsar receptui cani iussit. Legioníque decimæ, qua cum erat concionatus, signa constitêre.

Quæso enim. ferri aut tangi à politis hominibus hæ sermonis sordes possunt? *Concionari cum legione.* pro eo quod Apud concionem. adde quod linguæ aut concionis ibi nulla res, sed feruidæ pugnæ. Emendo igitur, *qua tum erat comitatus.*

Libro IIII.

Itaque vnâ parte à Sueuis circiter millia passuum sexcenta agri vacare dicuntur.

Numerus vitiatus turpiter.

Aegrè, mi Cæsar, credimus: nisi si vacauit longè maxima Germaniæ pars. Hoc verius, scripsisse te *millia passuum sexagena.* quod largiter sufficit, siue ad virtutem Sueuorum, siue ad aliorum timorem.

Libro VI.

Germanos atque Arioui sibi adiunxerant, eósque ad se magnis iacturis pollicitationibúsque perduxerant.

Censeam fuisse olim, *magnis capturis*: sententiâ suadente.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VIII.

In Plinio correcta quædam. Geneta Mana, dea. Decolorare aurum, quid sit. & mos discrimenque in anulis. qui seruis & militibus è ferro: Senatui & equiti ex auro: plebi ex argento.

Studium Criticum sterile ad famam. Pinciani laus.

FATVM hoc esse censeo Criticorum, vt labor eorum fructus maioris in publicum sit, quàm famæ. Vide veteres, vide nostros. paucos reperies quorum nomen aut latè fusum, aut diu perennarit. Vel in Ferdinando Pinciano hodie quàm indignor? Qui reuera vir eximius, vix tamen è vulgi tenebris se exemit; & paucis doctis in occulto laudatus, iacet etiamnunc ignoraturque inter suos. At si acuminis & iudicij aliqua laus est: huic eam rectè tribues. si fidei & modestiæ: magis. Non alium ego vidi, qui minus adfectatè hoc egerit; & qui Criticam istam magis puriter coluerit, sine ambitione, sine fuco. Plinius, Seneca, Mela testes: sed primus ille imprimè, per cuius sexcentas salebras & æstuantia vada peruasit felici quodam ingenij & iudicij vento. Quamquam abrupta quædam in eo etiamnunc, non nego. quid miremur? aut quis Æsculapius ipse, sanandis tot plagis vnus fuerit? —— εἷς δ' ἀνὴρ ὑ πάντ' ὀρᾷ, ait rectè & comiter Euripedes. Ego quasdam ex iis salebris vel complanabo, vel transilibo, & in partem laboris velut optio succedam magno illi Tribuno. Lego in Plinio, libro XXIX. cap. IIII.

Catulos lactentes adeò puros existimabant ad cibum, vt etiam placandis numinibus hostiarum vice vterentur iis. Genito mane catulo res diuina fit, & in cænis deûm etiamnum ponitur catulina.

Geneta Mana, inter ignobiles deæ.

Emendabam, *Genitæ Manæ*. Ita enim deæ nomen, cui catulo fiebat. Plutarchus in Quæstionibus: Διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι, κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν; id est: *Cur deæ, quæ vocatur Geneita Mana, canem immolant, vouentq, nequis domi natorum bonus & frugi euadat?* Et plura ibi vide. Hoc in Plutarcho tam expositum fugisse oculos Pinciani & Hermolai, non miramur: nostros, sæpe clariora.

Libro XXXIII. cap. XI. vbi de tabulis & vasis:

Pariterq, luxuria nata est, & Carthago sublata; ita congruentibus fatis vt liberet amplecti vitia & liceret peccare, & dignatione hinc alicui veterum. C. Marius post victoriam Cimbricam cantharis potasse Liberi patris exemplo traditur, ille arator Arpinas & manipularis Imperator.

De exquisitis poculis locus correctus.

Pincianus exclamat, *Locus vitiatus inter paucos.* & verè. medicinam tamen, vt mihi videtur, non adfert. Notat in veteri codice *petere* legi, non *peccare*. Ex vno eo vestigio, locum totum aptè sic concinnamus: *vt libêret amplecti vitia & liceret. Petière & dignationem hinc aliqui veterum.* Sententiâ apertâ & verâ. Carthagine commodum euersâ, inquit, vitia & luxuria irrupêre, bono quodam fato, sublatâ videlicet iam illâ æmulâ & vltrice. nec antè libuit peccare Romanis, quàm impunè licuit. At quidam etiam è priscis dignitatem sibi astruere conati, electione istâ & curiosâ curâ vasorum: inter quos Marius, qui cantharis potare instituit velut Bacchi non triumphorum tantùm æmulus, sed & morum.

Plinium sententia restituta.

Libro

Libro eodem, cap. I. De anulis:

Contrà verò multi nullas admittunt gemmas, atróque ipso signant. id Claudij Cæsaris Principatu repertum. Nec non & seruitia iam ferrum auro cingunt, alia per se mero auro decorant, cuius licentiæ origo nomine ipso in Samothracæ id institutum declarat.

Corruptio ostensa:

Verba illa, *mero auro decorant*, accuso, imò damno. Quid enim hîc noui, aut ad Samothracas relegandum, si anuli è mero auro? Nónne tales iam olim Senatorum & Equitum? Denique quis permisit hoc seruitiis, vt palàm ex auro gererent anulos, & sine vllo fuco? Nos leuiter rescribimus, *alij per se mero auro, decolorant.* id est: cùm seruis aurei anuli in propatulo gestandi non fas, non ius; ecce nouitio inuento alij aurum ferro superinducunt; alij, aurum merum purumque decolorant & deformant in modum ferri. Id enim certè fuit. Aurum gestabant, nec videbantur gestare: cùm colore aliquo atro (hodie etiam vsitatum) aut fusco id velarent ac celarent. Nam seruis certè anuli ferrei tantùm vsus. Statius in lacrimis Etrusci:

Et à nobis sublata.

Mutauítque genus, læuæq, ignobile ferrum
Exuit, & celso natorum æquauit honore.

Seruorum fraus, & occulta superbia in anulis.

Serui in anulo ferreo tantùm, ex more.

Significat enim patrem Etrusci qui seruus, à Principe in equites relatum, donatumq; aureo anulo, spreto seruili ferro: eumdem iure trium liberorum auctum. vel, æquatum honore iis qui nati ingenui. Isidorus: *Anulum aureum neque seruus neque libertinus gestabat in publico, sed anulo aureo liberi vtebantur, libertini argenteo, serui ferreo.* Anulus autem his seruis ad vsum potius, quàm ad ornatum; nempe ad signádum. Appuleius libro X. *Donec iussu magistratuum ministeria publica contrectatis nequissimi serui manibus, anulum ferreum deprehensum cum signo sacculi conferunt.* Sed Isidori tamen illa verba, in discrimine, ni fallor, fallunt. Liberis enim aureum tribuunt, libertinis argenteum. falsò. Nam inter liberos ipsos, non nisi Equiti & Senatui anuli aurei liberum ius: non sanè plebi. Plinius clarè: *Anuli distinxère alterum ordinem à plebe, sicut tunica ab anulis Senatum.* Vult enim ita anulis à plebe equitem discerni, vt idem à Senatu tunicâ laticlaui. Plebeiis igitur, vt opinor, saltem ex argento. Iuuat & suggerit idem Plinius hoc libro cap. XII. *Argentum aliquando succedit & auro, luxu fœminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tristior vetat.* Vbi vides aurũ remotum à muliebri plebeio sexu: quidni censeam & à virili? Nec Serui tamen soli in ferreo anulo: etiam milites omnes, qui non insignes. Quod adeò verum, vt etiam equites Romani, cùm militarent, ius non habuerint aureorum. Ex Suetonij Galbâ, cap. X. *Dilegit equestris ordinis iuuenes, qui manente aureorum anulorum vsu, Euocati appellarentur, excubiásque vice militum agerent.* Notat enim de retentione anulorum vt insolens, & præter communem morem. Appianus etiam apertè militibus omnibus eos adimit, præter Tribunis. In Lybico: χρυσοφορεῖσι τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι, τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων. id est: *Ex auro anulos ferunt inter milites Tribuni, reliquis inferioribus ferreos gestantibus.* Atque hoc copiosè satis narrat iam tunc in bello Punico tertio (historiam & occasionem apud eum vide:) vt ap-

Plebeiis ferrei.

Etiam militibus.

Solis Tribunis exceptis.

Quando is mos castra introlatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt appareat statim à bello Punico secundo seueritatem hanc introductam. Nam tunc nondum: si vera sunt quæ de trimodiis anulorum traduntur ab Annibale Carthaginem missis. Quam disciplinam tamen resoluit, vt in quibusdam aliis, Princeps non ad suum nomen Seuerus, qui, vt Herodiani verba sunt, τοῖς στρατιώταις πολλὰ συνεχώρησε, ἃ μὴ πρότερον εἶχον, καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε: *militibus multa indulsit prius negata, & aureis annulis vti permisit.*

Quæ sustulit Seuerus.

CAPVT IX.

Seneca plus semel emendatus. Neronis principatus initio optimus. Epicuri sententia deos extra mundum proicientis.

Senecam male adhuc à Criticis negligi.

VOTVM meum non dissimulo. & vt ex tot huius ævi Criticis manum aliquis & limam seriò Annæo Senecæ admoueat, calidè iamdiu opto. Quis dignior? in quo res & verba magis seria, nec ad scientiam modò sed ad salutem? Sed tamen hoc quoque opto, vt ille ipse Censor sit serius, æuo & iudicio grauis: non ex istâ classe feruidæ iuuentutis, quæ nata corrumpere omnia & mutare. Posses id tu V. C. Nicolaë Faber. quem sola modestia, vt scio, abstinet ab hac palmâ: nam doctrina, iudicium, diligentia tibi superant: & infinita vtiliter ac sapienter in sapientissimum scriptorem obseruasse te didici verâ famâ. Possem & ego aliquid. sed valetudo nunc tardat, & quod copiâ te vsum intellego librorum meliorum. Interea dum tibi venit hic animus, (& voueo vt breui:) nos more nostro carptim quædam in eo notabimus; & magis ea, quæ accepta ingenio ferimus, quàm libris.

De Clementia primo, cap. I. Neronem alloquitur:

Sed ingens tibi onus imposuisti. nemo iam Diuum Augustum, nec Tiberij Cæsaris prima tempora loquitur. nemo qui te imitari velit, exemplar extra te quærit. Principatus tuus ad gustum exigitur.

verbis & sententiâ corruptis. Quid enim illud in extremo, Exigi ad gustum? quod libri quoque veteres spernunt, & ingerunt plerique *ad Augustum.* Malè illi ipsi. Adeò enim Seneca Principatum Neronis ad Augustæum nõ exigit, vt præponat longè (nec vanè prorsus, vt hęc initia erant) negetque quemquam iam de Augusto, aut Tiberij temporibus primis loqui. Sed à libris tamen iis adiuti commodè legimus, *Principatus tuus ad anni gustum exigitur.* & paullò antè, *nemo quod te imitari velit.* verissimè. Hæc enim Senecæ mens & scriptio: Age Nero, inquit, perge in hac virtutis & gloriæ viâ quàm insistis: arduâ tibi certè, quia optima & maxima omnes de te sperant. Nemo iam Augustum tibi proponit, quem imitêre; nemo Tiberij laudata primordia: omnes te tibi. Principatus inquam tuus, ad gustum & exemplar vnius anni illius exigitur, quem in imperio laudatissimè transegisti. Hæc sensit, hæc scripsit: ad rem verè, & ad tempus. De re, constat tirocinium illud imperij tam probum fuisse, vt Traianus idem tidem iterare solitus, *Omnes bonos Principes procul abesse à primo quinquennio Neronis.* De tempore, ecce hic liber siue libri De Clementiâ, scripti sub primum statim Neroniani imperij annum. Haurio ex ipsis

Correctus Seneca.

Explicata sententia ea.

ex ipsis: & lego lib. I. cap. IX. *Diuus Augustus cùm esset id ætatis quod tu nunc es, duodenicesimum egressus annum.* Nero igitur, si compari ætate cum Augusto, tunc expleuerit decimumoctauum annum. atque imperium, decimoseptimo suscepit. benè igitur & verè quod ad tempus, emendaui, de anni gustu.

De Vita beata, cap. XXV.

Fac me victorem vniuersarum gentium. delicatus ille Liberi currus triumphantem vsque ad Thebas à Solis ortu vehat. iura reges Persarum petant. me hominem maximè cogitabo, cum diis vndique consultabo.

Turbat egregiam & magnanimam sententiam extrema clausula: quæ in quibusdam manuscriptis meis concepta, *cum deo vbique conscia lucta-bor.* Aperio & diffundo ego, *cum deus vndique consalutabor.* Adeò, inquit, me non attollent efferentque supra hominem ab hominibus honores, vt tum vel maximè mortalem me esse meminero cùm audiam immortalis.

Alta vox Senecæ rebus digna.

De Beneficiis lib. IIII. cap. XIX.

Tu denique Epicure deum inermem facis. omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam: & ne cuiquam metuendus esset, proiecisti ipsum extra metum.

In verbulo pauxillum mendum, grande in sententiâ. Inuoluitur enim mens Epicuri, & simul reprehensionis acumen. quod vtrumque apparebit si scribas, *extra metam.* Nempe ita sensit senex ille ab horto, (ex Lucretio & Laërtio id clarum) deum non tangi rebus humanis, non iis curare: atque vt id pronius suasu esset, posuit eum suo quodam & proprio loco, non supra solum, sed extra mundum. Seneca impiam hanc sententiam iterum tangit libro VII. infrà: *Alius diis obiicit neglegentiam nostri, alius iniquitatem, alius illos extra mundum suum proiicit.* Vbi eodem etiam Proiiciendi verbo vsus, quod parum aptè hîc de metu. At in metæ verbo adposita etiam metaphora, quasi extra limitem omnem huius stadij & finem.

Epicuro dij non in mundo.

In Consolatione ad Polybium, cap. XXXVI.

C. Cæsar, amissa sorore Drusilla, conspectum conuersationémque ciuium suorum profugit, exsequiisque sororis suæ non interfuit. iusta sorori non præstitit, sed in Albanum suum secessit, ac foro & aduocatis & huiusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris leuabat mala. Proh pudor imperij! Principis Romani lugentis sororem alea solatium fuit.

Leui emendatione expedio viros doctos qui obhęrent. in *Albanum suum secessit, nec foro & aduocatis & h. a. o. a. f. leuabat mala, (proh pudor imperij!) Principis Romani* &c. Ita enim continuanda periodus tota, & negans particula subdenda saltem in locum aientis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT X.

De ritu plaudendi & explaudendi in theatris. item adsurgendi, acclamandi. Quomodo ista habita sub Imperatoribus! quæ voces in acclamando! Plutarchus & Plinius explicati: iste etiam correctus. Fauor & Fauere, nouâ significatione. Lampridius, Capitolinus, Vopiscus illustrati. Quid Oraria fuerint: & cui in theatris vsu.

Theatralis honos in viros conspicuos.

Mos mihi in lucem reuocandus & ambitio, quæ delituit sub velis theatrorum: & simul scriptores aliquot prisci perfundendi nouâ luce. Vetus consuetudo Romæ, etiam viuâ libertate, vt viros primates & gratiâ aut dignitate conspicuos, venientes in theatra, composito plausu exciperent; iisdem adsurgerent. vtrumque, honoris habendi caussâ, & promendi fauoris. Contrà, eos qui infames aut ingrati, sibilo & pastoriciâ fistulâ (ludens ita Cicero appellat) velut reiicerent & segregarent. Hoc testimonium vniuersi populi multùm valere censebant in vtramque partem. Itaque ambitiosè id quærebant, & adepti consecutos se censebant aliquid magnum. Exempla vel in Cicerone vno crebra, nec occulta. Originem rei Plinius referre ad Liuij Drusi Tribunatum videtur, lib. xx v. cap. v. mansitque ad Imperatores: sed ita vt hunc honorem, sicut plerosque alios, sibi ferè seponerent, nec communicatum vellent cum reliquo Senatu. non certè vulgo. Nam quin etiam sub Imperatoribus quibusdam applausum & adsurrectum, non nego: sed ferè iis qui aut ex domo & gente Principali, aut interiori amicorum cohorte. Ita Mæcenati plausum Horatius iterat, vt magnum.

In alios dedecus & exsibilatio.

Quinetiam sub Impp. Sed ita, vt sibi solis vellent hoc honoris: Aut intimis.

Mæcenati plausum.

——— *datus in theatro*
Cùm tibi plausus, Clare Mæcenas eques. &:
——— *tum populus frequens Lætum theatris ter crepuit sonum.*

Virgilio adsurrectum.

Ita Virgilio adsurrectum, Fabius seu quis alius in libello erudito De Caussis corruptæ eloquentiæ: *Populus*, inquit, *auditis in theatro versibus Virgilij, surrexit vniuersus; & fortè præsentem, spectantemq; Virgilium sic veneratus est quasi Augustum.* Ex quibus postremis verbis etiam hauris, honorem illum, vt dixi, rarum fuisse & verè Augustum. Adeò vt ille ipse Princeps, *nepotibus suis prætextatis adhuc* (Tranquilli verba adfero) *adsurrectũ ab vniuersis in theatro & à stantibus plausum, grauissimè sit questus.* quasi videlicet in superbiam præcipitarentur & pretium sui, nimio hoc honore. Seneca tamen non exoleuisse id prorsus etiam suo æuo in ambitiosis illis & gratiosis ostendit, epist. xx ix. *Ceterum si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrante te clamor, plausus, & Pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota ciuitate te fœminæ puerique laudauerint: quidni ego tui miserear, cùm sciam quæ via ad istum fauorem ferat?*

In nepotibus suis Augustus vetuit.

Adclamatio in ludis.

SED præter Plausum hunc & Adsurrectionem, etiam Adclamatio fuit: & quidem antiquitus, in re subitâ, nouâ, tristi, lætâ. Florus expressit scitè lib. iii. cap. iiii. De bello Cimbrico: *Eodem die*, inquit, *quo gesta*

gesta res est, visi pro ade Castoris iuuenes laureati prætori litteras dare, frequensq; in spectaculo rumor, Victoriæ Cimbricæ Feliciter, dixit. Quæ tamen posteà translata tota ad laudes siue adulationes Principum, in eosque effusè exercita; nec vocibus solùm singulis, sed cõtextu quodam ad modulum & ad cantum. Cuius generis (operæ enim mihi formulas colligere & subiicere) illud in Suetonij Domitiano: *Acclamari in Amphitheatro, epulari die, libenter audiit, Domino & Dominæ Feliciter.* Item in Claudij cap. vii. *Præsedit nonnumquam spectaculis in Caij vicem, acclamante populo, Feliciter partim patruo Imperatoris, partim Germanici fratri.* Illa in Vopisci Tacito: *Acclamatum est à populo, Felicissimè. Tacite Auguste di te seruent: & reliqua quæ dici solent ex more.* In Martiale De Titi ludis, ista

Accommodata ad Principis laudes.

Quæ in eis voces receptæ.

——— *populorum vox tamen vna est:*
Cùm verus patriæ diceris esse pater.

In Dione, Neroniana laus: ὁ Καλὸς Καίσαρ, ὁ Απόλλων, ὁ Αὔγουστος. Et: εἰς ἀπ' αἰῶνος Αὔγουστε, ἱερὰ φωνὴ, &c. Item solemne hoc, εἰς αἰῶνας, siue, In æuum: quod Tertullianus solus subiicit libello De Spectaculis: *Quale est*, inquit, εἰς αἰῶνας *aliỳ omnino dicere, nisi deo Christo?* Item versus sæpe integri, ex eodem scriptore in Apologetico: *Cuius insculpta præcordia non apparerent noui ac noui Cæsaris scænam, etiam illâ horâ quâ acclamant*

De nostris annis tibi Iupiter augeat annos?

Denique inter Adclamationes etiam illud referam, *Vita & Victoria:* ex Reginone. *Leo Papa*, inquit, *coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo ter acclamatum est:* CAROLO AVGVSTO MAGNO ET PACIFICO IMP. ROMANORVM VITA ET VICTORIA. *Et post laudes, more antiquorum Principum, adoratus est.* Quod non enotassem, nisi ipse Regino factitatum id ostenderet ex ritu prisco. De fauorabili hac adclamatione Plutarchi insignis locus in Galbâ: καί ποτε θέας ἄσης, καὶ τῶν χιλιάρχων καὶ λοχαγῶν τὸ Ρωμαίοις σύνηθες εὐτυχίαν ἐπευχομένων τῷ Γάλβᾳ quæ verterim: *Et spectaculo fortè quodam, cùm Tribuni & Centuriones, solemne illud Romanis, Feliciter, Galbæ apprecati essent.* Et de eâdem istâ Plinium in parte loqui sentiam, in Panegyrico: *Cùm laudes Imperatorum ludis etiam & commissionibus* (ita verò emendamus, &, *Commissationibus*, spernimus, quod habent libri) *celebrarentur saltarentúrque, atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur.* quamquam includat & Principis laudes versibus compositas, actitataſque à Pantomimis. Magisque propriè & certè Procopium traham istuc, libro i. De Bello Goth. vbi pax à Iustiniano Principe regi Theodahato concessa in hanc legem: *vt populus pro more, in plausu & acclamationibus, Imperatoris inprimis nomen pronunciaret, Theodahati deinceps: idq; siue in theatris, siue in triuiis, siue alibi locorum.* Quibus in verbis nota mihi Adclamationem hanc inprimis inter feria habitam, & velut propria insignia imperij: ideoque Iustinianum cautè cauisse, cùm Romam Theodahato relinqueret, ne tamẽ nomen eius in his Adclamationibus pronuntiaretur primum: sed suum potius, velut legitimi Principis & veri. Atque hæc satis, opinor, ad firmandum hunc ritum siue illustrandum: adiungo & doceo amplius. Quoniam fausta & fauentia.

Plutarchus explicatus.

Item Plinius.

Idémque emẽdatus.

Procopio facta lux.

Quanti fuerit hæc adclamatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fauere, idem quod Acclamare. Acclamationis huius verba, rem ipsam, tanquam suo & peculiari verbo, dixerunt Fauere, & Fauorem. Obseruaui pluries (parum adhuc obseruatum) in scriptoribus præsertim æui paulò magis noui. Vt in Lampridij Commodo: *Cùm illi sæpe pugnati, vt deo populus fauisset.* id est, deum eum acclamasset. In Capitolini Pertinace: *Fuit in curia honorificentissimus: ita vt Senatum fauentem adoraret.* valet, Senatum fausta acclamantem. In eiusdem Gallienis: *Hac pompâ homo ineptus eludere se putauit populum: sed vt sunt Romanorum facetiæ, alius Posthumo fauebat, alius Regilliano, alius Saturnino.* caue de occulto animi fauore acceperis nimisquàm frigidè, sed de aperto isto linguæ. Etiam Fauorem, vt posui, appellitarunt. Ecce

Lampridij nouus intellectus.

Vt Capitolini.

Item Vopisci. Vopisci in Aureliano densâ caligine, absque notæ huius face, pressum locum: *Sciendum tamen congiaria illum ter dedisse, donasse etiam populo Romano tunicas albas manicatas, lineas Afras atque Aegyptias, ipsumq; primum donasse oraria populo Romano, quibus vteretur ad fauorem.* Quæ enim hæc Oraria? quis Fauor? Fauor quidem, acclamatio ista solemnis: at Oraria, quidpiam quod ori adiungerent siue inducerent, ad augendam aut dirigendam vocem, vt histrioniam personam. Tegmen inquam aliquod aut velamentum resonans, ad magis concinnandas modulatas istas voces. Verè enim modulis suis & concentibus constabant, certâ quadam arte, vt docui satis ad Taciti Annalem XVI: verba ea illustrans, *Plebs personabat certis modis, plausuq; composito.* Lego in Glossis veteribus, *Oraria, quibus os obuelabatur.* & vocem ipsam in Trebellij Pollionis Claudio reperias: *Bardocucullum vnum, oraria Sarabadena quatuor.* Quin in ipso Lucilio: cuius versus apud nescio quem Grammaticum,

Oraria quid?

Modulatæ istæ acclamationes fuêre.

Ricini aurati, ricæ, atque oraria, mitræ.

Oraria paulò alio sensu. qui collocat inter tegmina, vt vides, siue vestes. Etiam in Christianis scriptoribus, sed pro velamento Episcopali: vt in vitâ Fulgentij doctâ & vetere. *Vnâ tantùm vilissimâ tunicâ, siue per æstatem siue per hiemem patienter indutus, Orario quidem, sicut omnes Episcopi, numquam vtebatur.* Ex quâ eâdem, sine culpâ non omiserim locum, testem firmum meæ notæ in voce Fauoris. Ait cap. XIII. recensens quæ Fulgentio Romæ euenêre: *Contigit vt beatus Fulgentius in loco, qui Palma aurea dicitur, memorato Theodorico rege concionem faciente, Romanæ curiæ nobilitatem, decus ordinemq; distinctis decoratũ gradibus adspectaret: & fauores liberi populi castis auribus audiens, qualis esset huius sæculi gloriosa pompa cognosceret.* Et cap. XVI. iterum: *Nimis autem gratissimus viri sapientis adspectus & fauores populi suffragantis augebat* &c. De celebri enim productione Fulgentij agit, & clamoribus populi nimium læti. Hæc eò libentius notabam & eligebam: quia vestigium firmũ interpretis nõdum videram per hunc obscuriorem callem.

Vita beati Fulgentij vetus illustrata.

CAPVT XI.

E Valerio Maximo detersæ labeculæ. Liuio suus numerus restitutus. Corruptio frequens in notâ millenariâ. Admouere lineas. Glossematium, aliaque.

St. Pighij proba & religiosa censura. VALERIVM Maximum St. Pighius nobis dedit peritè & religiosè censum: & illo modestiæ exemplo, quod imitari velim eos, qui hoc Criticum

Criticum stadium currunt. Et validè valet sanè per eum Valerius. quis neget? nec nos vt medici nunc accedimus: sed tantùm locis aliquot habitudinem quamdam, & colorem addituri, vt aliptæ.

Velut libro VII. cap. VI.

Senatus auctore Tib. Graccho consule des. censuit, vti publicè serui aduersus propulsandorum hostium impetum emerentur. eáque de re per Tribunos plebis ad populum latâ rogatione, tres creati sunt viri, qui quatuor & viginti millia seruorum comparauerunt.

Corruptus in Valerio numerus. Exorbitat numerus. Nam Liuius, & qui alij hæc Punica bella tradiderunt, auctores tantùm de octo millibus sunt. Et mihi certum, fraudem factam in millenariâ notâ: quam corruperunt non semel. Plerumque enim illud ∞. (quod X. circumscriptum Prisciano est) interpretati sunt per Decẽ aut Viginti. Id hîc factum, & aptandus numerus ad Liuianum. Factum in ipso Liuio libro XXIII. *Itaque ingenti consensu fit Senatusconsultum, vt Annibali XL. Numidarum millia mitterentur in supplementum.* Itáne quadraginta millia equitum tantùm in supplementum? Atqui non omnes Annibalis copiæ ad hanc summam. Benè liber vetus (cuius excerpta ad me misit Amplissimus Aug. Busbequius: ∞ ∞ ∞ ∞. id est, quatuor millia præfert. Peccatum eodem iterum libro: *Is adolescentia ferox, prælio temerè inito, fusus fugatúsque. ad triginta millia Sardorum eo prælio cæsa, mille trecenti fermè viui capti.* Atque hîc idem codex, ∞ ∞ ∞. id est, tria millia verè scribit: statimque, *trecenti capti*, omissis *mille*. Adde eiusdem erroris exempla, si lubet, quæ in Saturnalibus mihi notata. At hisdem Valerij primis verbis mendum etiam odoramur, *aduersus propulsandorum hostium impetum.* quæ rescribam, *& publicè serui, propulsandorum hostium, emerentur*, inductis quæ ab imperitâ manu: aut si id confidentius est, *ad propulsandum hostium impetum.* Vulgata quidem scriptio non sana.

Item in Liuio, ab eâdem imperitiâ.

Valerius iterum correctus.

Libro I. cap. VII.

Propioribus tamen, vt ita dicam, lineis Aterij Rufi equitis Ro. somnium certo euentu admonitum est.

Egregia nec trita metaphora, Admouere lineis: pro Vrgere, accedere. Intricata locutio, Admoneri lineis: nec satis sciam à quâ imagine aut exemplo. Legam, *admotum est.* & metaphoram ductam putem à lineis Circensibus, quas in Spectaculis nostris, deo volente, explicabo. Nunc correctioni non vulgariæ firmandæ satis sit hic Senecæ locus, epistolâ L. *Nunc incredibilis cursus apparet, siue quia admoueri lineas sentio, siue quia attendere cœpi & computare damnum meum.*

Seneca obiter aliqua lux.

Libro II. cap. III. De C. Mario:

Ciuis alioqui magnificus, sed nouitatis suæ conscientia, vetustati non sanè propitius. memorque si militaris ignauia humilitatem spernere perseueraret, se à maligno virtutum interprete velut capite censum Imperatorem compellari posse.

Coniectura in Valerio. Militaris ignauia hîc quî conuenit? Scribe me auctore, *militaria signa: &, perseuerarent.*

In Prologo operis:

Nam si prisci oratores ab Ioue opt. max. benè orsi sunt, si excellentissimi

Universidad de Deusto
Biblioteca

vates à numine aliquo principia traxerunt: mea paruitas eò iustius ad fauorem tuum decurrerit.

Glossema in eodem, à barbarie patrum.

Cellam olet hic sermo, imò sellam. Nos scimus Valerium scripsisse, *traxerunt; ego iustius ad fauorem tuum decurrero.* Inconspecti tamen fratercu-li! cur huic paruitati non alterum emblema inseruerunt, *fauorem tuæ maiestatis?* Ita enim vndique constabat hic Atticismus.

Libro III. cap. V. De Socrate:

Nam cùm eruditissimorum virorum ingenia in disputatione cæcâ vagarentur, mensurámque Solis & Lunæ & ceterorum siderum loquacibus magis quàm certis argumentis explicare conarentur: primus ab his indoctis erroribus abductum animum intima conditionis humanæ scrutari coëgit.

De sideribus, insita & incerta scientia.

Omnino legend. *ab his doctis erroribus.* Et reuera ita est quid firmi etiam-nunc in subtilibus illis alucinationibus aut certi? Et tamen superbiunt, & clamant in scientiis scientiam hanc vnam. cuius limen libandi ego auctor, numquam penetrandi.

Lib. VII. cap. VIII. De insano quodam Tuditano:

Testamento is filium instituit heredem. quod Ti. Longus sanguine proximus hastæ iudicio subuertere frustrà conatus est.

Turpe è Valerio mendum purgatum.

Obsecro, à quantum uis insano si filius institutus heres, quid non pro sano? aut quis sanguine propior, quàm suus cuique filius? Hærebunt Iurisconsulti, nisi correctione mecum se expediant: *Testamento is Ofilium instituit.* vt externum aliquem capiamus, eo nomine.

Libro primo cap. I.

Decem Principum filij Senatusconsulto singulis Etruriæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ [gratia] traderentur.

In numero etiam error.

Etruriæ populos XII. fuisse didici. quomodo decem ergo discipuli singulis attribui potuêre? Rescribam, *duodecim Principum filij.* etsi in Cicerone, senos tantùm legas I. De Diuinat. fortasse cum errore. At illud, *gratia*, ingratum auribus glossema est.

CAPVT XII.

De prodigio quodam Liuij, quæ eius mens sit. satin' firma vulgata scriptio? non videri: & nostra diuinatio adscripta. Sortes sacras inuolui lanâ & tæniis solere. Plutarchus ita explicatus.

Criticorũ nimia nostra curiositas.

QVID in Liuij ternis locis Extenuatæ sortes sint, mente & oculis iamdiu vestigo. adeò intentè quidem, vt vix magis amissam filiam suam mammosa olim mater. Est enim & hoc quoque curiosi & Critici ingenij nostri proprium (cur diffitear meum morbum?) apertis, vt ita loquar, per libros carceribus velle decurrere; nec repagulum vsquam ferre aut obstaclum. Vtinam tantùm faces mihi quoque ad quærendum præluceant: sed quas accenderim non in Vulcani Aetnâ, magis in Apollinis Parnassò. Loci, quos dico, duo, libro XXI. leguntur, vbi de prodigiis sub Annibalis aduentum:

Quæstio de Liuij Extenuatis sortibus.

In Piceno lapidibus pluisse, & Cære sortes extenuatas.

Iterum.

Iterumque:

Lectisternium Cære, vbi sortes extenuatæ erant, imperatum.

Tertius autem lib. XXII. ab ipso initio statim:

Faleriis cælum findi visum, velut magno hiatu, quáque patuerit ingens lumen effulsisse. Sortes suâ sponte attenuatas, vnámque excidisse ita scriptam, MAVORS TELVM SVVM CONCVTIT.

Spreta vulgata lectio.

Quæ autem vis (attende modò, Lector) aut quæ mens hîc verbo Extenuandi? præsertim in sortium istâ re, quas maiores aut minores in prodigiis factas nusquam legi. nec si legam, capiam satis. Cui enim significationi id aut notæ? Vide omnino ne remotius, vt solet in his talibus, vetustiusque verbum fuerit, quod per imperitiam exscribentium mutarit. Ego non improbè id suspicor, & ausim vbique rescribere, *Extæniatas sortes.* quod interpretor, tæniis vittisq; solutas & liberatas. Nam rem ita habuisse puto. Sortes, taleolæ aut surculi è ligno fuêre non grandes: quibus litteræ ad diuinandum inscuplæ, siue notæ. Eæ priuatim habitæ, eæ publicè. Sed quæ in publico, inprimis religiosæ censebãtur & canâ quadam veritate sacræ. Itaque sanctè & religiosè in templis ipsis habebantur, in arcâ reconditę: &, nisi fallor, tæniis vittisque laneis seorsum inuolutæ. De arcâ, suggerit Suetonius in Tiberio cap. LXIII. *Vicina verò vrbi oracula etiam diffidere conatus est: sed maiestate Præneſtinarum sortium territus desistit. cùm obsignatas deuectasq; Romam non reperisset in arcâ, nisi relatâ rursus ad templum.* Et Cicero in Diuinatione: qui arcam eamipsam ex oleâ fuisse pluribus verbis narrat. At de vittis, quidni suspicer, cùm hunc cultum & velamen adpositum sciam omnibus sacris? Quibus tamẽ puris manibus euolui solent, cùm promerentur ad consulentium vsum. Hoc nunc igitur Liuius narrat iure vt prodigium: sortes eas sponte euolutas, & (vno proprioque verbo) extæniatas esse: tamquam si Fortunæ ipsius manu sparsæ & iactæ, ad grande aliquid prædicendum. Plutarchus non modicè me iuuat, qui in Marcello hoc alterum Faleriis prodigium è Liuio ipso ita vertit: τὸ δ' ὑπὲρ Φαλερίους ἐρανὸν ῥαγῆναι δόξαντος, ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι πολλὰ γράμματεῖα, καὶ τούτων ἓν γεγραμμένον φανῆναι κατὰ λέξιν, Ἄρης τὰ ἑαυτοῦ ὅπλα σαλεύει. En, excidisse ait sortes & variè dispersas. non è cælo ipso, quod quispiam censuerit (pugnet enim id palam cum Liuij mente) sed ex inuolucro & arcâ. Extæniatas igitur ille clarè vertit, ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι. Hactenus mihi meus Apollo subiicit. tibi fiquid melius in mente aut certius: age age, νικήσειν ὁ παρά σοι τρίπους, ἐγὼ δὲ ψευδομάντις ἀποφαίνομαι.

Nouæ suppositæ, haud scio an rectè.

Sortium vsus.

Earúmque publicè religio.

In arcis habita cum vittis.

Cur Extæniatæ sortes prodigium fecerint.

Plutarchus huc tractus.

CAPVT XIII.

Nouiter erutus vetus mos in creatione Tribunorum. Eos sub Principibus & paulloantè, tantùm è Senatu fuisse. Suetonij loci illustrati, & lectio in iis firmata. Plinio & Appiano lumen immissum.

EGO verò libens è situ & obliuionis carcere eruam insignem & notabilem ritum: qui nimis diu iuuentutem nostram latuit, in Tribu-

nis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis creandis. Iuuentutem autem? imò & verè viros, verè doctos: quibus nebulæ hîc & caligo. Tribuni creati olim non solùm pro plebe, sed etiam è plebe: ita vt patriciis aut patribus aditus ad eum honorem rarus esset, aut nullus. Diu ita mansit. donec visum adeò id immutare, vt cautum seuerè fuerit, nequis Tribunus fieret, nisi Senator: id est, ne ius quidem haberet petendi Tribunatus, nisi iamantè è patribus. Suetonius hoc adfirmat clarè vsitatum etiam in liberâ rep. & extremo ævo Ciceronis. Nam in Aug. cap. x. ita scribit: *Et quò constantius cetera exsequeretur, in locum Tribunipl. demortui candidatum se ostendit: quamquam patricius, necdum Senator.* Vbi disertè & extra cauillum, impedimenta duo Cæsari ad Tribunatum ponit, quòd gente patricius, & quòd honore nondum Senator. Nã maximo Langio nostro quî adsentiar, voces eas duas præfidenter hîc tollenti? Nollem te hoc conatum, vir alia modestissime. nam iterat hoc ecce idem Suetonius in eodem Aug. cap. XL. *Comitiis Tribuniciis, si deessent candidati Senatores, ex equitibus Romanis creauit.* quod qui ad Tribunos transferunt militares: quàm errant? Refutat eos palàm Dio libro XLV. qui hanc ipsam rem denarrans, τοῖς ἱππεῦσι, inquit, τὴν δημαρχίαν αἰτῆσαι ἐπέτρεψε. id est: *Equitibus Romanis tribunatum plebis petere concessit.* Ex quo ampliùs discis, nec equitibus quidem tunc fuisse petendi ius, adeò non imæ plebi. Plinium ego apto istuc lib. II. Epist. IX. *Ego*, inquit, *Sexto latum clauum à Cæsare, ego Quæsturam impetraui. meo suffragio peruênit ad ius Tribunatus petendi.* Ius enim petendi Tribunatus, non hîc aliud quàm dignitas Senatoria & latus clauus. Hoc vtiliter institutum, & ad arcendos à turbido magistratu turbidos adolescentes: sed quando, hæremus. Appianus adscribere Sullæ videtur, qui multa in hoc magistratu, ad vim eius & ferociam contundendam, innouauit. Nam ait Ciuilium primo: τὴν δὲ τῆς δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν ἀθενεσάτην ἀποφήνας, καὶ νόμῳ κωλύσας μηδεμίαν ἄλλην τὸν δήμαρχον ἀρχὴν ἔτι ἄρχειν. καὶ ἀκέχω σαφῶς εἰπεῖν, εἰ Σύλλας αὐτὴν, καθὰ νῦν ἐστιν, ἐις τὴν βουλὴν ἀπὸ τοῦ δήμου μετήνεγκεν. id est: *Tribuniciam potestatem tantumnon sustulit, eneruatam eam prorsus relinquens, lege lata, nequis qui Tribunus fuisset alium vllum caperet magistratum. nec liquidò possim dicere, an Sulla hunc magistratum, vti nunc est, à plebe transtulerit ad Senatum.* Quem locum valdè mihi nota, vnicum Suetonio & huic ritui lumen. Et Appiano sanè adsentiar ego: quamquam Atteius Capito apud Agellium Atinio plebiscito adsignet; si tamen transferre verba ea fas ad meam hanc mentem. Ait: *Tribuni plebis Senatus habendi ius erat, quamquam Senatores non essent ante Atinium plebiscitum.* Dicere enim videtur, plebiscito eo cautum, vt nemo Tribunus nisi Senator esset. Etsi aliorsum, nec incommodè, trahi verba ea posse, nihil nego. Illud quidem miror, non Ciceronem, non historicos, rem tam nouam, tam memorandam posteris prodidisse: nisi fortè, quia tunc notissima, & in oculis omnium, auribusque.

Tribuni plebis olim tantùm è plebe lecti. Postea tantùm è patribus.

Tranquilli notabilis locus.

Quem malè capiunt aut mutant.

Alter eiusdem sententia.

Nec equites quidem admissi ad Tribunatum.

Plinij locus in hancce rem.

Quando hæc innouatio facta?

Appiani hæsitatio.

Capitonis ambigua verba, quia pauca.

CAPVT

CAPVT XIIII.

In Statio Papinio locorum aliquot correctio. Atticus sector. Arcta Purpura. Mens adflata. Crines in sepulcro.

PER æstiuos hos dies itio mihi crebra ad suburbanum meum hortum fuit. Quia parum illic vmbræ; à Statio quæsiui, & requieui in eius Siluis. In quibus retorridos aliquot aut malè flexos versuum ramos incidi etiam obiter, & velut sublucaui. Vt libro I. in Equo Domitiani:

——— *Apellæa cuperent te scribere cerâ,*
Optasséntq; nouo similem te ponere templo
Atticus Elæi senior Iouis.

Qui sermo quæsitæ adulationis ad Domitianum ipsum est: cuius eam dignitatem vult esse formæ, vt exprimere eum gestiat omnis pictor, omnis sculptor. atque etiam illiipsi prisci. Sed quis hîc senior Atticus Elæi Iouis? non sincera ea verba, imò nec Latina: quæ depurgo: *Atticus Elæi sector Iouis.* Phidiam illum Athenis nobilẽ intellegit, qui Iouem Olympium ex ebore fecit. At ebur politur fingiturq; secando: ideò Sectorem rectè dixit. Eodem carmine, suprà:

Phidias, Atticus sector Statio dictus.

——— *quod si te nostra tulissent*
Sæcula, tentasses me non audente profundos
Ire lacus. sed Roma tuas tenuisset habenas.

Curtij verba sunt lacu suo emergentis, ad illumipsum Domitianum. qui vt sese timoris arguat, non conuenit. Scribito, *me non gaudente.* Tu, inquit, si prisco illo meo ævo vixisses, cùm terra dehiauit, primus fuisses qui caritate patriæ succensus, dedisses te in hiatum: me quidem non gaudente, cui gloria ea prærepta. In Tiburtino Manlij:

Curtius in hiatum abijt.

Litus vtrumque domi. nec te mitissimus amnis
Diuidit, alternas seruant Prætoria ripas.

Legimus, *Litus vtrimque, domus. nec se mitissimus amnis Diuidit.* Loco litoris, ait, vtrimque domus spectantur: nec tamen amnis ipse se diuidit, sed ripam duplicem exornant Prætoria bina.

In Soteriis pro Gallico:

Siqua salutifero gemini Chironis in antro
Herbâ tholo quocumque tibi Troiana recondit
Pergamus.

Probabam magis: ——— *gemini Chironis in antro*
Herba, & holus quodcumque.

Libro IIII. in Lyrico ad Septimium:

Hic paruus inter pignora Curiæ
Contentus alto lumine purpuræ
Crescis, sed immensos labores
Indole patriciâ secutus.

Quod sit altum hîc lumen purpuræ velim nimis à Scholiastis me docèri. Silebunt, scio: at ego illos, legendum esse, *arcto lumine.* Morem enim & vestitum priscum tangit Statius: Et tu quidem, inquit, tenui origine

Arcta purpura, siue anguita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Africanâ Lepti natus Romam venisti puer: & educatus inter latic lauios Senatorioſque es, contentus ipſe anguſto & arcto clauo. Diſcrimen enim hoc in clauis, quod vtrumque ordinem ſecreuit, iamdiu aliis notatum. Libro v. Epicedio in patrem:

Exere ſemirutos ſubito de puluere vultus
Parthenope, crinémque afflato monte ſepulti
Pone ſuper tumulum.

Quis hic adflatus mons? an Veſeui iugum? torqueri ſanè huc poſſet: ſed magis verius eſt ſcripſiſſe Statium, *afflatâ mente*. Quod attonito dolori bene conuenit, ſicut & crinium illa poſitio in ſepulchro. de quo lugubri ritu Ouidius item in Faſtis:

Mixta bibunt molles lacrimis vnguenta fauillæ,
Vertice libatas accipiuntq; comas.

CAPVT XV.

De ergaſtulis diffusa & libera conlectanea. Origo vocis, & rei. Iſidori confuſio, ſiue error. Quando cœperint, & quâ fine? Agriculturæ cauſſâ ea maximè inſtituta, ſed & lapidum, & piſtrini, (Plautus in iis correctus & interpretatus) fortaſſe & aquæ hauriendæ. Suetonij lectio ſtabilita, & explicata. Quis & qualis ergaſtulorum locus. Plauto iterum lux. Quod genus hominum in ea coniectum. Forma moduſque, quo miſeri illic habiti. nempe Vincti, Inſcripti, (Seneca correctus) Semiraſi, Semi-ieiuni. Poſtremò copia ergaſtulorum. paſſimque ſcriptores Græci & Latini explicati: Florus etiam correctus, & Appuleius fortè cum Plauto.

Varia ſeruorũ genera & munia olim. Triſtiſſimũ Ergaſtulorum. Vnde vox ſaltat

SERVORVM apud veteres varia conditio, multus vſus: ſed illa miſerrima, quæ Ergaſtulorum carcere incluſa. In quo quid pœnarum, quid ſæuitiæ fuerit, planè pleneque hoc Capite ediſſeram: cum gratiâ Lectoris, vt ſpero, & cum fructu. quia & delectant hæc talia, & mirè illuſtrant certè ſcriptores priſcos.

Quid fuerit, confuſè & breuiter. Iſidori in definiendo peccata.

ERGASTVLI vox Græcâ origine eſt, etſi non flexu. Rectius enim ἀπὸ τῦ ἐργάζομαι Ergaſterium fuiſſet. quâ voce Iuriſconſulti quidem vſi, ſed alio ſenſu: vti notat dignitate & doctrinâ eximius Barnabas Briſſonius, Galliæ imò Europæ magnum lumen. Sed Romani veteres ſic formarunt: & Gloſſæ Philoxeni ſimul rem aperiunt, & etymon tangunt aptè: *Ergaſtulum, τόπος ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται ἐργάζονται. Locus in quo vincti operantur.* Verius idem, ſed non verius, Iſidorus; *Ergaſtula*, inquit, *vbi deputantur noxij ad aliquod opus faciendum, vt ſolent gladiatores & exſules qui marmora ſecant, & tamen vinculorum cuſtodiis alligati ſunt.* Nam de noxiis primum, haud vſquequaque verum: quia empti ſerui innoxij ſæpe, ſolùm ad hoc munus. De gladiatoribus, planè falſum: qui in ludis ſuis benè & commodè habiti, in ergaſtulis numquam. Sed nec de exſulibus adſentior:

adſentior: & de marmoribus ſecandis, pars minima fuit ergaſtularij laboris. Præcipuus enim finis Agricultio, vt mox dicam, apud Romanos quidem. De vinculorum cuſtodiis quæ dicit, vera. non ſic tamen, vt duo, tres, ſerui vincti Ergaſtulum confecerint: ſed certo numero, quem acceptum referes ſoli Appuleio. *Quindecim*, inquit, *liberi homines, populus eſt: totidem ſerui, familia: totidem vincti, ergaſtulum.* Quod tamen de pleno legitimoque ergaſtulo dictum capio: quia aliâs ſcio pœnalem illum carcerem ſtetiſſe numero minore.

Quia numerus requiſitus ad legitimum Ergaſtulũ.

HABES lineamenta ruditer: colores addam, & Originem, Cauſſam, Finem, Locum, Homines, Modum ediſſeram diſtinctè. De origine, vetera ea eſſe video, & apud alias etiam gentes vſurpatâ. Certè Aegyptij habuerunt, & cùm ad alia opera, tum ad metalla dãnarunt: quod libro 1. atque alibi notat Diodorus. Imò & Medi habuêre, ex 1. item Iuſtini. At Romani, ſi Liuio fides, iam à regibus exactis. Libro enim ſecundo quiſpiam è Nexis apud eum queritur: *Ductum ſe ab creditore non in ſeruitium, ſed in ergaſtulum & carnificinam eſſe.* Quod tamen aptius veriuſq; ex perſonâ & temporibus Liuij ſcribi cenſeam, quàm illius nexi. Vera enim & propria Ergaſtulorum pœna tunc ignota, vti & nomen ipſum. Hoc ſanè conceſſerim, iam tunc ſæuitum in ſeruos, & velut relegatione quadam miſſos in piſtrinum, in lapicidinam, in agrum: ſed nec perpetuum, nec eâ formâ quæ poſteà increuit. Itaque apud Plautum comminationes herorum ſæpe tales: ipſa Ergaſtuli vox tamen irreperta. Quæ propriè nata & ad huius Capitis mei ſenſum, vt cenſeo, vix ante Gracchorum ætatem.

Quando cœperunt?

Liuij ambigua & parùm cauta forſitan dicta.

Serui quidem in agros antiquitus miſſi, nõ ad propriè Ergaſtula.

NATA autem ab hac cauſſâ. Romani deuictâ Italiâ, ceperant iure belli haud parum ſuburbani & longinqui agri. Eum vniuerſum partim ſub haſta vendidêre; partim tenuioribus ciuibus vtendum fruendum locauêre, exiguo aliquo tributo impoſito ſiue penſione. Hoc velut præmium iis militiæ & ſanguinis. placuitque res omnibus præter diuites, qui paulatim egenos pellere, & ad ſe trahere cœperunt finitimos quiſque agros. Donec Stolonis lex paullìſper eos coërcuit, definito quingentùm iugerum modo. ſupra quem haud fas poſſidere. Sed coërcuit certè paullìſper; rupit enim mox hoc frænum cupiditas, & ſuppreſſa auaritia non oppreſſa caput extulit altius, agroſque omnes pretio, fraude, vi, à pluribus traxit ad paucos. Hinc illa diuitum latifundia: hinc paucorum ab agris exſilia: hinc inductio Ergaſtulorũ. Vnde enim pauci illi, tot agris colendis? Plutarchus egregiè in Gracchis: ὕστερον δὲ τῶν γειτνιώντων πλησίον ὑποβλήτοις προσώποις μεταφερόντων τὰς μισθώσεις εἰς ἑαυτὸς, τέλος δὲ φανερῶς ἤδη δι' ἑαυτῶν τὰ πλεῖστα κατεχόντων, ἐξωθοῦντες οἱ πένητες, ἔτι παῖς στρατείαις ἔπι προθύμως παρεῖχον ἑαυτὸς, ἡμέλουν τε παίδων ἀνατροφῆς. ὡς ταχὺ τὴν Ἰταλίαν ἅπασαν ὀλιγανδρία ἐλευθέρων ἔσεσθαι, δεσμωτηρίων δὲ βαρβαρικῶν ἐμπεπλῆσθαι, δι' ὧν ἐγεώργουν οἱ πλούσιοι τὰ χωρία, τὸς πολίτας ἐξελάσαντες. id eſt: *Paulo verò poſt, cũ vicini illi diuites per ſuppoſitas perſonas tranſferrent conductiones agrorũ in ſeſe, & denique palam iam etiam & ſuo nomine pleraſque detinerent: expulſi pauperes, neque ad militiæ munus alacres ſe præbebant, neq. ad educandos liberos. Ita vt mox Italiam vniuerſam infre-*

Vera origo & tempus.

A multitudine agrorũ, quos diuites tenuêre.

Lex de quingentis iugeribus.

Irrita ſanctio, vi & pertinacia.

Serui Barbari empti ad colendos agros.

Universidad de Deusto
Biblioteca

infrequentem & vacuam liberorum capitum esse contigerit, & ergastulis compleri seruorum barbarorum: per quos diuites agros suos colebant, ciuibus exactis. Et eadem ac plura magis diffusè Appianus, in Ciuilium primo: qui ab infelici hoc Ergastulorum fomite ignem deducit Gracchanarum seditionum & belli ciuilis. Cuius verba vberiora, quàm vt huc transcribam: tu, me indicante, vide omnino & lege. Hæc igitur caussa, hæc origo. nam antè Romani ipsi colebant, & honestissimos quosque ciues scimus habuisse in agris. Columella mutationem eam conqueritur initio operis: *Rem rusticam*, inquit, *pessimo cuiq; seruorum velut carnifici, noxa dedimus: quam maiorum nostrorum optimus quisque optimè tractauit.* Nec Lucanus veritus eam ponere inter caussas intimas imperij ruentis, lib. 1.

Appiani prudens & digna lectu dissertio.

Ingenui pulsi agris & cultu eorum.

Hæc inter caussas lapsi imperij verè posita à Lucano.

Paupertas fugitur, totóque arcessitur orbe
Quo gens quæque perit. tunc longos iungere fines
Agrorum, & quondam duro sulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis.

Nam ignotos hos colonos non alios poëta (poëta enim certè mihi, & quidem bonus) intellegit, quàm hos in ergastulo seruos, alienigenas plerumque & à longinquo cælo. Ideò Seneca De Tranquillitate: *Sub alieno colono rura pretiosa.* Atque hæc caussa ex quâ non ignotus Finis. Agri enim cultio præcipuè fuit, vt vides. Ideò Lucanus:

Finis ergastulorum, agricultio maximè.

——— *vincto fossore coluntur*
Hesperiæ segetes. ———

Ideò Tertullianus allusione doctâ: *Adam in ergastulum terræ laborandæ relegatus.* & testimonia pluria: quæ variè aspersi infrà. Præcipuus, dixi, finis. Nam ergastula non rarò etiam ad aliud opus. ad molendum, ad lapidem cædendum, aquam hauriendam & quidquid tale. De molis autem pistrino, in comœdiis creberrimum; & exemplum disertum in Appuleij lib. 1x. quæ verba opportunius item reddo infrà. De lapidariis, ecce etiam veteri ævo Plautus, in Captiuis:

Etiam molitura.

Etiam lapidum cæsura.

——— ——— *ducite*
Vbi ponderosas, crassas, capiat compedes.
Inde ibis porrò in latomias lapidarias.

Et eâdem fabulâ, paulò posterius:

Iubete huic crassas compedes impingier:
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum
In lapicidinas facite deductus siet.

Etiã aquæ haustio fortasse.

Et de aquâ hauriendâ, velut in pœnam, tangit aliquid idem Comicus, in minis Olympionis villici aduersus Chalinum, in fabulâ Cassinâ:

Post id locorum, quando ad villam veneris,
Dabitur tibi amphora vna & vna semita,
Fons vnus, vnum ahenum, & octo dolia:
Quæ nisi erunt semper plena, ego te implebo flagris.
Ita te aggerundâ cerauum aqua faciam probè,
Vt postilena possit ex te fieri.

In quo

In quo penultimo versu alij *curuum*, pro *ceruo* substituunt: nos *cernuum* magis rectum censemus. Credam autem aggestionis & egestionis huius aquariæ magnum vsum: imò necessitatem fuisse, siue in lapidum siue in metallorum fodinis: ideoque huic etiam muneri damnatos seruos. Id Suetonius appellasse videtur, In antliam damnare: loco qui iamdiu à Criticis vexatur, & inuicem eos vexat. Tiberij cap. LI. *Testamentum matris pro irrito habuit, omnésque familiaritates & amicitias, etiam quibus ea moriens curam funeris demandarat, intra breue tempus adflixit: vno ex his equestris ordinis viro & in antliam condemnato.* Proba enim & recta mihi verba: quique Anticyram, Andiam, aut nomen insulæ subiiciunt, quî audiam? Cùm Suetonius vt nouum & inusitatum in viris splendidis aut ingenuis narret, ad vile hoc & seruile munus equitem damnatum. At de insulis, receptum sanè in Senatoribus ipsis scimus, & iamdiu tritum. Antliam igitur teneo, & succussione virorum doctorum vacillantem firmo nouo & robusto fulcro: quod petitum mihi ex Artemidori Somniorum siluâ. Scribit lib. I. cap. L. οἶδα δέ τινα ὃς ἔδοξε τῶ ἀνάπτος σώματος ἀτρέμα μένοντος, τὰς πόδας αὐτῶ μόνας βασάζειν. καὶ φοβαίνειν μὲν μηδὲ βραχύ, ὅμως δὲ πονεῖσθαι. συνέβη αὐτῶ εἰς ἀντλίαν καταδηθῆναι. καὶ τοῖς ἀντλῶσι συμβέβηκε, διαβαίνειν μὲν ὡς βαδίζουσιν, ἀεὶ δὲ μένειν ἐν τῶ αὐτῶ τόπω. ἔτι καὶ ἄλλος ἔδοξεν ὑπὸ τῶν ποδῶν αὐτῶ ῥέειν ὕδωρ: καὶ συνέβη αὐτῶ εἰς ἀντλίαν καταδηθῆναι ὄντι πανύργω. id est: *Noui quemdam, qui visus sibi reliquo corpore omni immoto, pedibus tantùm laborare: nec progredi hilum, moueri tamen. euênit, vt in Antliam damnaretur. Nam exhaurientibus hoc vsu venit, diuaricare quidem vt ingredientes solent, manere tamen in eodem loco. Item alius, visus videre à pedibus suis defluentem aquam. is quoque in Antliam damnatus est, facinorum caussâ.* Quæ verba firmant prorsus hanc lectionem & damnandi morem: etsi ea interpretari vel de sentinâ nauis exhauriendâ (id enim Græca vox quoque sonat) aptè possis: vel de Antliâ, quæ non tam vas, quàm instrumentum ad hauriendum: siue aquaria quædam machina, quæ pedum nisu & agitatu, aquas attolleret per modiolos atque haustra. Cuius generis etiam hodie in vario vsu. Martialis:

Plautus ubiter correctus.

In antliã damnari, quid? Suetonij locus expensus.

Reiecta Criticorũ emendatio.

Petita ab Artemidoro luce.

Curta laboratas antlia tollit aquas.

Sed abstineo ab excursu, & finio hîc de Fine.

Duplex sententia ad Antliã damnationis esse potest.

Locvs videndus est, etsi adspectu non suauis. Is non in opidis, sed in villis, & quidem subterraneus fuit, depressus, sedibus & angustis fenestris distinctus: prorsus ad carceris formam. Itaque iure Iuuenalis sic appellat:

Ergastula rure. Et instar carceris fœdi.

——— *inscripta ergastula, carcer* *Rusticus.*

Et Liuius eidem æquiparat: vere non oratoriè, de T. Manlij filio: *Quem pater in opus seruile, propè in carcerem atque in ergastulum dederit.* Et libro VI. eodem sensu: *Vbicumque patricius habitet, ibi carcerem priuatum esse.* Columella eum exædificat & describit, vt rem cum primis villæ necessariam; lib. I. cap. V. *Solutis seruis*, inquit, (nota autem discrimen seruorum in villis duplex, Solutorum & Vinctorum: quorum hi in ergastu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rarus atq; alte fenestra in hoc puteo.

lis) *cellæ meridiem æquinoctialem spectantes ficnt: vinctis, quam saluberrimum subterraneum ergastulum, plurimis atque iis angustis illustratum fenestris, atque à terrâ sic editis ne manu contingi possint.* Et probè eum munitum fuisse contra rupturam aut elapsum, idem ostendit cap. VIII. vbi officia domini describens: *Illa sollemnia sunt*, inquit, *vt domini, ergastuli mancipia recognoscant. vt explorent num diligenter vincta sint, an sedes ipsæ custodiæ satis tutæ munitæq; sint.* Sed quod in priore loco clarè tradit de Ergastuli fenestris: mirum ni clarorem aliquem Plauti vmbroso loco adferat. apud quem Cassinâ Olympio ille ferox dira multa interminatur riuali suo, mox scilicet in villam, cui ipse præfectus, relegando. Atque inter alia addit,

Idem cõtra fugam munitus.

Plauto fortasse lux si non ambitiosè nimis quæsita.

Noctu vt condignè te cubes curabitur.
CH. *Quid facies?* OL. *cludêre in fenestram firmiter,*
Vnde auscultare possis cùm ego illanc osculer.

Nam vt de cubiculari aliquâ fenestrâ accipiam, in quam ille compingendus, prohibet me sententię nescio quod frigus. Magis de ergastulari istâ: quia de die emittebãtur carcere illo ad opus scilicet, pedibus tamen vincti: noctu huc immittebantur iterum, arctius astricti. Sed argutor fortasse nimis: illud certius addo. Præfectum fuisse suum huic carceri, qui Ergastularius Columellæ dictus. Et rectè, atque ad normam. Nam quod Nonius suadet ex Lucilio, Ergastulum dictum fuisse istunc custodem pœnalis loci: straba illi mens, vt sæpe. Nec enim aliud ibi Ergastulus, quàm ipse qui in pœnâ & in noxâ: seruus inquam, non custos. Colligas facilè ex verbis, quæ tamen apud Nonium corrupta: *Ergastulum*, ait, *& Ergastulus, vt genere ita & intellectibus differunt. Nam neutro carceris locus est: masculino, custos pœnalis loci. Lucilius lib.* X V. *Non Ergastulus vnus. Et alius:* (ita hæc corrigo, siue dirigo, aberrantia aliter & confusa. nam alium aliquem scriptorem citat, etsi innominatum: nisi mauis, *Et alibi:*) *Iudicem opposuit, vt nemo sententiam liberè quasi ergastulus posit dicere.* Quæ postrema verba euincunt de meâ mente: quia nihil certè magis obnoxium quàm seruus; & inter seruos, ab ergastulo isti.

Præfectus Ergastuli.

Nonij alucinatio. Ergastulus pristis, ipse seruus Ergastuli incola.

Nonius correctus.

SED transeo ad Homines ipsos. qui è seruis quidem, sed duûm generum. Aut enim Noxij in hæc Ergastula detrusi aut Innoxij. Noxij; puta siqui è seruis contumaci ingenio, fugitiui, mali & malitiosi, crebri in delicto; hos dominus ex more damnabat in hanc pœnam. Damnabat ipse dico. quoniam iudice aut sententiâ aliâ, prȩter herilem, non hîc opus. Atque, vt solet, temerè sępe & per iram. Seneca indicat libro III. De Irâ: *Magnam rem sine dubio fecerimus, si seruulum infelicem in ergastulum miserimus.* Horatius item ad suum illum monitorem:

Serui bigeneri ad Ergastula.

Mali primùm, pœnæ causâ & vltionis.

Horatius explicatus.

——— *ocius hinc te*
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

Ad quem locum interpres vetus benè & verè: *quasi octo seruos herus miserit in ergastulum agri Sabini.* Prorsus enim illa mens poëtæ minantis. Iuuenalis etiam ad hunc morem, de perditâ illâ nobilitate;

Quid facias talem sortitus Pontice seruum?
Nempe in Lucanos aut Thusca ergastula mittas.

Et tangit

Et tangit Lactantius libro V. Institutionum, cap. XIX. *Quod si seruorum nequissimus habetur, qui dominum suum fugâ deserit, isq; verberibus, vinclis, ergastulo, cruce, & omni malo dignissimus iudicatur.* Vbi ergastulum inter seruiles pœnas recenset, ex prisci tamen potius æui quàm sui ritu. Nam Lactantij temporibus id abolitum, vt pòst dicam. At innoxij etiam huc immissi. puta, siqui viles serui, captiui, barbari, corpore tantùm boni: & quibus cerebrum omne in manu. hos emebant vulgò in hunc tantùm finem. Didicisti suprà ex Plutarcho & Appiano. Et ex hac quidem duplici fece, ergastula plerumque farcta. nisi quod ingenui etiam interdum & liberi coniecti in ea, per vim siue fraudem. Suetonius indicat in Augusto, capite XXXII. *Rapti per agros viatores, sine discrimine, liberi seruique, ergastulis possessorum supprimebantur.* Iterumque in Tiberio, cap. VIII. *Curam sustinuit repurgandorum totâ Italiâ ergastulorum, quorum domini in inuidiam venerant, quasi exceptos supprimerent non solùm viatores, sed & quos sacramenti metus ad huiusmodi latebras compulisset.* Videsque quàm seria ista res, & quale eius pondus, quod Principis etiam humeris subeundum fuit. Miserabile autem huius violentæ fraudis exemplum in Appiani Ciuilium quarto. vbi puer quispiam narratur relatus inter proscriptos, & matrem aggressus vt adiutum se vellet & celatum: à quâ repulsus (vide impiam serpentem) ἐπ ἀξιώσας ἔτι, inquit, εἰς πεῖραν ἐλθεῖν ἑτέρᾳ μετὰ μητέρα, ἐς ὄρος ἔφυγεν, ὅθεν ὑπὸ λιμοῦ ἐς τὰ πεδινὰ κατελθών, ἑλήφθη ὡρὸς ἀνδρὸς ληστεύειν τὰς παροδεύοντας καὶ ἐπὶ ἔργῳ καταδεῖν εἰθισμένου. οἷα δὲ παῖς ἐκ τροφῆς τὸν πόνον ἐκ ἐνεγκών, ἐς τὴν ἀμάξιτον αὐταῖς χοινικίσι δίεδρα, καὶ παροδεύσι λοχαγοῖς ἑαυτὸν ἐμήνυσέ τε καὶ ἀνῃρέθη. *non ausus post matrem cuiquam se committere, fugit ad montana. vnde fame depulsus venit iterum ad plana, captúsque ab improbo quopiam est qui viatores præteruntes rapere solitus & in ergastulum conicere vinctos. Ipse autem puer, in deliciis scilicet semper habitus, laborem insolitum hunc non tolerans, in viam publicam cum ipsis compedibus se dedit: prætereuntibúsque fortè centurionibus sese indicauit, & ab iis interfectus.* Qui notabilis locus, & infamem hanc grassaturam ante oculos ponit clarè. Quod ipsum Socrates Eccles. Hist. lib. V. cap. XVIII. ostendit: & Achilles Statius suam Leucippen rapi & in ergastulum coniici facit, compeditam, rasam, terram fodientem.

Etiam innocentes roboris causâ.

Aliquando & ingenui, per fraudẽ & plagiũ.

Repurgatio ergastulorum per Augustũ.

Mirum & miserum exemplum.

SED ad formam Modumque quo hîc habiti, series me vocat: qui reuera per exempla omnia iit miseriæ & depressionis. Inferos suos somniabant? in ergastulis veri illi. Nam primùm perpetim vincti habebantur (custodiæ scilicet causâ) & in ferro. Columellæ serium præceptum est, vt *Dominus villæ exploret, num villicus aut alligauerit quempiam ipso nesciente, aut reuinxerit. Nam vtrumque maximè seruari debet, vt & quem paterfamilias tali pœna multauerit, villicus nisi eiusdem permissu, compedibus non eximat: & quem ipse suâ sponte vinxerit, antequam sciat dominus, non resoluat.* Et ipsi serui ergastularij, ἁπλῶς Vincti appellantur, ab hac causâ. Seneca De Beneficiis: *O miserum, siquem delectat sui patrimonij liber magnus, & spatia terrarum colenda per vinctos.* Idem De Breuitate vitæ: *Qui in ceromate spectator puerorum rixantium sedet, qui*

Ergastuli semper vincti.

Ideoq; ad vocẽ vulgò notati.

vinctorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Seneca emendatus. Atque explicatus.

vinctorum suorum greges metatur, & colonorum paria deducit. Quæ postrema tamen verba in mendo, siquid fidis & priscis libris fidei, qui referunt: *& in colorum paria diducit.* quos equidem audio, & interpretor diuidi greges illos & cohortes Vinctorum (incredibilis enim multitudo, vtique apud illos locupletes) secerniique per nationes ac colores solere. Puta qui Orientales & fusci, in tali villâ & agro: qui à frigidiore axe & albi, in illâ habeantur, & illo. vt valetudo, vt loca suadere videbantur, vt domini libido & voluntas. Hoc in aliis quoque & quidem domesticis seruis factum, idem meus Seneca me docet Epistolâ XCVI. *Transeo*, inquit, *exoletorum agmina, per nationes colorésque descripta.* vbi à coloribus clarum vides discrimen. Sed rem meam premo. & vinctos hos moneo, tamen pedibus tantùm. Nam manibus aut brachiis si fuissent; quomodo processissent iis opus? fodere, arare, sarrire: & quæ alia rei rusticæ. Ita enim vincti, vt nec inter opus soluerentur, metu scilicet fugæ. Iuuenalis:

Serui per nationes & colores diuisi.

Vincti pedibus tantùm.

Etiam inter ipsum opus.

Squallidus in magnâ fastidit compede fossor:

de ergastulario accipiendum est, ex Scholiaste. Et Ouidius:

Spes etiam durâ solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Compedes huic rei.

Nostros enim istos intellegit, quibus crura adstricta semper: idque compedibus. Cicero pro Rabirio perduellionis reo: *Ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus.* Ideò *Cathenatos cultores*, Florus eos appellat: & Appuleius *pedes* iis tribuit *Anulatos.* Vterque rectè; quia compedes illæ laxæ ad motum aliquem & ingressum, & orbes cathenæ è ferro, instar anulorum. Itaque Martialis hasipsas compedes Anulos appellauit, & quæsiuit in eo caussam ioci:

Quas & Anulos appellant.

Anulus iste tuis fuerat modò cruribus aptus.

Et iterum:

Has cum geminâ compede dedicat cathenas
Saturne tibi Zoilus, anulos priores.

Ex σιδήρου ferro.

Ait, cum geminâ compede: ergo ligatum iis crus vtrumque, quod ipsa suadet me silente. Sicut & illud, quod è ferro. Plautus eo adspectu, ergastulos genus ferratile appellauit, Mostellariâ:

Plautus illustratus.

Augebis rure numero genus ferratile.

Interminatur enim seruo, illuc eum se missurum. Et ab eodem fonte iocus in Persâ:

Negotium edepol fuit. TOX. *ferreum fortasse.* SAG. *plusculum annum*
Fui præferratus apud molas Tribunus vapularis.

cum allusione item, quasi si Tribunus militaris apud Nolam. At Tertullianus tamen alibi etiam fuisse ostendit ex auro. Libello De Habitu mulierum: *Apud barbaros quosdam*, inquit, *quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent.*

VINCTI igitur. addo etiam, Inscripti. id est, stigmatiæ, siue litteris notisque in facie puncti, vt essent noscibiles. Martialis:

Inscripti ergastuli, siue notis compuncti.

Quattuor inscripti portabant vile cadauer. Ausonius:

Ergo notas scripto toleraſti Pergame vultu.

Vetus

Vetus ea pœna, & aliis quoque gentibus non ignota. Plutarchus auctor, Samios captiuis Athenienſium Noctuam inussisse: & hos vicissim illis Samænam. nauis id genus est. Idem in Niciâ de Syracusanis scribit: καὶ τούτους (Athenienses) ὡς οἰκέτας ἐστιγώλουν, στίζοντες ἴππου εἰς τὸ μέτωπον. Plato libro VIII. De Legibus, sacrilegos fronte & manibus inurit. ὃς δ' ἂν ἱεροσυλῶν, inquit, ληφθῇ, ἐὰν μὲν ἢ δοῦλος ἢ ξένος, ἐν τῷ προσώπῳ καὶ ταῖς χερσὶ γραφεὶς τὴν συμφορὰν, καὶ μαστιγωθεὶς ἐκτὸς τῶν ὅρων τῆς χώρας ἐβλήθη. id est: *Siquis sacrilegium commiserit, si quidem seruus aut hospes fuerit, in facie manibusq́, crimen inscriptus & flagellatus, extra fines patrios proiicitor.* Plutarchus etiam Thracibus adtribuit, libello De Tarditate diuinæ vindictæ: οὐδὲ γὰρ Θρᾷκας, inquit, ἐπαινέσομεν, ὅτι στίζουσιν ἀχρὶ νῦν, τιμωροῦντες τῷ Ὀρφεῖ, τὰς αὐτῶν γυναῖκας. Et quod Græci passim in seruos vsi, indicat Phocillidis admonitio eos à cruditate hac reuocantis:

Græci & Siculi item.

Thraces item.

Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονειδίζων θεράποντα.

Creberrimè tamen ante omnes & liberrimè Romani: etiam in liberos homines, qui calumniæ damnati. Eorum enim fronti K. littera inusta: quoniam prisci videlicet Kalumniam scribebant. Idque aliis iam notatum. At in seruos nihili & nequam multo magis; & maximè in istos ab ergastulis, velut solemni quodam ritu. Ideò Iuuenalis inscripta ergastula agnominat:

Sapissimè Romani. In liberos, seruosq́.

Quem mirè adsiciunt inscripta ergastula.

Et Plinius clarè: *At nunc eadem illa* (rura) *vincti pedes, damnati manus, inscripti vultus exercent.* Scribonius Largus opportunâ quadam narratiunculâ cap. CCXXXI. *Quatenus acrium & exulceratorum medicamentorum habita est mentio, ponemus quo stigmata tolluntur indignis. Etenim multis hæc calamitas ex transuerso accidit, vt dispensatori Sabini Calui* (lego, *Caluisij*. siquidem ille est, qui Senecæ & Plutarcho nominatus, diues & potens sub Claudio: quo æuo Scribonius quoque vixit) *naufragio in ergastulo deprehenso: quem Tryphon multis delusum, & ne casu quidem notas confusas habentem, vno medicamento liberauit.* Ita totum eum locum vetusti medici legimus & distinguimus, in nostro quidem libro valdè confusum. Et hæc quoque Inscriptio vsurpata in pistrinensibus seruis. Appuleius prorsus graphicè descripsit libro IX. *Dij boni, quales illi homunculi, vibicibus liuedinis totam cutem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati quàm obtecti, nonnulli exiguo tegili pubem tantummodo intecti* (commodius liber scriptus qui apud me à Victore Giselino, *iniecti*) *cuncti tamen sic tunicati vt essent per pannulos manifesti: frontes litterati, & capillum semiraſi, & pedes anulati.* Nam frontes litterati, inscripti nostri sunt: idq́; eum scripsisse adseuerem imitatione Plauti. apud quem in Cassinâ seruus conseruo conuicium facit, *Si hic litteratus me sinat:* nec aliter quàm Stigmatiam & litteris in vultu notatum interpreter, etsi contrà nitente Lambino: qui accipi eum vult, cuius tergum velut litteris, virgis concisum sit atque conscriptum. Non dissimulo tamen in manuscripto nostro hîc esse, *frontes liturati.* quod ipsum haud displiceat, quasi scripti & rescripti. & fortasse an ita scripserit & Plautus. Quamquam cur ambigimus? veræ litteræ fronti inscribi solitæ, imò vultui sæpe toti. Litteræ, dico

Pistrina etiam inscripta.

Lewiter Appuleius emendatus.

Litterati serui, qui Appuleio & Plauto.

Nouain Appuleio lectio: fortasse & ad Plautum propagãda.

Qualis illa vultus inscriptio. Multorum verborum sape.

dico aut plura verba quæ crimen continerent causſamq; notæ. puta *Cane à fure: A fugitiuo:* &c. Benè explicat Petronius, *Impleuit Eumolpus frontem vtriusque ingentibus litteris, & notum Fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Iuuat & Seneca De Beneficiis libro IV. *Improbiſſimo militi, ingratiſſimo hoſpiti, auidiſſimo naufrago ſtigmata inſcriberet ingratum hoſpitem teſtantia.* Sed optimè Petronius: qui faciem etiam totam complet, nec falsò. Ioannes Zonaras Tomo III. Annalium duos quoſpiam monachos quia Imp. Theophilum liberius monuiſſent, inter alias ignominias, inſcriptos ait: & quidem ita, vt duodecim verſuum epigramma exciperent illâ vultus, vt ſic dicam, tabulâ. Εἶτα, inquit, καὶ τὰς ὄψεις αὐτῶν κατέσιξε, καὶ ταῖς σιγμαῖς μέλαν ἐπέχεε. γράμματα δ' ἐτύπτεν τὰ σίγματα. τὰ δ' ἦσαν Ἰάμβοι ἕτοι. id eſt: *Deinde facies eorum compunxit, & notis illis hos Iambicos verſus atramento infuſo expreſſit.* additque ipſos verſus probos, plenos. Vide & nota, quæſo, locum: etiam illud, quod de infuſo atramento. Nam ratio inſcribendi ita habuit, vt primitus litteræ ſiue notæ inurerentur candenti ferro. Iuuenalis:

Imò & verſuum.

Quomodo inuſtio facta.

Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro.

Seruum intellegit, qui ob furtum duûm linteorum, frontem inuſtus. Næuium de hac re ego capio apud Priſcianum libro VII.

Nauius poëta explicatus. Et Columella.

Signare oportet frontem calidâ forcipe.

Et ab hac cauſsâ iuſtè, Focorũ ſigna appellauit ipſa Stigmata, Columella:

*Deletura quoque eſt fronti data ſigna * focorum.*

* *Alij, fugarum: vt ad Fugitiui notas referatur.*

Benè ergo Valerius: *Seruus inexpiabili litterarum notâ per ſummam oris contumeliam inuſtus.* Poſt inuſtionem autem, atramentum infunderetur, quò eminerent magis litteræ & præberent ſe lectui. Ex Zonarâ & Petronio ſuprà, vides.

Atramentũ ſtigmatis infuſũ.

IAM tertia Ergaſtulorum nota, vt Semiraſi. Competiit id in omnes ſanè viliores ſeruos, vt capitis altera pars iis capillata eſſet, altera nuda, per ignominiam perque riſum. Catullus de Buſtuario ſeruo, qui vilis vt omnes Libitinarij:

Ergaſtuli ſemiraſi.

Sicut viliores omnes ſerui.

A ſemiraſo tunderetur vſtore.

Sed propriè in eos, qui ad Ergaſtula damnati, aut etiam in publicũ opus. Appuleius ſuprà de Piſtrinariis: *capillum ſemiraſi.* Artemidorus lib. I. cap. XXII. ὁπότερον δὲ ἂν τῆς κεφαλῆς ψιλὸν ἔχοι τις ἐκ ὧν εὐσυνείδητος, κατακριθήσεται τὴν εἰς ἔργον δημόσιον καταδίκην. τοῦτο γὰρ καὶ ἐπὶ παράσημόν ἐστι τοῖς δικαζομένοις. id eſt: *Vtram autem partem capitis nudam ſibi habere viſus, ſi parum meminit: damnabitur ad opus publicum. nam & hoc iſtîc damnatis inſigne eſt.*

Item, in opus damnati.

AD formam habendi, aliquid etiam facit Victus, qui pertenuis ſanè illis, & aſper. Dimenſum enim quoddam exiguum habebant in diem, & tenuius omnino quàm vrbani ſerui. Quâ cauſsâ Paulus Ictus argutè colligit, ex cibariis quoque deprehendi poſſe, quos ſeruos paterfamilias adnumerare ſit ſolitus inter hos, aut illos. I. Seruis vrbanis. De legat. III. Hunc diurnum cibum, Diaria appoſitè appellarunt. Martialis:

Tenuis & aſper ergaſtulorum victus.

Diaria.

Sed Lupus vſuram, puerig, diaria poſcunt.

Seneca

Seneca pater lib. IX. Controuerſ. IV. *Cùm introductus eſſet è carcere in Senatum, poſtulaturus vt diaria* (malè in libris, *diariam:* nam & in carcerariis hoc ſeruatum) *acciperet.* Iuſta, Columella dixit, in hiſipſis ergaſtulis: *Diligenter dominus*, inquit, *cùm & ab ipſis* (vinctis:) *tum & abſolutis, quibus maior eſt fides, quærat, an ex ſua conſtitutione iuſta percipiant: atque ipſe panis potionisq; bonitatem guſtu exploret.* Canonem Saluianus vocat, De Prouidentiâ lib. IIII. *Serui ſi fures ſunt, ad furandum forſitan egeſtate coguntur. quia etiamſi eis ſtipendia vſitata præſtentur, conſuetudini hæc magis quàm ſufficientiæ ſatisfaciunt: & ita implent canonem, quòd non explent ſatietatem.* Hunc omnem victum, conſtitiſſe pane tantùm, aquâ, ſale, & ſi fortè aceto, auguror ex aliis locis: quibus non hîc locus. Pleraque dixi de Modo.

Iuſta.

Canon.

AT multitudo & frequentia ergaſtulorum mira. Totam Italiam obtinebant, nec liberis capitibus iam in eâ ſedes aut locus. Liuius iure queritur, libro VI. *Olim multitudinem innumerabilem liberorum capitum in iis locis fuiſſe; quæ nunc, vix ſeminario exiguo militum relicto, ſeruitia Romana ab ſolitudine vindicant.* Et adpoſitè Seneca, in verbis ſuprà, *Greges victorum metari*, dixit: copiam hanc adſpiciens, & quod iis tantumnon per cohortes & legiones metanda velut caſtra. Sparſa etiam per prouincias. Florus de Siciliâ: *Terra frugum ferax, & quodammodo ſuburbana prouincia, latifundiis ciuium Latinorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergaſtula cathenatiq; cultores, materiam bello præbuere.* Quo loco parum mihi grati aut rati ciues illi Latini. quis veterum ita loquitur? ſocios Latinos dicunt, non ciues. Res ipſa non vera. certè enim Romani ipſi agros eos habuerunt, non Latini. Corrigo, niſi fallor, aptè: *ciuium lautiorũ.* Diuites ſcilicet intellegit & lautos, qui per illam aliasque prouincias latè poſſidebant. In terrâ etiam Galliâ ita crebra, vt M. Antonius ad Mutinam victus & fugiens, exercitum ſuum ex iis ſupplere conatus ſit. D. Brutus ita ſcribit ad Ciceronem: *Quacumq; iuit, ergaſtula ſoluit, homines abripuit.* Nec aliam magis intimam cauſsam ſcio ſolitudinis & vaſtitatis inductæ per Romanas prouincias: quâ Barbaris deinde expoſitæ in direptionem & prædam. Atque hæc de ergaſtulorum carcere. quem in pœnam generis humani, non in bonum vllum publicum inuentum eſſe, fatebuntur mecum omnes qui ſunt ſuæ mentis. Diu tamen manſere, & quidem ad Principatum vſque Hadriani: qui ſalubriter ſuſtulit. Spartianus paucis verbis, ſed claris: *Ergaſtula ſeruorum & libertorum tulit.* Ita enim ſæpe ii ſcriptores Cæſarei Ferendi verbum vſi, pro Auferendi. Etſi parum plenè fortaſſe aut firmiter: & iterùm ſuſtuliſſe videtur Theodoſius Imp. ex Cedreno & Hiſt. Eccleſiaſticâ. Quod autem in Ambroſio eſt: *Plerique diuitum amandare conſueuerunt mancipia ſua, & in agellulos relegare: atque hæc pœna grauior exiſtimatur.* omnino non de iſtis, nec damnatione in opus accipiendum, ſed de temporaneâ ablegatione qua dam extra oculos domini offenſi. Vlpianus aperit, l. XXXV. De hered. inſtit. *Proinde ſi ſeruus miſſus fuerit in villam, interim illic futurus, quia dominum offenderat, quaſi ad tempus relegatus: reſponſum eſt eum ad villæ legatum non pertinere.* Similis relegatio illa clementis Principis apud Sueto-

Crebritas ergaſtulorum mira.

Florus bene correctus.

Eam intimam cauſſa ſolitudinis per prouincias.

Ideò ſilentium de iis apud Iuriſconſultos priſcos.

Ambroſij locus, & mens.

Relegatio quædam ſeruorum.

Suetonium, Augusti cap. XXIIII. *Equitem Romanum hastæ subiecit, quem tamen, quod imminere emptioni publicanos videbat, liberto suo addixit, vt relegatum in agros pro libero esse sineret.* Et Manliana illa vetus: de qua Seneca libro III. De Beneficiis: *Vicit patrem Imperiosum quidem Manlius. qui cùm ad tempus relegatus esset à patre ob adolescentiam brutam ac hebetem.* Vbi nihil temerè mutem, ambigam tamen an non, *ad campos relegatus.* sicut in Suetonio, *in agros:* quia libri veteres vacillant, & quidam, *ante tempus.* Dixi de Ergastulis quæ legi, quæ sciui. siquid omisi, aut commisi: tu scilicet exple, aut ignosce. iustissimâ veniâ nobis: qui scripsimus hæc corpore & animo parum firmi.

Lexii coniectura in Senecâ.

CAP. XVI.

Iani Gulielmi præceps obitus. eius defletio, & laus. Carmen subiter Gallicum, ad me scriptum: doctum & elegans.

I. Gulielmi mors; qui Auarici Biturigum acerbo fato periit.

ITA viuam ipse & valeam, vt peracerba nuper mihi accidit Iani Gulielmi mors, siue potius raptus. Subita enim fuit: & vix Biturigas venerat, cùm febris eum occupauit, & in paucis diebus extremus ille dies. Sanè amabam adolescentem insigni indole, magnâ spe: nec facilè ingenium videram (iuuenile quidem) magis mihi ad gustum. Libelli iudicio meo testes. quos in Critico isto genere paucos edidit; sed probos doctosque, & quos haud temerè Inuidiæ dens atteret aut lima labentis ævi. Sed peracerba mihi tamen hæc mors, non noua. Quæ enim alia vitæ lex? Vt lignum vri natum est, arista secari: sic homines mori. Ite mei iuuenes, & animis fidite aut annis. vna nempe morbi aura est quæ adurit & exstinguit hunc omnem vitæ florem. Quin vt venti cùm vehementissimè perflant, ponunt ferè & desinunt: sic mortales, cùm grandia maximè spirant & sperant. Ego ipse, qui ista loquor, quamdiu hîc sum? Fallor: aut strictum iam in me quoque fatale hoc ferrum, & sequor te mi Gulielmi, imo calcem premo calce. Ita lentus difficilisque morbus hic suadet: qui vt hedera quædam serpens, implicat & enecat me longo tractu. Sed hoc quidem fiet cùm deo meo visum: interea iudicij mei de te & amoris monumentum hoc positum esto. non æternum, scio, (stulti qui ab his scriptis id sperant,) sed longæuum fortasse: si tamen, vt cum Pindaro dicam,

Eius laudatio.

* Cum fatali quodã auxilio Eximium Gratiarum decerpo florum.

——*Σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ
Ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι
Κᾶπον.

Cui monumento carmen etiam tuum insculpo, certum & elegantissimi ingenij symbolum, & in me puri adfectus.

IANVS

IANVS GVLIELMIVS IVSTO LIPSIO S. D.

VELLEM, diuiderent non tot nos millia, LIPSI,
Dissernunt Vbiis millia quot Batauos:
Non ego commissem mutis mea verba tabellis,
Hei desiderij conscia verba mei;
Coram melli esset sermones cædere tecum,
Et bibere attonitis mutuum amorem oculis.
Nunc quid agam? prohibentq; viæ, prohibentq; pericla,
Plurima ab hostili quæ metuenda dolo:
At nil certè animos vmquam distraxit amicùm,
Quos germana pio vinxit amore fides.
His certè vnà erimus. non nolis tu modò, LIPSI,
Méque tuum puro si modò amore coles.
Quod facies. nec enim te, IVSTE, serenior alter
Dicitur, aut canæ carior esse fide;
Nec cui post Sophiam sit amicior aurea virtus,
Nec cui post Musas plus Charites faueant.
De me, mî certè penitas penetrare medullas
Et potuisti imo te illatebrare animo,
Vnde dies nulli, nulli te extrudere amores,
Non mors occasu possit auara meo.
Viuit enim semper post vltima funera virtus,
Et sibi cognatis pendet ab vsque bonis,
Nec cum mortali studia immortalia vita
Parcarum rapidam fas temerare manum est.
Sed quibus aut Musis cessare ætate in agunda
Aut illibatæ cura fuit Sophiæ,
Mens eadem post fata manet: semperq; beatis
Otia pacato dantur in Elysio.
Heic me siue Sophi stipabunt agmine casti,
Siue pijs medius vatibus ingrediar:
Narrabo superis vxum te viuere, LIPSI,
Qui vatum princeps sit Sophiæq; locis.
Et dicam, Cicero licet audiat, ipseq; Varro,
In te Varronem cum Cicerone loqui.
In te Varronem cum Cicerone loqui.
Interea autem hic dum vegeta perduxero vita,
Ardebo in nostro semper amore recens:
Nec me deficiet de te meminisse, tuumque
Promeritum in vates historiásque loqui.
Vt per te rigua restinguat ab Hippocrene
Vberius sacram Musa Latina sitim;
Vt veterum mores, te producente, virósque
Panè oculis sit contingere, panè manu.

Vt non iam tacitus Tacitæ pater historiæi
Germanos iterum vociferetur auos,
Et tibi Cæsaribus voluenda in sæcula misto
E querciu porgat ciuica dona sacra.
Nam tu, IVSTE, salus illi, tu vita fuisti,
Semianimi longo depositóque situ:
Membra senescenti cum putiscentia tabo
Felici Chiron es medicatus ope,
Inductúmque nouis renouato in corpore succis
Doctorum misti rursus in ora virûm:
Custodes iuueni ponens doctósque catósque,
In caro vigiles assiduos latere;
Ne fera barbaries mulorum extorsq; lubido
Mordicibus sacrum scinderet historicum;
Aut barbatorum gens horrida Grammaticorum
Impeteret versis postmodò, vt antè, stylis.
Non secus, vt fama est, felicibus Aesona plantis
Phasias in pueros transdidit ante-senem;
Illi etiam tenero fertur Medæa magistros,
Illi etiam comites adtribuisse suos.
Felix! vitalem cui bis decurrere campum,
Et reditum à metâ fata dedêre nouum.
At tuus hic, LIPSI, Tacitus felicior. illi
Circumiit nihilo mors minus atra caput;
Huic æterna dehinc, te procurante, iuuenta,
Non defecturæ lucis & vsus adest.
Hæc ego, quæq; tibi debemus cetera docti,
Quo potero semper commemorabo sono.
Quod si etiam inter nos, video vt non nolle, meabunt
Scripta per alternas misiculatæ vices:
Efficiam certè, ne te constantius vlli
Néve fide videas candidiore coli,
Neu tibi quid rerum possit latuisse mearum,
Neu pars officij claudicet vlla mei.
Non ita sopitos infusa resuscitat ignes
Pallas, & in viua calce referuit aqua;
Quanto laxatos protelo intendit amores
Nuncia disiuncti littera colloquij.
Quare, quod tua non offendat commoda, LIPSI,
Hanc operam caræ surripe amicitiæ.
Méque, satin saluæ? scitare frequenter, & isthic
Vos etiam rectè viuere significa.
Quæq; modò elimes Musis affecta secundis,
Quæq; parata foras scripta operosa feras:
Et quibus auspiciis Ledæis abdita lucis
Belgica Pieriis tesqua rigentur aquis,

Et si

Et si quid docti vis incinat enthea Duzæ
Quod memoret sero tempore posteritas,
Duzæ, cuius amor tantum mihi crescit in æuum
Et Phœbi quantum crescit & Aonidum.
Omnia quæ mihi mox rectè vt perscribere possis,
Et valide nobis & tibi, IVSTE, vale.

CAPVT XVII.

Pluria in Suetonio emendata aut illustrata. Nepos Iulij Cæsaris. Salaciones. Quis Senatorum census legitimus sub Augusto? Quoties ludos dederit? Notare. Copriæ, qui dicti? Deiectus rex Armeniæ.

Tranquilli commendatio.

SVETONIVM Tranquillum non iniuriâ commendo sæpe iuuentuti. Verba vides? pura, tersa, propria. Filum totum orationis? breue, neruosum. Rem ipsam? vtilis pariter & iucunda historia est: &, quod mihi caput, plena moris & doctrinæ antiquæ. Quis, obsecro, ritus publicus olim priuatusq; fuit, quem velut de industriâ non tangat? Quod munus, quis magistratus, quem non libet? Tangat & libet, dico. non enim explicet: quod institutum eius vetuit & ratio scribendi. At viam tamen latam sternit ad indagandum: & aures atque animum imbuit auditione aliquâ, imò cognitione. Ad quam qui curam deinde adiungit subtilius perquirendi, (& id lectorem serium decet:) quid est quod occultum aut ignarum ei esse possit, in omni genere scriptorum? Itaque operam nihil ludam, si eam ponam breuiter in scriptoris tam vtilis locis aliquot emendandis aut illustrandis. qui isti.

Qui bonus dux ad mores veteres.

In Iulio cap. XXVI.

Eodem temporis spatio matrem primò, deinde filiam, nec multò pòst neptem amisit.

Dissensio, nepósne an neptis natus Iulio.

Dio Cassius ab hac lectione est, fateor: qui extremo libro XXXIX. scribit: ἐν αὐτῷ τάτῳ χρόνῳ καὶ ἡ τοῦ Πομπηίου γυνὴ θυγάτριόν τι τεκοῦσα, ἀπέθανε. *Sub idem tempus Pompeij coniux filiolam quampiam enixa, obiit.* Sed repugnat optimus ille Vatic. codex, qui *nepotem* hîc præfert, non *neptem*. Quem ego audio prorsus, suasus à Lucano libro V.

Dilectus tibi, Magne, socer, post pignora tanta
Sanguinis infausti sobolem, mortemq; nepotis,
Te, nisi Niliacâ, propius non vidit, arenâ.

Quid enim vitij hîc esse potuit in versu? Addo & Velleium: *Iulia vxor Magni decessit: atque omnia inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortunâ, filius quoque paruus Pompeij, Iuliâ natus, intrà breue spatium obiit.* Quos valere pluris apud nos par est, quàm illum Græcum.

Cap. LIX.

Despectissimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ Saluitoni cognomentum erat, secum in castris habuit.

Obscuri

Universidad de Deusto
Biblioteca

Obscuri sanè opprobrij cognomen, lectionisq. & veritatis incertæ. Alij libri, *Salutioni*, quidam *Salutationi*. Dioni Σαλάττων est, libro XLII. προσπαρέλαβέ τινα, inquit, ἐκ τοῦ γένους τῶν Σκιπίωνων ὄντα, καὶ τὴν φερωνυμίαν ταύτην φέροντα. ἐπεκαλεῖτο δὲ Σαλάττων. Meminit & Plinius lib. VII. cap. VIII. in quo legas itē *Salutioni*. Omitto interpretum somnia: ego veram vocem & aptam opprobrio censeam, *Salacioni*. Libidinosum scilicet illum homuncionem fuisse, & vitæ spurcæ atque impuræ. Ita autem à Salax Salacio, vt à Senex Senecio, & talia.

Salacio, à salacitate.

Cap. LXXVI.

Comitia nulla habuit, Præfectosq. pro Prætoribus constituit, qui præsente se res vrbanas administrarent.

Hæc quidem de præfectis vrbanis è Dionis XLIIII. clara. sed rectènè, *præsente?* Imò absente Cæsare, & vicem eius substituti sunt: quod ex illo item Græco clarum, & reipsâ. Scribimus igitur, *qui pro se res vrbanas.*

Præfecti vrbi per absentiam Cæsaris.

In Augusto, cap. XLI.

Senatorum censum ampliauit, ac pro octingentorum millium summâ Duodecies HS. *taxauit, suppleuitq. non habentibus.*

Locus insignis & notandus de Senatorio censu. qui sub Augusto: queni tamen habemus nos pro parum firmo. Nam Duodecies HS. ait. at Dio Cassius duobus locis diserte & expresse, Decies tantùm. Verba nonpigebit me exscribere in re tantâ. Libro LIIII. hoc ipsum Augusti factum narrans, infit: τάς τε ἀρχὰς ἅπασι τοῖς δέκα μυριάσιν οὐσίαν ἔχουσι, καὶ ἄρχειν ἐκ τῶν νόμων διωαμένοις, ἐπαγγελλόμενος ἐπέβαψε. τοσοῦτον γὰρ τὸ βουλευτικὸν τίμημα τῶν ἀρχόντων ἐκέλευσεν, ἔπειτα καὶ ἐς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας αὐτὸ φερήναγε, καί τισιν εὐβιώτοις ἐλάττω, τοτὲ μὲν τῶν δέκα, αὖθις δὲ τῶν πέντε καὶ εἴκοσι, κεκτημένοις, ἐχαρίσατο ὅσον οὐδέν. id est: *Magistratum capere iis omnibus qui Quadringenta in censu haberent, quiq. aliàs per leges posset, permisit. Hūc enim primò censum Senatorium* (parum attentè Xylander, *patricium*) *constituerat, quem postèà ad Decies sestertiūm produxit: & quibusdam probæ vitæ* (*qui initiò vel minus Quadringentis, vel postea Denis haberent*) *addidit quod ad censum deerat.* Iterumque eodem libro perseuerat in eâ summâ: Ἐκ δὲ τούτου, inquit, ἐξέτασις αὖθις τῆς ἐκλογῆς ἐγένετο. ἐπειδὴ γὰρ τὸ μὲν πρῶτον δέκα μυριάδων τὸ τίμημα αὐτοῖς ὥρισε, διὰ τὸ συχνοὺς τῶν παρόντων ὑπὸ τῶν πολέμων ἐστερῆσθαι, φερόντος δὲ τοῦ χρόνου καὶ τῶν ἀνθρώπων οὐσίας κεκτημένων, ἐς πέντε καὶ εἴκοσι φερήνεγκε, καὶ πεῖσαι μὲν οὐδεὶς ἐθέλοντι βουλεύσειν ἐδύνατο. id est: *Exin recensus denuò Senatorum factus. Quoniam enim primò Quadringentorum iis census definitus, idq. respectu ad bella quibus paternis bonis euoluti multi. postèà tamen auctis opibus, is quoque auctus & ad Decies* HS. *productus: egrè iam reperiebatur, qui sponte Senaturiret.* En, vtrobique clarè adfirmat de Myriadibus vigintiquinque. (ita computatio Græca est.) atqui eæ sanè Latinis legitimum illud Decies efficiunt, non Duodecies quod in Trāquilli libris. Plutarchum audi in M. Antonio, pro te summas has æquantem: τὰς, inquit, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας οἱ Ῥωμαῖοι Δέκιες καλοῦσι. *Vigintiquinque myriadas Romani Decies appellant & efferunt.* Igitur aut Dio in hac totâ re turpiter falsus, aut scriptura in Suetonio: quod magis censeam, scribamque

De summâ Senatorij census ambigua scriptura.

Dio dissentit palàm a Tranquillo.

Xylandri cōiuentia.

Myriades vigintiquinque drachmarū quid Latinis.

Rescriptus Suetonius.

scribamque *Decies*. Nam quod idem Dio dissentit etiam de Quadringentis (in Suetonio enim duplo numero legis, Octingenta anteà fuisse:) non moueor. quia Tranquillus mentem habuit in Senatorio censu qui receptus ante Augustum, quique vetus: Dio adspexit mutationem post bella ciuica ab eodem Augusto factam, sed nouiter nec in longum. Itaq; subterhabuit eam Suetonius, quasi nec fuisset. Haud aliter concilio.

Cōciliatus cum Dione.

Cap. XLIII.

Fecisse ludos se ait suo nomine quater: pro aliis magistratibus, qui aut abessent aut non sufficerent, ter & vicies.

Ain tu? ludos tantùm quater dederit Augustus? Atqui terdecies consul fuit, (omitto alias occasiones:) quo magistratu coactus dare more & lege. Sanè angustus is numerus pro liberalitate huius Principis, quam Suetonius magnificat & omnibus prioris æui præponit. Scribo, *quater & vicies*, repetitâ eâ voce ex lineâ sequenti. Imò ambigo, ne etiam pluriens: vt ambitio & effusio fuit eius æui. nec spernā siquis mauolet, *quadragies.*

Creber & largus in ludis Augustus.

Numerus in Suetonio plenissimè falsus.

Cap. XLVI.

Italiam operibus ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit: etiam iure ac dignatione vrbi quodammodo pro parte aliquâ adæquauit.

Non est dubium quin illud, *quodammodo*, glossematium sit, à stricto & Attico scriptore nostro repudiandum.

Glossema sublatum.

Cap. LXIV.

Nepotes & litteras, & natare, aliáque rudimenta per se plerumque docuit: ac nihil æquè laborauit quàm vt imitarentur chirographum suum.

Scio & Romanos & Athenienses inter gymnasia natationem habuisse: scio prouerbium, Neque nare neque litteras. Tamen ægrè persuadeor huic rei aut voci hîc esse locum. De gymnasiis enim aut exercitiis non agitur: de institutione tantùm & disciplinâ. Et credimúsne Augustum tam aliarum rerum fuisse, vt vacare potuerit ad nepotum natationes? Cuique sua lectio & electio: ego scribam, *& notare*. De scripturâ enim & puerilibus rudimentis sermo est. itaque & litteras eos docuit, inquit, & notas. Probat quod sequitur, de chirographo: qui nihil ad natationem. Notandi autem verbum capere etiam potes de scriptione per notas crebrâ Romanis.

Natatio crebra Romanis & Græcis.

Pueri litteras & notas discunt.

Cap. LXXV.

Solebat & inæqualissimarum rerum sortes, & auersas tabularum picturas in conuiuio venditare, incertóque casu spem mercantium vel frustrari vel explere: ita vt per singulos lectos licitatio fieret, & seu iactura seu lucrum communicaretur.

Facilè capimus. nec insciturn aut improbum aliquid in hac scripturâ. nisi quod de eâ vt ambigam me facit admonitio Cl. V. Læuini Torrentij: viri non in omni re litterariâ solùm, sed in poësi (quod mihi quidem eximium est: qui scio poëtam præstantem neminem fuisse sine parte quadam vberiore diuinæ auræ) magni, vel potius summi. qui notat in probo libro esse, *per singulos lotros* non *lectos*: itemq; paulò pòst, *comitaretur*, pro *communicaretur*. Et mirum ni id rectum sit: Lotri, inquam semigræcâ voce, pro lotionibus: cuius generis voces plures in vsu vulgi,

Læuini Torrentij laus.

Diuinatio ex scripturæ veteri mihi orta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lotio in cœnatio repetita per singula fercula.

nec Suetonio alibi spretæ. Aut si emendatio adhibenda, legam, *per singulos lotus*. hac mente, vt quoties mutarentur fercula & manus lauarent (vsitatum id docui II. Saturnalium) licitatio ista ex interuallo fieret, & quemque bona sua aut mala sors cum fide comitaretur.

In Tiberio cap. LX.

In quodam itinere, lectică, quâ vehebatur, vepribus impeditâ, exploratorem viæ primarum cohortium centurionem stratum humi pænè ad necem verberauit.

Prætoriæ cohortes.

Ordinem numerumque in cohortibus fuisse, non nego: conuenire id huic loco nego. scriboque, *prætoriarum cohortium centurionem*. Nam Prætoriani scilicet comitabantur vsquequaque Principem: ortusq; error ex epitome scriptionis.

Cap LXI.

Interrogatum eum subitò & clarè à quodam nano adstante inter capreas, cur Paconius maiestatis reus tamdiu viueret?

Alij *inter capreas*, interpretantur secessum Caprearum: imperitè. vir doctus, Capreas capit scurras, à lasciuiâ eius animalis & adsuetudine carpendi rodendique. acutè. at mihi *Coprias* restitui placeat, veram germanamque vocem. Ita enim Scurras vocitabant: quod primus nos docuit litteratorum rex Scaliger. Exempla in iis ad Festum promit. quibus hoc ipsum Suetonij à me nunc adde, & alterum Lactantij lib. v. Instit. cap. II. vbi de Cypriano nostro: *Audiui quemdam disertum sanè hominem, qui eum immutatâ vnâ litterâ Coprianum vocaret, quasi quod elegans ingenium & melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contulisset.* Ita quidam libri, non *Cæprianum*. & rectè. vult enim impius ille derisor & ipse verus Coprias, inter ridiculorios scurrasque Doctorem nostrum ponere, quasi qui ad fabellas Christianorum relictâ Romanâ religione auertisset.

Copria, pro scurris: sed à origine vocis. Lactantius explicatus.

In Caligula, cap. I.

Consul deinde iterum creatus, ac priusquàm honorem iniret, ad componendum Orientis statum expulsus, cùm Armeniæ regem deuicisset, Cappadociam in prouinciæ formam redegisset.

Falsa rei lectio.

De Germanico Cæsare hæc narrat. quomodo verè? Illéne Armeniæ regem deuicit? Historiam vide. ne potuit quidem: quia nusquam tunc bellum cum Armeniis, aut suspicio belli. Verissimè & ad rem corrigo: *Armeniæ regem deiecisset*. Ita enim fuit. Vononem Germanicus regno amouit deiecitque: & imposuit eius vicem, Zenonem Polemonis Pontici filium. sed sine vllâ vi aut armis, auctoritate Romanâ saltem, & Armeniis ipsis volentibus. Præter alios, Tacitum nostrum vide distinctè & diffusè libro II. Annal. hæc narrantem.

Ea reuocata ad veritatem.

CAP. XVIII.

Senecæ Fragmentum insigne in superstitionem veterem. multi in eo nec vulgati ritus. Igitur percursum id à capite, & emendatum, atque illustratum. Dij veterum, mixtâ formâ. Lumina iis accensa. Nomenclatores habuere. Horæ in templis nuntiatæ. Appuleius correctus in templorum velis. Salutationes deorum. Fictores, & Unctores, & Vestitores. Specula tenebant diis, strigiles & lintea. aliaque ineptiarum veterum.

FRAGMENTA scriptorum veterum, adolescens olim (vt ferebat illa ætas) cum impetu & labore collegi. quæ distinxeram classe quadruplici, Oratorum, Historicorum, Poëtarum, Miscellorum. Inter Miscellos præcipuum Varronem posueram. Atque hæc non in meum solùm vsum, sed publicum: nisi visum aliter ἀφίλῳ cuidam φίλῳ fuisset, qui cœptum hoc omne meum turbauit. non fraude, ne erres; sed (dicam verè & fortiter, etsi parum comiter) turpi furto. Heu iuuentus! quàm falli facilis abiis, qui scelera sua velant & tegunt veste aliquâ doctrinæ! Parit enim hæc admirationem: illa amorem: iste fidem. Mihi id factum, non diffiteor: & amicus audiui iis, quorum ingenium longè à meo diuertebat, quique seorsim ibant à probo more isto & ore. Inter eos Autolycus ille (latère enim eum patior, etsi me non latet) qui, præter alias fraudes, partem Fragmentorum eorum è domo meâ abstulit, malâ & tagace manu. Abstulit etiam vnà animum in cœpto opere pergendi: quia & difficilis instauratio iacturæ eius mihi visa; & posteà intellexi Ianum nostrum Dousam eumdem laborem seriò elaborasse. cui non vnâ causâ cedo. Amorem adspicio? ipsi & famæ eius ante meam faueo. Ingenium, doctrinam, iudicium? hæc quoque meis præpono, aut certè compono. & libens, non hîc solùm, sed in omni litterario isto cursu, vegeto huic & valenti athletæ, fessus ipse ac languens, lampadem meam trado. Sed, quod institui, in congerie eâ multâ Fragmentorum, memoriâ teneo Senecæ vnum infuisse, quod iamtum valdè mihi placitum acumine, prudentiâ, libertate. addo, & granditate: quia longum & diffusum, & sententiarum ac rituum plenum. Placet adeò etiamnunc, vt Electa nostra hac velut gemmâ ornatum iri censeam: sic tamen, si polimen aliquod à me accipiat & candidiorem velut lucem. Exstat in Augustini sexto De Ciuitate: cuius verba vnà cum ipsis Senecæ paulò diffusius adscribam, vel ad continuanda fragmenta ea, vel etiam interpretanda. Sic igitur Antistitum ille antistes:

Conatus meus & cœptus in Fragmenta colligendi.

Qui furto interruptus.

I. Dousa laus.

ANNAEVS *Seneca, quem nonnullis indiciis* (quibus ô Augustine? illisne Epistolarum ad Paulum? Suspicamur id te suspicatum. sed frustrà: quia vanæ illæ, & ab inscito impostore: & bonis sanè humeris Hieronymus, qui admisit, & habuit fidem. Tamen quid indiciis opus? aquâ & aëre isto liquidius est, comparem ætate Senecam Apostolis fuisse, & vixisse

Falsa Epistola Pauli ad Senecă.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Claudij ac Neronis ævo) *inuenimus Apostolorum claruisse temporibus, in eo libro quem contra superstitiones condidit, multò copiosius atque vehementius reprehendit ipse ciuilem istam & vrbanam Theologiam, quàm Varro Theatricam atque fabulosam. Cùm enim de simulacris ageret,*

1. Fragmentum. „ *Sacros, inquit, immortales inuiolabilésque deos in materiâ vilissimâ atque* „ *immobili dedicant. Habitus illis hominum ferarumq;, & piscium, quidam* „ *verò mixto sensu diuersis corporibus induunt. Numina vocant, quæ si* „ *spiritu accepto subitò occurrerent, monstra haberentur.*

Deinde aliquanto post, opposuit sibi quæstionem, & ait:

II. „ *Hoc loco dicet aliquis, Credam ergo cælum & terram deos esse? & supra Lu-* „ *nam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stra-* „ *tonem, quorum alter fecit deum sine corpore, alter sine animo?*

Et ad hoc respondens,

III. „ *Quid ergo tandem? veriora tibi videntur T. Tatij, aut Romuli, aut Tulli* „ *Hostilij somnia? Cluacinam T. Tatius dedicauit deam; Picum Tiberinumq;* „ *Romulus; Hostilius Pauorem atq; Pallorem, teterrimos hominum adfectus.* „ *quorum alter mentis territæ motus est, alter corporis, nec morbus quidem* „ *sed color. Hæc numina potius credes, & cælo recipies?*

De ipsis verò ritibus crudeliter turpibus, quàm liberè scripsit?

IV. „ *Ille, inquit, viriles sibi partes amputat: ille lacertos secat. Vbi iratos deos* „ *timent, qui sic propitios merentur? Di autem nullo debent coli genere, si* „ *& hoc volunt. Tantus est perturbatæ mentis & sedibus suis pulsæ furor,* „ *vt sic dij placentur, quemadmodum ne homines quidem sæuiunt. Teterrimi* „ *& in fabulas traditæ crudelitatis tyranni, lacerauerunt aliquorũ membra:* „ *neminem sua lacerare iusserunt. In regiæ libidinis voluptatem castrati* „ *sunt quidam, sed nemo sibi ne vir esset iubente domino manus intulit. Se-* „ *ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant. Sicui* „ *intueri vacet, quæ faciunt quæq; patiuntur, inueniet tam indecora hone-* „ *stis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis; vt nemo fuerit dubitaturus* „ *furere eos, si cum paucioribus furerent. Nunc sanitatis patrocinium, in-* „ *sanientium turba est.*

Iam illa quæ in Capitolio ipso fieri solere commemorat & intrepidè omnino coarguit, quis credat nisi ab irridentibus aut furentibus fieri? Nam cum in sacris Aegyptiis Osirim lugeri perditum, mox autem de inuento magnum fuisse gaudium derisisset,

V. „ *Huic tamen, inquit, furori certum tempus est. tolerabile est semel in anno* „ *insanire. In Capitolium perueni. pudebit publicatæ dementiæ, quod* „ *sibi vanus furor adtribuit, officij. Alius numina Deo subiicit, alius ho-* „ *ras Ioui nunciat, alius lictor est, alius vnctor, qui vano motu brachio-* „ *rum imitatur vngentem. Sunt quæ Iunoni ac Mineruæ capillos dispo-* „ *nant; longè à templo non tantùm à simulacro stantes, digitos mouent or-* „ *nantium modo. Sunt quæ speculum teneant, sunt quæ ad vadimonia sua* „ *deos aduocent, sunt qui libellos offerant & illos causam suam doceant.* „ *Doctus archimimus senex iam decrepitus, cottidie in Capitolio mimum* „ *agebat; quasi dij libenter spectarent, quem homines desierant. Omne illic* „ *artificum genus operantium dis immortalibus desidet.*

Et

Et paulò pòst:

VI. „ *Hi tamen, inquit, etiamsi superuacuum vsum, non turpem nec infamem* „ *deo promittunt. Sedent quædam in Capitolio, quæ se à Ioue amari pu-* „ *tant: nec Iunonis quidem, si credere poëtis voles, tracundissimæ respe-* „ *ctu terrentur.*

Hanc libertatem Varro non habuit; tantummodo poëticam Theologiam reprehendere ausus est, ciuilem non ausus est, quam iste concidit. Sed si verum attendamus, deteriora sunt templa vbi hæc aguntur, quàm theatra vbi finguntur. Vnde in his sacris ciuilis Theologiæ has partes potiùs elegit Seneca sapiens, vt eas in animi religione non habeat, sed in actibus fingat. Ait enim:

VII. „ *Quæ omnia sapiens seruabit tamquã legibus iussa, non tamquam dis grata.*

Et paulò pòst:

VIII. „ *Quid quòd & matrimonia deorum iungimus? & ne piè quidem, fratrum* „ *scilicet & sororum. Bellonam Marti collocamus, Vulcano Venerem, Ne-* „ *ptuno Salaciam: quosdam tamen cælibes relinquimus, quasi conditio defe-* „ *cerit. præsertim cùm quædam viduæ sint, vt Populonia vel Fulgora, &* „ *diua Rumina: quibus non miror petitorem defuisse.*

IX. „ *Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo ævo longa superfti-* „ *tio congessit, sic, inquit, adorabimus, vt meminerimus cultum eius magis* „ *ad morem quàm ad rem pertinere.*

En fragmenta, & quidem tota. Iuuit enim describere: atque vtinam plura! Nam quid non solùm liberius, sed melius, acutius, prudentius potuit, in impiam illam pietatem? Et si non vagus aut vanus tibi sensus; habebis, Lector, quod huic etiam ævo seruiat: quo religionum, vt sic dicam, thyrso percussæ, bacchantur ac gallantur multorum mentes. Sed vt maneam in meo circo: promit hæc Augustinus è libro Senecæ quem contra Superstitiones scripsit. Qui, vt optima pleraque, perit: sed memoria tamen eius apud Tertullianum etiam, in Apologetico hoc velut auctoritatis firmæ telum intorquentem contra Gentes. *Infrendite, inquit, insumate; iidem tamen estis qui Senecam aliquem pluribus & maioribus de Superstitione vestrâ perorantem reprehendistis.* Vbi scripsisse Doctorem magnum censeo, *aliquampluribus*: quâ formâ & coniunctione in Appuleio, imò & in Ciceronis Verrinis lego, *aliquammultos*. Et alludere quidem Tertullianus ad hunc titulum videatur non tamen nego, quin pluribus locis imò libris hoc argumenti genus tractarit Annæus. præsertim in Exhortationibus: quas Lactantius aliquotiens nominat, & adducit sententias haud dispares istis. At Fragmenta ipsa ordine videamus.

Seneca liber De Superstitione.

Tertulliani nus periuiam emissatus.

Fragm. I.

Quidam verò mixto sensu, diuersis corporibus induunt.

Dij mixti sexu, aut sensu.

Libri veteres, *mixto sexu*. quod haud improbo, quasi è mare & fæminâ compositi quidam diui: vt Hermathenæ, Hermeracles. *Mixto sensu* tamen præferam, vt velit deos compositi & misceri ex hominibus simul ferisque, & animantibus quibus diuersi sensus. Quod in * picturâ & fictura stultissimè receptum illis scimus.

* Adi Epistolicas nostras, lib. 1. epist. XX.

Fragm. III.

Quorũ alter mẽtis territæ motus est, alter corporis: nec morbus quidẽ, sed color.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si attendis, omnino ex subiectâ sententiâ, vtrobique aut *motus*, scribendum, aut *morbus*. atque illud potius.

Fragm. IV.

Vbi iratos deos timent, qui sic propitios merentur?

Ridicula pietas sese cadentium. Acutè. nec alius Quinctiliani prisci illius & Attici (ita me iudice audiet) declamatoris sensus, in Fanatico: *Istud si deus cogit, iratus est.*

Ibidem.

Sed nemo sibi ne vir esset, iubente domino, manus intulit.

Mallem, *lubente animo*. Nam vt à dominis quidam ad id adacti, cur pernegemus?

Fragm. V.

Alius numina deo subiicit.

Cerei in templis accensi. Legebam, *lumina*. & carpi censebam eos, qui cereos lychnósque passim clarâ luce accendebant in templis. Lactantius libro VI. *Mactant hostias deo, tamquam esurienti, profundunt vina, tamquam sitienti; accendunt lumina, velut in tenebris agenti.* At liber vetus & bonus, quem nactus sum ex dissipatâ bibliothecâ Batauâ Egmundanâ, refert, *nomina*. & vide num occultior ritus sit, tamquam diis adstiterint sui nomenclatores, qui salutantium siue adorantium nomina velut nesciis ingererēt: ambitione videlicet & ritu qui inter proceres Romanos. Mihi hoc adsidere ineptiis iis videatur, quæ sequuntur.

Diis nomenclatores sui.

Ibidem:

Alius horas Ioui nunciat.

Horæ iis acclamatæ. Ita enim mos passiuè apud alios etiam deos. Martialis de Isíde: *Nunciat octauam Pariæ sua turba iuuencæ.* Appuleius libro XI. de eâdem: *Ac dum valuis candentibus reductis in diuersum, deæ venerabilem conspectum apprecamur, & per dispositas aras circumiens sacerdos rem diuinam procurat, supplicamentis sollemnibus de penetrali fonte petitum spondæon libat: rebus ritè consummatis, incohatæ lucis salutationibus, religiosi primam nunciantes horam perstrepunt.* Quo loco obiter legendum moneo, *dum velis candentibus*, fide scripti mei libri. Et sanè vela fuisse scimus ante sanctiores aras stataq; (etiam apud Iudæos) quæ adduci solitum & reduci. Idem Milesius scriptor, de se initiato: *Sic ad instar Solis exornato, & in vicem simulacri constituto, repentè velis reductis, in aspectum populi errabam.* Quin & Christianorum templis similis ornatus. Paulinus Nolanus:

Appuleius correctus. Vela oppansa aris aut festus.

Aurea nunc niueis ornantur limina velis.

& alibi in VI. Natali Felicis. Ita enim & hæc ex eodem meo codice emendo. Ceterùm solemnes salutationes has deorum, vt multa, è tenebris eruit Ios. Scaliger Notis in Tibullum: quibus appositè hunc è Seneca locum addes, & alterum ex Epistola XCVI. *Vetemus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum. humana ambitio istis officiis capitur: deum colit, qui nouit.* Sed vide ergo in Fragm. eod.

Salutationes matutinæ deorū.

Alius lictor est, alius victor.

Fictores deorum. Displicet hîc lictor. scribo, *fictor*. Id enim nomen inter officia diuina. In lapidibus legi: DISCIPVLVS. FICTORVM. PONTIFICVM. item: FICTOR. V. V. id est, Virginum Vestalium. alibi: FICTORES. PONTIFICVM.

TIFICVM. Quid fuerint, Isidorus explicat apertè simul & ad nostram mentem aptè: *Fictor*, inquit, *à componendo & fingendo, velut qui capillos mulierum linit & pertractat, vngit & nitidat.* Nam aliàs Fictor Latinis, qui Græcis Plastes: notione magis vulgari. Agnoscit autem has eadem vanitates in deorum cultu etiam Artemidorus libro II. cap. XXXIV. περὶ θεῶν τιμῆς. Ait: ἐκμάσσειν δὲ θεῶν ἀγάλματα, ἢ καθαίρειν, ἢ ἀλείφειν, ἢ σαροῦν τὰ πρὸ τῶν νεῶν ἢ τὰ πρὸ τῶν ἀγαλμάτων, ἡμαρτηκέναι τι εἰς αὐτοὺς ἐπείνους τοὺς θεοὺς σημαίνει. Sed & Vestitores suos diis fuisse, Iulius Firmicus me docet libro III. *Mercurius*, inquit, *cum Venere in tertio ab horoscopo loco, faciet vestitores deorum.*

Quid fuerint.

Vestitores deorum.

Ibidem.

Sunt quæ speculum teneant.

Insignis nec vulgò nobilis hic ritus. Speculum autem diis præsertim fœminis tenebant ostendebantque, quasi ad inspiciendum explorandumque satisne cultæ. Seneca ipse in Epistolis: *Vetemus lintea & strigiles Iouci ferre, & speculum tenere Iunoni.* Vbi lintea & strigiles ad balnea scilicet referes, quasi lotione quoque Ioui vsus. Appuleius de hisdem speculis benè illustrat, Milesiar. XI. De pompâ Isidis: *Mulieres*, inquit, *candido splendentes amicimine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, quà sacri incedebant comitatus, solum sternebant floscul is. aliæ, quæ nitentibus speculis ponè tergum reuersis, venienti deæ obuium commonstrarent obsequium.*

Specula ita ostensa, ad cultum. Strigiles adhibitæ ad frictum: lintea ad exterſum.

Ibidem:

Sunt quæ ad vadimonia sua deos aduocent.

Imo, *qui*. nec viros ab his nugis excernamus: quorum vadari certè est, & hæc forensia obire, non fœminarum.

Ibidem:

Doctus Archimimus senex iam decrepitus.

Itáne Docti adiectio conueniens Mimo? non meo sensu: putemque nomen certi hominis fuisse, & scribendum *Docimus Archimimus*, aut *Docio*. Memoria non semper mihi prompta: tamen lectum simile aliquod mimi nomen confuse mihi est in mente. In iisdem etiam verbis lego, *senex, imò decrepitus.*

Archimimi nomen latens.

Fragm. VII.

Etiamsi superuacuum vsum, non tamen turpē nec infamem deo promittunt.

Haud mutem: &, *deo promunt*, tamen verius censeo.

Fragm. VIII.

Quibus non miror petitorem defuisse.

Erige sententiam iacentem interrogandi notâ, & scribe, *mirer*. Nec plura ad hos ritus: in quibus perclara imago vanitatis & erroris prisci; à quo quantum beneficium est, quod eripuit nos melior ille deus?

CAP

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. XIX.

In Floro complura ab ingenio aut à libro emendata. Subrecti vel surrecti vox. Lucilius correctus & explicatus. Vmbri veteres Italiæ incolæ. Remos detergere, nauticum verbum. Postpositio copulæ notata, & Agellij firmatæ scripturæ veteres. Perses rex è templo receptus. Plebs hereditatis iure poscebat agros. & notæ plures.

ANNÆVS Florus, etsi acrium aliquot Criticorum manus subiit, non effugiet tamen meas. Medicinam à me aliquot locis accipiet, aut quis scit si nouas plagas? Verè enim anceps nostrum auxilium, imò sæpe præceps: & conuenit illud Homeri in ista,

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Libro I. cap. XIII. De Gallis:

Hi quondam ab vltimis terrarum oris, cùm cingerentur omnia Oceano, ingenti agmine profecti.

Oceanus magnus, terras circumfluus. Liber scriptus qui apud me, hîc melior: *ab vltimis terrarum oris & cingente omnia Oceano.* Magnum enim hoc nostrum mare intellegit, orbique circumfluum.

Cap. XVI. De Caudinæ cladis detersâ ignominiâ:

Et vltionem flagitans miles, Papirio duce, (horribile dictu) subiectis ensibus per ipsam viam ante pugnam furit.

Subrecti enses. Lege, *subrectis*: & acrem ardorem hinc militis pugnaturientis percipies. Liuius in eâdem re scripserat: *Strictis ante pugnam gladiis.* Eadem vox restituenda Lucilio, in hisce versibus,

Nam quid mœtino subrectóque huic opus signo?
Vt lurcaretur lardum & carnaria patrum
Furtim conficeret.

Subiectum mœtinum, siue Phallus. non, vt viri docti etiam edunt, *subiectóque.* Nam subrectum illud signum, res turpicula est; quæ appendi contra fascinum solita. Plinius: *Contra fascinationes in remedio sunt Satyrica signa.* Satyri nimirum picti & ficti semper, rebus iis surrectis: sicut & Hermæ illi viales aut hortenses. Macrobius lib. I. *Plerumque etiam simulacra Mercurij quadrato statu figurantur, solo capite insigniti, & virilibus erectis.* Hoc diduxi: quia doctissimo *Id contra fascinum.*

Lib. XVII. Aduers. cap. XXII. * Turnebo hîc nubecula: qui Mutinum etiam interpretatur in illisce versibus, silentij deũ. At nos ex Festo & Arnobio longè aliũ eum scimus,

Cap. XVII.

Hactenus populus Romanus bellum cum singulis gentium: mox aceruatim, tamen sic quoque par omnibus. Etruscorum duodecim populi in id tempus incitati, antiquissimus Italiæ populus Samnitium, reliqui in excidium Romani nominis repentè coniurant.

Expletus Elorni. Hæc confusa, mutila, partim falsa. Corrigo & expleo à meo libro, *Etruscorum XII. populi, Vmbri in id tempus intacti antiquissimus Italiæ populus, Samnitium reliqui in excidium,* &c. Omnino enim inserendum id de Vmbris, qui intacti, & vt Liuius in hac ipsâ re ait, *integri à cladibus belli*: non autem Etrusci aut Samnites. Sed & iidem Vmbri rectè antiquissimus Italiæ populus: quod & Dionysius non abnuit, libro primo.

Eod. cap. de Fabio Maximo in Etruscos pugnante:

Nam subitò inconditos atque palantes aggressus est, captisq; superioribus iugis in subiectos suo more detonuit.

Quid illud, *suo more*? An sæpius id à Fabio factum? Parum aptum, & vanum est: scripserimque, *Iouis more*. Spectauit enim ad Detonandi verbum: & certè sequitur, *Ea namque species fuit illius belli quasi in terrigenas è cælo ac nubibus tela mitterentur.* Itaque omnino cum Ioue cum comparare voluit, & quidem gigantes ex alto attonante. *Subtilior in eodem diuinatio. Fabij cum Ioue comparatio.*

Cap. XXII.

Cum Senatu quoque de æquo bonóque certatum est: adeò vt relictis sedibus solitudinem & interitum patriæ suæ minarentur.

Certamina inter Senatum & plebem, at non de æquo & bono. Scribe cum meo libro, *Cum Senatu quoque vehementius æquo bonóque certatum est.* id est, acrius quàm æquum bonumq; esset. *Vehementius æquo certatum.*

Libro II. cap. II. De pugna Duilij nauali:

Prælij verò fama mirabilis, cùm illas celeres volucréque hostium naues, hæ graues tardæq; comprehenderent. Longè illis plus nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fugâ rostra. Iectæ enim ferreæ manus, machinæq; aliæ, ante certamen multum ab hoste derisæ.

Locus non semel vitiosus. Primùm lego, *prælij verò forma mirabilis.* non *fama.* De ipsâ enim imagine habituque pugnæ loquitur, non de rumore. Deinde ex prisco libro, *longè illis nauticæ artes.* omnino eleganter. Procul, inquit, Pœnis maritimæ suæ artes & sine vsu, contra vim fortunamque Romanam. Genus dicendi elegans, huic nostro infrà iteratum, & in Cæsare etiam corruptum, lib. I. *Longè iis fraternum nomen populi R. abfuturum.* scribendumque, *futurum.* Postremò iterum è coniecturâ, *deterguere remos.* Quid enim artis in detorquendis remis? nec sanè legi. At detergêre, nauticâ & maritimâ phrasi, nimis crebrò. quod non aliud, quàm transuersæ nauis hostilis cum impetu & transcursu remos perfringere, auferre, & velut puram ab iis reddere. quâ formâ Detergere palmites, scriptum Columellæ: Detergere pinnas muri, Liuio. Cæsar de Massilienſibus: *Pluribus nauibus adoriri singulas, aut remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant.* Liuius XXXVI. *Duæ regiæ vnam circumsistunt, & ab vtroque latere remos detergent.* & exempla obuia. *Longè illis artes. Cæsar correctus. Detergere remos.*

Ibidem:

Metelio igitur Consule, spirantibus altiùs Pœnis & reuerso in Siciliam bello, apud Panormum sic hostes cecidit, vt ne amplius ea insula concitaretur.

Vetus, *vt nec amplius eam insulam concitarent.* ego, *cogitarent*, rectũ censeo.

Cap. VI. De Fabij legati animosâ voce & facto in curiâ Carthaginiensium:

Quæ, inquit, mora est? Fabius. in hoc ego sinu bellum affero & pacem. vtrum eligitis, vtrum placet, sumite. Cumque succlamatum esset, &c.

Circumcisus Florus. Multò breuius & concinnius noster; *in hoc ego sinu bellum pacémque porto. vtrum eligitis? Cumá, succl.*

Ibid. De liberali studio Romanorum in patriam:

Opes suas libens Senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis, cingulis, atque anulis erat, quidquam sibi auri reliquére.

Non aurum in Senatorũ cingulis. Apage aurum cingulare. non hoc Romanum. Scribe, *singulis atque anulis.* Augustinus III. De Ciuitate Dei, hac ipsâ in re: *Præter singulos anulos aureos singulásque bullas, miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri Senatus ipse reliquit.* Corrumpendo loco transpositio illa copulæ fuit, priscis tamen vsitata, & per me nunc reuocanda. In Agellio lib. I. cap. II. *Totiusque villæ venustate, aquis vndique, canoris atque auibus personante.* In eodem, libro XIX. cap. I. *Nihil de periculo, de sæuitiâ atque remissum.* Et cap. IX. *Poculis mox, sermonibus atque tempus fuit.* Quæ tamen omnia mutant contra libros & corrumpunt. Atqui in vetere etiam lege Mamiliâ clarè: *Municipibus, eis atque in quorum agro id factum erit.* Notet, atque imitetur iuuentus.

Copula, Atqi, trẽs-posita aut post posita. Agellij lectiones firmata, quæ temerè solicitant.

Ibidem:

O populum dignum orbis imperio, dignum omnium fauore & administratione hominum ac deorum!

Vetus, *admiratione hominum.* rectissimè.

Cap. VIII. De bello Antiochico:

Hoc velut sidere Asiatici belli mota tempestas, & maximus regum conuentus fortiter indicto bello, cùm ingenti strepitu ac tumultu mouisset ex Asiâ, ocia & luxus tamquam victor agitabat.

Vetus, *indixisse bellum.* ex quo scribo, *maximus regum contentus fortiter indixisse bellum.* sententia planâ & verâ. Non enim tam gessit bellũ, quàm mouit.

Cap. X.

Gallogræciam quoque Syriaci belli ruina conuoluit. Fuerant inter auxilia regis Antiochi. An fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos visos simulauerit, dubium. certè negatus est victori triumphus, quia caussam belli non approbauit Senatus.

Distinctione & correctione sententiam totam expedio: *Fuerint inter auxilia regis Antiochi, an fuisse cupidus triumphi Manlius ac eos visos simulauerit, dubium.* Rẽne ipsa auxiliatores Antiocho fuerint, inquit, an famâ tantùm & sermone Manlij, ambigitur.

Cap. XII.

Multò vehementius sub hoc Macedones, quàm sub patre consurgunt. Quippe Thracas in vires suas traxerant. Atque ita industriâ Macedonum, viribus Thracum, disciplinam Macedonicam temperauere.

Antius Florus. Plenius veriusq; ista meus codex: *Atque ita industriam Macedonum viribus Thracum, ferociam Thracum disciplinâ Macedonum temperauere.*

Ibidem, de Capto Perse:

Sed nec reuerentior captæ maiestatis alius Paullo fuit. cùm in conspectum venisset hostis, in templum recepit, & in conuiuiis adhibuit, liberosq; admonuit suos vt fortunam cui tantum liceret reuererentur.

Falsa rei lectio. Aliquantisper anxium me habuit locus. Quomodo enim in templum receptus Perses? quod nemo tradidit: imò omnes contrà, in tabernaculum

lum Paulli deductum & in castra. Vetus liber, *receperat*, non, *recepit*. ex quo occasio mihi bellæ coniecturæ: *cùm in conspectum venisset hostis (nam templo receperat) & in conuiuiis*, &c. Atque hæc ipsa res est. Perses in templum confugerat. inde ab Octauio eductus, & ad Paullum in prætorium perductus, eodem die conuiuio comiter adhibitus, & ceteri honores habiti. Liuium ac Plutarchum vide.

Submota per coniecturam probam. Perseus templo Samothracum eductus.

Cap. XV. De Carthaginis incendio:

Quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant, vt quatenus vrbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet.

Acuta sententia reposita. Acumen & lucem sententiæ reddo: *quatenus vrbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.* Carthaginienses, inquit, sua ipsi templa ædesque incenderunt: vt quoniam vrbs eripi iam Romanis non poterat, saltem instrumenta triumphi & prædam ne haberent.

Libro III. cap. V. De Bellis Mithridaticis:

Ictum cum Ponticis fœdus. recepit [Sulla] Bithyniam à rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappadociam. ac sic erat Asia rursus nostra, vt cœperat.

Florus ex historiâ emendatus. Hæc manifestè παρὰ ἀληθειαν καὶ ἱστοριαν. Scribe verò, *recepit Bithyniam à rege Nicomedes, Ariobarzanes Cappadociam.* Non enim Sulla aut Romani, sociis regibus & eo bello bene meritis, auita regna extorserunt; sed contrà, Mithridati erepta reddiderunt. Appianus, Plutarchus, & alij, clarè in hoc ipso fœdere Sullano.

Ibidem, De Pompeio:

At in Septemtrionem Scyticum iter tamquam in mari stellas secutus, Colchos cecidit.

Sequi iter stellis. Optimè liber scriptus, *tamquam in mari, secutus stellis.* quasi vagum illud & ignotum Romanis iter ad stellas direxerit, vt cursum nautæ. Et statim, *excidit*, pro, *cecidit*. Vulgata lectio obscura & cum fluctu.

Cap. VI.

Ipsas Propõtidis fauces Porcius Cato, sic obditis nauibus, quasi portã obseruauit.

Similitudo pulchrè significans. Lego illustri imagine, *obditis nauibus quasi portâ, obseruauit.*

Cap. XIIII. De seditionibus agrariis:

Reduci plebs in agros vnde poterat, sine possidentium euersione? qui ipsi pars populi erant. Et tamen relictas sibi à maioribus sedes ætate quasi iure hereditario possidebant.

Plebi in agris hereditarium ius. Non ea mens Flori defensum euntis possessores. attẽde. sed contrà quid pro electâ plebe dici posset, adiecit. Itaque veteri libro rectè abest τὸ ætate. quo duce coniicio deinceps, *hereditario iure poscebant.* Plebs scilicet fraude, vi, pecuniâ potentium electa agris, &, vt ipse capite sequenti loquitur, laribus focisque exsul; sedes veteres à maioribus relictas, vt hereditatem, repetebat.

Cap. XVIII.

Ipse Iulius Cæsar exercitu amisso, cùm in vrbem cruentus referretur, miserabili funere mediam etiam vrbem peruiam fecit.

Voces duæ in vnam contractæ. Siue de Iulio, hæc verè, siue potius de Rutilio (nam alij Annales aliter) tamen, de peruiâ vrbe factâ haud conuenit. Omnino lego, *vrbem permansit defecit*, compulsis vocibus quæ malè diductæ.

Lib. IIII. cap. I. De coniuratione Catilinæ:

Tanti sceleris indicium per Fuluiam emersit, vilissimum scortum sed parricidij innocens. Tum Consul &c.

Vetus, *sed patriciis innocens.* Lego, *patriciis innocentius. Consul &c.*

Cap. II.

Numquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia. fuga victimarum, examina, insignes interdiu tenebræ.

Auctore libro, *examina in signis*, verissimè.

Ibidem:

Photinus atq. Ganymedes, diuersi per mare, & transfugio, & morte cõsumpti.

Egregiè idem liber, *diuisa per mare, & terras fugâ, morte consumpti.*

Ibidem:

Quínam ille horror, cũ eodẽ tempore fluctus, procellæ, armamẽta consligerent?

Explatus Floxus. Nostet codex, *procellæ, virî, naues, scementa, consligerent?* optimè. sic tamen vt, *elementa*, restituam, pro spurcâ eâ Scementorum voce.

Ibid. de nece Iulianâ.

Nec diutius dilatio donata est. sed Brutus, Cassius, aliiq; patricij, consenserunt in cædem Principis.

Falsa adsertio remota. Patriciine? Atqui Cassius ipse quem nominas, & plerique coniurati alij, è plebeiis. Emendo, *aliiq; patrum.* E Senatu enim dumtaxat fuisse eos significat, non è patriciis.

Cap. vlt.

Astures per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant. nec tenuêre suos, vt barbari impares: sed positis castris apud Asturum flumen, trifariã diuiso agmine, tria simul Romanorum agmina inuadere parabant.

Proba è libro emendatio. Longè diuersa libri mei lectio, & palàm probior: *nec temerè sumpta, vt barbaris, spes: sed positis castris.* Non hæc descensio temeritatis fuit, inquit, quæ agnata barbaris: sed consilij & astutiæ. cum effectu quidem, nisi proditio interuenisset. Sed facio finem, cùm pluria sanè habeam in hunc scriptorem. verùm hæc ipsa nónne nimia? quibusdam scio, qui ad Capita ista paulò pleniora nauseant & fastidiunt, ipsi rerum vacui. Quibus Critice hæc in speciem est, non in vsum: qui in multas areas pedesque diuidant vnicum hunc agellum. At me diffindere & partiri hæc talia iam piget tædetq;: admetiar ea potius perticis, imò iugeribus totis. Tibi autem, Lector, quantulum est, adnotare hæc ad oras tui libri? Laborem certè quærendi, cogitandi, nonnihil minuit tibi labor noster.

CAPVT XX.

M. Ciceronis obscuro loco fax prælata. Quis Fænicularius campus! & Strabo strictim emendatus.

AMBVLABAM otiosè domi sub meridiem. occupauit me Andræas Schottus insignis iuuenis, & Da operam magister, inquit: nubes mihi ænigmatis est in Ciceronis hisce verbis, quam sol ille Galliæ Turnebus pellere conatus non pellit. Verba ecce è lib. XII. ad Attic. Epist. IX. *Scribe*

Scribe quæso quid referat Celer egisse Cæsarem cum candidatis. vtrum ipse in Fænicularium, an in campum Martium cogitet?

Quæ Turnebus nimis profectò frigidè & errabundè interpretatur, quasi allusio hîc ad fœnus vsurasque. Sententiam autem esse, Scribe quæso vtrum Celerius profitendi nomen suum inter candidatos impetrarit, an potius depositâ ambitionis omni curâ redire cogitet ad suum fœnus. Symeonem etiam Bosium consului, magnum virum & Epistolarum istarum lucidam plerumque facem: at hîc silet. Tu quid iuuas? quid censes? Ego ad eum subridens, Ita me captas? inquam. an censes, vt cum Platone eo me emergam bono & fido duce. Is Strabo est, qui solus, vt opinor, euoluet tibi hoc inuolutum. Scribit lib. III. in Hispaniæ designatione, de viâ quadam: φέρεται δὲ ἐπὶ Ταρακῶνα, ἀπό τε τῶν ἀναθημάτων τοῦ Πομπηίου διὰ τοῦ Ιεγαρίου πεδίου καὶ Βετέρων καὶ τῆς Μαραθῶνος καλουμένης πεδίου τῆ Λατίνη γλώττη, φύοντος πολὺ τὸ μάραθρον. id est: *Fert autem hæc via Tarraconem versus à Pompeij Tropæis, per campum Iugarium, & Vetera, & qui Latinâ linguâ Fænicularius campus dicitur, à copia Fæniculi quẽ gignit.* Pulsa tibi omnis nubes, si legis hæc oculo non conniuente. Nam loca aliquot nota & nobilia nominat, in queîs crebrò exercitus Romani, ideoq; Romana iis etiam nomina: interq; alios Fænicularium hunc campum. Clara igitur Ciceronis mens, Scribe quid Celer de Cęsaris consiliis dixerit. vtrúmne in campum Martium cogitet ad comitia, an in Fænicularium (id est, in Hispaniam) & ad reliquias belli? Turnebum autem θεοείκελον ἄνδρα, vt Homericum epithetum est, sine contumeliâ dimittamus: mirati potius, quomodo à Fœnore Fænicularium deriuarit, quàm irati. In Strabone etiam, μαραθρωνίης leges scilicet, non quod vulgatum.

Turnebi, non recta interpretatio.

Fænicularius campus in Hispaniâ.

CAPVT XXI.

Pro Appuleio aliquid dictum contra aures & mentes nimis teneras. Occultos in eo versus agnosci. Emendatus ipse pluriariàm. Repigrandi verbum erutum, & Antelucio: Medicifici, & Fœminal. Dea Syria. Detrux, noua vox. Circumsecus. Voti compotire. Histricus decor. Degere, pro minuere.

DE Appuleio non sum nescius quid vulgus hodie sentiat, & quid melior doctorum ordo. Iacet apud illum, stat vigetque apud istos, hoc saltem talo, quòd nugarum illum ludum temperet ac misceat cerebro velut sale priscæ ac reconditæ doctrinæ. Doctrinæ, in moribus dico & in verbis. Nam stilum eius quod ineptum esse volunt: fatebor in parte, (nec enim asperitatem illam & horrorem quæsitæ dictionis vsquequaque excuso.) sed tamen doctè ineptum, & è quo multa bona selectaque hauriat, bonæ selectæque mentis Lector. Verba non pleraque omnia proba; propria? phrasis non sæpe florida? metaphoris & imaginibus amœna? mihi sic videtur: etsi in vniuerso orationis filo, scabrum illud

In Appuleio occultior sæpe doctrina.

Verba selecta, fortasse nimis.

& ex adfectatâ nimis antiquitate horridum, radit ſæpe & lædit meas aures. Sed hîc quoque duo ei patrocinantur, Patria & Argumentum. Ortu enim Afer fuit: quibus velut inſitum in ſententiis inuentionibuſque, acutis eſſe: aſperis duriſque, in ſermone. Iam argumentum miſcellum ei eſt, & ſatyricum. quod amat hunc cultum, quæſitum, pinguem, & ſquallenti quodam auro. Varronis Fragmenta è Satyris vident? etiam examinent. reperient ea haud longè eſſe à Mileſiis iſtis Punicis, & inculti cultus ſtilo. At non defendendi ſcriptoris eius, ſed leuiter & breuiter emendandi inſtitutum eſt: atque hoc iam igitur ago.

Afri vulgò in ſcribendo acuti & aſperi.

Satyris ſua quædam dicta.

Ait libro I. De Aſino:

Eadem amatoris ſui vxorem, quòd in eam dicaculè probrum dixerat, iam in ſarcinam prægnationis obſepto vtero & repugnato fœtu, perpetua prægnatione damnauit.

Hæc narrat de Meroë anu, & vi eius in magicâ arte. Sed quid eſt, *repugnato fœtu?* an coërcito vinctóque, vt ait Beroaldus? miror quî id expreſſerit ab eo verbo. Liber noſter ſcriptus *repigto fœtu*. ex quo, *repigrato fœtu*, verum cenſeo. Lego etiam *in ſarcinâ*, non *ſarcinam*: & diſtinguo, *iam in ſarcinâ prægnationis, obſepto vtero & repigrato fœtu*. hac mente: Cùm vxor amaſij eius iam prægnas grauidaque eſſet; ecce illa clauſo vi verborum eius vtero tardatoque fœtu, æternùm iuſſit eſſe prægnâtem.

Fœtu repigrato.

Hoc eodem libro, infrà:

Somno lenatâ laſſitudine noctis ante lucè aufugiamus, quàm putas lõgiſſimè.

Idem liber, *antelucio*, veteri probaq; voce, & quam ipſe Appuleius poſteà iterat. Eſt autem ex Aduerbiorum (cũ litteratoribus loquor) illo genere & facie, quâ Heſternò, Annò, Cottidianò, &c. At quod ibidem ſequitur, *quàm putas longiſſimè*: verum ſcibis, *quàm poteſt*: vel etiam, *pote*: quoniam in ſcripto, *putâ*, repperi.

Antelucio aduerbiũ.

Haud longè pòſt:

Ne meritò, inquam, medici fidi cibo & crapulâ diſtentos ſæua & grauia ſomniare autumant.

In fidis hiſce medicis ſcriptura non fida. Ego longinquiorem vocularn odoror & accerſo, *medicifici* vel *medicifices*. pro ipſis medicis, quiq; aitem eam faciunt. Eo exemplo Significes, & alia multa.

Medicifici compoſita vox.

Lib. II. in turpiculo luſu cum ſuâ Fotide:

Paulisper etiam glabella femina vel roſea, palmulâ obumbrans de induſtriâ quàm tegens verecundiâ.

Claude hîc oculos iuuentus: tu qui vir es lege *glabellum fœminal*. Ita enim ſuadet ſcriptus codex qui, *glabellum feminea*, præfert. Et ſanè in habitu hoc Veneris emergentis, non tam femina tecta ſcimus, quàm partem eam quæ fœminas facit. Ea Fœminal dicta iterùm huic ſcriptori in Apologiâ priore: *Sed enim fœminal nullo pacto reperiens munditer dicere, ad mea ſcripta confugit: quia & è quodam meo libro legit, Interfœminium tegat.* Fœminal igitur & interfœminium, eadem. Sed & Virginal, partem eam alibi appellat, verbo ſanè quàm honeſto.

Fœminal, pro naturâ fœmineâ.

Virginal.

Libro VI. in Pſyches precibus ad Iunonem:

Quam cunctus Oriens Zygiam veneratur, & omnis Occidens Lucinam appellat.

Cogno-

Cognomina eius deę magis trita & vulgata recenſet, quibuſq; in duplici orbis parte propriè adficiebatur. Sed in Zygia offendo. non quia neſciam id quoque inter Iunonia agnomenta: ſed itáne vulgò & paſſim indigetata? ita Oriens vniuerſus Græcâ eâ voce vſus? Vereor vt verius ſit, *Syriam veneratur*. Nam eo nomine paſſim in Oriente culta Iuno. vel Lucianus vnus te docuerit, in Sermone De deâ Syriâ. itęq; lapides priſci: inter quos hic Romæ:

Syria, pro Iunone.

IOVI. O. M.
ET. DEAE. SYRIAE
ET. GENIO. VENALICI.

Libro IX. vbi ad piſtrinum datus aſinus:

Talis familiæ funeſtũ mihi etiam metuens exemplũ, veteriſq; Lucij fortunam recordatus, & ad vltima ſalutis me tandẽ detrusũ, ſummiſſo capite mærebam.

Germanam ego cenſeo lectionẽ mei libri: *& ad vltima fortunæ meæ iam detrux, ſummiſſo* &c. Quæ verbi nouo-antiquitas planè Appuleiana.

Detrux.

Libro XI. de naue Iſidis:

Nauem faberrimè factã, picturis miris Aegyptiorum circumſeptus variegatã, ſummus ſacerdos tedâ lucidâ & ouo & ſulphure purificatã, deæ nũcupauit.

Cui hîc rei vox, *circumſeptus*? Sanè, ſi attendis, & ſententiam turbat, & leges Latinæ linguæ. Vetus noſter, *circumſpectus*. malè pariter. Ego veram veteremque vocem eruo, *circumſecus*: id eſt, in ambitum & in orbem. Ita enim componebant hæc Aduerbia; *Altrinſecus, Vtrinſecus, Circumſecus.* vſúsque iis noſter Comicus (Plautum dico,) qui Appuleio ſermonis velut exemplar.

Circumſecus, Aduerbium.

Eodem libro, vbi initiandus Appuleius:

Sed noctis obſcuræ non obſcuris imperiis euidenter monuit, aduenisse diem mihi ſemper optabilem, quo me maximi voti competeret.

Plautinam verò phraſim libens hîc reſtituo, *maximi voti compotiret*. id valet, compotem faceret. Comicus ille in Amphitruone: *Qui fuerim liber, eum nunc potiuit pater ſeruitutis.* In Rudente: *Quæ in mari fluctuoſo, piſcatu vberi me compotiuit.*

Voti compotire, Plauti Phraſis.

Libro II. Floridorum:

Eiq. prorſus citharœdicus ſtatus, deam conſpiciens canenti ſimilis, tunicam picturis variegatam deorſus ad pedes deiectus ipſos, Græcanico cingulo, chlamyda (ita liber vetus) *velat vtrumque brachium aduſque articulos palmarum. Cetera decoris inſtrumentis dependent. Cithara baltheo cælata, apta ſtructilim ſuſtinetur* &c.

Graphicè planè depingit Bathylli ſtatuam, & in eâ habitum citharœdorum. Ac priora quidem leges & diſtingues, vt iam præiui. nam vulgò turbant. at illud, *cetera decoris inſtrumentis dependent*, damnabis cum libro meo, qui ſcribit *decoris hyſtriis*. ex quo nos verace coniecturâ, *decoris hiſtrici*. Æmulatus ſcilicet etiam hîc eſt Plautum, & Hiſtricum decôrem, Hiſtrionium appellauit. Notum illud è Pœnuli Prologo: *Audire iubet vos Imperator Ruſticus.* & illud: *Hæc imperata quæ ſunt pro imperio hiſtrico.* Quæ alluſiones eò magis lepidæ, quòd hiſtriones ex Hiſtriâ primùm veniſſe dicantur (ait Feſtus) atque inde nominati.

Hiſtricum, pro Hiſtrionicum.

Lib.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lib. IIII. Florid. vbi Aſclepiadem narrat, hominem iam pro mortuo ſeruaſſe:

Poſtremò propinquis etiam hominibus inuitis, quod ne iam ipſi hereditatem habebant, an quod adhuc illi fidem non habebant, ægrè tamen ac difficulter Aſclepiades impetrauit breuem mortuo dilationem.*

* Lego, omnibus.

Habere & Habere appoſitè iuncta.

Acutius haud paullò legerim, *quòdne iam ipſi hereditatem hauebant.* Ambigit, cur reluctati medico propinqui. & ideóne, inquit, quod hauebant inhiabantq; hereditatem; an quod parùm fidei haberent eius verbis? Alluſio autem pulchra in Hauendi Habendiq; vocibus.

In libello de Deo Socratis, qui pars & ipſe Floridorum:

Næ ego inſcita, quæ cũ alite Apollinis fruſtrà certauerim. quippe cùm pridem tam concinnum eſt, neq. oppidò paruum neque nimis grande ſit, ſed quantum ſatis ad vſum decoremq;: pluma mollis, caput argutum, roſtrum validum.*

Scribit iſta in Apologo de Coruo & Vulpe. & hæc quidẽ vulpeculæ vulpinantia verè verba, ſubdoleq; coruum laudantis: quibus corruptelæ notam videmur poſſe demere: *quippe corpus eidem tam concinnum, & neque oppidò paruum* &c. Imò nec ambigo hæc ita ſcripta olim.

Reſtitutio proba lapſantium vocum.

Eodem libro:

Hinc & illa Virgiliana matrona, quæ in mediis millibus auxiliabunda fratri conuerſatur

——— miſcétque viris, nec cernitur vlli.

Protinúſque Plautinus miles ſuper clypeo ſuo gloriatur, præſtringens oculorum aciem hoſtibus.

Vide, ſi vacat. haud facilè ſine correctione ſententiam eius loci vllam expedies. Scribe mecum, *potius quàm Plautinus miles.* Mens iſta: Illa Iuturna apud Virgilium Turno auxiliatur inter medios hoſtes, nec conſpecta tamen iis: quæ magis iure glorietur, quàm ille miles Plautinus, de ſeque iactet, *Præſtringens oculorum aciem in acie hoſtibus.* ita enim & verſum hîc explendum cenſeo.

Obſcurior locus reſtituitur.

In Apologia priore:

Suſtineo enim non modò meam, ſed etiam Philoſophiæ defenſionem, cuius magnitudo vel minimam reprehenſionem proximam crimini aſpernatur.

Liber vetus, *proximo crimine aſpernatur.* Verum non abnues, *pro ſummo crimine.* Eâdem:

Ego nunquam ſtudui malefacta cuiuſquam cognoſcere, ſed ſemper potius duxi mea peccata tegere, quàm aliena indagare.

Hócne de ſe fatetur Appuleius? vt ſtudioſè celatũ ierit peccata ſua, potius quàm imminutũ? At hoc non ſapientis, non boni viri eſt: ſed plani cuiuſdam & impoſtoris. Lego verò, *peccata degere.* Vulgatam ſcilicet vocẽ, ſed ſignificatione remotâ & veteri, inſeruit aptè & argutè. Nam Degere antiquis, minuere, detrahere. Nonius Marcellus: *Degere, etiam eſt minuere. Plautus Aulularia: Nunc ego iſtum ſoror laborẽ degam & deminuam tibi. Degere, eſt detrahere. Plautus Epidico: Degetur coriũ de tergo meo.* Feſtus hoc idẽ notatum voluit, ſed corrupit Paulus: *Degere antiqui poſuerunt pro exſpectare.* Degere, exſpectare? falſum planiſſimè. nec tamen habeo quî corrigam, niſi ſi *Expectere*: quod eſſet velut detrahere, depectere.

Peccata degere.

Mendum in Feſto indicatũ, vix ſublatum.

CAP.

CAPVT XXII.

E Commentario De Bello Africo maculæ aliquot deletæ. Gallorum equitum olim virtus. Fautores, caſtrenſi quodam agnomento.

INTER libellos qui adiuncti Commentariis Iulianis, vnus eſt De Bello Africo: qui, me iudice, non inter illos tantùm eminet ſed inter pleraque Romana ſcripta. Ita terſa in eo & ad Comicum morem pura dictio; ſimplex, cohærens, & candida narratio; nihil quæſiti coloris aut fuci: omnia denique illoipſo Cæſare digniora (non tenebo veram vocem) quàm Commentarij illi qui feruntur. At neglectus tamen iacuit, imò vix lectus is libellus (adeò hîc quoque præiudicia valent, & traditæ à magiſtellis opiniones:) quem ſi ſeriò inſpicis, fatebere non alium magis eſſe ad Genium priſci æui. Pueris inter primos auctores formandæ linguæ ſiquis proponat, nihil erret. Hirtium tamen ſiue Oppium auctorem eius ſcripti Tranquillus facit. qui poteſt, ſi ab iiſdem Bellum Hiſpanienſe eſt & Alexandrinum? Nam hoc quoque Suetonius idem tradidit. Atqui tam * diuerſi hi inter ſe abeunt, toto narrationis ſermonisq; contextu: vt nulla vis mihi vmquam imprimat eſſe ab eodem patre. Aut ſi ſunt: (iamdiu id ſuſpicor: atque Hirtium ſiue Oppium non negem hæc potuiſſe, aut meliora.) alia quædam ſcilicet & Circæ manus acceſſit, quæ malis venenis duos illos immutauit. Sanè hic vnus Commentarius inter omnes, neſcio quo fato, purus nec interpolatus manſit, & in ſuo vultu. Excipio quòd in partibus quædam labeculæ: è quibus paucas hîc eluam leui manu.

Laus Commentarij De Africano bello.

* Certè nec Hiſpaniensis cum Alexandrino conuenit. eſtq; ille totus militari quodam & horrido ſtilo.

Fuluianæ apud Plantinum editionis paginâ 381.

Vnde, inquit, iſtas? Tum captiuus, Venio à Cæſare. Tunc Conſidius, Vnus eſt, inquit, Scipio Imperator hoc tempore populi Romani. Deinde in conſpectu ſuo captiuum iuſſit interfici.

Clarum ex reſponſo factoque Conſidij, vocem è captiui dicto excidiſſe; quam repono, *Venio à Cæſare Imperatore.* Omnino enim honoris titulíq; ea adiectio Conſidium offendit, & miſero illi cauſſa necis fuit. Breuiter autem, vt ſolet, notata ea vox, facilè elapſa aut neglecta exſcribenti.

Expletus locus.

Pag. eâdem:

Accidit res incredibilis, vt equites minus XXX. *Galli, Maurorum equitum duo millia loco pellerent vrgérentque in opidum.*

Sanè res incredibilis. vt pauculi illi tantos? Stilum aliquando ſumpſi ad mutandum. früſtrà. quia ecce eodem iſto libro non minus, imò magis prodigioſum factum lego de quattuor veteranis militibus: quibus ait *plus duo millia Numidarum terga vertiſſe.* Exempla hæc inſignia ſunt vel Punicæ ignauiæ, vel priſcæ Gallicæ virtutis: quam in nullâ Hiſtoriâ celebrari magis reperies, quàm hîc & De Bello Alexandrino.

Mira Gallorum virtus, an fortuna.

Pag. 387.

Deinde legiones conſcriptæ ex cuiuſcemodi generis amplius XII. *millibus.*

Ineptè intruſa vox. dele, contentus clauſulâ, *amplius duodecim.* Nec enim aliud

Circumciſus locus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliud vult, quàm legiones non è solis ciuibus, vt solitum Romanis, sed è miscello genere hominum conscriptas ab iis duodecim.

Paginâ 394.

Sed mirabili peritus scientiâ bellandi, in Prætorio sedens, &c.

In Cæsaris hæc laudem. sed malo, *mirabili penitus.*

Paginâ 406.

Itémque equites Curiani, diffisi Scipioni eiúsque copiis, complures se eôdem conferebant.

Curioniani equites. Emendamus, *equites Curioniani.* Eos enim intellegit, qui antè sub Curione in Africâ meruerant, & à Scipione occupati erant. Ipse hic auctor, suprà meminit, & ostendit eos è gente fuisse Gallorum. *Nonnulli*, inquit, *qui ex Curionis prælio capti conseruatiq;, parem gratiam in fide partiendâ præstare voluerant.*

Paginâ 416.

Namque elephantos in Italiam transportari iusserat, quò & miles noster speciemq; & virtutem bestiæ cognosceret, &c.

Ipsum locum vide: scribes audacter mecum, *elephantos ex Italiâ.*

Paginâ 417.

Per id tempus [*de eorum voluntate studioq; erga Cæsarem*] *transfuga suos ciues facit certiores, Iubam regem celeriter cum copiis suis ad opidum accurrisse.*

Glossema turpe sublatum. Confusus &, vt nunc est, inexplicabilis locus. quem peruades si glossema illud tolles, quod hamatis lineis incluſi. Verè enim glossema; & ad oram scriptum fuerat, index rei quæ hîc narratur. Nec enim aliud quàm de studio & inclinatione Afrorum in Cæsarem.

Pag. 418.

Cæsar opidi naturâ perspectâ, atque inopiâ ab eius oppugnatione deterritus.

Quâ inopiâ cedò? Nimis id enim communiter scriptum. Corrigo, *naturâ perspectâ, aquæ inopiâ.* Ipse hic scriptor iubet infrà: *Aduersarios non eorum virtute confidere, sed aquarum inopiâ fretos despicere se.*

Aquæ inopia.

Ibidem.

Legatos ad Cæsarem mittunt. rem malè gestam docent.

Itáne *malè*? imò optimè: ex suâ quidem Cæsarisque sententiâ. Scribo, *rem à se gestam.*

Paginâ 423.

Ex suo exercitu illustres vrbanos, quos Auctores appellabant, complures aut vulnerarunt aut interfecerunt.

Fautores. Cui rei *Auctores*? Quin potius, *Fautores.* & ita res fuit. Milites scilicet turbidi & victoriâ feroces, quosdam etiam è suis interfecere, quos fauere (solitum in ciuilibus bellis) & pronos esse dicebant in hostem. Iis Fautorum nomen inditum, per lasciuiam militarem.

CAP.

CAPVT. XXIII.

Cum viro magno amica velitatio. & aduersus calumniatores dicta quædam.

SED iam abiungo, Lector; etsi in spatio adhuc, non in metâ. Capita enim aliquot supererant, quæ expolire non vires mihi, non voluntas. Valetudo aduersa: auersus hic animus. nec miraberis, si iudicia certa aut homines intuebere huius æui. De te & paucis, omnia bona & fauentia iure mihi spondeo, (expertus sæpe anteà pretium à te poni his nugis:) sed cum ad vulgus me conuerto & ad plures, quod illicium nobis aut calcar ad scribendum? Rident, calumniantur, inuident. nec plebs hæc tantùm, sed non nemo è patribus & è litterario isto Senatu. Criticam & hæc leuia tango? spernunt. Mores & magis seria? carpunt. Et in illis ipsis tamen leuibus (quod rideas) Furta, Plagia reperta, & nomina criminum grauiorum. Ille præuentum se queritur, alius circumuentum: & omnino siqua Nota honestior est, ecce qui ducere & abducere eam velit non vnus sponsus. Si iuuenes hęc tantùm: ferremus. at senes & viri serij etiam in ludicrâ ista cymbâ. Modestia mihi constat, & constabit quamdiu hæc vita: sed ægrè linguam aut calamum teneo in eruditissimi viri latè sparsis iam querelis. Ait in scriptore aliquo præuentum se à me: & id valere vult in crimen. Quæ autem hæc accusatio? Dic quæso clarius. præripui tibi aliquid, an eripui? Præripuisti, inquit, scriptorem mihi destinatum iam & addictum. Itáne? parum comiter id factum: sed per errorem tamen, non per fraudem. Publicum enim ego scriptorem eum censui: tu si libra alibi & ære emisti, cur nos celasti? Nam Augustum ego illum Historicum diu sanè amaueram, conditionem eius palàm ambieram, libros veteres composueram: omnia feceram, quæ conciliando illi essent. De te, peream si vocula mihi vlla audita ante hanc querelam. Quod si fuisset: nè ego cessissem tibi libens, & in tuum caput transtulissem omnem istam laurum. Nunc quid, præter inscitiam, in me accuses? Quin silentium in te iustius: qui, cum istîc essem, expertem me consilij tui habueris & conatus. Intereà quidem in dissitis locis & terris egi; in quibus, ignosce, si occursum tuum videre mihi nõ fuerit, nec fasces istos Quæstorios submittere Prætori tibi magno. At enim quædam ex istis olim apud te legi, & sublegi. Non dicis id palàm, fateor: (pudor te ligat & vis veri.) sed suspicionem facis, & ritu Parthorum iacis auersa sermonum tela. Obsecro autem te, serió hæc profers? Numquam in os mihi, si os tuum noui. Palàm ego & serió nego. tu quî probas? Ecce notata eadem, inquis, ad oram mei libri. Heu vir amice, (talis enim mihi es erisque, vt ille ait, ἐκὼν ηὐ ἄκων: nec res istæ futiles soluerint vmquam amoris prisci vinclum:) túne huc ineptiarum? & fragile hoc telum ad expugnandam fidem valere vis? Erras. ne liuorem quidem infert, adeò non vulnus. Age enim, tu visa aut lecta hæc apud te constanter adnues: ego abnuam. quis finis? quò adsensum suum, nullâ aliâ probatione, auditor inclinabit aut iudex? Cùm multa verba fecerimus, illud verè pronunciabitur, Te hircum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum mulsisse, me supposuisse cribrum. Nam quod ad illum aut illum amicum confugias: nugæ. iamdiu nouimus patricias istas artes. Quin tu ostium calumniarum hoc semel aperi: in paucis diebus auertero, & in ædes meas deduxero, Criticorum omnium Notas. Scæna hæc tota criminum, vt tu quoque vides, ludicra est: & in quâ iram facilius teneamus, quàm risum. Olim M. Scaurus cùm accusaretur corruptelæ, in concionem progressus hoc tantùm effatus dicitur: *Varius Sucronensis Aemilium Scaurum mercede regiâ corruptum ait; Aemilius Scaurus negat. Vtri creditis?* simile ausim hîc dicere, pari animo & fiduciâ, etsi non pari dignitate. Vita mea meruit, & alia nostra (liberè hoc non superbè dixerim) scripta: vt fides nobis apud bonos sit, nec impares habeamur talibus Notis. Quæ profectò non laboriosè nobis nascuntur. sed vt gramina aut herbæ ad nocturnum rorem; sic istæ, inter legendum, ad ingenij moti auram. Quispiam eas, vt filiolas suas, amat? nos ridemus. nec siquis Paris abduxerit, bello ardebit Asia & Europa. Prouocare ad pugnam hanc aliquis me potest, nemo pertrahere. Hæc ad te, non in te, mihi dicta Vir magne: quẽ amo, quem æstimo. à quo hoc saltẽ peto, ne exstingui famæ tuæ Solem censeas, si terrarum alibi lumen spargere incipiat noua stella. Nam cum minutis illis meis calumniatoribus, nihil equidem altercor. Latrant me? taceo: & vt ille ex Albaniâ * canis, vindico me ab istis solo contemptu. Diogenes olim Cynicus, cùm irrisui esset turbis, & ingereret quispiam, Non vides vt hi te rident? Ego verò non rideor, inquit: magnanimâ & pulchrâ voce. quam imiter, & lacessentes pungentesque istos non sentiri à me clamo, non cerni. Dignos eos non habeo, non dicam quos remordeam, sed in quos restringam semel istos dentes. Scio nec flammam vllam magnam sine fumo solere surgere: nec sine calumniâ famam. Tu tantùm bone Lector, faue mihi, vt soles, currenti rectum cursum: neu iniquiorem te concinnent ineptæ pariter & iniquæ voces. Scaligero illiipsi nuper silentium impositum videmus & dolemus per has pestes: quid mirum si etiam mihi? Nec tamen faciam: sed alacer & erectus per medium hoc calumniantium agmen incedam, aduersus linguarum omnium tela scuto tectus Veritatis & Candoris. Illi ringantur & liueant: nos Epinicia læti canemus, & auertentia sacra faciemus INVIDIÆ ET PALLORI.

* Qui donatus Alexandro.

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITVM
LIBRI SECVNDI.

CAPVT I.

LAMPRIDII *obscurioris mendi locus elautus. Qui Trossuli: & de Principe iuuentutis. E Senecâ glossula sublata.*

CAPVT II.

Quis locus honestior priscis, dexter an sinister? illum videri. Refutatus vir doctus, qui nuper aliter sensit, & scripsit. Quid sit Latus tegere: quid Exteriorem esse, quid Interiorem. Scriptores aliquot explicati, Sallustius in cursu emendatus.

CAPVT III.

Agellij compluria loca emendata. Imitùs, Aduersum. Canalicola. Fama minuens. Plautus correctus. Sol meridies. Oscæ compellationes. Erucius Clarus Præf. vrbi. Ignauiones. plura alia non è circulis vulgarium correctorum.

CAPVT IIII.

Plinij de sensio. Africam vrsos nõ gignere, non certe vulgò. Quid Vrsi Numidici antiquis. sententia noua, & ad lucem plurium scriptorum.

CAPVT V.

Locus in Floro magis eximius correctus. Veterum fluctus & erratio super religione Iudaicâ. Vitis aurea in eorum templo. quid, quaq; formâ ea fuerit. Plinius explicatus.

CAPVT VI.

De osculis, & osculandi variâ ratione, Romæ. Quo fine fuerint: quâ formâ & modo. Diuina fuisse, Humana fuisse. Adorare quid propriè sit, & vnde ea vox dicta & ducta. Scriptores multi explicati. in Ouidio coniectura. Verrere templa crinibus. Statius emendatus. Ad manum accedere, quid in Cæsareis historicis.

CAPVT VII.

Commentarios Cæsaris non vsquequaque tam puros & laudabiles, quàm videantur. Mos attollendi dextras. aliaq; emendata & explicata.

CAPVT VIII.

In Plinio correcta quædam. Geneta Mana, dea. Decolorare aurum, quid sit. & mos discrimenq; in anulis. qui seruis & militibus è ferro: Senatui & equiti ex auro: plebi ex argento.

CAPVT IX.

Seneca plus semel emendatus. Neronis principatus initio optimus. Epicuri sententia deos extra mundum proiicientis.

CAPVT X.

De ritu plaudendi & explaudẽdi in theatris. item adsurgendi, acclamandi. Quomodo ista habita sub Imperatoribus! quæ voces in acclamãdo! Plutarchus & Plinius explicati: iste etiam correctus. Fauor & Fauere, noua significatione. Lampridius, Capitolinus, Vopiscus illustrati. Quid Oraria fuerint: & cui in theatris vsu.

CAPVT XI.

E Valerio Maximo detersa labecula. Liuio suus numerus bis restitutus. Corruptio frequens in notâ millenâ iâ. Admouere lineas. Glossematium, aliâque.

CAPVT XII.

De prodigio quodam Liuij, quæ eius mens sit. satin' firma vulgata scriptio? non videri: & nostræ diuinatio adscripta. Sortes sacras inuolui lanâ & tæniis solere. Plutarchus ita explicatus.

CAPVT XIII.

Nouiter erutus vetus mos in creatione Tribunorum. Eos sub Principibus & paulloantè, tantùm è Senatu fuisse. Suetonij loci illustrati, & lectio in ijs firmata. Plinio & Appiano lumen immissum.

CAPVT XIIII.

In Statio Papinio locorum aliquot correctio. Atticus sector. Arcta purpura. Mens adflata. Crines in sepulcro.

CAPVT XV.

De ergastulis diffusa & libera conlectanea. Origo vocis, & rei. Isidori confusio, siue error. Quãdo cœperint, & quâ fine? Agriculturæ caussâ ea maximè instituta, sed & lapidum, & pistrini. (Plautus in iis correctus & interpretatus) fortasse & aquæ hauriendæ. Suetonij lectio stabilita, & explicata. Quis & qualis

qualis ergastulorum locus. Plauto iterum lux. Quod genus hominum in ea coniectum. Forma modusq́, quo miseri illic habiti, nempe Vincti, Inscripti, (Seneca correctus) Semiraſi, Semi-ieiuni. Postremò copia ergastulorum. passiḿ scriptores Græci & Latini explicati: Florus etiam correctus, & Appuleius fortè cum Plauto.

CAPVT XVI.

Iani Gulielmi præceps obitus. eius defletio, & laus. Carmen subiter Gallicum, ad me scriptum: doctum & elegans.

CAPVT XVII.

Pluria in Suetonio emendata aut illustrata. Nepos Iulij Cæsaris, Salaciones. Quis Senatorum census legitimus sub Augusto? Quoties ludos dederit? Notare. Copriæ, qui dicti? Deiectus rex Armeniæ.

CAPVT XVIII.

Senecæ Fragmentum insigne in superstitionem veterem. multi in eo nec vulgati ritus. Igitur percursum id à capite, & emendatum, atque illustratum. Dij veterum, mixtâ formâ. Lumina iis accensa. Nomenclatores habuêre. Horæ in templis nuntiatæ. Appuleius correctus in templorum velis. Salutationes deorum. Fictores, & Vnctores, & Vestitores. Specula tenebant diis, strigiles & lintea. aliaq́, ineptiarum veterum.

CAPVT XIX.

In Floro complura ab ingenio aut à libro emendata. Subrecti vel surrecti vox. Lucilius correctus & explicatus. Vmbri veteres Italiæ incolæ. Remos detergere, nauticum verbum. Postpositio copulæ notata, & Agellij firmatæ scripturæ veteres. Perses rex è templo receptus. Plebs hereditatis iure poscebat agros. & notæ plures.

CAPVT XX.

M. Ciceronis obscuro loco fax prælata. Quis Fænicularius campus! & Strabo strictim emendatus.

CAPVT XXI.

Pro Appuleio aliquid dictum contra aures & mentes nimis teneras. Emendatus ipse plurifariàm. Repigrandi verbum erutum, & Antelucio: Medicifici, & Fæminal. Dea Syria. Detrux, noua vox. Circumsecus. Voti compotire. Histricus decor. Degere, pro minuere.

CAPVT XXII.

E Commentario De Bello Africo maculæ aliquot deletæ. Gallorum equitum olim virtus. Fautores, castrenſi quodam agnomento.

CAPVT XXIII.

Cum viro magno amica velitatio, & adversus calumniatores dicta quædam.

FINIS.

IVSTI

IVSTI LIPSI
AD
VALERIVM
MAXIMVM
Breues Notæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVSTVS LIPSIVS

STEPH. PIGHIO,

S. D.

IN his Notis, Vir amice Pighi, scire te & alios volo quibus auxiliis sim vsus. Ab ingenio nostro pleraque esse fateor: quod tamen sæpe in viam veri duxerunt libri. Ij mihi bini manuscripti: quos Vltraiecto benignè curarunt Viri Clarissimi Lambertus & Hadrianus Vanderburchij, eximium par fratrum, docti ipsi & in doctos valdè proni. Prætereà veteres editiones inspeximus: quas hîc & in aliis scriptoribus nihilo deteriores inuenimus manuscriptis. Tu aliiqúe è reipsa iudicabitis,

Opera nobis hæc inanis, an in vsum impensa sit.

Ad illam enim ego transeo.

PROLOGO.

Ab illustribus electa auctoribus deligere constitui] Displicet geminatio, *Electa deligere*. Scribam omisso verbo altero, *Ab illustribus auctoribus deligere.*

Mea paruitas, eò iustius ad fauorem tuum decurrerit] Seruilis sermo & cellarius. Ego sanè paruitatem eam ablegem è Valerio, scribamque expunctis duabus vocibus: *ego iustius a.f.t. decurrero.*

LIB. I. CAP. I.

Decem principum filij] Constat Etruriæ populos duodecim fuisse. itaque cùm pro numero eorum, singulis populis singulos principum filios attributos velit: vide num, *Duodecim principum* corrigi, magis è re & veritate sit. Cicero tamen De Diuinatione, in hoc facto denarium dumtaxat numerum (si & ipse correctus) agnoscit.

Gracchano tumultu] Veteres editiones, *Gracchano nutu*. placet, *motu*. vt & tu Pighi alibi repperisti. Non enim Gracchana illa seditio, propriè Tumultus.

Obruitur tot etiam illustribus consularibus L. Furius] Distinctius aptiúsque

Universidad de Deusto
Biblioteca

que scribo, *tot & tam.* item, *Consulatibus.* Nam de Marcello rettulerat quintum consule. Itaque rectè consulatus multos: non pariter, Consulares legeris. Nec enim plures præcessêre.

Quare agreste illud & sordidum plaustrum capax] Libri veteres, *Quarum* referunt. Lego, *Quorum*, & ad sacra refero. In iisdem, *sordidius plaustrum.* Puto, *sordidans*, fuisse.

Vt ex vno & sene complures Pœnorum iuuenes pensarentur] Reiectâ particulâ lego, *Vt se vno.* Impurus mihi alter ille sermo.

Meritò sibi infestos deos reuerteretur] De diis parum apta hîc mentio: nec ij sanè Regulo infesti. Alij, *hostes*, substituunt: ego, *eos*, verum censeo, vt ad Carthaginienses referas.

Factum Masanissæ plus animo, quam Punico sanguini conuenicns] Ita tu è Campensi. Alij libri, *Masanissæ animo, magis quam.* Ego vtrumque adiectamentum arbitror, & verum esse, *Masanissæ animo, quàm Punico.* quomodo & liberi mei scribunt. Sileri & intellegi illud, *Magis*, crebrum & pulchrum in oratione Latinis. Exempla mihi ad Tacitum cumulata.

CAP. V.

In omnibus præliis vti ducem constituerunt] Præoptem vt in prisco: *duce vti instituerunt.*

CAP. VI.

Veios in potestatem populi R. venturos] Liber vetus, *futuros.* Et quis ambiget? Vetus & selectum sermonis genus, de quo iampridem A. Gellius in Noctibus.

Angues duo ex occulto prolapsi] Veteres, *Angues duæ*, &, *prolapsæ*, quod genus magis in hac voce amant.

In quod metus augurij tristi fine vitæ incidit] Prisca lectio, *in quem metus augurij.*

Inuictæ leges necessitatis] Eadem, *necessitudinis.* probè.

Sonum abditis delubris editum] An potius, *abditis delubri?* Sic Remota templi, in Cæsare lego: & adyta significari ac penetralia tẽpli scimus.

Non consentaneos vsus transtulisse videar] Parum expositа aut appositа sententia in voce, *vsus.* Legam, *visus.* hoc acumine: (id enim scriptor iste mirum quantum amat.) cum de Diuo Iulio dixerim, inquit, claudam Romana exempla, nec oculos parum decorè transferam è cælo iterum ad terram.

CAP. VII.

Diuino munere effectum] Vetus, *diui numine.* Ego *diuino numine*, omnino malim.

Virius autem dux copias hostium aggrederetur, superij, eas sese ipsum deuouisset] Quod in priscâ editione verbum, *aggrederetur*, abest: valdè probo. Et sanè additicium est. Nam hoc è Liuio clarum deuotionem hanc ita concipi solitam, vt sese vnaque hostes diis manibus sacrarent.

Priusquam pompa inducretur] Verbum & sententia ad rem Circensem apta

apta. tamen nescio quid me sistit & illigat vetus lectio, *priusquam croma induceretur:* neque nunc expedio.

Capillo demisso] Rectius vetus, *capillo immisso.*

Propioribus lineis, vt ita dicam, somnium certo euentu admonitum est] Dixi verè in II. Electorum nuper, legendum, *admotum est.* metaphorâ à Circo, vt alibi clarè dicam.

In desertis arenis struxerat] Auctior prisca scriptura, *desertis & ignotis arenis.*

Duos prænuntios somnij] In vet. *diis prænuntios.* Ego vellem, *deos prænuntios somniis.*

CAP. VIII.

Bis locutum constitit, his pænè verbis] Ita tu Pighi (ignosce) me abnuente. Quorsum enim, aut cui sententiæ illud, *pænè?* Nam sanè iisipsis verbis locutam vult, non ambiguè talibus aut ad eum sensum. Abis etiam ab omnibus libris priscis tuis alienisque, qui referunt, *prius his verbis.* Ibam in coniecturas: sed veritatem, nisi fallor, Sambuci nobis codex ingerit, cuius misit ad nos Excerpta. in eo aptè hæc lacuna expleta: *his prius verbis,* RITE ME MATRONAE VIDISTIS. *deinde,* RITE DICASTIS. Vult enim omnino Valerius, bis id signum vocem edidisse, eiusdem mentis, verbi tamen vnius immutantis. Scio Dionysium, Plutarchum, Augustinum etiam IV. De Ciuitate scribere, iterasse Iunonem bis eadem ipsa verba: sed Valerium ab iis abire (vt sæpe) testari verbum *Vidistis* potest, quod aliis illis omissum. Si improbas: possit non ineptè legi *priuis his verbis.* id esset, singulis articulatisque verbis. Siue etiam *constitit patribus, his verbis.* Vt vocem patribus, truncatè scriptam fuisse censeamus.

Non audentibus Romanis prælio congredi] Veteres, *prælium ingredi.* eleganter.

Cuius salus ab imminenti exitio defensa, ruinæ quoque subtracta est] In vet. *officio*, pro, *exitio.* malè. Sequentia connexim lego, *defensa, ruinæq; subtracta est.* Nec enim aliud aliquod exitium Simonidi imminuit, quàm hoc ipsum ruinæ.

Patrimonij etiam possidẽdi adeundæq; scholæ communione coniuncti] Vett. *alendæq; scholæ.* malim, *habendæq;.* vt vnà eos docuisse significet.

Ne ipsa quidem artifex Natura rationem rerum reddiderit.] Compositius hæc prisca editio, *artifex rationem rerum Natura.* Illud, *rerum*, sanè iungendum cum Naturâ est.

Cum sciamus rectè ab eâ] Prisca lectio, *ratione ab eâ.* quasi dicat, iure ab eâ vindicari.

Dicit belluæ etiam corium CXX. *pedes longum in vrbem missum*] Breuius antiqui: *belluæ corium* C. & XX. *pedum in vrbem missum.*

LIB. II. CAP. I.

Iniiciam stilum tam nostræ vrbis, quàm ceterarum gentium priscis ac memorabilibus institutis] Sambuci codex, *initiabo stilum.* quod esset, quasi initium auspiciumque stili capiam. Sed probo lentè.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Disciplina contineri] Ex sensu, *disciplinam.*

Multorum matrimoniorum experientiam, quasi illegitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes] Imò verò, *legitimæ intemperantiæ.* Vult tales virosas fœminas ad pudorem rationemque peccare, ad legem tamen nubere. itaque velut legitimas quasdam adulteras esse. Similis rei in Martiale iocus:

Quæ toties nubit, non nubit, adultera lege est:
Offendar mœchâ simpliciore minus.

Reducendi etiam officio fungerentur] Vetus, *officium.* probè.

Breuique progressu morarum in lucem virtutum verecundia & laboris meditatione ipsi doctiores eunt] Contaminatus planè & depositus, te iudice Pighi, locus: quem vide an attollam. In meis libris est, *breuique processu.* item, *verecundâ*, pro, *verecundiâ.* A tenui hoc auxilio, commodè tamen expedimus: *breuiq. processurarum in lucem virtutum verecundâ & laboriosâ meditatione, ipsi doctiores erant.* Sententiam totam lege, vide: probabis valdè.

Defuncta virium cursu ætas] Prisca scriptura, *viri cursu.* Nûquid, *viridi?*

CAP. II.

Imperij pondus & auctoritatem domari] Lego, *donari.*

Credo ne alienigenâ ingenij exercitatione, patrij ritus seruus transfuga existeres] Cur, seruus transfuga? an non transfugiunt & liberi? Benè emendo, *serus transfuga.* Senex, inquit, tu Mari, & post duplices triumphos Græcam linguam discere spreuisti: ne sero velut tranfugio te canosque tuos dehonestares. Sed & liber vetus auctior, *patrij ritus & linguæ.*

Hostiarum exta ad Quæstores ærarij delata veniebant] Lege, *væniebant.* pecuniam scilicet ex iis venditis in publicum redigebant.

Sub magnis auctoribus celebrabat] Displicet lectio: nec tamen quod præponderet nunc reperio. An *ductoribus?*

CAP. III.

Memorq̃, si militaris ignauia humilitatem spernere perseueraret] Ignauiæ vox haud conuenit. legam commodius, *si militaria signa.* &, *perseueraret.*

Q. Nævius centurio, è peditibus lectos expediti corporis, breuibus & incuruis septenis armatos hastis, paruo tegmine munitos] Insignis hic de institutione velitum locus: sed quem menda obsidet non vna. Primùm legimus, *breuibus & incuruis hastis.* an rectè? aut censésne hastas illas ad iactum incuruas fuisse? ego scio rectissimas, nisi si capis de ferro. Vetus lectio, *breuibus & in turmis.* Elegâter & vtiliter emendo, *infirmis.* Describit videlicet velitares illas hastas, & primùm ait breues fuisse (quatérnûm enim tantùm pedum, vt Liuius vult: siue duûm cubitorum, vt Polybius:) deinde addit & infirmas, id est ligno tenui & minimè crasso. Adfirmat Polybius, qui lignum hoc τῷ μὲν μήκει ὡς ἐπὶ πᾶν δίπηχυ, τῷ δὲ πάχει δακτυλιαῖον facit: id est, *longitudine quidem omnino bicubitali, crassitie saltem digitali.* Iure igitur, noster, *infirmum.* Sed amplius hic scriptum: *paruo tegmine munitos.* Quod autem hoc tegmen paruum? indefinita scriptio, imò inepta. Lego, *parmæ tegmine.* Liuius enim disertè libro XXVI. & XXXVIII. parmas tribuit velitibus, Polybius item, & Frontinus lib. IIII. Sed & Varronis fragmentum est: *cum rotundis velites leues parmis.* Denique in clausulâ exempli: *Ideóque auctori eius Nævio adhuc honos est habitus.* Quid illud, *adhuc?* An manebat aut repræsentabatur honos Nævij ad Valerianum ævum? nugæ. Scribo, *à duce.* Exprimere & imitari, vt sæpe, Liuium voluit, qui de hoc facto: *Auctorem peditum equiti miscendorum centurionem Q. Nævium ferunt: honoriq̃ id ei apud Imperatorem fuisse.* Quod ab Imperatore igitur honorem ei habitum Liuius scripsit, id à Duce Valerius.

CAP. IIII.

Cuius generis minus certa notitia est] Imò verò sæcularium ludorum (de iis loquitur) origo certa. meliusque omnino libri prisci, *minus trita.* Satis firma quidem certaque traditio, at non adæquè vulgata.

Habitabat enim in villâ suâ] Illud *suâ*, additicium videtur.

Vidisse se in somnis, quos nescio deorum] Libri duo è meis: *in somnis à nescio quo deorum.* statimque *prætergi*, &, *præcipi.* Rectè, vt opinor. certè ad Zosimi mentem, qui lib. II. *vnum aliquem magnum virum & diuinam formam præferentem*, apparuisse vult: non, vt vulgata Valeriana lectio suadet, plures.

Ad XX. *pedum altitudinem*] alta hæc fossio: verius fuerit, *denûm pedum.*

Translatum anteà Pœniceis indutum tunicis] Credo verum, *Translaticium*, id est, crebrum, receptum.

CAP. V.

Cùm inter publicas priuatásque ferias, actiones, personis tecto capite, &c.] Quid hic, *Actiones?* quæ, aut quales in ludicrâ re tibicinum? Hunc quoque locum feliciore spongiâ eluimus, rescribimusque: *publicas priuatásque feriationes*, compulsis in vnam vocibus, quæ perperam dìductæ: statimque, auctore etiam vetere libro, *concentus edit*: copula ejectâ, quæ ad sustentandas Actiones saltem immissa.

Ideò in sacrificiis mola quæ vocabatur] Quasi mola exoleuisset Valerij ævo. Scribe, *vocatur.*

CAP. VI.

Omnia antiquæ consuetudinis momenta seruanda] Seruat vetus editio antiqui sermonis normam: *monumenta seruandum.* nec ius peruertere.

Sine planctu luctus, funeris die] Confusa leuiter & leniter ordino: *sine planctu. luctus, funeris die, domestico sacrif. a. n. conuiuio finitur.* Hæc mens. luctum non produci, sed finiri ipso illo funebri die.

CAP. VII.

Quod eius culpâ agger incensus, & pænè castra fuerant capta] E terrâ plurimum agger: potuitne accendi? Tu sedulò velas mi Pighi: sed velim (puto te non nolente) *agger inscensus.* Inscendi & conscendi aggerem, vallum, crebra & trita dictio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lictorum verberibus lacerandus] Ita tu è Campensi libro. at plerique libri vberius: *Lictorum se verberibus lacerandum præbuit.* Reiicis ideò, quia non se præbuit Rullianus, inquis, sed priusquam verberaretur effugit. Vulgatæ tamen ego verba seruem, sed immutem: & è *præbuit*, faciam *præbeat*. Sententia ita acrior, fortiorque videatur.

CAP. IX.

Ite igitur & nodosam exsoluite stipem, vtilem posteritati numerosæ] Nodus aliquis in nodosâ hac stipe: nec video quî adiectio hæc conueniat. Legerim, *numerosam*. Censores videlicet, multiplicato censu, ærarios fecerunt cælibes: siue, vt ipse Valerius hac ipsâ in re antè dixit, æra pœnæ nomine pendere iusserunt. Id more suo Valerius alludens, Ite, ait, pendite numerosam stipem in vsum numerosæ posteritatis.

Nec pensi duxerat, iisdem imaginibus adscribi] Vox in plerisque libris interiecta, *nec indignum pensi duxerat*, me arbitro, non emouenda, sed velut exclamatio seorsim capienda, cum vulgatâ, si placet, parentheseos notâ: *nec (indignum!) pensi duxerat*. Valerius & Annæus Florus hæc talia vsurpant, imò adfectant sæpe.

Eâque adiecisse satis erit] Vetus, *iniecisse*: quasi, strinxisse, delibasse. rectè.

CAP. X.

Integritatem tanti viri paucis litteris perpendi] Libri aliquot vett. *litteris perdi*. ex quo ego, *prodi*.

LIB. III. CAP. I.

Expressa est itaque illa vox hominum, Gratulemur nobis Latini, &c] Scribo, *illa vox homini*. De Poppedio enim ipso capiendum. qui, vt ex narratione Valerianâ & clarius è Plutarcho apparet, auctor vnus honorificæ huius in Catonem vocis.

Ipsum Marium siquis eò loci statuisset] Abest vett. vox *siquis*. Lego igitur concinnius: *ipsum Marium eò loci statuisses*.

CAP. II.

Nam neque altitudine deiectus, quassatusve, neque pondere armorum pressus] De Coclite sermo est, qui è ponte in Tiberim præcipitauit, audaci & felici saltu. Sed aptius omnino legeris: *altitudine deiectus quassatus, neque &*: Deiectus altitudinem, siue deiectionis cape.

Eadem enim tempestate] Ætiologica illa particula *enim*, non habet hîc planè locum. Mutem, & scribam, *Eâdem ea tempestate*. Ea, videlicet Cloelia.

Quo spectaculo attoniti hostes, postero die ad eum supplices pacem petentes venerunt] Hæc clausula tota rei falsæ & absurdæ est. A Catonene tum admodum iuuene, nullum imperium, nullum munus publicum fungente, pacem publicitus petitam? Numquam factum, nusquam scriptum. Audacior medicina huic loco facienda, ne tam latæ culpæ exemplum sit exemplaris scriptor. Lego igitur, *ad Paullum supplices*. Quod ad hi-

ad historiam est: quia vniuersi Macedones illo biduo (Plutarchus auctor) in fidem Paulli Aemilij se permiserunt.

Tib. Gracchus, profusis largitionibus, fauore populi occupato] Malim, *aucupato*. patiendi significatu, vt aliâs notaui.

Ego certè aut speciosam optaui mortem, aut felicem audaciæ exitum] Scribo omnino: *aut speciosam oppetam mortem*. Ea lectio ex mente viri fortis.

Capitali supplicio adficiendos iudicaret] Imò, cùm id euènit, iam maximè supplicio eos adficiebat. Benè igitur vetus, *adficiendo vindicaret*.

CAP. III.

Edito gemitu regias aures adspergeret] Lego, *asperaret*.

Non ergo fastidioso aditu virtus excitata, ingenia viuida ad se penetrare patitur] Commodiùs hæc legas & distinguas: *Non ergo fastidioso aditu virtus excitata ingenia ac viuida ad se*, &c. Non habet, inquit, fastidiosum aditum virtus. quælibet ingenia, modò acria & viua, admittit.

CAP. IV.

Vernam hunc vrbi natum, regem dando] Verba traiecta recolligo & repono, *Vernam natum, huic vrbi regem dando*. Viliores videlicet nati serui, quàm facti. Plautus ad correctionem nostram appositè, de Mercurio & Sosiâ:

Satius est me queri illo modo seruitutem, hodie
Qui fuerim liber: hic, qui verna natus est, queritur.

Ab his indoctis erroribus abductum animum] Legendum videri *ab his doctis erroribus*, monui secundo Electorum.

CAP. V.

Qui in maximo & ingenuorum ciuium, & amplissimorũ prouentu] Emendo, *& ingeniorum, & ciuium amplissimorum*: ipsâ ex re.

CAP. VI.

In cultu, ceteróque ritu] Auctiores voce antiqui, *ceteróque vitæ ritu*.

CAP. VII.

Quoniam ne ille quidem in consimili genere virtutis edendo fatigatus est] Parum sapiebat phrasis, Edere genus virtutis. Adiuuit. & duxit ad veram lectionem scriptura prisca, *genere virtutis sudando*. Ex quo ego: *se dando*, veraciter corrigam.

Non patiuntur me tenuioribus exemplis insistere fortissimi duces] Veteres, *tenerioribus exemplis*, magis rectius. quæsitus enim sermoni decor ex antithetis Teneriorum & Fortissimorum.

CAP. VIII.

Quasi debitum superest opus constantiæ. Natura enim comparatum est. &c.] Libri mei, & pleriq; è tuis Pighi, *constantiæ repræsentatione. Cura enim &c.* Verum ego censeo, *constantiæ repræsentatio. Natura enim.*

Dicta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dictatori ei Magistrum equitum Minucium iure imperij Senatus æquauerat] Hoc de Senatu planè & perspicuè falsum. Non sciuerunt, non approbarunt id temerarium & nouum patres: plebis vnius & Tribunorum hæc sanctio, hic error. Itaque Liuius disertè Plebiscitum appellat. Nec aliter Plutarchus. Quin iste ipse Valerius lib. v. cap. 11. *Dictatori ei*, inquit, *Magister equitum Minutius, scito plebis æquatus.* Nescivit Valerius? corruptores isti librorum potius, à quibus infarcta vox *Senatus*. Ego censeo illum scripsisse, *iure imperij æquauerant*. Satis enim pronum intellectu, quos intellegat.

Sæpe etiam specie benè gerendæ rei oblatâ] Malo, *spe benè gerendæ rei*. atque ita priscus liber.

Depulsis prostratisq; inimicorum partibus, Sulla] Vetus, *dispulsis*, id est, disiectis dissipatisq;. quod probo. Sed & voculam, *Inimicorum*, libens hîc expunxerim, immissam ab iis qui Partium nomen quid valeret parum capiebant.

Sine vllis imaginibus nobilem animum & idem constantiæ propositum secutus C. Mæuius] Placet magis lectio antiqua cum voce insertâ, *nobilem animum ostendit, idem constantiæ*, &c.

Vt Cæsaris miles esse desinam, & tuus esse incipiam] Concinniùs concepta in prisco viri fortis verba: *vt aut Cæsaris miles desinam, aut tuus esse incipiam.*

Quem Syracusanus Dion diuersitate exempli prægrauat] Benè omnino liber vetus, *seueritate exempli*. Nam prius exemplum amatorium est & tenerum: hoc serium, seuerum.

Qui cum ad vnam potionem sententias direxissent] vetus, *Quorum cum ad vnam*. Lege igitur & sequentia, *sententiæ direxissent*. Non tritum hodie, sed priscæ elegantiæ dicendi genus. Et sanè frequens illis, verba hæc agentia, ad neutrorum quasi ordinem significationemque transferre.

LIB. IV. CAP. I.

Censor cùm lustrum conderet, inq; solito fieri sacrificio, scriba ex publicis tabulis, &c.] Damno verba, *solito fieri*: & iure. Sordent enim, imò & fallunt. An solet olim fieri id sacrum, non Valerij æuo? Imò etiam tunc in vsu, quotiens conditû lustrum. Vetus præiuit mihi ad notabilem emendationem, in quo lego, *solita viri*. Non ambiges tu optime Censor, quin *Solitaurili*, scribendum sit: quod sacrificium proprium omnium lustrationum: & inprimis Censoriæ huius. lapis Romæ pulchrè, in quo apparatus omnis istius sacrificij, cum triplici hostiâ, sue, oue, tauro, Censore faciente. Vide, si lubet, quæ notauimus ad Historias Taciti.

* Hoc à magno Cuiacio notatũ iam esse, per epistolam mihi index Th. Canterus.

Ita sibi credi oportere, si & alij idẽ asseuerassent] Priscæ editiones negationem inserunt, *si non & alij*. falsò. at tu muta, *si modò & alij*: & rem habes.

Vnius testimonio aliquem credere, pessimi esset exempli] Eædem cum altero è manuss. meis, *aliquem cedere*. & verum censeo, aut certè, *cædere*: id est perdere aliquem & adfligere.

Quam angusto ambitu orationis amplectar] Vetus, *quàm breuissimo*.

Sed cùm magna & multa breuiter dicenda sint] Placet prisca lectio, *cùm magna strictim, & multa breuiter.*

Sermo

Sermo infinitis personis rebusq; circunfusus, vtrumque præstare non potest. Itaque propositi quoque nostri ratio, &c.] Abest antiquis plerisque vox, *Sermo*: & sequentia illa sic concipiuntur, *vtrumque præstare propositi nequeo quoque nostri ratio*. Corrigo & dirigo: *vtrumque præstare nequeo. Propositi quoque nostri ratio*. Sermonis illâ voce iectâ.

Vbi maximorum ducum & ciuium tantorum togata prælia] Vetus, *tantum non togata*. bene ad meum sensum.

Plebis scitum enim interposuit] Vetus & vera scriptio, *plebei enim scitum.*

A piscatoribus in Milesiâ regione verriculum trahentibus] Prisca editio, *reticulum trahentibus*. An & *reteiaculum*?

Hoc fortunam tractus se emisse dicente] Alij libri, *ductus*, non, *tractus*: duo è meis, *iactus*. quod æquè placet.

Qua conditione propter nouitatem rei ad vniuersum populum delatâ] Omnino scribendum, *quâ cognitione.*

Atque vt Theopompo] Vetus, *Atque in*. Lego, *Atquin Theopompo*. & statim voce insitâ, *qui cum primus*. ex eodem libro.

CAP. III.

Deinceps ex iis vocemus, quorum animus, &c.] Præpono veterem lectionem, *Deinceps & ijs vacemus.*

Cn. Martius, cui Corioli Volscorum opidum captum cognomen adiecit] Vetus, *captiuum cognomen*. &, *adiecerunt*. Lego igitur: *Corioli, Volscorum opidum, capti, suum cognomen adiecerunt.*

Atque ligneo catillo cænantem] Prisci, *éque ligneo.*

Poti senis animum illecebris pellicere non potuisset] Sambuci codex, *posti senis a. i. polluere.*

CAP. IV.

Cùm Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua illo sæculo pulcherrima ostenderet] De mendo suspicio hîc mihi iniecta primitus, quia cùm verba hæc sint è Collectorum libris Pomponij Rufi, antiqui scriptoris, nec procul adeò à Gracchano æuo: vix conueniebat illum vt de remotissimo æuo loqui, *illo sæculò pulcherrima*. Auxit trium librorum veterum lectio, quæ *illius sæculi*, præfert. Ex qua bella mihi nata correctio, *illius oculis*. nec ego quidem de veritate ambigo. Certè, vt Campanus luxus tunc fuit, omni sæculo pulcherrimus videri potuit muliebris ille mundus.

Quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis vsurpatio, &c.] Sambuci codex voces aliquot ingerit, istas: *dominium rerum collabi solet, bona mens præfertur diuitiis, cuius vsurpatio*, &c. Purior mihi vulgata est.

Tres cõsulatus acceptissimos populo Rom. gessit] Vetus, *acceptissimè*. accipio.

Solidæ laudis cupidini] Magis placet prior lectio, *cupido.*

Primi belli Punici gloria cladesq; maxima] Acutius videatur & verius, quod in priscis: *gloria, quia clades maxima.*

Minus multò cultores] Sententia vult, *multos.*

Ideò Senatus] Vetus, *Idem Senatus*. & rectè.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. VI.

Quorum ibi factum sepulchrum, Tarenti etiamnum conspicitur] Vox *Tarenti*, à glossulâ est.dele. Nam de vrbe eâ antè statim sermo: & nunc addit, *ibi*.

Sunt & alienigeni amores iusti, obscuritate ignorantiæ non obruti] Veteres mei vberius & verius: *alienigeni amoris cineres, vsti obscuritate*, &c. Duriusculè, fateor. sed Valerium ne noscе, aut hæc agnoscе.

CAP. VII.

Itaque celerius est sine reprehensione propinquum auertere, quàm amicum: quia altera diremptio iniquitatis, altera vtique leuitatis crimini subiecta est] Primùm, lego, *celerius & sine reprehensione propinquum auersêre*. deinde cũ in veteri sit, *quia altera delectioni iniquitatis*, malim scribere, *quia altera defectio iniquitatis*. tamẽ in Vltraiectino altero, *desertio*. quod equè probũ.

Tu exilium indiceres: adeò blando vteris imperio, quod is supplicium honori prætulerit] Parũ Latina aut pura hæc iunctura. veteribus abest vocula, *is*: item, *Prætulit*, in iisdem, non *prætulerit*. Ego concinno, *tu exilium indiceres: (adeò blando vteris imperio) supplicium honori prætulit*.

Iustæ pœnæ debitum spiritum tenebris furari conabatur] Quis spiritum furatur? me arbitro, parum aptè dictum aut scriptum. In veteri, *funerari*. Ex quo bellâ metaphorâ eruimus, *fœnerari*. lucrari videlicet & producere ad tempus latibulo illo spiritum Brutus volebat.

Testatiorem beniuolentiam] Priscus liber, *testationem*. rectè, si *beniuolentiæ* rescribas.

Atque vt illarum ædes, sacra domicilia] Melius, *ædes sacræ, domicilia*.

At quo secessu quosdam fugeris, aut quibus in fulis misericordiæ permulseris; non cohibebis ne alienis malis perinde ac bonis suis lætentur] Veteribus nullæ sunt duæ illæ voces, *non cohibebis*. & spernendæ omnino, sic tamen vt totam clausulam interrogatione deinde alleues.

CAP. VIII.

Si animo erogantis] Scribes *animum*, si tu animum ad priora retuleris, à quibus hæc pendent.

Alter enim quod præstat, potest] Fallor, aut argutior prisca lectio, *quod potest, præstat*.

Iam qui hac præcipuè negotiatione delectantur.] Vetus, *negatione*. De re vsurariâ loquitur, eaque inhonestâ: cui nimis honestum Negotiationis verbum. Credam facilè fuisse, *nummatione*.

Sed etiam quæ alius ipso tribuente sensit, commemorari] labem & nubem huic loco veteres adimunt, in quibus sic: *quæ alio tribuente sensit*. Transitum enim & velut viam sibi facit (solitum id Valerio) ad exempla Externa sequentia; in quibus non Romanorum in alios, sed aliorum in Romanos liberalitas expressa. Eam autem, inquit, commemorari quoque interest Romanæ laudis, quia meruit.

Quod

Quod nollent accipere] Glossulam hoc totum sapit. dele, aut rescribe, *ne nollent:* sed dele magis.

LIB. V. CAP. I.

Cùm & viribus corporis, & animi virtute aliquanto esset superior] Pato vocem excidisse, scribendumq;, *viribus corporis par, & animi*, &c. Nam animo saltem excelluisse Romanum vult, cùm cetera pares essent.

Proinde in eo prælio Badius obtruncatus est.] Quo prœlio? non certè singulari illo occubuit. Itaque voculam, *eo*, delendam censeo. Posteà scilicet pugnâ aliquâ ceciderit.

Siquis ignarus vir aspexisset] Lege, *viri*.

Amicitiæ regis fidissimi populo Rom.] De Masanissâ loquitur. Atqui ille, cùm id contigit, infensissimus Romano nomini hostis. Itaque parum attenta Valerij mens hæc scribentis.

Eam ex tyranni ore manasse] Plerisque libris additum, *ore de humanitate manasse*. Reiicis ea verba, Pighi, è libris aliquot scriptis; & rectè. Nec malè aut imperitè tamen siquis legat, *ex tyranni ore & immanitate*.

Sermonem habuisse] Vetus, *habitum*. Si rectè: tum paullò antè rescribe, *quondam*, vbi, *quosdam*, legis.

Ad patrem propugnatione laborantem] Veteres duo, *propugnatorem laborans*. Suspectus locus, eò magis, quòd duæ eæ voces alteri manuscripto absint. An tamen, *pro pignore laborum?*

CAP. II.

Coriolanum patriam oppugnare conantem] Vetus, *Patriæ interitu perficere conantem*. Quid si, *interitum?* Vulgatam si intueare, displiceat: quia non oppugnare conatus saltem Marcius: sed reuera oppugnauit. Si retines, malim *expugnare*.

Senatus matronarum ordinem] Addunt veteres, *Senatus gratitudine motus matronar. ord.*

Vti fœminis semitâ viri cederent] Iidem, *de semitâ*. Plautus: *cedam ego illi de viâ, de semitâ*.

Vacasse in tanto gaudio Patribus Conscriptis duabus humilibus fœminis referre gratiam, nedum tam præ se tulisse, mirandum] Sententiam haud malam ex his elicias. cùm tamen in veteribus duobus legam, *nedum tam propter se tulisse*: ambigo an non scribend. *nedum tam properiter retulisse*. Celeritas enim beneficij, beneficium auget.

Quidquam decerpsit] Priscus codex, *arcessit*. Possis legere, *abscessit*.

Quorum laudem adiecta lege conditio auget magis, quàm extenuat] Quæ hæc conditio adiecta lege? frustrà quæras. Scribe, *abiecta*. Hæc est mens Valeriana: Libitinarij, inquit, etsi lege & more abiectum ac vile id genus, tamen, &c. Sanè in vilibus habiti semper: ideoque mox etiam appellat, *Contemptum gregem*.

Sed dum honesti actus etiam ab infimis editi memoriâ non intercidant] Abest veteri, *actus*: & post, *infimis*, inserit, *estis*. Ego legam: *dum honesti etiam ab infimæ sortis editi memoria non intercidat*. Dummodo rei honestæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit, etiamsi à vilibus editæ memoria duret, &c. Statim etiam malim, *vt nec illis adiecti, nec his prælati:* ordine mutato. & cur malim, vides.

Quorum quoniam religiosum cultum instituimus] Imò verò, *instituimus.* Iam enim dixit de Gratitudine, & locum eum velut peragrauit.

CAP. III.

At, inquit, ærario] Lege, *inquis.*

Quo enim Iambo, quâ procellâ verborum] Haud displicet de Iambo: nec item quod in veteribus, *nimbo.*

Ille vicatim dispersos ciues suos in vnam vrbem contraxit] In veterib. est, *ille locatim.* Neutra vox ad verum, & facilè ex hâc inconstantiâ odoror suppositas illas pro germana istâ, *pagatim.* Athenienses enim ante Theseа in pagis habitarunt. Plutarchus, & clarissime Liuius libro XXXI. *Delubra sibi fuisse* (Athenienses loquuntur) *quæ quondam pagatim habitantes in paruis illis castellis vicisq; consecrarint.* Idem de iisdem: *Templa deûm quæ pagatim sacrata habebant.* Adde, quæ mox addam.

Abunde non duxerunt] Negatio abest veteri: & tollenda.

Hanc hereditatem paternam solam se sortitum] Optimè vetus & ex veteri formulâ, *solam se creuisse.* Hereditatem cernere, pernota iam & notata aliis dictio.

His dotibus, quæ ad pacandum hominem potentissimæ indicantur] Displicet iure, *pacandum:* & falsum scio: Veteres duo, *pariendum,* certius, *peirendum.* Tentem ex eo, *Parcendum homini.* Etsi malim *pertegendum*, aut eius sententiæ verbum propinquius.

Discordes foci tui, paucis diuidua tuguria, ô Græcia, facta sunt. Columẽ lucet Marathon, &c.] Curuus locus. quem tentasti, Pighi, dirigere: sed tentasti. Nos, nisi fallor, propitio Phœbi filio sanamus. Vetus vnus habet, *& paucis.* alij aliquot, *& pacis.* Lego, *& pagis.* Hoc primùm. Sanè quin referenda hæc sint ad Theseum, qui pagatim habitantes Athenienses (suprà doctum satis: & hic locus priori illi firmando item valeat) in vrbem conduxit, nemo ambiget ex cathenatâ hac priorum repetitione. Iam sequentia ex prisco libro sic concinno: *& pagis diuidua tuguria tua, Græciæ facta sunt columen. Lucet Marathon,* &c. Athenienses ipsos adfantur & increpant. Per nos, inquiunt, tua tuguria & pagi exculti, in caput Græciæ vertêrunt.

Honore aræ decorata, quasi sacrosancta colis] Vetus vnus, *sacrosanctiores colis:* alij, *sacrosanctiora.* & omittunt τὸ, *quasi.* An legendum, *decorata, sacrâ sanctione colis?* quod esset, sacrâ quadam lege & decreto colis.

CAP. IV.

Expugnasti, inquit, & vicisti iram meam, patriæ, precibus huius, &c.] Confusa hæc, mala. Scribo: *vicisti iram meam patria, precibus huius admotis. cuius vtero te,* &c. O patria, ait, iam animum meum vicisti telo hoc maternarum precum.

Quod necesse est animo quoq; euenire, aliquantò efficaciore picturâ litterarũ: vetera pro recẽtibus admonitos recordari] Locũ habes, Pighi, inter mutilos: ego

ego inter malos. Emendari posse censeo nonnullâ admonitiunculâ libri, qui habet *vetera prodentibus,* Vnde ego, *vetera à prudentibus admonito recordari.* Dispice, nec fugiet te sententia. Inuoluta autem huiusmodi multa in Valerio: nec miror sæpe in tam tenebrosis sententiis offendisse exscriptores.

CAP. VI.

Quia euersa domo, intemptatus reip. status manere potest] Placuit ita tibi Pighi, è Cauchiano. At in duobus meis est, *interdum proprius reip. status.* Non malè certè. Quod si Cauchiana scriptura præferenda est: malim ex eâ tamen, *intemeratus.*

Namque in capite eius subitò veluti cornua emerserunt] Vacillant valdè libri. Alij, *cornua eruperunt:* alij, *erepserunt:* meus palàm, *erexerunt.* nouè, sed verè. Erexerunt, absolutè eâ formâ dictum, quâ antè notaui Direxerunt. Sic Minuerunt, Auxerunt, Sedarunt, Posuerunt: id est, minuta, aucta, sedata, posita sunt, veteres passim dixêre.

Cui ius dicenti, cùm in capite picus consedisset] Bona item prisca lectio, *Cuius dicentis.*

Domus ipsius statum felicissimum] Veteri, *factum fidelissimum.* probem, *fatum felicissimum.*

vnicum talis Imp. specimen esset] Sambuci codex, *sectamen esset.* Anne *spectamen?*

Ac pabulantium hostium globo] eiusdem codex, *palantium.*

CAP. VII.

Stratonices infinito amore correptus] An *infrunito amore?* Certè de stolido, improbo & impudenti adfectu loquitur priuigni in nouercam.

Excitatiorem anhelitum] Falsò. languidior enim anhelitus, & velut abiens cum illâ abeunte fuit. quod ipse Valerius aperit, qui increbuisse anhelitum ait illâ intrante. Veterib. est, *exercitatiorem.* Vox accommoda haud mihi nunc accurrit.

CAP. IX.

Se nil tale debere suspicari persuasus] Non est in veteri vox, *debere.* Ego verò illud, *se,* etiam deleo, & lego, *nil tale suspicari persuasus.*

LIB. VI. CAP. I.

Vnde te virorum pariter ac fœminarum præcipuum firmamentum Pudicitia inuocem? Scribendum est, *euocem.* Varia enim eius domicilia recenset: & velut ambigit, vbi potissimum habitet. Vocem etiam *Firmamenti* (nescio an non calidè) mutem in *Ornamenti.*

Sanctissimúmque Iuliæ gentis genialem thorum assiduâ statione celebras] Insignis planè restitutio, quam tamen libris debemus; quibus ferè vox, *gentis,* abest. Et quî expedias alioqui hanc sententiam? Quæso te, an gentis Iuliæ genialis aliquis thorus? imò singulorum is est, nec nisi matronarum. Itaque de Iuliâ hoc capiendum siue Liuiâ Augustâ: cui ser-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uiliter, vt & Tiberio aliâs, adulatur: tantamque pudicitiam eius facit, vt numen ipsum inhabitare velit Genialem eius thorum. Porrò Iulium nomen post adoptionem vulgò datum Liuiæ, docui in Commentario ad Tacitum. cuius rei inobseruantia locum hunc fœdauit.

Atque hanc illatam iniuriam non tulit Virginius plebeij vir generis, etc.] Scribe & distingue: *Atque hæc illatam iniuriam non tulit. Virginius*, etc. Claudit exemplum præcedens, & transit ad alterum: Atque hæc Lucretia, inquit, illatam iniuriam vltâ est ferro: Virginius etiam inferendam.

Deductam in forum puellam occidit] Imò iam in foro erat puella ad Appij tribunal. Lego, *seductam in foro*. Ita res, è Liuio, aliisque: qui seductam paullùm à patre puellam, & tunc interfectam clarè scribunt.

In qualicumque enim statu positam Romano sanguini pudicitiam] Melius, *posito*.

Aequè similis fœdus exitus sequitur] Illud, *similis*, infarctum est.

L. Octauium deprehensum neruis contudit] Sambuci codex, *pernix contudit*. vnus è meis, *protinus contudit*: alij, *pugnis*. Ego hæreo.

CAP. II.

Multi metus vrbis atque Italiæ finiti erant, plebs Romanæ libertatis Scipionis libera non fuit] Nihil hæc postrema ad eam clausulam. itaque amoue, & copula cum sequenti exemplo, hoc modo: *Plebs Romana libertati Scipionis libera non fuit. quapropter minus mirari*, &c.

Idem cùm multa de temporibus Cæsaris liberius loqueretur] Veteri deest vox, *Cæsaris:* & pro, *temporibus*, legit, *patribus*. Tu non ambiges quin, *partibus*, vera scriptio sit, voce etiam illâ reiectâ. Partes, eo sensu quem suprà notaui.

Itaque timens ne si tu fueris absumptus] dele illud, *timens*, fide libri.

CAP. III.

Pollia quæ proxima exierat] Mallem, *quæ prima*. atque in his vocibus sæpe commutatum.

CAP. VI.

Falsum legationis nomen amplecti] Vetus, *vocabulum amplecti*. Ausim ne, *velabulum*?

CAP. VII.

Ne domitorem orbis Africani fœmina impudicitiæ reum ageret] Impudicitiæ vox non in virum conuenit, eumque qui libidinosè agit, sed qui quæ've patitur. Latini quidem ita. Exemplum hîc contrà, si locus rectus. In veteri vno est, *incontinentiæ*. in altero, *impatientiæ*. ex quo ego rescribam, *impotentiæ*. Ne is, inquit, qui potens tot hostium, parum potuisse in se coërcendo videretur. Proba omnino correctio.

CAP. VIII.

Custodita rei salute subuertit. Argui fortuna etc.] Codex meus voces aliquot inserit bonas & germanas, *subuertit, & dominum suâ fide & constantiâ liberauit. Argui*, &c. Malim tamen, *summâ fide*. Paullò item antè legerim, *Plurimis etenim laceratus verberibus*.

In cubiculum ac lectulum recepit] Prisca editio, *ac lectuculum*. Lego, *lecticulam*. Is ritus, vt lecticulas haberent non ad somnum sed ad decubitum, in quîs lucubrarentur, scriberent, quiescerent. Suetonium in Augusto vide.

Contentus essem huius generis exemplis] Prisci libri inserunt, *essem ex his huius generis*. Fuisse censeas, *eximiis huius generis*.

Nec solùm hactenus beniuolentia processit] Iugula vocem *solùm*, auctore libro. Proprietatem verbi hactenus non cepêre, qui addidêre.

CAP. IX.

Nam cùm aliorum fortunas spectando] Vetus, *fortunas & pectora*. Ego verissimum censeo, *fortunas & decora*. Statimque, *quid aberit*, non *oberit*, ex veteri.

Sed operas publicanis dedit: idem vltimam inopiam suam, etc.] Scribe, *id est, vltimam*. vitio in libris crebro. Sententia hîc postulat. non enim aliud aliquod munus obiisse narrat, sed hoc idem interpretando vilefacit & abiicit.

Victor Capitolium felicitate celebrauit] De triumphante loquitur. Anne *felici dape*? vt de solemni illo triumphatium conuiuio in capitolio capias.

Turpem decoctoris superlationem iniunxit] Puto fuisse, *appellationem*. & deprauasse vocem adhæsu litteræ signa è fine alterius.

Eiusdem stultitiæ imperia salutaria] Stultè interposita vox Stultitiæ: quam tolle, natam è lineâ priore. Nam illud Eiusdem, ad Cimonem planè referendum fuit.

Improuiso decursu destitutos] Veteres duo, *recessu*. quod approbo.

LIB. VII. CAP. I.

Adiecit animi rarissimas dotes] Rectè. quia tamen in veteri lego, *animi non rarissimas dotes*, ambigo an *numerosissimas* non fuerit.

Nam Q. Metellum] Duas voces istas, *Q. Metellum*, clarum à glossographo esse. De illoipso enim omnis hic continenter sermo.

CAP. II.

Is vbi consul cognouit] Vetus, *Id sic consul*. Lege, *Id sicut consul*.

Tam citò animaduertit] Nihil hîc de celeritate: prudentiæ tota consideratio est. Itaque scribo, *tam scitè*.

In sequentibúsque sæculis sint habitaturi] Germanior scriptura libri, *in-que sequentibus sæculis*.

Quæ fortuitò patimur] Malo, *sortitò*: & sententiam magis explicat.

CAP. III.

Sordidâ magorum dominatione oppressâ, Darius rex adiutoribus eiusdem dignitatis assumptis] Mirè inuolutus locus: mihi quidê. Darium ecce regem vocat, atqui candidatus regni saltem erat, & de eo agitur, quomodo & quâ

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quâ fraude regnum adeptus. Sed & adiutores eiusdem dignitatis appellat. Adiutoresne regni? imò contrà, aduersarij eius, & quisque sibi spondebat eam dignitatem. Aut nihil video, aut grandis & audax depravatio: quæ nescio an sic leuanda. (nam vt tollam prorsus, sine libris vix sperem.) *Darius rei adiutoribus eiusdem assumptis.* Historia sanè talis: & ij qui coniurant in magos, cõuenêre simul in hanc conditionem de regno.

Cap. IV.

Omnes pugnantium globos præcurrit] Vetus rectè, *percucurrit*.. Miscuit se globis, non præcurrit.

Cap. V.

Vt propositis ante oculos clarissimorum, etc.] Tota hęc circumductio melius & compositius concepta in veteri: *Qui à propositis ante oculos clarissimorum virorum repulsis, vt non minore cum spe honores, ita prudentiore cum animi iudicio petent.*

Cap. VI.

Quattuor & viginti millia seruorum comparauerunt] Legendum videri, *quattuor millia seruorum*, & caussam erroris docui in 11. Elector.

Eámne vnquam aliquis in acie hortaretur] Vetus optimè, *En, quem aliquis.* irrisorio illo & dissimulanti genere sermonis.

Cap. VII.

Summâ cum iniquitate paternum nomen abrogauerat] Prisca lectio, *nomen iurgauerat.* Fuit omnino, *nomen eiurauerat.*

C. Calpurnij Pisonis Prætoris vrb. constitutio] Libri plerique omnes, *præfecti vrbis.* Referre ad Pisonem præfectum sub Tiberio conabar, cui dare se Valerius voluerit arcessito hoc exemplo: sed illi Lucium prænomen fuit.

Terentius ex octo filiis] Mentis meæ oculus hîc, nisi legas, *Terentius cum octo*, cæcutit.

Cap. VIII.

Testamento is filium instituit heredem] Si filium instituit: quomodo Ti. Longius id subuertit? & quomodo is sanguine ei proximus? clara perversio. Emendauimus nuper, *Testamento o filium.* & probat nunc vetus, cui vocula, *is*, nulla est.

Quid hoc loco inhonestius?] Scribe, *ioco*, non, *loco.*

Vitæ fructibus continuò cariturus] Sambuci liber, *vitæ lusibus.* An, *vsibus?* puto.

Lib. VIII. Cap. I.

Forti punitione liberata fratris dextra] Verum est, *Librata.*

Cap. II.

Aequitas quærentium delectare] Vetus, *quæstionum.* Fortè, *quæstorum*, siue, *quæsitorum.*

Tam

Tam minuti à pudore excessus] Vetus, *tam minimè.* Lego, *tam minimi:* sicut aliâs hic locutus.

Cap. XI.

Athenæ solicitudine agerentur] Melius, *angerentur.*

Desiderium pictoris coëgit explere] Margines tui præferunt, *coëgit exemplare.* quod & in meo est libro. Verbum ignotius fuit, in quo turbant: & me iudice, *eximplere*: quomodo & Adimplere dicimus, aliaque compositione geminâ.

Cap. XIII.

Conspecta est] Lege, *esto.*

Ei nostra ornata mentio defuisse existimetur] Ambigebam pridem de loco: quia superbè illud de se scriptum, *ornata nostra mentio.* Sambuci codex subuênit pulchrè: *ei oratione nostrâ mentio defuisse.*

Et simul spe diuturnioris vitæ] Lege, *spei.*

Cap. XIIII.

Dulcedinem gloriæ pænè adiecit gloriosam] Ita tu Pighi, ex omnibus manuscriptis. Nam anteà legebatur, *Dulcedini gloriæ p. a. gloriam.* At ego lectionem tuam ipsam iacentem erigo, *Dulcedinem gloriæ, pænè adieci, gloriosam!* Velut exclamat. & ô dulcedinem, inquit, gloriæ, tantumnon dixerim, gloriosam! Acumina & sententiolas Valerij nostri.

Lib. IX. Cap. I.

Inde infusæ culinis ostreæ. Arte censibusq; edendi atque bibendi voluptas reperta est] Abest τὸ, *ostreæ*, à plerisque omnibus libris. & tollo sanè ego, ac rescribo: *inde infusæ culinis artes, censibúsque*, &c. Sententiam egregiam elicio: & hinc, inquit, repertæ culinariæ illæ artes, & patrimoniorum pretiis empti coqui.

Cap. II.

In publicâ villâ (quæ in campo Martio erat] Vide ne totum hoc glossematium sit. nisi fortè docẽdus aliquis Valerij æuo, vbi Publica villa esset.

Inclusus mœnibus Attinguensium] Veteres, *Abteguensium.* Scribam, *Atteguensium.* Attegua notum Hispaniæ opidum est.

Cap. III.

In Fabio pulcherrimam partem omittendam] Lego, *pulcherrimè partam.* & ad victoriam refero.

Cap. IIII.

Eius denique confirmandi gratiâ] Præfero scriptâ lectionem: *eiusdémque.*

Cap. V.

In Hostiliam propinquam rostris ad me venit] Vocem libri interserunt, *rostris idem ad me.* Lego, *id est ad me.* Quomodo vocis eius superbæ indignitas magis eluceat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vestem & instituta Persica assumpsit. spreto mortali habitu diuinum æmulatus est] Verbi aliquid occultioris hîc delitere docent libri, qui valde titubant. Quidam, *diuinum aucupatus est.* alij, *diuinum caput æmulatus.* & qui propius ad verum, *caput latus est.* Credam fuisse, *diuinum captatus est.* pro captauit. Crebrum valde hoc genus antiquis: & infrà, cap. VIII. vbi vulgò, *Itaque exiguo momento maximæ rei casus fluctuauit*: libri mei tres, *fluctuatus est.*

Iam Xerxes, in cuius nomine superbia & impotentia habitat, suo iure quàm insolenter abusus est, cum Græciæ, etc.] Absunt à meo libro illa, *abusus est.* me iudice, meritò. Scribo & distinguo: *superbia & impotentia habitat suo iure, quàm insolenter? quòd Græciæ*, etc. Ita enim vetus, non, *cum Græciæ.* Tu vide.

CAP. VI.

Cum binis vestimentis vrbem egressos] At in Liuio hæc ipsa narrante, singulis vestimentis egressos eos leges. An igitur hîc, *cum priuis vestimentis?* quæ corruptio eadem & correctio alibi in Liuio mihi notata. Nisi si Liuius singula vestimenta capit, vnam Togam, vnam tunicam. quo respectu rectè & Bina & Singula dixeris.

CAP. XII.

Imbris caussa petitam latebram] Scriptis meis abest, *caussa*: nec caussa retinendæ est.

CAP. XIII.

Ita vt viuam, dabo] Scribe, *Ita viuam.* Iurandi formula, quam insita vocula peruertit.

ADDITIO.

Theodorus Canterus amicus meus, & harum artium diligentissimus, per epistolam me monuit, lib. VIII. cap. VII. vbi legimus: *A Timæo, & Arione, & Cato Locris præcepta Pythagoræ acciperet*: repperisse se in veteri libro, *Arione* & *Ethecrate.* ex quo appositè facit, *Echecrate.* Nam Cæti Pythagoræi mentio nusquam, nec in Iamblichi quidem Catalogo. At Echecratis etiam Cicero meminit v. De Finibus, vbi pænè hæc ipsa Valeriana: *Cur ad reliquos Pythagoræos, Echecratem, Timæum, Arionem, Locros*, etc.

FINIS.

IVSTI

IVSTI LIPSI
ANIMADVERSIONES
IN TRAGOEDIAS
QVÆ
L. Annæo Senecæ tribuuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN TRAGOEDIAS SENECÆ I. LIPSI V. C. OPERA EMENDATAS.

QVAE tibi rependent, docte LIPSI, *præmia*
Doctæ Camœnæ, quas iuuare sedulò
Nulloque cessas demereri tempore?
In lucis oras doctus en SENECA *redit*
Quatiens cothurnos Euripidis ardui:
Heroës vnà, parte sui superstites
Meliore, redeunt, non, vt antè, debiles,
Non lancinati. dulcis vsum luminis
Sibi restitutum gratulatur OEDIPVS:
Nec nomine vno debet HERCVLES *tibi,*
Vel quod scelestâ cæde manantes manus
Viuo abluisti rore fluminis tui,
Vel alta scandens astra ab Oetæo rogo,
Consumptus igne profuisse quòd sibi
Te plus vel ipso sensit Aesculapio:
Laudat renatus VIRBIVS *tuam manum*
Reductus ipsis iam secundùm ab inferis.
Quid plura referam? Romulus debet tibi
Cothurnus omnis, inuidens ante Helladi,
Plus quàm Poëtæ; nam ille in hoc vnus fuit,
Quiritium vnis vt placeret auribus;
Tu non, in vrbe tantum vt vnicâ popli
Teneret aures vsque, feciſti, vagas;
Sed orbe toto reddidiſti nobilem.

Ianus Douſa Filius.

IVSTVS LIPSIVS FRANC. RAPHELENGIO FR. F. PLANTINIANO S. D.

QVOD seriò tandem manum & mentem admoueris Senecæ Tragœdiis, valdè id nobis, mi Franciſce, gratum. Et nónne diu tale aliquid oportuit, in hoc ingenio, in hoc otio? Illud adeſt, iſtud ſupereſt: nec culpa hîc eſſe poteſt, niſi à deſide voluntate. Atqui ingenium vt ferrum eſſe ſcito, ſplendeſcet, ſi vtare: rubiginem contrahet, ſi recondas. Vtere igitur. & imprimis ad hæciſta: quæ gratiam tibi apud me apud ævum, famam gignent apud omnes. Sed auxiliúmne etiam à me poſcis? ego conſilio defunctum me putabam. Tamen & illud accipe: ſimul in his talibus veram vocem,

Αὐδᾶτ' ἔ, ἢ φρονέειν. τελέσαι δὲ μὲ θυμὸς ἀνώγει.

Nam amiciſſimi Plantini mei cauſsâ quid non velim? quid non & pro iſtâ Plantinianâ ſtirpe? quam Deus mihi ſinat creſcere rectam, & in rectâ virtutis viâ.

TRIA petis. Quid de ſcriptore Tragœdiarum ſentiam? quid de ordine? Quid habeam ad ipſas? De primo, ſic reſpondeo. Scriptorem iis dari à me non vnum: nec Criticos noſtros audio, qui aliter pertendunt. Stilum & elocutionem quiſquis ſeriosè paullò magis examinat, non à me ſentit? ſentit, aut profectò nihil ſentit. Diſcrimen nimis clarum. Octauiam & Medæam vnius mentis & manus eſſe quis dixerit? quis Thebaïda & Troada? peritus nemo iudex, & cui purgatior paullò auris. Ego tres ſcriptores odoror, fortaſſe & quartum. Audi. Pleraſque ex iſtis Annæi Senecæ eſſe fateor (ſiue Lucium ei prænomen ſiue Marcum, nam liber ſanè meus vno loco vtrumque ambiguè congerit) ſed Senecæ nouioris. Filiine illius, qui Philoſophus? vix arbitror: nec ſcripta mihi ſuadeant tam bonum ævum. Traiani imperio, imò infrà, ſi vixiſſe quemcumque hunc Senecam dicam, à vero non abibo. Certè à veteri illo alius eſt, vel Sidonio teſte, cuius verſus innotuere:

Tragœdiæ hæ, non vnius viri opus.

Videntur quattuor texuiſſe. Septem inuentoris Senecæ ſunt.

Qui valdè remotus à Philoſopho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quorum vnus tulit hispidum Platona:
Orchestram quatit alter Euripidis.

Etiam Terentiano:

In Tragicis iunxere choris hunc sæpe diserti
Annæus Seneca & Pomponius antè Secundus.

Nam Tragicum hunc, eece, posteriorem facit Pomponio: quem clàrum est vixisse eodē cum grandiori Senecâ, id est, Claudiano æuo. Quòd autē de hisce Tragœdiis sentiant, liquet ex eodē Terentiano, apud quem versus cum Senecæ nomine, quōs hodieque in Hercule Furente legas:

Exemplum & Senecæ dabo.
Thebis læta dies adest,
Aras tangite supplices:
Pingues cædite victimas.

At vna, Senecæ matorū: Fabij fide: Is ergo vnus scriptor. Quis alter? etiam Seneca: sed ille bonus, ille meus. Nam Medææ cur non auctorem hunc audacter tribuam? Fabius impellit, qui semi-versum ex eâ hunc citat: —— *quas peti terras iubes?* & quidem Senecâ auctore. Quis ergo alius Seneca vspiam ei nominatus, præter nostrum? Et certè si non hunc voluit, notâ aliquâ aut verbulo (quæ eius accuratio est) indicasset. Addo argumentum ab æuo, quo colligo eam scriptam ex hisce versibus:

Et ratiocinio tēporis.
Parcite ô diui, veniam precamur,
Viuat vt tutus mare qui subegit:
Sed furit, vinci dominus profundi
Regna secunda.

Quos omnino insitos decorè & ingeniosè in laudem Claudij, qui Brītanniam tunc aperiebat, planè mihi sedet. At Seneca tunc vixit. Etiam stilus & tota scriptio hoc persuadent: quæ optima, & digna optimo illo scriptore. Sanè qui Medæam attentâ & substrictâ, vt sic dicam, aure leget: illustris ingenij fætum fatebitur, & planè melioris viri, melioris æui. En, duos scriptores habes. vbi tertius? latet: nec facilè totum eum educam. Video, nec video: esse scio, sed quo colore & nomine, nondum. Hunc ego tribuo Thebaidi. Quidni? ex stilo & totâ conformatione eius Tragœdiæ tam mihi certum est, alium auctorem ei esse, quàm me spirare. Confer, sodes, cum ceteris: quid simile? Oeconomia diuersa, sine choris, sine interruptione, cōtinua quasi ad Comicam. Scriptio tota vniformis, simplex, sine carminum vllâ varietate. sed scriptio, ita me Deus amet, alta, docta, grandis: & quæ suo iure ambulet in cothurnis. Nihil vsquam iuuenile, arcessitum, fucatum, phrasis & verba lecta: sententiarum mira & inopinata acumina; & acumina virilia, fortia: quæ me quidem ita feriunt, vt non exciter solùm ad ea, sed subsultem. Quid tale in aliis? audebo rem dicere. Scripti gemmula hæc est, & quam lubens retulerim vel ad Augusti æuum. Per bellum quidem Ciuile eam scriptam, & ex argumenti electione suspicor, & ex versibus qui quasi datâ operâ huic rei inserti. Quidquid huius est, tollenda sanè ea, nec vltra calcanda pedibus ignari vulgi. Vos, Critici, ponite & habete audacter inter prima Romana scripta. Quartus scriptor producēdus est:

Denique ex stilo, qui præfulget.
Vna, etiam ignoti Poëta.
A facie scriptionis totius certo argumēto.
Quæ nimis bona.
Digna Augusto æuo.
Legenda & admiranda dictu.

est: sed ambiguè. Nam nec nōui, nec nimis adfirmatè dē eo adfirmem. Sentisco tamen eum in Octauiâ quæ nimis mutare & abire videtur ab aliis Tragœdiis, imò verbere eruditorum excipienda non plausu. Considera, nec vide tantùm sed lustra. quid non in eâ protritum, vulgare? imò & vile? quàm multa rebus verbisque inepta? quæ piget excerpere & obiicere tibi singillatim. Puer ego sum, nisi à puero ea scripta; certè pueri modo. Habes de Tragœdiarum scriptoribus meum sensum: addam & de ipsis. Duas duorum, eximias censeo: quibus laudator ego, non censor. In aliis virtutes video, sed nō sine mixturâ vitiorū. Magnus Scaliger quòd tam laudatum de his testimonium tulerit, vt etiam Græcis anteposuerit, *geri hæud* an ex vero? non dixeris, nisi ad primas illas aspectu. Nam ceteræ profectò non ascendunt culmen istud laudis. Sonus in iis & granditas quædam Tragica, fateor: sed nónne adfectatio sæpe & tumor? Verba & dictio an vsquequaque electa? Iam sententiæ probæ, acutæ, interdum admiraculum. sed nónne sæpe & sententiolæ? id est, fracta, minuta quædam dicta, obscura aut vana: quæ aspectu blandiantur, excussa moueant risum. Nec enim lumina, sed scintillæ sunt: nec veri fortéque ictus, sed vt in somnio, parui & vani conatus. Quas tamen ipsas crebrò nimis & ad fastidium inculcat, nec inuenit sed arripit: non tam suâ fortasse quàm æui culpâ, cui Scholasticum & Declamatorium hoc genus ita placuit, *vt operum omnium,* (Fabij verba sunt) *solam virtutem Sententias putarent.* Hæc noto, non vt notâ poëtam illum afficiam, sed vt te formem: discasque iudicio non præiudicio vti, nec signare statim omnia lineâ albâ.

Sed vna itē quarti & ignoti scriptōris:
Nec sanè boni.
Octauia iacet.
Iudiciū de his Tragœdiis meum.
Nam Scaligeri tam laudatum de his testimonium tulerit, geri hæud an ex vero? non dixeris, nisi ad primas illas aspectu.
vigidè verum.
Iunioris Senecæ, mediocria sunt.
Sæpe in vitio.
Præsertim affectatione sententiarum.
Quæ communis tunc culpa.

Alterum Quæsitū de Ordine est. frustrà. Quid enim hæres? nec vnus in libris est (omnes ferè variant) nec sanè refert. In Plauto ad litteram Comœdiæ disponuntur. tu istas, vt voles. Nam in tempora cuiusque fabulæ quid inquiras? superuacuum est. Sequere, si omnino aliquid à me vis, ordinem hunc bonitatis, & præeat vel Thebais, vel Medæa.

Ordo in his fabulis nullus.

Tertium erat, Siquid ad ipsas? Ego verò, etsi iam antè satis emendatas (hæc enim strictis versibus scripta, arcent ferè & cohibent malas manus) postremùm etiam seriò & industriè correxerit V. Cl. Antonius Del-rio, æternùm nobis amicus. Tamen accipe & à me ista. quorum partem ab ingenio esse scies & subitâ inuentione, cùm tuâ caussâ paullò intentius legerem: partem à libro scripto veteri sanè bono, quem habemus dono Paulli Melissi magni vatis. Illud te moneo, interpūctiones & discrimina valde vitiata esse. quorum cùm in eiusmodi subtilioribus scriptoribus grande momentum sit, tu vide vt concinnes. Numeri quos adnoto, versuum sunt Fabulæ cuiusque. Ordior à

Quæ neutra hic operæ.
Et auxilia.

MEDÆA.

verſ. 29. ——*Spectat hoc nostri sator*
Sol generis & spectator, & curru insidens
Per solita puri spatia decurrit poli.

Languet sententia litterulâ eam erigo: *& spectatur?* Nā acri indignatione Medæa quærit, Hæcne scelera, inquit, Sol ille videt auctor mei generis: & idem videtur? quasi hoc indicans, refugere eū debuisse vt in Thyestæo aliquo

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquo scelere, & vultus suos tegere. Tale illud diuinitus dictum in Thebaide: *Non video noxæ consciumnostræ diem, Sed videor*. Quæ acumina ex re nata & subiecta, mirificè delectant acres acutasque mentes. Sequenti etiam versu Codex noster, *per solita curui*. probè.

31. *Num redit in ortus, & remetietur diem?*

Ita habent manuscripti, Ortelij scilicet & meus.

Vet. *Nunc*. scribendum † *Non*, aut, *Nec*.

32. *Da, da, per auras curribus patrijs vehi.*

Minimesis, *patrijs*. Acëtæ in aëre nulli currus. lego, *patriùs*. Nam Sol Medææ auus.

35. *Gemino Corinthus litori opponens moras*
Cremata flammis maria committat duo.

Leuiculum est, sed ad sententiæ lucem, scribe *committet*. Nec enim vouet, sed minatur. & si ego, inquit, in solari semel curru; peribit eum solo Corinthus, in quâ hæc perfidia.

55. *Quæ scelere parta est, scelere linquetur domus.*

Cod. noster, *pacta est*. &, *rumpetur fides*. Pacta, iuncta. quis mutet?

92. *Vincat femina coniuges,*
Vir longè superet viros.

Præfero & hic scriptum: *Vir longè vt superat viros*. Nam formam Iasonis italaudat, vt hac parem ei comparem optet.

132. *— funus incestum patri,*
Sparsumq; ponto corpus.

An non *incertum*? Nam verè illud funus ambiguum, & corpore sparso, quærendum non vno loco.

151. *— grauia quisquis vulnera*
Patiente & æquo motus animo pertulit.

Verius, *immotus*.

170. *Moriere.* ME. *cupio.* NV. *profuge.* ME. *pænituit fugæ.*
Medea fugiam? NV. *mater es.* ME. *cui sim, vides.*

Acuta & proba. tamen impuritatis aut defectus suspiciunculam Vetus iniicit, in quo est: *pænituit fugæ.* NV. *teipsam vide.* ME. *Fugiam?* quæ verba non concinno.

198. *Vox constituto sera decreto venit.*

Intelligo. serotina tua verba, & post decretum quod non muto. Tamen veteri est: *nox*: suâ quoque & bonâ sententiâ.

204. *— quámque regale hoc putet.*

Quid sibi vult scripta lectio? *hoc caput.*

214. *Armata peltis quidquid exterret cohors.*

Eadem, *exercet*. & sanè videtur dicere ipsas Amazonas subfuisse Aeëtæ, solumque quod exercebant.

236. *Incessé nunc & cuncta flagitia ingere.*

Sic etiam liber Ortelianus.

Sanè benè. tamen in vet. est, *cuncta flamina*. quid si, *fulmina*? haud improbè de regiis istis minis.

248. *Petíque supplex præsidis dextræ fidem.*

Ort.

Codex, * *Fidémque supplex p.d.petij*. sit cur mutarunt? Ita Hercul. Fur. *Et fata vitæ, morte contemptâ redij*. Et Oeteo: *Vetis peperci, nil ego è superis petij.*

Efferebant hæc enim vulgò vt dissillaba, & verò scribebant: I scilicet eo longiusculo, *Pet I. Red I.* Poëta princeps, *ignobilis ot I.*

265. *Prorsúsque vestro purus à cœtu stetit.*

Vet.* *Proculque vestro.* Ort.

314. *Non quæ sequitur flectítque senex.*

Rectum est, de Boõte. At vetus, * *deflétque senex.* ideóne quia matrem conatus interficere, ad adspectum eius memoriâ rei lacrimat? Ort.

342. *— cùm duo montes*
Subito impulsu, velut ætherio
Gemerent sonitu, spargeret astra
Nubésque ipsas mare depressum.

Imago bona. quâ & alter Seneca vsus Herc. Fur. de iisdem Cyaneis:

In se coibunt, saxáque in cœlum expriment
Actis vtrimque rupibus, medium mare.

Dic tamen sodes, quomodo astra spargi possunt à mari depresso? imò elato. Si sensus hic placet, omnino emenda, *mare deprensum*. interceptum videlicet & quasi deprehẽsum subitò inter duas rupes, exprimitur in cælum. At veteri meo disertè est, *Pergeret astra*, non *Spargeret*. ex quo alia mihi & proba imago obnata, hæc. Mare, inquit, coitu illo rupium elatum nimis, & subitò abiectum, videbatur secum nubes detrahere & ipsa astra. Omnino oculis ita videtur, qui in commoto mari. *Pergo* autem *depressum*, eâ formâ scriptum quâ, Eo depressum, & talia.

354. *Toties imo latrante malo.*

Bellius quod in veteri, * *vno*. Scilla, inquit, illa toties latrabat, variis vocibus & animalibus in monstro vno. M sa.

372. *Peruius orbis. Indus gelidum*
Potat Araxem: Albin Persæ.

Hæc diuide, & fac quattuor minutos versus: aut contra legem hîc Trochæi medij. Quod semel monitum sæpius obseruabis, & corriges.

388. *Proclamat, ô superi, oculos fletu rigat.*

Egregiè liber: *Proclamat, oculos vberi fletu rigat.*

393. *Non facile secum versat aut medium scelus.*

Medium scelus capere possis, non è turbâ nec mediocre quoddam. rectè. Tamen veteri vox longè alia, mentem præit aliam: *induit scelus*. Fecerim, *aut ludit scelus*. Quid si', *rude scelus*? Nam produci eæ syllabæ solent, etiam cùm in voce alterâ binæ litteræ: quod te scire scio.

410. *——tantis Aetna feruebit minis.*

Scribe, *feruescit*.

477. *Alienáque sequens regna, deserui mea.*

Fortius multo scripseris, & interrogando extuleris:

Aliena sequeris regna? deserui mea.

Idque probè probum est. Túne ô Iason, inquit, alieno regno immines, ideóque me deseris? at ego tuâ caussâ, proprium deserui.

508. *Meis Creusa liberis fratres dabit?*
Regina gnatis exsulum, afflictis potens?
Non veniat vnquam tam malus miseris dies.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ort. Lugd. Personis hæc distinguenda & illuminanda: **fratres dabit?* IAS. *Regina g. e. a. potens.* MED. *Non veniat,* &c. Sententia docet.

516. IAS. *Hinc rex & illinc.* MED. *est & his maior metus,*
*Medea. nos *confligere certemus, sine,*
Sit pretium Iason.

Ald. Confligere. Vitium in phrasi, versu, sensu. Quid est, *certemus confligere?* Lex versus quartâ sede pedem illum quî tolerat? Rescribo, *neu confligе. certemus, sine: Sit pretium Iason.* Nec te, inquit, voco ad periculum. nullus te opposueris: mihi posco hanc pugnam, in quâ victoris sit Iason.

552. —— *liceat vltimum amplexum dare.*
Gratum est, & illud voce iam extremâ peto.

Refrigerant hæc legentem. Quò enim illud, *Gratum est* referas? Ausim scribere: *Ratum est?* cum interrogatoriâ notâ. Liberos inprimis apud se tenere cupienter cupiebat Medæa, materiem futuro sceleri. & cùm blandè id peteret, iamque ille annueret; ergóne hoc ratum est? inquit: esto. etiam hoc amplius peto, &c.

631. *At caput tractu fluuialis Hebri*
Contigit notam Styga, Tartarúmque
Non rediturus.

Ort. Lugd. De Orphei morte. sed sermonis solæcum hoc quis non videt? lege,* *Ad caput tractus.*

668. *Iam satis diui mare vindicastis,*
Parcite iusso.

Explicant: Parcite Iasoni, qui à Pelia iussus nec sponte aquas violauit. Non refuto. Sed enim cùm in veteri sit, *Parcite viuo;* acris mihi libido legere, *diuo.* & obliquè ad Claudium aspectum censeam: qui & ipse cùm ignotum Oceanum intrasset, tamen parci à diuis æquum censet diuo. Tecta & ingeniosa adulatio.

950. *Flentes, gementes: sed oculis pereant patris,*
Periere matris.

Vetus, *gementes. osculis pereant.* quídni rectè?

1014. IAS. *Iam perage cœptum facinus, haud vltrà precor.*
Morámque saltem supplicijs dona meis.
ME. *Perfruere lento scelere, ne propera dolor.*

Hæc confusa, nec sanæ mentis. Iason cupit statim interimi liberos, non tractim mori & per singulos artus. Ea enim sententia primi versus. At pugnat ecce alter, & quærit supplicij moram. Denique Medea respondet quasi ex voto, & exorata. Omnia contrà sunt. Suspicor præposterè locatos versus, & digerendos sic.

—— *haud vltrà precor.*
MED. *Perfruere lento scelere. ne propera dolor,*
Morámque saltem supplicibus dona meis.

Ita enim malo, quàm *supplicijs.* Ista mens. Optas, inquit Medea, citò defungi hoc spectaculo? haud fiet. & cum irrisione, Ne propera mi dolor, & moram saltem indulge his qui tibi supplices.

1026. *Per alta vade spatia sublimi æthere.*

Codici

Codici meo, ** *atheris.* verè. Clausula autem hæc diuina, *Testare nullos esse* Ort. Ald. *quâ veheris deos:* vt multa in toto opere, cuius caussâ te Seneca magis Lug. magisque iure miramur. Transeo

AD THEBAIDA.

Vers. 2. *Patris leuamen gnata, quam tanti est mihi*
Genuisse, vel sic desere infaustum patrem.

Distingue & sententiam acutam effice. * *Genuisse vel sic.* Pronuncianda Ald. enim ea ἐμφατικώτερον & expressius, notando scilicet sceleri in hac genitura. O nata, ait Oedipus, cuius tanta pietas, vt vel cum incestu genuisse eam mihi pretium sit.

4. *In tecta quid deflectis errantem gradum?*

An in tecta & aulam reducebat patrem Antigona? minimè. tota narratio & rei series refellunt. Occultum mendum: quod odoramur è veteri, in quo est, [a] *In rectum.* Omnino scribendum, [b] *In recta.* id est, Quid me dirigis? rectà & tutò ire iubes? melius cadam. Itaque statim subiungit, *Permitte labi.* [a] Ort. [b] Ald. Lugd.

38. —— *quid me gnata pestifero tenes*
Amore vinctum?

Non placet, *vinctum.* Nec enim id queritur, amari se à gnatâ, sed teneri in vitâ. Vellem, *viuum.*

44. —— *gnata genitorem vides?*
ANT. *Ego video. tandem spiritum inimicum exue.*
OED. *Desertor anime, fortis in partem tui.*

Mirum responsi frigus in tam calido Antigones amore. Alit ecce furorem patris, & fatetur se quoque videre, quod nec ille quidem videbat. Denique quid est, Inimicum spiritum exuere? Turbasse personas video, & Antigonam frustrà insertam. Continenter legenda, *genitorem vides? Ego video. tandem spiritum inimicum exue Desertor anime.* Non tu, inquit, ô filia patrem meum vides? certè ego. Age anime, vitâ & spiritu tandem te priua, quem pater repetit.

47. *Mortémque totam recipe. quid segnis traho?*

Arenæ verbũ, & allusum ad gladiatores. Tamen veteri est, *totam admitte.*

62. *Regam abnuentem, dirigam inuitum gradum.*

Veteri, *inuitum patrem.*

64. *Non obsto, sed præcedo. quouis vtere*
Duce è duobus, omnis eligitur via.

Tun' hæc capis? haud ego, fateor. Meo libro est, *quouis vertere.* legam & distinguam, —— *quouis vertere Duce me, duobus omnis eligitur via.* Age te & verte quò voles: sed non solus. In te vno, duo peribunt aut viuent.

78. *Sed flecte mentem, pectus antiquum aduoca,*
Victásque magno pectore ærumnas doma.

Displicet inanis cœna verbi repetitio, *Pectore,* & *Pectus.* In meo manifestè alia vox fuit, sed eâ erasâ, *Pectore* impositum. An *robore?*

118. *Vbi torua rapidus deuehat Ismenos vada.* Ald.

Veteri est, * *ducat Ismenos.* malim etiam *torta,* quàm *torua.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

178. —— *audias verum Oedipum.*

Scribe cum vet. *Oedipe.* seſe enim alloquitur: & ſequentia flagitant.

181. *Hac parte mortem perage, quà cæpit mori.*

Vet. *Cæpi mori,* probè.

182. *Pauca ô parens miſerande magnanimæ precor*
Vt verba natæ mente placata audias.

Magis ex decoro & vero ſcripta lectio, *miſerandæ magnanime.*

193. *Qui fata proculcauit, ac vitæ bona*
Proiecit, atque * *abceſſit, & caſus ſuos*
Onerauit: ipſi, ceu video, nullo eſt opus
Quare ipſe mortem cupiat aut quare petat.
Vtrumque timidi eſt velle. contempſit mori
Qui concupiſcit.

Mss. Lugd. Baſ. *abſcidit.*

Vtinam hîc mihi tua mens Oedipe! dico, illa ſaga & diuina. Nam mirificè hæc turbata & implexa, Sententiam vtcumque video, verba pro ſententiâ non video. Quid eſt *onerare caſus ſuos?* quid illud, *ceu video, nullo eſt opus?* aut tenebræ, aut ſordes. Sed & illîc vitium, *mortem cupiat aut petat.* Nónne enim hæc eadem? & tamen ſequentia diuellunt: additurque, *Vtrumque timidi eſt velle.* Vbi ergo illud vtrumque? In toto non iuuo, in parte ſic. Primum lego, *atq. abcîdit.* ex meo veteri. Deinde pro, *cupiat,* velim *fugiat:* ſententiæ impulſu. Poſtremum quà eſt, *Qui concupiſcit,* ſcribendum affirmo, *Qui non cupiſcit:* planè ex Antigones† mente. Nónne hoc illa argutatur & perſuaſum it patri, neutrum viro forti faciendum, vt voueat mori vel vt fugiat? Itaque addit: ille verè contemnit mortem, qui nec cupit. Sententia, quam ſapientum manus firmat, & noſter Seneca: *Non vult mori, qui optat. Deos vitam roga & ſalutem, ſi mori placuit. Hic mortis eſt fructus, optare deſinere.* Et reuera, nónne vides molliſſimum atque impatientiſſimum quemque mortem optare? ſed optare.

† Etiam ex libri veteris: in quo eſt, * *non concupiſcit.* * Ort.

208. —— *quid te ad infernas agit*
Sedes? quid ex his pellit, vt careas die?
Cares, vt altis nobilem muris domum
Patriamq; fugias, patria tibi viuo perit.

Pulcherrimas ſententias diuide & ordina. — *quid ex his pellit? Vt careas die? Cares. vt altis nobilem muris domum Patriamq; fugias? patria tibi viuo periit.* Diuiſione vtitur, & membratim rogat ac concludit. Cur vis mori? quid te à ſuperis locis pellit ad inferos? An vt diem nõ videas? non vides, ſponte tuâ cæcus. Vti patriam fugias? iam es in eâ nec es, viuum cadauer.

218. *Et dira fugio ſcelera, quæ feci nocens.*

Reſcribe, *feci innocens.* Res ita eſt. fato, non culpâ, peccauit Oedipus: & ſuprà ſcriptum, *dis quoque inuitis eſſe eum innocentem.*

230. *Quæ pars meorum criminum es, infelix pater.*

Verſus labaſcit: fulcio tranſiectâ voce, *meorum es criminum.*

254. *Calidóque teneros tranſtulit ferro pedes.*

Ita ſanè & meus liber. ſed transferendi verbum haud ſatis validum notandæ rei. An *tranſtudit?* an potius, *tranſiit?* Nam priſcis editionibus eſt, *tranſſuit.* quod ipſum non nemo defendat.

Cruo-

257. *Cruore ſæpe regio attractas alit.*

Vetus, * *tinctas alit.* Ms.

262. —*proh, loqui hymenæum pudet.*

Vno verbo, * *proloqui.* Ort.

313. *Hic Oedipus Aegæa tranabit freta.*

Excuſari ſcio poſſe, à Græcanicâ terminatione. Tamen tutiùs verſui conſulam repetitâ voce, *Hic Oedipus. hic, Aegæa.*

318. *Iubente te præbebit alitibus iecur,*
Iubente viuet.

Veterem librum cur non audiam? cui eſt, * *Iubente te vel viuet.* egregiâ emphaſi, & quaſi extremum malorum illi, vita. At verſus negat, nec continuari cum ſequenti poteſt. Quid mali? præſertim cùm Actus nouus ſequatur. Sanè etiam in Troade verſum abruptum & interciſum legeris, medio quidem Actu. Ort.

—*ſponte deſiluit ſuâ In media Priami regna.*

nouus enim verſus excipit: *Quis Colchus, aut quis ſedis incertæ Scytha.* Hoc hîc cenſe. & proximum verſum alterius Actus initio

—*Regiâ ſtirpe edite.*

audacter è libro noſtro exple, *Exemplum in ingens, regiâ ſtirpe edite.* Ita enim adiuuamus, cùm in eo ſit * *Exemplum ingens.* Hæc gloſſematia non eſſe nec adtextus, nobis ſatis certum. Ort.

328. *Ego ille ſum, qui * ſcelera committi vetem?* Baſ. Pär. *bella.*

Probè & verè, tamen veteri, *ſceptra committi:* ſuo & probo item ſenſu.

331. —*meorum facinorum exempla appetunt.*

Liber & verſus volunt: *exempla facinorum appetunt.* ſtatimque, *laudo & agnoſco libens.*

336. Ioc. *Felix Agaue, facinus horrendum manu.*

In his verbis initium eſt Actus tertij, libro veteri: tu ſequere, & continuatim legè ad Actum qui vulgò quartus.

366. —*miſera non vltra ſuum*
Scelus hoc cucurrit. hoc leue eſt, quod ſum nocens,
Feci nocentes. hoc quoque etiamnum leue eſt,
Peperi nocentes.

Ingenioſa & mira miſeriarum exaggeratio. ſed lego verſu altero, *hæc cucurrit.* deinde, *Feci nocentem.* Sententiæ valdè conſulo. quos enim alioquin Iocaſta nocentes fecerit? At ſingulario numero ſi leges, ad Oedipum appoſitè referes: quem illa nocentem fecit, ſacrâ mixtione. Cauſſa corruptioni, quòd litteram elidi cenſebant non elidendam.

393. *Curſu citato miles hinc illinc ruit.*

Vetus, * *hinc atque hinc ruit.* Ort.

417. *Ecce ecce motos fletibus credas meis.* Lugd.

Malo ex ſcripto, *Et ecce.*

456. *Donato matrem pace. ſi placuit ſcelus,*
Maius peractum eſt: media ſe opponit parens.

Omnino audiendus liber vetus, * *Maius paratum eſt.* Non poſtulat, ſed flagitat hoc ſententia. Si pergitis, inquit Iocaſta, & frater in fratrem ruit, Ort. Lugd.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non ea meta sceleri: maius supereſt, quia primùm interficienda ego mater. Peti neuter veſtrûm niſi per me poteſt, quæ obijcio mediam.

463. *Nunc alter aberit. ergo iam numquam duos*
Niſi ſic videbo?

Scripto abeſt τὸ, *iam*. Mihi placeat. *ergo non vnquam.*

482. *Dum frater eſt armatus, armatus mane.*

Ort. Cenſores cur mutaſtis? Fuit anteà, * *frater exarmatur:* nimis benè. Interea dum frater ponit arma, inquit, tu retine. Ita non ſcriptus ſolùm liber, ſed etiam editio vetus, cuius mihi copia fuit è diuite librariâ Cl. V. Franciſci Nanſij.

493. ——*hic ferrum abdidit*
Reclinis haſtæ, & arma defixa incubant.

Scribe, *incubat*. ad habitum Eteoclis, qui condito gladio & vélut in pacem compoſitus incumbebat haſtæ.

632. ——*præmium incertum petit,*
Certum ſcelus.

Legendum *petis*. affatur ipſum Polynicem. Et priora valdè laborant ab interpunctis, quæ diſpone optimæ ſententiæ bono. His mihi ſalue Thebai, haud paullò melior illâ quę vigilata per biſſenos annos. Prodi tu,

HERCVLES FVRENS,

Cui à me quoque pars ſanitatis.

Verſ. 12. *Ferâ comâ hinc exterret Orion deos.*

Cománe tam formidoloſa, vt eam dij timeant? Vetus, *Ferâ minax hinc terret*. cui valdè adhæreo, & capio canem qui venatori iſti adiunctus. An & *ferro minax?* nam certè gladium etiam ei attribuunt qui imagines nobis imaginati in cælo.

19. *Sed vetera ſerò querimur, vna me fera*
Thebana, nuribus ſparſa tellus impijs.

Mss. Ald. Lugd. Addit liber meus vocem, * *vna me dira ac fera*. malè & præter verſum, niſi alteram deleas. quod mihi videtur, & inducam τὸ *ſerò*. Additiciũ eſt.

33. ——*ſuperat & creſcit malis.*

Veteri, *increſcit malis.*

44. ——*nempe pro telis gerit*
Quæ timuit & quæ fudit. armatus venit
Leone & hydrâ.

Timórne in Herculem cadat? non ipſa Iuno dixerit, etſi hîc dicit. Reponam. *Quæ domuit:* ſententiâ & heroë quidem illo volente.

68 ——*robore expenſo tumet.*

Placet hoc præ veteri lectione, *robore experto.*

71. *Nec flexit humeros molis immenſæ labor.*

Meo libro, *molis inniſæ*. veriùs.

76. *Congredere, manibus ipſa iam lacera tuis.*
Quid tanta mandas odia?

Verba Iunonis ſeſe in Dium illum exſtimulantis. in quibus diſplicent *tanta*

tanta odia. An non melius, *tacita*? Quid opus, inquit, clàm & per alios nocere, laceſſere? Quin palàm armor & odium aperio iam ipſa.

94. *Quâ mugit ingens montis oppoſiti ſpecus.* Ort. Baſ.

Corrige è libro, * *Quam munit.*

119. ——*ſtabo, & vt certo exeant*
Emiſſa neruo tela, librabo manum.

Vult dicere Iuno, ſe ſuapte manu directurum tela Herculis in corpora liberorum. Itaque cum ſcripto ſcribo, *librabo manu.*

122. *Admittat illas genitor in cælum manus.*

Binos verſus hîc adtexit noſter liber, & germaniſſimos quidem Senecæ: Ort.

* *Mouenda iam ſunt bella, clareſcit dies:*
Ortúque Titan lucidus croceo ſubit.

Ita enim claudit Iuno. Verborum & minarum ſatis eſt: arma expedio. quia vocat me ecce dies. Poſterior ex hiſce verſibus in vulgatis nullibi legitur, alter non ſuo loco, ſuprà verſu nonageſimo inſertus. Tu illinc pelle, & huc compelle.

159. *Quibus eſt vitæ tranquilla quies,*
Et læta ſuo paruóque domus
Spes & in agris.
Turbine magno ſpes ſollicitæ
Vrbibus errant, trepidíque metus.

Præclara gnome, nec temerè mihi mutanda, cui vita hæc in agris vnicè placet & ex agris. At vetus tamen aliorſum trahit, qui ſcribit, *Spes iam magnis*. Puto verè, ſi cũ ſequentibus adnectas: atq; adeò verſuum ordinẽ moto. *Spes iam magnis vrbibus errant, trepidíque metus: Turbine magno ſpes ſollicitæ.* quę repetitio ſanè decora facit ipſe vetus, cui verſus quẽ poſtpoſui totus abeſt, initio Chori malè adtextus. ſed erronem huc reuoco.

171. *Aurâ tumidum voluit inani.*

Scriptus. * *tollit* rectiſſimè. Ort. Ald. Lugd. Baſ.

188. *Certo veniunt ordine Parcæ.*

Idem, *tempore Parcæ.*

213. ——*ſequitur apprimè ſtatim*
Infeſta Iuno.

Ego legam, *ſequitur à primo ſtatim.* id eſt, Iuno ab vitæ primordiis & ipſis carceribus inſecuta Herculem. Itaque addit, ——*numquid immunis fuit*
Infantis ætas?

219. ——*igneos ſerpentium*
Oculos remiſſo pectore ac placido intuens.

Ehò, an pectore quiſpiam intuetur? audi librum, *remiſſo lumine.*

237. ——*abrupto obice*
Etiam ruenti fecit Oceano viam.

De Hercule, mare ad Gades aperiente. Sed probo veterem ſcripturam, *Latam ruenti.*

277. *adſis ſoſpes & remees tuis.*

Meus codex, *remees precor.* & ſtatim, *diſpulſis manu.*

290. *Erumpe rerum terminos tecum afferens.*

Melius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Melius, *efferens:* ex libro. Suprà: *Et quidquid atrâ nocte possessum latet, Emitte tecum.*

300. —*tibi frugum parens*
Secreta reddam sacra

Mss. Ad Cererem, rectè. non malè item vetus: *frugum* potens.*

309. *O socia nostri sanguinis.*

Malè hic initiũ Colloquij. superioribus vno textu iunge, auctore libro.

316. ME. *Prona est timori semper in peius fides.*

Sententia hæc Megaræ non conuenit. ablega ad Amphitruonem, inductâ eius personâ. Illa autem sequentia dicat, *Demersus ac defossus.* Alioqui turbela.

355. *Namque ipsa tristi vestis obtectu caput Velata.*

Vetus, *vestis obtentu.* vtrumuis elige.

362. *Si æterna semper odia mortales agant.*

Idem, *mortales gerant.* magis Latinè.

406. *Sed ille regno pro suo, vos improbâ*
Cupidine acti.

Ald. Imò, * *nos improbâ.* Nã de se palã id fatetur Lycus, & vt decuit tyrãnum.

420. ——— *non vincet fidem*
Vis vlla nostra, moriar Alcide tua.*

*Mss. Par. Vetus, *Vis vlla, namque moriar.*

438. *Quo patre genitus, cælitum* penetrat domos?*

nostram. Ms. *penetret.* Longè melius in vet. *cælitum* sperat domos?*

471. *Mitrâ ferocem barbarâ frontem premens?*

*Orl. Hoc ad Herculem vulgati libri referunt (nec malè, nam & mitrâ pressus Omphalæ seruiit) & Lyco tribuunt. At meus ad Bacchum, & Amphitruonis personæ adiungit, hoc modo: AMP. *Mitrâ fer. b. f. premens, Non erubescit Bacchus,* &c. Et quis nescit mitram huius dei velut propriam, & mitratos eius cœtus?

528. *Monstris exagitet cæliferam manum.*

Non mutarem, nisi libri monitu, qui disertè, *teliferam.* Et sanè nõ manus Herculis propriè cælũ tulit, sed dedit id eius humeris. At bene de Telis.

576. *Et surdis resonat clarius in locis.*

Post hunc versum iste inseritur libro veteri. *Deflent Eurydicen Threiciæ nurus:* planè appositè. qui alieniſſimo loco nobis legitur, versu pòst quarto. Tu ergo dispone.

623. *Verúmne cerno corpus? an fallor tuâ*
Deceptus vmbrâ?

Vetus & hunc versum suggerit, *Tenéone in auras editum, an vanâ fruor,* vter germanior, mihi non liquet.

676. *Vt sæpe puppes æstus inuitas rapit,*
Sic pronus agger vrget atque auidum chaos.

Mss. Par. Bal. Eleganter, de pronâ istâ ad inferos viâ. sed malène vetus, * *pronus aër?* vt velit ab aëre & occulto vento quodam rapi nos ad atram sedem.

742. *Animóque parcit.*

Vetus, *animæq;*, id est, vitæ ciuium.

769. *Hic onere vacuam litori puppim applicans,*
Repetebat vndas.

De Charonte, quasi retrorsum ierit viso Hercule. At meo libro, *Repetebat vmbras* quod verissimum censeo. Narrat eum vacuasse cymbam, narrat reperisse nouum onus.

777. *Vtrimque Leten latere titubato bibit.*

Noster, *Latere titubanti*

779. *Lapithæq; multo bella succensi mero.*

Vocula addenda è veteri, *multo in bella.* Res clamat.

789. *Attollit hirtas angue vibrato comas,*
Missumq; captat aure subiectâ sonum.

De Cerbero scribit, adsurgente ad Herculis aduentum. Sed emendem, *aure subrectâ.* Nónne canum id proprium, & arrigi aures videmus cùm sonum captant?

792. —*antro cedit incertus canis,*
Et vterque timuit.

Et meus, & olim editus, *antro sedit.* rectè. Non enim fugit, nec decuit Cerberum: sed assedit, ambiguus quietis an pugnæ.

813. —*& nitor*
Percussit oculos lucis ignotæ, bonos
Resumit animos victus.

Ego malim, *lucis ignotæ bono, Resumit animos.* hac mente. Postquam Cerberus supera attigit, & lucis dulcedo ac bonum obiecta oculis: luctatur, & negat vinci.

911. ——*pinguis exsudet vapor.*

Vetus, *exundet.*

917. *Laremq; regis qui aduenæ Tyrium colis.*

Idem. *Laremq; regis aduenæ Tyrium colens.*

948. —*& ignes efflat, & rutilat, iubam*
Ceruice iactans.

Leonem eiúsque motus describit. lego, *& rutilâ iubam Ceruice iactat.*

991. —*quò se cæcus inuergit furor?*

Veteri, *cæcus impedit.* sed appâret antè fuisse, *impêgit.* erasum est.

1018. *Renuo nouercam, sequere, da pœnas mihi.*

Fuit in meo, * *Teneo nouercam.* sed altera illa vox supposita. Omnino furibundus Hercules imaginat nouercã se tenere in vxore: eamq; interficit. Par.

1032. *Quò te ipse, genitor, obuium morti ingeris?*

Ferri potest, ex morè quo senes omnes patres dicimus. Tamen cùm Thesei hæc verba, cur à veteri & veritate non stem, *reipse, senior?*

1221. *In seipse sæuit.* HERC. *Dira Furiarum loca.*

Scriptus, *In se ipse furit.* Versus labat? fulci, immissâ litterâ, *ô dira.*

1256. *Ame timetur. semper absentis pater.*

Quid vetus lectio sibi vult, *Nox timetur?* credo, *Nobis.*

1265. *Memoranda potius omnibus facta intuens,*
Vnius à te criminis veniam peto.

Minimè sis, & frigidè hoc petat senex. Lego, *veniã pete:* ad ipsum scilicet

Herculem. quem Amphitruo vult aspectu aliarum gloriarum, delere & deluere vnam hanc noxam. Herculem hunc, quà potui, adiuui: sequitur

OETÆVS.

14. ——*omne cùm cesset malum*
Quod terra genuit, pontus, aër, inferi.

Concinnitis vetus, *omne concesit.*

28. *Quodcunque tellus genuit infestum, óccidit,*
Meaq; fusum dexterâ, iratis deis
Non licuit esse: sic negat mundus feras,
Animum nouerca. redde nunc gnato patrem,
Vel astra forti.

Agnosco scholam, & sententiolas ibi natas. Tamen, quia subtiliora paullùm, distinctione iuuemus. *óccidit, Meaq; fusum* est* (vocula hæc à libro nostro) *dexterâ. iratis deis Non licuit esse. *si* (non *sic*) *negat mundus feras, Animum nouerca: redde nunc*, &c. Quidquid monstrorum (gloriatur Hercules) vbique fuit, nos sustulimus. deorum ira ad hæc tollenda nihil opus, & præstiti eos quietos. Si mundus non vltrà feras mihi dat, si animum suum & beniuolentiam abnuit Iuno: quid exspecto? da filio adesse patri: natura iubet. da forti cælum: meritum iubet.

*Ort. *Lugd.

35. *Properet malum quodcumque, dum terra Herculem*
Habet, videtq;. nam quis inuadet mala?

Betâ languidius hoc postremum. addo robur, & lego, *inuidet.* Quis, inquit, ille qui labores & pugnas mihi inuideat? atqui has deposco.

40. *Me sensit Vrsæ frigidum * Scythicæ genus;*
Indusq; Phœbo subditus, Cancro Libys.

Ort. Scythia.

Offendor. nec rectè Septentrionales mihi dixerit, genus esse Scythicæ Vrsæ. Crede mihi emendanti, *Me sensit Vrsæ, frigidum Scythes genus, Indusq. Phœbo subditus.* hoc verborum ordine & mente. Me sensit Scytha, Vrsæ subditus: me Indus, Phœbo: Afer, Cancro.

80. —*Siculus Hesperium latus*
*Tangat Pelorus, *vt vna iam tellus erat.*

*Ms. & vna sic tellus erit. Par. & vna iam tellus erit. D'el-Rio vt vna cùm tellus erat.

Intricata, inepta. Vetus, *Pelorus, vna iam tellus erit.* rectè. Legebam ego, *vna iam tellus eat.*

103. *Astro timendum spectat Euboicum mare.*

Idem, *Austro.*

140. —— *quà fugit*
Ismenos tenui flumine languidus.

Quî conuenit rapidum & fugæ verbum huic languenti? Scriptus, **fluit.*

*Ms. Bas.

151. *Nullis vulneribus peruia monstra sunt,*
Ferrum sensit hebes.

Nullus ingenij sol hæc illustret sine libro. An monstra non peruia vulneribus? aliter ipse Hercules docuit. Benè meus, *peruia membra.* De ipso heroë illo sermo. quem tam rigidum & durum ait, vt membra eius respuant lædi. Scribe & eodem auctore, *ferrum sentit.*

164. —— *quota pars vulnere concidit?*

Pro

Pro fato patuit vultus iniquior,
Et vicisse sat est Herculeis minis.

Non ceperunt hæc acumina, & corruperunt. Scribe cum meo libro **potuit*, non *patuit*: deinde: *Et vidisse sat est Herculeas minas.* Hoc ait. Ea vis & virtus Herculis, vt vultus eius ira tior, sit pro fato: & vidisse eius minas, sufficiat in mortem. Oculi & verba eius, telum. Hæc subtilia: sed quò ram subtilia? Profectò. si inspicis, tota hæc fabula præter ceteras argutatur, imò tumet, & cum Poëtâ ——*nubes & inania captat.*

*Ort. Ald. Lugd. Bas.

167. *Quo vastus Briareus, quo tumidus Gyges*
Supra Thessalicos constitit aggeres;
Hoc vultu riguit.

Quasi velit eundem vultum fuisse Gygis illius & Briarei. Non id mihi bonum. Veteri est, *Qui vastus*: itemq; *qui tumidus.* quod retineo, & mox lego, *Hoc vultu rigeat*: in hunc sensum Illiipsi Briareus & Gyges, qui cælum impugnarunt feroces rigescant & pereant ab hoc vultu.

184. ——*me vel Sipyli*
Flebile saxum figat, superi
Vel in Eridani ponite ripis.

Verus hîc vetus: *saxum fingite.* Superos Iole compellat. & me, inquit, vel Sipylæum saxum facite vt Nioben, vel populum defigite ad Padum.

204. —— *referam querulo*
Murmure questus, volucremq; Iolem
Turba loquetur.

In meo, *Murmure casus.* &: **Fama loquetur.*

*Ms.

219. ——*proh sæpe dolor,*
Formaq; mortem paritura mihi.

An dolor mortis causa Iolæ? nullus. Ego iam ex sententiâ emendaueram, *sæue decor*, vel, *scæue.* & repperi ita in libro.

239. *Purúmue claris noctibus sidus micat.*

Noster, *Puríue clarum.*

241. —*fœta vt armento, iacens*
Sub rupe Tigris.

Peruersè mutatum, cùm in libris esset, *fœta vt Armenia.* Tu repone.

290. ——*summe protector deûm*
Et clare Titan.

Scribo diuisim, *proh rector deûm.* & statim, * *Herculis coniux timentis.* non, *tumentis.*

Ort Aldi Lugd.

320. †[——*sæua, iamdudum faces*
In te ferentur,] vindicem tellus suum
Defendet omnis,

† Ignorant ista verba omnes quotquot vidi, excepta Fabricianâ editione.

Verba nutricis dehortantis Deianiram à scelere, quod omnes hominum gentes vindicabunt. Sed noster liber illustriùs ea & veriùs profert: *saxa iamdudum & faces.* Ea duo tela in populi seditione & aggressu. Virgilius: *Iamq; faces & saxa volant.* Ipse Poëta, infrà: *Cœte gentes, saxa & incensas faces Iaculetur orbis.* in hac ipsâ morte Herculis vindicandâ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

336. —— *antè ab occasu dies*
Nascetur Indis: antè glacialem polum
Scythásue tepidâ Phœbus afficiet rotâ.

Nihil hærebam: sed vetus me stitit, in quo *glacialis polus* scriptum. Ego verò lego & dispungo: *antè ab occasu dies Nascetur: Indos antè glacialis polus, Scythásue*, &c. Priùs, inquit, ab occasu ortus erit: priùs Indos glacialis polus tanget, aut Scythas Phœbi rota calidior.

345. *Ire, ire, ad umbras Herculis nuptam licet.*

[a]Mss. A.B. L. P. [b]Lugd. Par. Sed Ald. Bas. *victam*. [c]Lugd. *libes*.

Probissimè. At vetus, [a]*Herculi* [b]*iunctam* [c]*libet.*

353. *--quid casum times?*

Nubilosum dictũ, & quasi hac mẽte, quid times eã quæ iam cecidit? Tamen ambigo, ne *casum* scripserit: id esset, quid frustrà & in vanum times?

360. *Amat vel ipsam, quòd caret patrio lare.*

Vetus, *vel ipsum*. optimè. Hoc ipsum, inquit, amat in Iole quod tu pellendo amori esse vis: nempe eius miserias.

363. NVT. *Hoc visitatum est Herculi, captas amat.*

Deleo personam Nutricis: & sermonem continuo.

379. DEI. *Hærere amantes post vagos ignes solent.*
NV. *Famulámne & hostis præferet gnatam tibi?*

Iterum malè insita persona. Tu Deianiram tolle, & Nutricem substitue: cuius duo ij versus sunt.

385. *Deforme foliis aspicis truncis nemus.*

Ort. Apage, ineptè. nunquid trunca folia? Vetus scriptus, & editus, **Deforme solis*. Nihil in nemore, præter nudos truncos.

391. *Ætas citato senior eripuit gradu.*

Vt fluat sententia, scribe, *& rapuit.*

Mss. Par. *qui* D'el-Rio *quod*

400. * —*quo nimis quisque deos*
Orabat vllos: nuribus Argolicis fui
Mensura voti.

Mens compâret, verba quæro. Meus, *quéue mens quicquam deos*. Nec hoc placat aures.

405. *Facibus suis me iungat Eurystheus licet.*
Minus est, toros meruisse regnantis leue est.

In veteri, *toris caruisse regnantem leue est*. quod verissimum credo. Tanti mihi Hercules coniux, inquit, vt contemnam regum præ eo nuptias: & leue mihi sit, regnare, sed carere his toris.

441. *Quem nec nouerca peremit, hunc perimes virum?*

Meus, *nouerca potuit*. benè. In sequentibus personæ turbant: quas sic digero: *Perimes virum? Cælestis ira q.p.m. facit, Humana nullos.* NV. *Parcem. & time.* DEI. *contempsit o.i. q.m. prius. Libet ire in enses.*

447. *Cur sæua modicè statuis? vt passa es, dole.*

Legebam, *sæua immodicè*. ex sententiâ: quam eamdem veriùs fortasse

Mss. Par. Lugd. præfert liber, **sæua modicis*. Id est: cur delictis modicis tam sæuã pœnam statuis? ira & vindicta tua, sint pro culpâ. Idem etiam liber: *vt læsa es.*

470. *--& cantu fugax*
Sit deprehensum fulmen,

Optimè

Optimè vetus, *Stet depreh.* tenetur & ligetur cantu, in ipso illo cursu.

472. *Medius coactis fugerit stellis dies.*

Ille idem, *ferueat stellis.*

486. *Est in remoto sedis egregiæ loco.*

Restitue eleganter ex meo, *remoto regiæ sedis loco.*

491. —— *amoris pignus Herculei manet.*

Vet. **latet.* Ort. Ald. Lugd.

494. *Quà celsus astris inserit Pindus caput.*

Idem, *Quà trepidus.*

499. *Vnóq; turpis subdidit cornu caput.*

Idem, *turpe*. quod melius. & dicit eum caput subdidisse, turpe vno cornu.

502. *Euenus altum gurgitem in Pontum ferens.*

Nemo damnet. sed verior tamen sententia subtiliorque elicitur è veteri, *gurgitem & pontum*. Caussa nimirum duplex Eueni aucti & alti. quod & suas vndas ferebat, & pontum iam acceperat. scilicet per æstum.

504. *Transire Nessus vorticem solitus vagum,*
Pretium poposcit.

Audi veterem, *solitus vadis*. Planè id germanum est.

522. *Traditq; nobis vngulâ insertam suâ.*

Melius, *vngulæ insertam suæ*. atque ita liber.

526. *Hæc docta Mycale Thessalas monuit nurus.*

Vetus, *docuit nurus.*

538. *Mentem per artus adeat, & tactus sinus*
Intret medullas.

Non conuenit *Sinus*. Veteri est, *tactus imas*. legam, *tactu intimas.*

558. —— *perbibat flamas mei.*

Liber, *formam mei.*

566. *Nunc congregetur virus, vt vestis bibat.*

Emenda ex eodem, *Nunc congeratur.*

685. *Tenuit Latias Dædalus oras.*

In Latióne fuit Dædalus? non nunc succurrit: etsi præfractè haud negem. Veteri meo clarè alia vox fuit, sed inducta: An, *Italas*? Nam fuit in Italiâ sanè, id est, Magnâ Græciâ. Cumis, & eo tractu.

703. *Fertur rapido regina gradu.*

Vetus, *Fertur medio.* quid verbi fuit? cogita.

706. *Vultus loquitur quodcumque negas.*

Idem, *quodcumque tegis.*

718. *Thalamisq; demens intuli gressum meis.*

Et hîc nescio quid aliud liber reponi suadet, *Thalamisq; ingerens*. Sanè Dementis vox incongrua.

720. —*solibus virus ferum*
Flammisq; Nessus sanguinem offendi arguit.

Non negabis quin coniectura nostra magis ad verum, **sanguinem ostendi* Ort. *arcuit*. Nam Nessus moriens præceperat, ne in lucem daret hoc virus.

Suprà: *Hoc nulla lux aspiciat, hoc tenebræ tegant Tantum remotæ.*

736. *Sic languet omne virus & perdit comam.*

Vetus, *comàs*. sed neutrum placet, & vulnerum plura in extremo hoc colloquio vestigia.

739. *Et quidquid illa tabe contactum est, labat,*
Tumensq; tacita sequitur, & quassat caput.

Quis ἀταξίαν non videat? An ad Tellurem hæc aptè referas? numquam. nec illa sanè tacita sequi virus potuit & caput quassare. Nugæ. Tu scito plagam hîc esse, vel potius hiatum. Deest versus aut alter, & hæc de Nutrice, opinor, dicuntur, quæ cum filio superueniebat mœsto, mœsta. Itaque παρασκευὴ est, vt solet, ad sequentia.

746. DE. *Nescio quod animus grande præsagit malum.*

Mss. Lugd. Post hunc versum liber meus duos istos inserit: * *Regina triumphi templa Iunonis pete, Hæc tibi patent delubra præclusa omnia.* Quos meæ fidei credo germanissimos esse, & ab Hyllo pronunciari facito, cum leui emendatione: *Regna, triumpha.* Iam, inquit, licet exsultes. vicisti. i, pete templa, sacrifica, sed Iunoni tantùm; cuius odiis gratum tu ministerium & instrumentum. Simile infrà in Choro: *Soláque obductis foribus deorum Templa securæ pateant nouercæ.* Sequens autem versus, *Effare qui*: iterum scilicet Deianiræ dandus.

776. *Euboica tellus vertice immenso tumens*
Pulsatur omni parte. Phryxeum mare
Scindit Caphareus: seruit hoc Austro latus.
At quà niuosi patitur Aquilonis minas
Euripus vndas flectit instabiles vagus.

Eubœæ descriptio est, haud scio an exactè vera. Ait Capharei promontorium ad Austrum esse. mallem ad Ortum dixisset, & Geographi mecum. Item, Euripum ad Aquilonem; ille autem certissimò ad Occasum est. Quod legitur, *omni parte*: in veteri est, *omni latere*. inq; eodem, *instabilis vagas*. & statim proximo versu, *Septémque cursus voluit*.

801. *Sic ille gemitu sidera & pontum ferit.*
Et vasta Calpe sonuit, & voces Cyclas
Excepit omnis.

Scio, quòd ad veritatem attinet, ἀνευδύνους ἐναυπόντας, & tollere iis rem supra fidem licere: sed tamen cum modo, & decoro. Quod autem hoc tam insolens mendacium, Herculis gemitum è Græciâ producere ad extremam Calpen? Numquam ille scripsit, sed quod liber suggerit, *Chalcis*. appositè. Nam in eo tractu ad Euripum opidum Chaleis est. hanc resonuisse vult, & vicinas Cycladas, itemq; Capharidas petras, quas mox addit. In Hispaniam quidem mente aut manu numquam iit.

813. *——— dumq; tremebundum manu*
Tenuit cadauer, hac manu, inquit, te feram.
O fata, victus Herculem perimit Lycas.
Ecce alia clades, Hercules perimit Lycam.

Valdè placet scriptura vetus, distinctione adiuta, hæc: *hac manu, inquit, hac ferar, O fata victus? Herculem perimit Lycas.*

819. *——— talis in cælum exsilit*
Harundo, Geticâ visa dimitti manu,

Aut

Aut quam Cydon excussit: inferius tamen
Fugiente trunco corpus in Pontū cadit,
In saxa ceruix.

Lycam describit violentâ & verè Herculeâ manu interfectum. Missum eum in altum vult eo impetu, quo sagitta Getica solet aut Cretensis. Sed in hanc sententiam nimis quàm meliùs præit Vetus; *inferius tamen Et tela fugient. truncus in Pontum cadit.* Comparat cum teli emissione. tamen, inquit, minus dixi, & illa ipsa tela non sic in altum ierint expressa.

837. *Et nota quærit litora.*

Liber, *Fluctisona quærit.* quod verum.

842. *Destituit animus membra, nox oculos premit.*
DE. *Quid anime cessas? quid stupes factum scelus?*

Prior versus Hyllo tribuitur, malè, tu Deianiræ, & scribe: DEI. *Destituit animus.* continenter cum sequenti. Nam illa ad hanc miseriarum narrationem animo linquitur, mox sese exstimulat & armat in suam necem. Sed malim & altero versu legi: *quid stupes? factum'st scelus.*

847. *——— tam leuis pœnas manus*
Tantas reposcit?

Præter Deianiræ mentem ista: quæ vult pœnam hanc leuem videri tanto admisso. Melius, *Leues pœnas manus Tantis reposcit*: siue, *reponit*. Tantis, intellege criminibus.

855. *——— perdidi erepto Hercule*
Et ipsa populos.

Ferre possem, nisi liber præluceret ad subtilius dictum: *Perdidi sola Herculem.* quod rectum, si tamen legis in sequenti Hemistichio, *Et ipse*: non, *ipsa*. Acutè ad augendum facinus suũ dicit misera: Ego Herculem perdidi, ille terrarum orbẽ. qui scilicet morte eius, præda iam feris & tyrannis.

857. *——— Coniugem Alcidæ necem*
Optare pudeat: hoc erit votum, manus
A me petatur. occupa ferrum ocius.
Cur? deme ferrum. quidquid in mortem trahit,
Telum est abundè.

Hîc quoque argutiolæ pereunt, à me imò à libro subleuandæ. Ille scribit, *hæc erit voto manus*. optimè. Cur necem aliunde, inquit, petam? dabit hæc manus, & expleuerit votũ. à me eam capiam. Scribe etiam, * *Cur deinde ferrum? quidquid* &c. Cur autem ferrum peto? inquit. rupes, saxum, & quidquid mortem dare potest, mihi pro ferro. Or.

895. *Vinci Hercules non potuit, hinc cæpit mori.*

Sanè acutior, quidquid reiiciant, & Poëtâ nostro dignior lectio vetus, * *cum potuit*. Dixerat nutrix, Viuit etiam ô Deianira tuus Hercules. Subit- Ms. Ald.
cit ista, At cùm inuicta illa virtus vinci potuit (quod veneno meo factũ: Par.
cui ille non resistit) potuit, imò cœpit iam mori. quasi velit, viuum illum Lugd.
vinci nõ posse: & hoc argumentũ mortui aut certè morituri, quòd victus. Bas.

199. *Si te ipsa damnas, scelere te misera arguis.*

Librum audi: *sceleris te miseram,*

906. *Lernæa flectens tela furibundâ manu.*

Sagit-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sagittas Herculeas intellegit, quas misit in natos, tinctas Lernæâ peste. Huic rei non conuenit flectendi verbum. quod damnat Codex, & reponit, *figens*. Sanè figi & defigi sagittas in corporibus scimus.

912. *Fraudem placet punire.*

Vetus, *Placet scelus punire.* & inuidiosis his verbis factum suum semper exauget Deianira.

916. *Immensa pestis coniugis membra abstulit.*

Potius, *Immersa*.

930. DE. *Quicumque misero forte dissuadet mori,*
Crudelis ille est. interim pœna est mori.
NVT. *Sed sæpe donum in pluribus veniæ fuit,*
Defende saltem dexteram infelix tuam,
Fraudisq; facinus esse, non nuptæ scias.

Tenebras tibi has illumino, face distinctionum. Vide. *Crudelis ille est.* NVT. *interim pœna est mori.* DEI. *Sed sæpe donum.* NVT. *in pluribus veniæ fuit.* Extremo etiam versu lego cum libro, *sciat*: vt ad Herculem referas.

945. *Meámque fallax vnda decipiat sitim.*

Vetus, *deludat sitim.*

950. — *recipe me comitem tui*
Phasiaca coniux, peior hæc, peior tuâ
Vtrâque dextra es, scelere seu mater nocens,
Seu dira soror est, adde me comitem tuis.

Litterula mihi dux ad veri latebras. nam veteri est, *tuo*, non, *tuâ*. Totum locum lego & interpungo: *peior tuo vtroque dextra est scelere, seu.* optimâ istâ mente: O Medea, cape me tibi comitem. nam & ego manus inquinaui: atque adeò turpius, quàm tu vtroque illo parricidio, vel cùm fratrem interfecisti, vel cùm natos.

974. *Virtúsne supereſt aliqua? Sarmatica & manus*
Intendere arcum tela missurum valet?
Non arma cessent, téque languenti manu
Non audit arcus, si potest telum dare
Animosa coniux, dexteram exspecto tuam.

Legi hæc scio: non intellegi, hoc quoque scio. Quæ hæc Sarmatica manus? cur Herculi adtributa? quiánc vsus eâ inter Sarmatas? somnia. Veteri est, *& armata manus*. Tu scribe, *armatæ*: & statim, *valent*. Eodem auctore corrige, *An arma cessant t. l.m. Non audit arcus?* Iam illa indubiè sic legenda: *si potes letum dare Animose coniux.* Nam hoc clamat impos sui mulier: Tuâ manu ô marite mori iuuat, si vires tibi ad dandam mortem. Dexterâ meâ vti differo, dum tuam exspecto.

998. *Ita nulla peragas iussa, nec peragens mala*
Erres per orbem.

Hyllum alloquitur, & deprecatur ab eo labores ac miserias patris. Commodius ergo veteri, *nec frangens mala.*

1016. — *sed quid hoc? tellus labat,*
Et aula tectis crepuit. excesit minax
Vnde iste cœtus?

Liber,

Liber, *excußis minax.* placet, si puncta sic mutes: *tectis crepuit excussis. minax Vnde iste cœtus?*

1026. *Peracta iam pars matris est, statuit mori,*
Nunc nostra supereſt, mortis auferre impetum.
O misera pietas, si mori matrem vetas,
Patri es scelestus.

Melius fuerit, certè clarius: *Nunc nostra supereſt. mortis aufero impetum?* Hyllus enim animi inconstans hæc dicit, & quid ago? inquit. prohibeo matrem mori? in patrem pecco, quem illa interfecit; ideoque mori meruit.

1034. *Tangens Threïciam Chelym*

Vetus, *Pieriam.* probè.

1039. *Oblitúsque sequi fugas*
Amisit liquor impetum

Credo, *fugax*. Distinctiuncula iuua.

1049. *Abrupit scopulos Athos*
Et iuxta Rodope stetit.

Imò, *Rhodopen*. Nam sub ipsâ Rhodope ceciniſſe Orphea vult: ad quam scilicet Athos accesserit. Atque ita liber.

1063. *Manes commonitos adi.*

Idem, *Manes cum tacitos*. nec aliter sententiam vllam feceris: *Adit* autem accipe quasi Adiit, vt suprà monui.

1125. *Quis tantum capiet * nefas* Ott. *nefas* Fatum.
Fati? quis superis locus?

Adsentior libens meo Codici, *Fratrum* scribenti, non *Fati*. Hoc ait. quis trium fratrum, inter quos diuisus orbis. Vnus capiet omnia, cùm vnum erunt omnia? Scis de Ioue, Neptuno, Dite. quibus trinum imperium, trino elemento.

1134. — *atrâ nube inhorrescat polus.*
Obsta nouerca, nunc pater cæcum chaos
Reddi decebat.

Scribo, ** nouercæ*. Precatur Hercules lucem & solem eripi, & nubium velum intendi, ne Iuno videat & triumphet in Hercule moriente. Mss. Par.

1164. *Cùm pænè trepidis excidit Titan equis.*

Bonum hoc, bonum: sed an germanum? Negat liber, qui præfert, *Cùm pænè lassis*. Scribam, *lapsis*. metu videlicet visi Cerberi vult succidisse Solares equos.

1173. *Nullum malum prosternit: impendo male.*
In nulla vitam facta.

Elegantius liber: *impendo, hei mihi, In nulla v. f.* Quam eamdem eiulationem repono versu isto.

1182. — *cadere potuissem mihi*
Iunonis odio.

Lego inquam, *hei mihi.*

1191. *Adhuc ferebas esse te Alcidæ parem.*

Cùm nexum sententiæ considero, suadeor legere, *Adhuc fremebas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

1201. *Vbique me mors fugit, vt leto inclito*
Fortis carerem.
Audio te, quisquis es, bone boni libri scriptor: *telo inclita Mortis carerem.*
1219. *Eheu quis intus scorpius, quis feruidâ*
Plagâ reuersus cancer infixus meas
Vrit medullas?
Quantò ille idem meliùs? *Heu qualis intus s.q. feruidâ Plagâ reuulsus.* Vult scilicet vi ablatum & dereptum è cælo in suam pestem.
1226. —— *abstulit costis iecur.*
Aliquoties iam antè lecur nominatum. verissimè liber, *latus.* In costis ipsis, inquit, adesum, nec iam compâret latus.
1238. *Astris ab ipsis detulit Stymphalidas.*
Scriptum, *depulit.*
1246. —*ô vires prius*
In me sepultæ.
Vetus, *vbi vires.* Distinguam, *vbi vires prius In me? sepultæ.*
1261. *Quæcumque pestis sæua, quæcumque effera es,*
Palam timeres.
In libro, *pestis siue.* concinno ex hoc reliqua, *siue quæcumque es fera.* Ambigit an pestem hanc dicat, an feram aliquam intra se latentem.
1276. *Flentem, gementem, summe protector poli,*
Me terra vidit.
Rectum est, *proh rector.* Atque ita liber.
1286. *Fletum* virtus sæpe resoluit.*
*Ms. Bas. *luctus.*
Valdè fallor, aut ex reipsa & sequenti imagine, legendum: *resorbet.* Comprimit virtus lacrimas, & iam labentes tantumnon deuorat & absorbet.
1303. *Giganta, crede, non minus verum mihi*
Asserere potui: dum patrem verum puto,
Cælo peperci.
Reformo in alium & pulchriorem sententiæ habitum ex Codice nostro, in quo *cælum*, pro *verum.* Optimè. Distinguo, *Giganta crede. non minus cælum mihi Asserere potui.* Nempe Hercules doloris impotès Iouem inuocat vt se fulminet. Quidni? inquit. olim gigantibus feciſti: crede & me vnum ex illis. Viribus certè non inferior, potui & cælum perfringere: nisi peperciſſem, ob te patrem. Hæc prælta & tumida: quis neget? sed nimirum eiusmodi complura in hac Tragœdiâ φυσήματα καὶ μολγοί.
1334. *Adhuc malis ferisq; suppositus fores,*
Si me tulisses. vindicem vestrum malis
Excipite.
Scribe, *Ni me tulisses.* & statim, *Eripite.*
1347. —— *sed vmbræ simile nescio quid mei*
Agnosce mater.
Nec damnes scriptum, *vmbram & vile nescio quid.*
1363. —— *quæ plaga inferni poli*
Vetans flagranti currere in Zona diem?
Dici de polo possit nobis depresso & minus sublimi, stultè. Assentiamur libro, *plaga ignifera poli.* —*qui*

1384. —— *qui Thracios fluctus Athos*
Frangit, Tonantis fulmen excipiens Iouis.
Spurium hoc & spurcum deputat liber, *Frangit, Iouisq; fulmen excipiens minas.* si tamen iuues & corrigas, *Mimas.* qui mons inter eximios & sæpe huic nostro aliisq; dictus.
1404. — *ille nimius impulsus dolor.*
Vetus, *impulsans dolor.* Credo, *impulsans.*
1429. *miseræq; nato similis Alcmenæ nepos.*
Imo, * *fato similis.* quod & vetus editio habet: quam (ignoscite & tamen agnoscite Critici) millies deprauastis. Ort.
1439. *Video nitentem regiam clari ætheris.*
Herculis alucinantis verba, & propinquâ morte, cælum somniantis. Sed vetus, *Video intersam.* ex quo lego: *Videóne tersam*
1443. —— *ora Phœbæus modò*
Afflabat axis, tam prope à letho fui.
In eodem suo delirio hæc enunciat, & eidem rei. Itaque optimè liber. *tam propè à cælo fui.* Hem, inquit. vbi ego nunc? iterum in terris? paullo antè iuxta Phœbum.
1490. *Est clara, captas inter incultas genus*
Regúmque referens, Euryto virgo edita.
Profert hæc ad Hyllum Hercules, cui tradit suam Iolem. Veteri est, * *incultum*, non *incultas.* Ex eo ego, *inclutum genus.* & *Regúmque* potius, quàm *Regum.* Ort.
1493. *Victor cruentus abstuli patrio à lare.*
Liber, *patriam, lares.* benè.
1508 —— *parce iam lacrimis meis.*
Idem, *lacrimis, parens.* quod certè verum.
1510. *Quid tale Iuno peperit, ætherium gerens*
Sceptrum & Tonanti nupta?
Illeipse, *Quid tale genuit, peperit.* omisso Iunonis nomine: quam hîc designari saltem videatur elegantius.
1532. *Quando, proh Titan, vbi, quóne summe*
Herculem in terris alium sequêris?
Scriptura palàm melior, *vbi? quo sub axe?*
1559. *AEacumq; inter geminósque Cretus*
Fata discernens. fieri tyranni
Parcite ô dites, inhibete dextras.
Etiam hîc: *Fata discernens, feries tyrannos.* Ponit Herculem apud inferos quartum iudicem futurum, & qui propriè, vt olim viuus puniat tyrânos.
1590. *Non duces sæuos miseranda tellus*
Habeat, nec vllâ dominetur aulâ.
Quî potest solum decus esse regni* Ms. *potent.*
Semper intensum tenuisse ferrum.
Versus alter nónne clarè labat? Erige, *Horreat, nullâ.* Nam Sapphici sunt, puri, puti. Lege etiam connexè, *aulâ Cui potest.* item, *impensum*, è libro, non *intensum.* Sensum hunc effice. Nusquam imperes, cui solum de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cus sceptri est, occupatum semper habuisse ferrum.

1596. [a] *Ecquid hoc? mundus sonat*

Vetus,[b] *Heu, quid hoc?* Quem audi, & me scribentem, *tonat.* Mundus enim huic poëtæ (nec sine exemplo) ferè semper Cælum.

1624. —— *Chaonis quondam loquax*
Stat lata vasti quercus.

Non nego, tota hæc descriptio exstructi rogi molesta, odiosa. quid facias? aut ne lege, aut corrige: *Stat vasta latè*, traiectu verborum.

1631. ——*tunc cadens lentâ morâ*
Duxit ruinam.

Repperio in scripto, *cadens latam sui.*

1653. *Victure felix. has enim numquam irritas*
Mittes in hostes.

Verba, quîs Hercules sagittas porrigit Philoctetæ. Ea in libro meliora: *Virtute felix iuuenis, has numquam.*

1722. —— *est nostros manus*
Quæ tendat arcus.

Scribe & σημματικῶς pronuncia, *en, nostros.*

1726. *Rogat ecce iam me genitor.*

Decorúmne Iuppiter roget? Negat ratio, & liber qui habet, *Vocat,*

1733. *Tantum ingemiscit ignis ad durum iecur.*

Concinnius feceris, *ignis. ah durum iecur!*

1748. —— *cumq; iam forti datum*
Leto satis pensauit, igniferas trabes
Hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat
Totáque in ignem vertit.

Scribe, *minima quas flamma.* Nam hoc vult longâ & affectatissimâ narratiunculâ, Herculem postquam probauit satis parem se dolori & cuicumque ferendo letho, trabes rogi corripuisse & ad se traxisse, quæ minimum etiam vstæ: scilicet vt totus toto rogo iam perureretur.

1756. ---*sed quid hoc? mœstam intuor*
Sinu gerentem reliquias magni Herculis,
Crinémque iactans squallidum Alcmene gemit.

E veteri legas, *sed quid hanc mœstam intuor Sinu gerentem?* & *Cinerem*, non *Crinem.* Quod planè verum reor, si reseribas in fine, *gerit.*

1763. *Hic tumulus ille est. ecce vix totam Hercules*
Compleuit vrnam.

Acue sententiam, & lege, *illi est.*

1821. *Hic pax cruento rege prostrato data est,*
Vbi enim negata?

Illustriora hæc facio. *Vbi ei negata est.* sine interrogatione, & voculâ additâ è libro. Sensus: Hic Thraciæ vniuersæ pax est data, postquam Diomedi vni negata est: quem interemit.

1870. *Ille Tyrannus iussit Stygias*
Penetrare domos, populisq; mandans
Ponere ferrum.

Chorus

[a] Ald. Lugd. *En quid.* [b] Ort.

Chorus in laudem Herculis pronunciat. Scribo autem, **tyrannos.* Deinde, **populisq; madens*: egregiâ & verâ correctione. Nam vulgatum illud **Lugd.* versus abnuit, & structura dictionum. Mẽs est, Herculem Tyrannos misisse ad inferos, & tinctum cruore populorum ferrum iussisse deponere. ** Ort.*

1897. ——*Flete Alciden*
Quòd non flabulis vescitur infans

Ego tibi adfirmo scribendum, **nascitur infans.* Flete, inquit, Herculem: Orœ cui debetis, quòd non nascuntur vobis pueri, futuri pabulum equis.

1922. *Teq; in primo limine Ditis*
Mõstra morantur?

Nihil hîc monstra valent. lege cum libro, **Fata.* Ms. Par.

1271. *Proinde luctus pone, quos gnato pater*
Genetrix inerti.

Legam, *gnato paret.* Vetus autem *Meretrix* suggerit, pro *Genetrix*: nec video quî approbem.

1982. *Et numen, & te mundus æternus tenet.*

Mundus, id est cælum: Tamen liber, *te numen æternum.* haud improbè. Sequenti versu velim, *Io triumphe.* Et vsurpo libens, post longam cum vitiis in hac Fabulâ pugnam. quæ ipsa (vno verbo dicam) vitium: nec in vllo scripto manifestius φρύαγμα & ὄγκος.

AD THYESTEN.

Quę fabula bona, & in manibus est minus maculosa. Eò hîc ego breuior.

Vers. 1. *Quis me furor nunc sede ab infaustâ extrahit?*

Tantali verba emergentis ab inferis, sed cum occultâ labe. Téne Furor extrahit? nullus, sed furia ipsa, Megæra. Assentiamur igitur meo libro, *Quis me inferorum sede ab infausta.*

9. *Aut pœna Titÿ, semper accrescens iecur*
Viscéribus atras pascit effossis aues?

Ille ipse hîc hemistichio auctior: *Aut pœna Titÿ, qui specu vasto patens.* & subiũgit deinde, *Semper accrescens iecur*, Defectúsne est? an illa ab adtextu?

54. *Ornetur altum culmen, & lauro fores.*

Leue est: sed nota fidi libri, qui præfert, **altum columen.* Ald. Lugd.

59. *Ecquando tollet ignibus iam subditis*
Spumante ahẽno? membra per partes eant.

Melius distinxeris: *Spumante ahẽno membra?*

93. —*moneo, ne sacrâ manus*
Violata cæde, néve furiali malo
Aspergat aras.

Imperandi formulâ scribe, *Violate:* itemque, *Aspergite.*

105. —*iam tuo mœstæ pede*
Terræ grauantur.

Elegantior lectio scripta: *tuum mœstæ pedem.*

170. —*stat miser obuios*
Fluctus ore vocans.

De Tantali inexstinctâ siti. cui verbum aptiùs præfert codex, *crepetens*. Nam captat sanè idem tidem, non solùm aduocat laticem.

228. *Aurata reges sceptra Tantalici gerunt.*

Vetus, *Tantali*: ego, *Tantalei*.

237. *Pars nulla nostri tuta ab insidiis vacat.*

Idem, *Pars nulla generis tuta.*

300. *Malisq; fessos grauibus, & faciles capi*
Preces mouebunt.

Quem cur non & hîc audiam? *Prece commouebo.*

329. —— *multa turbatus solet*
Detegere vultus ——

Vetus: *multa sed trepidus solet*. Vtrumuis rectum.

387. *Rex est qui metuit nihil.*

Ex manuscripto & meo & Fabricij versiculus addêdus, *Rex est quiq; cupit nihil*. Cur autẽ eum deleant? plenitudo sententiæ postulat. nec aliter verè hoc regnum constat, nisi duplicem affectum adimas, Spem & Metum.

441. *Pater potest regnare:* THY. *cùm possim mori.*

Subobscurum hoc responsi. legam, *potes regnare.* THY. *quin possum mori.* Nempe impellunt filij (heu, improuidi) Thyestem ad eundum: & spe inprimis regni. Ambigis pater? ecce, in propinquo sceptrum. Respondet ille haud vanè timidus, sed & mors fortasse in propinquo.

459. —— *non ventrem improbum*
Alimus tributo gentium: nullus mihi
Vltra Getas metitur & Parthos ager.

Hoc dictum de multitudine seruorum, ad verbum è Senecæ prioris Epistolis sumptum moneo. cuiusmodi multa adnotare tibi possim in his bulis, studio quodam ab eo viro sumpta. Versu tertio, *metatur*, legit codex, & cum eo ego. *Metabat sese circum loca*, in Poëtâ veteri legi.

463. —— *nulla culminibus meis*
Imposita nutat silua, nec fumant manu
Succensa multâ stagna.

O suaues hîc interpretes! Stagna aiunt succendi, vt fundus dulcior, dulciores reddat pisces. Tu scito de Balneis domesticis & ambitioso in eas apparatu Poëtam loqui. Non attigissem, nisi iussisset deus Risus.

487. *Eatur, vnum genitor hoc hortamen est.*
THY. *Ego vos sequor, non duco.* PYL. *Respiciat deus.*

Quod *hortamen vnum*? quæ sana hîc mens? Egregiã emendationem præit liber. *vnum genitor hoc testor tamen, Ego vos sequor, non duco.* Continenter hęc Thyestes dicit euictus tandem suadelâ siue precibus liberorum, Age, inquit eamus. tamen hoc pater vobis testor, sequi me, non ducere.

524. —— *ornatus cape,*
Quales mei.

Vetus, *Pares meis.*

578. *Scylla pulsatis resonat cauernis,*
*Ac mare *intortum timuere nautæ.*

Ort. *in tortum.*

Frigidum hoc, si attendis. Quid mirum si Scyllam iratam nautæ timeãt? vilius,

vilius, quàm pro re, dictũ. Scriptus: *Ac mare in portu timuere nautæ.* Quod verum fateberis, si rimaberis. Nam hoc ait: Cùm Scylla sæuit & tempestas vbiq. atrox; nautæ vix in portu securos se putant, illîc etiam timent. at cùm serenum rediit, non solùm naues, sed & cymbæ persultant & contemptim ludunt in illoipso freto. Sequentia vide. huc adigunt.

603. *Anxius sceptrum tenet, & mouentes*
Cuncta diuitias, metuitq; casus
Mobiles rerum, dubiumq; tempus.

An rex diuitias timet? vouet, scio. Sed alienas fortasse quia nihil tam sanctum, quod illæ non violent; tam firmũ, quod non expugnent θεοὶ. Alij substituunt, *dynastas*: contra versuum legem. Librum meum, si sapis, approba: *diuinat metuitq; casus.* Rex, inquit, semper in metu: & si præsẽtia bona, tamen diuinat & præsagit casus fallaces & summa imis miscentes.

639. *Non quæro quis, sed vter effare ocius.*

Labat versus. In scripto lêgi, *Non quæro quid sit, sed vtrum est effare.* nec hoc rectè. Caliginem in hac festinatione non dimoueo.

640. *In arce summâ Pelopis, vna est pars domus.*

Assentior magis veteri: *Pelopeæ pars est domus.* Nam Pelopeum, breui penultimâ, vt Dioneum Catullo.

649. *Arcana in imo regia secessu patet.*

Si arcana, quomodo patet? Liber, *iacet.*

693. *Contrectat, & componit, & ferro admouet;*
Accendit ipse. nulla pars sacri perit.

Non præteruolat me scripta lectio, *Attendit ipse*: & mirum ni vera. Vult eum attentè obseruasse (vt ritus) motus gestusq; nouarum istarum hostiarum: volentes se darent ad securim &c. Nam de igne accenso, haud æquè narrationi faciat. Tamen.

740. *Pectore receptus ensis, in tergo* exit.* Ort. *exstitit.*

Liber, *in tergo stetit.*

822. *Tenebrasq; iubet surgere, nondum*
Nocte peractâ.

Minimè verò *peractâ*: sed vt libri veteres, **paratâ*. Ecce enim Sol sese condens Noctem inducebat & surgere iubebat ante tempus, ideoque imparatam. Habes Thyestem: muginor nunc tibi Ort. Ald. Lugd.

IN OEDIPVM.

Vers. 1. *Iam nocte pulsâ dubius effulsit dies.*

Haud damnes. tamen purius germaniusq. censeã quod in libro, *Iam nocte Titan dubius expulsâ redit.* Sanè vocula *Dies*, parũ amœnè mox repetitur.

4. *Iam cernet auidâ peste solatas domos.*

Idem habet, *Prospiciet auidâ.*

34. *Incolumis ergo, scilicet Phœbi reus.*

Amplector scriptum*, *Incolumis adsto.* Ort.

42. —— *tenuis Ismenos fluit*
Et tingit ipsâ nuda vix vndâ vada.

Liber,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Liber, *tingit inopi.* quis non præferat? Et ſtatim, *nubilo pallet die:* non vt vulgò, *pallet nouo.*

61. *Properatq́, vt alium regerat in eumdem rogum.*

Idem, *vt alium repetat.* Hæc ſanè ſententia eſt. Parens à funere properat ad funus, & petit alium quem comburat.

93. —— *cruentos peſtis infandæ tuli*
Rictus.

Idem, *vatis infandæ.* De Sphynge ſermo.

95. *Cumq́, è ſuperbâ rupe iam prædæ imminens*
Aptaret ales verbera, & caudam mouens
Sæui leonis more, conciperet minas.

Primo verſu, neſcio an *ſupernâ* melius. altero ſcribo, *Aptaret alas, verbera & caudæ mouens.* In libro quidem meo eſt, *caudæ.* Deſcribit in Sphynge violentam famem & rabiem. Iam, inquit, alas explicabat ad me inuolandum, iam caudæ verberibus ſe ſtimulabat, ſolitum leoni.

101. *Nodoſa fortis verba.*

Vides verum eſſe, *ſortis.*

174. *Vaga per lucos ſimulacra virûm*
Maiora viris.

Malim, *Maiora veris.* Hæc opinio veterum, manias iſtas & mortuales imagines, ſemper apparêre ſupra verum humanumque ſtatum. Noſtra ad XI. Taciti vide.

186. *Multoq́, genas ſanguine tingit.*

Conuenit cum notâ Thucydideâ in Peſte, qui ὀφθαλμῶν ἐρυθρήματα appellat: ſicut & Lucretius facit: —*oculos ſuffuſa luce rubentes.* Tamen Codex noſter, *tendit*, præfert. haud malè: vt multo illîc concurſu ſanguinis tendi velit & horreſcere pellem.

244. Siquid video, Perſonarũ diſcrimen mutandum, & hoc faciẽdum:

CR. *Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.*
OED. *Curam perempti maior excuſſit timor.*
CR. *Pium prohibuit vllus officium metus?*
OED. *Prohibent nefandi, &c.*

270. *Ita molle ſenium ducat, & ſummum diem*
Securus alto degat in ſolio parens.

Oedipi votum & iuratio eſt, Ita pater mihi, inquit, quietè moriatur in ſuo regno. Sed nónne melius huic ſententiæ liber? *alto reddat in ſolio.* cenſeo. Nam & veteres vulgati, *regnet*, non, *degat.*

280. *Vnde altus ima deſerit, cælum petens.*

Parnaſſum deſcribit attollentem ſe & aſſurgentem. legit vetus, *altus arua deſerit.* rectiſſimè.

334. *Pudet deos neſcio quid. huc propere admoue.*

Liber, *propè admoue.*

338. ——*expauit diem*
Trepiduſq́, vultum obliquat & radios fugit.

Proba, ſed an ſincera? negat liber, qui ſuggerit: *vultum ſolis & radios.* Multa autem hîc & rara notabis ad Ritualia ſacrorum.

Iuuen-

341. *Iuuenca ferro ſemet oppoſito induit.*

Vetus, **impoſito.* De ſecuri non malè. Silius XVI. *Victimaq́, admotæ ſtabat ſubiecta ſecuri.* Vulgata tamen recta, de cultris quibus cadentem excipiebant & iugulabant. Ms.

373. *Quod hoc nefas? conceptus infauſtæ bouis.*

Liber, *innuptæ bouis.* Atq. ita ſanè duplex mõſtrũ: quòd nec ſuo loco fętus, quòd nec in vaccâ. Suprà Iuuencâ appellauit: & ſolẽt tales eligi ad ſacra.

377. *Infecit arctas liuidus fibras cruor.*

Malo cum libro, *Infecit atras.*

382. *Vox eſt, nec vſquam territi fugiunt greges.*

Legebam, *mugiunt greges.* appoſitè. At liber ſuadet, **reſonant:* quod magis approbem, quia mox Mugiendi vox iteratur. Mss.

500. *Concinit tædas geminus Cupido.*

Ex ritu antiquo egregiè liber, *Concutit.* Scis in nuptiis faces præferri ſolere, & plerumque à pueris. Huc reſpiciens vult Bacchi & Ariadnes cœtui præluxiſſe Cupidinem vtrumque.

536. —*ſilua iam feſſâ cadens*
Radice.

Scribe, *illa iam*, auctore libro. Nec enim de ſiluâ totâ loquitur, ſed diuiſim de arboribus. Hæc, inquit, ramos amiſit: iſtam iam radix non tenet, &c. Vide verſus ipſos. Quod ſemel monitum, ſemper fac. Quis enim tibi fructus aliâs ex breuiculis his Notis?

551. ——*ipſe funeſto integit.*
Vates amictu corpus, & frondem quatit.

Quam frondem? Taxum, cupreſſum, aut ſimilem aliquem feralem ramum? Non abnuam. niſi quòd præualet apud me codicis ſcriptura, *frontem.* Nam frontem quatere mœſti aut irati ſolent: nec diſconuenit infero huic ſacro.

620. —*atque ab omni diſſidet turbâ procul.*

Illuſtra, & ſcribe, *deſidet*, cum meo libro. Nempe vult Laĩum, qui inuitus & vi violentâ carminis protractus ad ſuperos, procul ſe remouiſſe ab aliis, & ſolum reſediſſe, ſeque occultantem.

634. —*prima qui ſauæ necis*
Sceptra, & nefandos occupat matris thoros.

Pręfero quod in meo eſt [a] *præmia qui:* ſiue quod in priſcâ editione, [b] *pretia.* [a] Ort. [b] Lugd.

682. *Certiſſima eſt regnare cupienti via,*
Laudare modica, & otium ac ſomnum ſequi.

Non hercules *ſequi*, non: ſed *loqui.* quod adſerit vetus. Nam ita eſt. qui regno occulti imminent, regnum & alta ſermone deteſtantur, vt re aſſequantur. Prudentiſſimus hiſtoricorum: *Simulatorem ſegnitiæ, dum temeritati locum reperiat.*

685. CR. *Parúmne me tam longa defendit dies?*
OED. *Aditum nocendi perfido præſtat dies.*

Liber vtrobique ſufficit, *Fides*, pro *Dies.* Ego libens audio.

701. —— *Quiſquis in culpâ fuit*
Dimiſſus, odit omne quod dubium putat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tenebræ in hac sententiâ: quas mirabor, siquis penetrabit. Ego dispelli eas censeam, vocibus paullùm compositis, aut correctis. *Quisquis in culpâ fuit Dimissus, odit, omne quod dubium, puta.* Sententia biceps. Primùm ait, Omnem qui accusatus & dimissus, odisse eum apud quem, & ob quem, in periculo. Deinde vniuersè hoc Regibus præcipit. de quo ambigis, pro certo habe: & culpam ambiguam, puni vt veram. Vide adiuncta, videbis verum me vidisse.

771. *Cecidisse nostri stipitis impulsu obuium,*
Liber, *stipitis pulsu*: fauente versu.

795. *Grauem paterna regna discutiunt metum.*
Ort. Ald. Lugd. Bas. Par. Et hîc ille aptiùs: **Omnem p. r. discutient metum.*

805. *Quod subditicij præmium gnati petit?*
Liber, *subditiui*, &, *petijt*. notâ lapsi temporis, vtrumque rectè.

889. *Lene sed modicum fluens.*
Aura.
Concinnem ex vestigiis scripti: *Lenis & modicè fluens.*

1007. ——*qualis attonita & furens*
Cadmæa mater, abstulit nato caput
Sensimúe raptum traxit: afflictum alloqui
Cupit, pauetq;.
Hæc verò inepta. Scilicet in furore illo sensim & leniter caput auulsum traxerit Agaue? aut hæc ad similitudinem faciant, quam instituit Poëta? nihil. Liber meus: *Sensitúe raptum dubitat.* Ex quo aptissimè apto: *Sensitq; raptum. dubitat, afflictum alloqui Cupit, pauetq;.* Qualis, inquit, Agaue cùm furens filio caput abstulit & mox facinus sensit, attonita stetit, probaret an damnaret facinus, fileret an loqueretur: talis hîc Iocasta.

1011. Io. *Cupiunt & horrent ora. nam quid te vocem?*
Alia in nostro lectio: *Et hæret ore prima vox. quid te vocem?* & quidem omissâ Iocastæ personâ. Ego valde approbem, si tamen rescribas, *Sed hæret.* itemque diffindas versum, & Iocastam inseras ante hæc verba, *Quid te vocem?*

2014. ——Oe. *quis frui tenebris vetat?*
Quis reddit oculos? mater, an matris sonus?
Verum censeo: *matris en, matris sonus.* atque ita liber. Adfirmatè hoc dicit indignans Oedipus. Quid iuuat eruisse oculos ne viderem matrem? ecce audio, & taminor ab illo sensu. Silet Oedipus: opem meam poscit

HIPPOLYTVS.

Quæ tamen fabula, veteri meo libro PHAEDRA inscribitur: neque nullâ de causâ.

vers. 13. *Vbi per glacies lenis Ilissus,*
Vbi Mæander super æquales
Labitur agros.
De Atticâ sermo. vbi igitur in eâ glacies, aut fluuij glaciati? ambigo. An non, *per glareas?* contractâ in bisillabam voce, ob versum. Vt velit Ilissum per scrupos & saxa volui, Mæandrum per æquabiles arenas. Videatur,

deatur. nisi vitium tamen maius nonnullo indicio librorum. Nam meo ecce, *totus ille secundus versus abest: idque, cùm bis in eo (nescio quo casu) scriptus primus hic Actus. At editioni priscæ, abest totus primus. in quâ *Melanes* etiam est, non *Mæander*. Cogita. nam calidè hæc me scribere vides. *Mss. Par.

163. *Quid pœna præsens conscius noctis pauor?*
Benè. Nam nocte plerumque inquietati scelerum memoria. Tamen meo est, *mentis pauor.* non minùs rectè.

237. NVT. *Resistet ille, seq; tractandum dabit?*
Hæc cum sequentibus Nutrici tribuuntur. nolim. Ego Phædram ea dicere velim, sed affirmantem, non rogantem. At huic versui personam Nutricis dederim: NVT. *Tibi ponet odium.*

262. *Prò castitatis vindicem armemus manum.*
Nec hoc placet in Nutrice. Da Phædræ: & obiter corrige, *Pro castitate.* Mori enim illa præoptat, quàm pudorem violare. quod tamen impedit Nutrix, quæ mihi iam dicat, NVT. *Sic te senectus nostra.*

277. *Iste lasciuus puer, acrè nitens.*
Malim, *ac renidens.* Fallaci quodam risu, Cupido. Statim, *moderatur arcu:* ex veteri.

286. *Quaq; ad occasus iacet ora seros.*
Probè, nescio an verè. Liber arguit: **Quaq; ad Hesperias iacet ora metas.* Ms. Nec moueor, quòd versus non ad Grammaticam legem. permutat enim interdum pedes hic Poëta: vt mox, *Si quæ Parrhasiæ glacialis vrsæ.* Ita enim liber.

305. *Perq; fraternos, mala regna, fluctus.*
Vetus, **noua regna.* Ioui noua: cui regnum cæli. Ms. Par.

332. ——*quaq; ætherio*
Candida mundo sidera currunt.
Idem, *quaq; per ipsum Candida mundum.* Interpolarunt ij, quibus Mundum ἁπλῶς pro Cælo dici, nouum erat.

Altrix profare, quid feras? quónam in loco est?
Actus secundi hoc initium, sed planè παράλογον. Quid enim roget Phædra de successu alloquij, cùm vix digressa ab eâ nutrix? Sed nec sequentia, ad hanc mentem. Liquet mihi transpositum versiculum, & infrà alibi inserendum: ac mirum ni illîc, vbi Phædra ad aspectum Nutricis in hæc decorè erumpat: tum denique viso etiam Hippolyto, concidat. Sufficiigitur censeam post versum 584. Vide.

368. *Nec se quieti reddit.*
Vetus, **Nunc se.* Dat quidem se quieti, sed illa non admittit. Mss. Ald. Par. Lugd.

403. NVT. *Depone questus, non leuat miseros dolor,*
Regina. sæuis ecquis est flammis modus?
Agreste placa virginis numen deæ.
Ausim hæc traiicere, sic: NVT. *Regina sæuis ecquis est flammis modus?* **Sepone questus: non leuat miseros dolor. Agreste placa virginis.* Res suadet. Ms. Par. Lugd.

444. *Mentem relaxa, motibus festis facem*
Attolle.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Liber, *noctibus festis*. quod valde approbo, & scio hæc dici de nocturnis sacris Triuiæ. Propert. *Cùm videt accensis deuotam currere tædis In nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ.*

512. ——*siue fons largus citas*
Diffundit vndas.

Idem, *defundit*. aptiùs.

520. —*si celer somnus premit*
Secura duro membra versantem thoro.

Idem, *certior somnus*. &, *versantur thoro.*

531. ——*non vasto aggere*
Crebraq; turre cinxerant vrbes lacus.

Lacus interpretantur Fossas quibus vrbes cinctæ. Cur librum non magis
Mss. audiam, * *latus*, scribentem? Vrbes enim sibi latus cingunt & claudunt aggeribus murorum & turribus.

592. *Cur dulce munus redditæ lucis fugis?*
Aude anime, tenta.

Personis hęc variari placeat: HIP. *Cur dulce m.r.l.fugis?* PHAE. *Aude anime.*

605. *Vos testor omnes cælites hoc quod volo.*
HIP. *Animúsne cupiens aliquid effari nequit?*

Ort. Fallor. aut bonæ lectionis & sententiæ mihi liber auctor: * *Vos t.o.c. hoc quod volo Me nolle.* HIP. *animúsne cupiens aliquid effari nequit?* Phædra aperire amorem cupiens, vim eius primò aperit. Et dij mihi testes, inquit, cupere me quod non cupio, velle quod nolo. sed adigit sæuus & inuictus ille deus. Nimium sanè hæc bona. Sed versus, inquies, spernit. Iam antè monui, inseri interdum dimidiatos istos versiculos, sententiâ poscente, nec sine grauiorum vatum exemplo. Quòd si concinnare tamen versus placet: deleam τὸ *aliquid*. & legam, *cupidus*, pro *cupiens*.

619. *Muliebre non est, regna tutari patris.*

Ms. Germanum credo, **tutari vrbium*: vt in libro.

621. *Ciues paterno fortis imperio rege:*
Sinu receptam supplicem ac seruam rege.

Mss. Lege è scripto, * *ac seruam tege.* Præiuit Regendi verbum: & iucundâ paranomasiâ Tegendi subdit. haud paulo aptius ad Phædræ mentem & votum.

658. *Et genitor in te toruus, & toruæ tamen*
Pars aliqua matris.

Lugd. Credo veriùs, * *in te totus*, fide libri.

768. *Langue scunt folio lilia pallido.*

Insertâ voculâ vetus, *vt lilia*, rectè.

783. *Lasciuæ nemorum multiuagæ deæ,*
Panes quas Dryadas montiuagi petunt.

Dic verum. hæc capis? non puto. Liber meus, *Panasq; Driades montiuagos*. Emendo, *Panas quæ Dryades montiuagos*. Mens & ordo verborum: Te Hippolyte lasciuæ deæ petent ob tuam hanc formam: illæ ipsæ Dryades, quæ Panas & Satyros solitæ furtim petere.

823. *Deformis seny limina transeat.*

Hoc

Hoc sanè aptum &, puto, verum. Quid scriptura tamen vetus vult, *seny monstret imaginem?*

826. *In scelere quærit crine lacerato fidem.*

Emendant, * *Et scelere.* Meo fuit, *In scelera*, quod valdè probo. etsi dele- Ms.
tum id, & repostum, *En secla!* quod ipsum haud spernam, detestandi & admirandi quâdam formâ.

852. *Et limine in ipso vasta lamentatio.*

E veteri, *In limine ipso* * *mœsta.* optimè. Mss. Par.

974. —*hominum nimium*
Securus, ades non solicitus
Prodesse bonis, nocuisse malis?

Opinor scribendum, *Securus audis.* Cur tu ô magne deus, inquit, cùm cetera mûdi cures & dirigas, culparis tamen & audis securus hominum? Nam vetus & solita hæc deblacteratio in Deum.

1022. *Latuere nube numen Epidauri dei.*

Hoc perplexum vetus euoluet, è quo scribe: *Latuere rupes numen.* Illæ rupes, inquit, quas Æsculapius insidet, latuêre præ alto hoc fluctu. Ab Euripide est, qui hac ipsa in re: Ἐκρυπτὸν' Ισθμὸν, καὶ πέτραν Ασκληπιάδ.

1045. *Longum rubenti spargitur succo latus.*

Veteri, *fucco*. ego, *fuco*.

1063. * *Toruusq; currus ante trepidantes stetit:* Mss. Et
Quis *Toruus?* *Moles?* Nam id præcessit. Orbili, tuam fidem. Noster, *Toruaq;*: ad Grammaticam, non ad versum. Lege, *Torumq;*. toruæ D'el-Rio. Tauruſq;

1128. *Admota ætheriis culmina sedibus*
Duros excipiunt Notos.

Versum imple è libro: *Euros excipiunt, excipiunt Notos.*

1176. *Animaq; memet pariter & scelere exuam.*

Liber, *Animáque me fredam pariter.* Quid hoc monstri? eruo, & scio scriptum fuisse *Animáque Fædram pariter.* Sanè hæc sui compellatio haud paullo validior ad affectum.

1195. *Mucrone pectus impium iusto patet.*

Possit videri illi simile, *Esuriente leone ex ore exsculpere prædam.* & quæ talia. Tamen vereor vt verius sit, *iusto pete.*

1271. *En hæc suprema vota genitoris cape.* Mss.
Vetus, *Et hæc suprema* * *dona.* verè.

1275. *At vos per agros corporis partes vagas*
Acquirite.

Idem, *Inquirite.* Aut hoc verum, aut magis *Anquirite.* Excipit nunc

TROAS.

Vers. 28. *Testor deorum numen, aduersum mihi,*
Patriæq; cineres: téque rectorem Phrygum,
Tuosq; manes, quódque stetit ante Ilion.

Hecubæ hæc attestatio est, quæ compellat deos, Priamum, Hectorem. sed de isto, verba in mendo: quod elues è libro nostro, *Tuósque manes quo*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtetit ſtante Ilion. Nam hoc illa & alij Hectori tribuerunt, Troiam ineo & cum eo vixiſſe. Bella hæc emendatio.

49. *Quod penitus actum, cùm recepiſſet libens,*
Enſis ſenili tinctus è iugulo redit.

Vana verba. Quid enim mirum, enſem ſanguineum extractum è vulnere? At contrà voluit. & meâ fide ſcribe, *Enſis ſenili intinctus.* quod interpretor, non tinctus. aut ſi diſplicet, voculam immiſce, *ſenili haud tinctus.* Sententia quidem palàm & mens Hecubæ hæc fuit: Priamum, cùm Pyrrhi gladium animosè recepiſſet, tamen emiſiſſe illum ſanguine vix tinctum. Nónne decorè hoc de ſene, qui frigidus & ἀναίματος? Nequid ambigas, ecce de eodem Priamo, idem Poëta in Agamemnone: *Vidi, vidi, ſenis in iugulo, Telum Pyrrhi vix exiguo Sanguine tingi.*

56. —— *non tamen (ſuperi) ſat eſt,*
Domum ecce Priami, nuribus & natis, legens
Sortitur vrna.

Mss. Par. Baſ. Liber meus, * *ſuperis ſat eſt*: quod verius, & ſimplicius. Sequentia à me ſic concinno, *Domum ecce Priami è nuribus.*

87. —— *veſte reuulsâ*
Subſtringe ſinus.

Mss. Ald. Par. Baſ. Lugd. Idem, * *veſte remiſsâ.*

161. *Felix quiſquis bello moriens,*
Omnia ſecum conſumpta videt.

Præfero ſcriptum, *conſumpta tulit.* Aufert videlicet omnia ſecum, qui poſt ſe nihil linquit.

172. —— *terra mugitu fremens,*
Concuſſa cæcos traxit ex imo ſonos.

Quid? vt inſonuerit aut vocem emiſerit terra? nihil tale. Scribe cum libro, *ſinus*, non *ſonos.* Eſt hoc ipſum, quod mox dicit: *Tunc ſciſſa tellus aperit immenſos ſpecus.*

203. *Triton ab alto cecinit Hymenæum choro.*

A quo alto choro canit Triton? Miſſis nugis lege, *Tritonum ab alto cecinit Hymenæum chorus.* atque ita liber. Vult Tritones in mari, quia Achilles Thetidis filius, præcinuiſſe nuptiis eius & Polyxenæ.

228. —— *Thracios nutrit greges,*

Scriptus, *mittit greges.*

240. *Iacuit peremptus Hector ante oculos patris,*
Paritérque Memnon.

Ort. Lugd. Quæ mala libido hæc ſubſtituendi, cùm in libris clarè eſſet, * *Patruíque Memnon?* Certè idem Priamus Hectori pater, & Memnoni patruus, per fratrem Tithonum.

244. *Didicítque Achilles & diis natos mori.*

Mss. Par. Multò melius veriúſque noſter, * *& deâ.* Nam parente ſaltem deâ genitus Memnon, vti & Achilles.

256. *Quo plura poſsis, plura patienter feras.*
Quid cæde dirâ nobilem clari ducis
Aſpergis vmbram.

Hæc

Hæc parum inter ſe nexa, ſi legendo continues. Perſonis diuidere malim: PYR. *Quò plura p. p. feras.* AGA. *Quid cæde d.*

266. —— *Troia nos tumidos facis*
Nimium ac feroces.

Imò verò, *timidos.* Vterque affectus ab illâ; Ferocia quia vicerant, Timor quia tam potens illa victa: exemplum ſcilicet, nihil eſſe res humanas.

279. —— *affligi Phrygas*
Vinciq́; volui: ruere, & æquari ſolo
Etiam arguiſſem.

Scribe, *arcuiſſem.*

397. *Arctoi Boreæ diſsipat impetus.*

Germana vox in veteri, *diſsicit.*

476. —— *ſed mei fati immemor,*
Tam magna timeo vota.

Sententia poſtulat, *fati memor.* Reuocat ſe à tam magnis & felicibus votis Andromacha: & ſcio, inquit, aliud eſſe fatum Troiæ & Tröum.

548. —— *ſi tamen tecum exigas,*
Veniam dabis, quòd bella poſt annos decem
Totidémque menſes, iam ſenex miles timet.

Quid ais Vlyſſe? Bellúmne illud ad Troiam decem annorum & decem menſum? exacta putatio: ſed alibi nuſquam lecta, imò falſa. Nitnis iuuat hîc liber, *bella poſt hiemes decem, Totidemq́; meſſes.* Aureola correctio.

552. —— *magna res Danaös mouet,*
Futurus Hector. libera nos hoc metu.

In meo, *libera Graios metu.*

596. *Immiti Vlyſſi gaudium ac Danais dabo.*

Eodem, *Inuita Vlyſſi.* benè.

605. *Vt luce caruit, inter extinctos iacet.*

Verſiculi huius corruptio, prioribus omnibus fraudi eſt; quos non eſt capere, niſi hoc correcto. Benè autem iuuat meus liber: *Vt luce caret, vt inter.* Nam hic fermo & iuratio Andromaches. Ita, inquit, in patriâ moriar, ita terra meo Hectori leuis eſto: vt Aſtyanax quem quæris, lucem non videt, vt eſt inter functos. Et verè iurabat. nam recondebat eum ſepulchrum.

699. *Miſero datur, quodcumque fortunæ datur.*

Sententiam, vt ſic dicã, exſenſam reformo aptè: *Miſeræ datur quodcumq; fortunæ datur.* Verum, ait, illud beneficium eſt quod in miſeros confertur: cùm das, ſine ſpe recipiendi. Et ſanè alia dona, non dona ſed hami.

899. *Cùm dimicantes læta proſpiceres viros.*

Enorme & nimium hoc eſt, vt Helena cum gaudio aſpexerit pugnantes Paridem & Menelaum: Satis, ſi abſque acri dolore. Itaque aſſentire meo libro ſcribenti, * *lenta.*

Ort. * Mss. Ald. Baſ. Par. *iratum.*

924. *Ignoſce Paridi, iudicem * irritum puta,*
Habitura cauſſa eſt.

Fabricius primus, opinor, *Irritum* iſtud ſubſtituit. vanè. In ſententiâ nihil vidit. Lux à codice: *iudicem iratum mea Habitura cauſſa eſt.* Dicit Helena:

Tu

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tu licet Parim excuſes. at mea cauſſa iudicem ſuum habet, & quidem iratum. quem? Menelaum, quem nempe læſi. In eius nunc ego arbitrio.

947. *Viden' animus ingens lætus vt audierit necem?*

Magis ex lege verſus, liber: *Vide vt animus ingens lætus audierit.* Nam in ſecundâ ſede, liberiorem interdum hunc noſtrum video: magis ſtrictum in quartâ.

1084. *Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus tegit.*

Deſcribit concurſum illum vulgi, omnia, ad aſpectum Aſtyanactæi ſupplicij, occupantis. Sed huic menti magis faciet ſcriptura libri, *fagus gerit.* Vult alium in rupe ſtetiſſe, alium in pinu, lauru, fago.

1117. —*ſilicis incuſſu caput*
Ruptum.

Vetus, *ſilicis impulſu.*

1145. *Stupet omne vulgus, & ferè cuncti magis*
**Perituram adulant.*

Ald. Lugd. *Vt peritura laudant.* Hieronymus Alexander caput huius lectionis ſpecioſæ, ſed falſæ. Tu Georgi Fabrici, cur ſubſcriptor? Nihil tibi ego detractum eo: ſed profectò non laudatiſſima opera tua in hoc quidem Poëtâ. quem ſæpius cura tibi inuouandi fuit, quàm in veteri nitore cõſeruandi. Libri priſci, etiam meus, * *Perituram laudant.* quod verſus ſpernit: ſed *Peritura* lege, & rem habes. Per γνώμην adiunctam narrat & effert. Omne vulgus attonitum ſtetit in formâ Caſſandræ: & eò magis, quòd inſitus nobis mos laudandi peritura. Nihil verius. vel loca ſuppliciorum noſtrorum adi. Itaque velut parentheſi quâdam hæc legenda.

Ort.

1149. —*omnium mentes tremunt,*
Miſerentur ac mirantur.

Suauius, quod in libro: *Mirantur ac miſerantur.* Abeo

AD AGAMEMNONEM.

Verſ. 15. *Vbi ille celeri corpus euinctus rotæ.*

Malim, *inuinctus.*

35. *Auo nepotem (prô nefas) patri virum,*
Natis nepotes miſcui.

Ald. Lugd. Veteri, * *Auo parentem.* Quæ intemperies mutantium? Hiſtoria ſiue fabula ita depoſtulat. Nam Thyeſtes hæc enunciat, qui Ægiſtho pater idem & auus. Ille, quia genuit: iſte, quia ex filiâ.

37. *Sed ſera tandem reſpicit feſſos malis*
Poſt fata demum ſortis inceſtæ fides.

Lege, *Poſt facta.* itemq; *incertæ:* hac mente. Oraculum hæc ſcelera elocutum nobis; ſed incredulis, donec fides incertæ dictioni ab euentis.

52. *An deceat hoc te reſpice: at matrem decet.*

Ort. Lugd. Diſtinguo & ſcribo, *An deceat hoc te?* reſpice ad matrem: decet.* Ambigis, ô Ægiſthe, inquit, an ſcelus te deceat? matrem cogita, & quomodo natus ſis: decet. Scelere conceptus, quid edas niſi ſcelus?

Quæq.

84. *Quæq; ſuperbos vrit Erinnys,*
Tumidas ſemper comitata domos.

Vetus, *Nimias ſemper.*

104. *Felix, mediæ quiſquis turbæ*
Parte quietus.

Iſipſe, *Sorte quietus.*

130. *Proin quid eſt? da tempus ac ſpatium tibi.*

Muto, *Proin quidquid eſt, da tẽpus.* ſic, vt prima vox exaudiatur vniſillaba.

147. *Cui vltima eſt fortuna, quid dubium timet?*

Litterulâ mutatâ illuſtro, *dubiam.* Qui in extremâ ſorte, media non timet. nihil euenire peius poteſt.

208. *Hunc fraude nunc conaris inſanâ aggredi.*

Noſter, *conaris & furto aggredi.* verè & eleganter. Furta enim, de fallaci quouis & inſidianti facto, Latinis dicta.

235. *Tu nos pericli ſocia, tu Ledâ ſata*
Comitare: tantum ſanguinem reddet tibi
Ignauus iſte ductor.

Cæci hîc interpretes. nos diſtinctiunculâ expedimus: *Comitare tantum. ſanguinem r. tibi.* Ait Ægiſthus: At tu, ô Clytæmneſtra, non ducem te diſcrimini præbe, ſed ſociam tantùm: faxo vt Agamemnon hic tuus breui nobis det cruorem. Altero abhinc verſu ſcribito, —— *vultus languido obtutu ſtupet.*

254. *Effuſa circum pellicum quanto venit*
Turba apparatu? ſala ſed longè eminet
Tenétque regem famula veridici dei.

Primum velim, *Affuſa.* deinde eſt in libro, *turbâ ſed longè eminet:* amœnè, niſi damnet verſus. Scribas ex eodem, *Tenétque regnum.*

316. ——*tu quoque noſtros*
Thebana manus comitare choros.

Nónne magis γνήσιον, *Thebäis hoſpes comitare?* Ita meus liber: & ſcio mutatum imperitis.

334. ——*cùm Titanas*
Fulmine miſſo fregere dei.

Noſter: *Fulmine victos videre dei.*

427. *Aurata primas prora ſignauit vias.*

Liber, *prora deſignat.*

468. *Cùm Luna ſubitò conditur, ſtellæ cadunt.*

Idem, *ſtellæ latent.* quod verius. & ſequenti verſu, * *tollitur, cælum petit,* Ort. Ald. ſine copulâ.

478. *Libycuſq; arenas auſter, ac Syrtes agit.*

Idem, *ad Syrtes.* ſuo, & bono ſenſu.

504. *Sed trunca toto puppis Ionio natat.*

In noſtro, * *ſed fracta toto.* Ald. Lugd.

524. *Vehit iſta Danaos claſsis & Troäs ſimul.*

Eodem eſt, *& Troäs vehit:* iteratione eiuſdem verbi hîc appoſitâ.

548. —— *tandem horream*
Aliena inerti tela mitti dexterâ?
Meus habet, *tene horream.* Muto faciem orationis, & scribo: *téne horream? Aliena inerti tela mittis dexterâ.* Ad Palladem auertit Aiax. & ego te, inquit, timeam? quæ nec tuum quidem telum in me torques. Nam Iouis hoc est fulmen.
573. —— *iam timent terram rates,*
Voluúntq; maria: cedit in luctum furor.
Ort. Liber: *Malúntque maria,* cecidit in lucem furor.* Prius verum & clarum. alterius sententia hæc, Sub lucem demum desisse, vt solet, tempestatem.
621. —— *restitit annis*
Troia bis quinis,
Vnius noctis peritura fato.
Idem, *peritura furto.* quæ notio verbi suprà mihi notata.
625. *Fatale munus Danaûm traximus nostrâ*
Creduli dextrâ.
Ort. Ald. Lugd. Euariat codex: * *Danaúmque fatale munus duximus nostrâ.*
671. *Non quæ tectis Bistonis ales*
Residens siluis, impia diri
Furta mariti garrula deflet.
Hirundinem intellegi clarum est. sed eáne in siluis? imò domuum assidua cultrix. Benè igitur liber: *Residens summis*: & mox, *garrula narrat.*
685. *Tristis lacerat brachia tecum,*
Quæ turritæ turba parenti
Pectore rauco concita, buxum
Ferit, vt Phrygium lugeat Atym.
Scio de Tibiâ hæc accipi posse, quæ Gallorum propria, & sæpe ex buxo. Tamen liber occultiorem ritum præit, dum scribit: *Pectora rauco concita buxo Ferit.* Fanatici enim isti in simulato hoc luctu pectora sibi tundere soliti, pinu, aut buxo. Claudianus,
Cymbala ferre licet, pectúsque illidere pinu.
Lampridius in Commodo: *Isiacos verè pineis vsque ad perniciem pectus tundere cogebat.* Statius lib. x.
—— *quatit ille sacras in pectora pinus,*
Sanguineósque rotat crines.
760. *Ardéntque pallentes genæ.*
Veteri, *Turgéntque.*
778. *Coniúxque pariter obuios illi tulit*
Gressus.
Placet magis scriptum: *Et festa coniux obuios.* Vult eam læto habitu obuiam isse marito.
817. —— *candida Phœbe.*
Liber, *pallida.*
914. *Quos anime demens refugis? externos fugis?*
Domus timenda est.

Electræ

Electræ ad fratrem verba sunt, quem domo amolitur: haud paullò tamen melius concepta in nostro: *Quid anime demes refugis externos metus?*
937. *Et ista demum palma Pisæi Iouis*
Velamen eadem præstet.
Liber: *Et ista donū.* verissimè. Palmā significat sibi datam præmium ludis.
961. EL. *Nobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?*
Idem, *Vobis?*
963. *Regina frangam.* EL. *mitius interea mihi*
Tu vidua loquere, vir caret vitâ tuus.
* Liber hîc contractior, & nescit alterum totum versum. Sic ille continuat & legit: EL. *Citius interea mihi Edissere vbi sit gnatus.* Sanè vulgata illa, quæsita & frigidula: vt multa in hoc Colloquio. Ort.
1006. *Vt paria fata Troïcis tulerit malis.*
Liber melius, *lueret malis.* Supereſt mihi vltimus labor

OCTAVIA.

vers. 41. *En qui ora Tanais primus imposuit iugo.*
Legebamus, *Tamesis.* Criticus diuinus, *Britannis.*
47. —— *nec graues luctus valet*
Irâ coacta tegere crudelis viri.
Secreta refugit semper.
Distingue: *Irâ coacta tegere crudelis viri Secreta refugit semper.* Id est, Auersa à viro, spernit & fugit cum eo esse sola: quod amant tamen nuptæ.
100. *Toleranda quamuis patiar: haud vnquam queant*
Nisi morte tristi nostra finiri mala.
Ineptè. Exaggerare mala sua vult Octauia: hic sermo attenuat. Scribo, *Toleranda quæuis:* hac mente. Vis coërceri à me animum & linguam Nutrix? possim, si modò ea feram, quæ alius ferat. At nostra mala intoleranda, & quæ finiat sola illa omnium finis.
114. *Et morte gaudet auctor infandæ necis.*
Malim *Et sorte.* vt partem sortemq; Britannici dicat abisse ad paricidam.
134 *Emergere vndis, & fer auxilium tuæ.*
Credam purius (etsi quàm multa hic impura?) *Emerge te vndis.*
149. —— *Criminis factus reus.*
Emendaui alibi, *ficti reus.* adiuuat nunc liber, in quo, * *facti.* Ort.
207. *Aureus idem fulsit in imbri*
De Ioue, qui liquidus ob Danaëm. Aptius ergo liber: * *fluxit.* Ort.
248. *Vtinam suorum facinorum pœnas luat*
Nero: * *ipse diuo Domitio genitus patre,* Ort. *insidiuo.*
Orbis tyrannus.
Bellè. laudatum scilicet ire vult Neronis patrem & stirpem? imò depressum. Atqui & Diuum Domitium facit, falsò. Liber meus, *Nero nisi duo.* Nos optimè: *Nero insitiuus, Domitio g.p.* Hoc ei obiicit. nec ex stirpe quidem Cæsareâ esse, sed fraude muliebri insiticium, cùm verus ei pater Domitius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

269. —— *prodidit lapsam domum.*
Scribe cum libro, *perdidit.*
458. NE. *Despectus ensis faciat.* SE. *hoc absit nefas.*
Minatur Nero facturum se, vt scita sua & iussa non populi consensus firmet, sed ensis. Sed displicet adiuncta vox Ensi: & scribam, *Detectus ensis* siue *conspectus.* Nam in vrbe & togâ, gladij tecti ac conditi.
482. *Inuidia tristis victa consensu pio*
Cessit Senatus, Equitis accensus fauor,
Plebisq; votum est, atque iudicium patrum.
Tu pacis auctor, generis humani arbiter.
Confusa hæc sic digeras licet:
—— *consensu pio*
Cessit: Senatus, Equitis, accensus fauor:
Plebisq; votis atque iudicio patrum
Tu pacis auctor.
Quod scripsi, *votis*: à libro est. in aliis nos adminiculati.
569. *Vix sustinere posset hos thalamos deus*
Videre, populi sancta nec pietas sinat.
Mss. Ald. Par. Lugd. Bas. Lectionem veterem recipe: * *dolor videre populi, sancta nec.*
579. SE. *Negare durum est.* NE. *Principem cogi nefas.*
Imò, *Necare*⌣. Id enim minatur Nero anteriore versu, ferro se expressurum, quod precibus nequiret. Statim * *Remittat ipse*⌣, non *Permittat*, Ort. est in libro.
657. *Socerum diri miseranda viri*
Potes hæc demens sperare memor?
Hos ad thalamos seruata diu
Victima tandem funesta cades?
Altero versu omnino legendum, *Potes, heu, demens*: & interrogatoriæ notæ delendę. Quem tamen Socerum intellegit? Si rectum est, censeam Appium Silanum: qui pater L. Iunij Silani, desponsi Octauiæ. Et hic enim, & ille, interempti. Octauiæ igitur vaticinantur eundem exitum. Sed profectò nescio an eligam. *Sociam diri.* hoc sensu. Sperare ô demens potes sociam te futurā Iunij Silani tui viri, & quidem mactandam (quod olim illi factum) ipso die nouarum nuptiarum.
682. *Affigat humo violenta manus*
Similes nimium vultus dominæ.
Scribo, *Affligat.*
722. *Diducta subitò patuit ingenti mihi*
Tellus hiatu lata, quò præceps toros
Cerno iugales.
Distinguo, *Tellus hiatu: lata quò præceps.* illuc delata præceps.
729. *Irrupit intra tecta tum trepidus mea*
Ensemq; iugulo condidit sæuum Nero.
Malo, *trepidus meus.* de Nerone.
749. *Iugulo quòd ensem condidit Princeps tuus.*
Malo, *Princeps tuo.*

Quæ-

791. *Quæcumque claro marmore effigies stetit,*
Aut ara fulgens, ora Poppææ gerens.
Non negitem Aras etiam positas Poppææ: sed nunquid illæ os eius gerebant, quod poëta addit? haud putem. Coniecturam nostram, credo, approbes: *Aut ære fulgens.* Quæcumque statua, inquit, aut è marmore illi facta, aut ex ære, corruit.
794. ——*membra per partes trahunt,*
Diducta laqueis.
Non *Diducta*, sed * *Deducta.* Nam is mos vt restem laqueosq; statuis alOrt. tioribus iniicerent & detraherent. Satyricus: —— *descendunt statuæ, restemq; sequuntur.* Nota.
796. ——*verba conueniunt feris*
Immista factis quæ timor recipit meus.
Sepire flammis Principis sedem parant.
Diffindere hæc non dubitem, & personam indere, sic:
Immista factis. CHO. *quæ timor recipit meus.*
NVN. *Sepire flammis.*
Interloquitur ad hæc noua & inopinata Chorus. & quid timidus, inquit, audio?
808. *Læsi tristes dabitis pœnas*
Sanguine vestro.
Conuenientiùs scribas, *Læui tristes.* O læui & malè prouidi Quirites, luetis & eluetis sanguine vestro hæc facta.
850. *Abstrahere nostris coniugem caram thoris.*
Liber, *coniugem tantam.* probo.
858. —— PR. *estne qui sontem arguat?*
NE. *Populi furor.* PR. *Quis regere dementes valet?*
NE. *Quis concitare potuit?* PR. *haud quemquam reor.*
NE. *Mulier, dedit &c.*
Omnia hæc, quia subtiliora, confusa, corrupta. Primùm lege, *Qui concitare potuit.* Deinde: PR. *Haud quaquam reor*, *Mulier.* hac sententiâ. Quid admisit Octauia? Populus ob eam insaniuit. Quis populum possit regere? illa ipsa, quæ concitare. At non puto in fœminam id cadere: cui animus quidem nocendi, non tamen vires. Lentè examina mi Raphelengi: probabis.
869. *Vel pœna quæ tam sera damnatam premit.*
Etiam hîc hærebis, sine manu emendatrice. Nos putamus ad Neronem hæc referenda, sic:
NER. *Vel pœna. quæ tam sera.*
Responsio, quæ pendet à Præfecti verbis vltimis. Dixerat ille, Timore fœminas frangi, pronas alioqui ad malum. Imò pœna eam premet potiùs, ait Nero: iusta, etsi sera.
892. ——*flentem, miseram*
Cernere possis.
Liber, * *possunt.* aptè ad priora.

977. *Vrbe est nostra mitior Aulis,*
Et Maurorum Barbara tellus.

Scio Pœnos liberos Saturno immolasse, atque ita humanas hostias fecisse. Nec tamen id factum hîc tangitur. addit enim, *Hospitis illîc cæde litatur.* At nusquam lectum de hospitibus in Mauritaniâ siue Africâ vulgò quidem immolatis. Fidenter rescribo, *Et Taurorum.* Ad Tauros Scythiæ populos, & in iis Dianæ inhospitam aram alluſum; quæ tibi nota.

HABES, *mi Raphelengi, quæ inter legendum, vt fit, ad oras notaueram mei libri: sed notaueram mihi. Nam describere hæc aut digerere in alienum vsum, nec cogitaui vnquam* ἐν ὀνείροις. *Tu tamen impulisti & impetrasti. cui si hæc ad Editionem quam paras aliquid seruient (quod spero, imò confido:) scopum meum attigi, nec profectò* — ἄλιον ἔβαλος ἔκφυγε χειρός. *Vale. Scripsi Lugduni in Batauis, Nonis Octob.* CIↃ. IↃ. LXXXVII.

Universidad de Deusto Biblioteca

M. TVLLII

CICERONIS

CONSOLATIO.

Liber, quo seipsum de filiæ morte consolatus est.
Nunc primùm repertus, & in lucem editus.

De quo iudicium IVSTI LIPSI subiunctum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD LECTOREM.

SIT, quem quisque volet, magni Ciceronis imago:
Nec Cicero, viuo nec Cicerone fuit.
Quisquis at ille fuit, bellè declamat & aptè
De miseris hominum casibus atque malis.
Qualis & est Senecæ, quæ Controuersia fertur:
Nomine quámque pari Quintilianus habet.
Tu tamen hinc gratos, Lector bone, collige fructus,
Quid sit homo speculo dum docet ille suo.
Quid refert vetus an noua sit medicina salubris,
Æger ab hac medicâ dum releuetur ope?
Magna sed interea debetur gratia vobis,
In lucem per quos iste libellus iit.
Faïe te Regis Procurator cate, Præses
Te Leo, teque præes qui Gilo Consiliis.
Per vos tres liber hic redit in noua secla superstes:
Vestraque fama per hunc vsque perennis erit.

Io. Auratus Poëta Regius.

M. TVLLII CICERONIS CONSOLATIO.

QVANQVAM recentibus morbis medicinam adhibere vetant sapientes, nihilque aduersi hominibus accidere solet in vita, quod aut improuisum, aut inexpectatum videatur, conemur tamen, si qua ratione possumus, mederi nobismetipsis, & domesticæ subuenire calamitati. Si enim quoties vsuuenit, consuluimus ceteris, cur non aliquando nobis ipsis? &, si mala, quæ nec vitari, nec auerti humanis viribus possunt, pertulimus toleranter, cur non ea, si possumus, ratione leuiora faciamus? præsertim cùm ad ægritudines, & molestias depellendas eò acrius incumbere homines debeant, quò melius est, sine cura viuere, quàm curis, & angoribus oppressum, ac circumuentum, humanam conditionem satis per se miseram, aliis etiam incommodis efficere miseriorem. quid porrò præstantius, quid vtilius est, quàm cùm corpore valeas, curare, vt etiam animo valere possis? siquidem corpus animi gubernaculo, animus autem ministerio corporis indiget. at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi rectè parebit imperio. Quamobrem prudenter à doctis & sapientibus viris & cogitatum, & factum est, qui de luctu minuendo ante nos scripserunt, quorum extant satis multa, sanè sapienter litteris mandata, imprimisque à Theophrasto, Xenocrate, & Crantore, quorum libros cùm sæpe animi caussa sumpserimus in manus, admirati eorum saluberrimis præceptis refertam, & conditam eloquentiam, tum proximè legimus necessariò: casus enim ereptæ nobis filiæ, quam in oculis ferebamus, eximiis & virtutis, & prudentię laudibus præstantem, ita nos vel perculit, vel afflixit, vt ab iis opem ad leniendum & mitigandum dolorem petere coacti simus, quorum maximè doctrina, atque auctoritate antea mouebamur. Itaque multa, quæ ab illis vel acutè cogitata, vel eleganter enuntiata sunt, ad dolorem nostrum abstergendum colligemus, vt, si minus ceteros in tanto mœrore delectare poterimus, quod aliàs & dicendo, & scribendo efficere conati sumus, & fortasse interdum præstitimus, saltem nobis ipsis medeamur. Sed nos etiam in hoc fortiores erimus, quàm ceteri: quibus difficile non fuit, cùm doloris expertes ipsi essent, alios consolari, & à mœrore abducere: nos autem dolore afflicti, consolationem à nobis petentes, nosmetipsos in dolore vincemus, ac naturæ quandam quasi vim afferemus. quæ vtinam tanti sit, vt cæteros quoque in pari fortuna doceat aduersos casus patienter ferre: qui quò sæpius contingunt, eò propiores hominibus putandi sunt, quasique in ipsa humana natura innati atque insiti, ideoque leuiùs ferendi. qui enim hominem se esse agnoscit, hominisque

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomen sibi vindicat, cur ea, quæ hominis maximè propria sunt, recusare, ac reiicere audeat? quod simul vt fecisset, & imprudens, & iniustus meritò haberetur. atque hic locus à Theophrasto egregiè tractatus, & perpolitus est: itemque à Xenocrate, quorum vterque eos, qui communes casus recusant, imprudentiæ, atque iniustitiæ condemnat, alter etiam diis ipsis aduersos non dubitat appellare, quod etiam grauius crimen est, ac vix in homine tolerabile. qui, cùm omnia Diis immortalibus accepta referre debeat, quorum ope viuit, intelligit, agit, si eorum voluntati repugnet, cum Diis, gigantum more, bellare videbitur. hæc autem peritè, vt dixi, à multis tractata sunt: sed ego Crantorem sequor, cuius legi breuem illum quidem, sed verè aureum, &, vt Panætio placuit, ad verbum ediscendum de luctu librum, quo acutè vniuersam doloris medicinam complexus est, sed humanæ naturæ incommoda ita diligenter & accuratè expressit, vt quasi luendorum scelerum caussa nasci homines, & in hanc lucem ingredi, possis agnoscere. Fac enim nasci hominem, & in lucem edi. continuò senties, non rerum humanarum dominum, & gubernatorem exortum, sed verius miseriarum seruum, atque incommodorum. nam infantiam & pueritiam vagitus, lacrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis, nec corporis vsus, dolores, molestiæque quamplurimæ amplectuntur. Adolescentiam ardor quidam excipit ætatis, nec prudentiæ, nec iudicij compos, rerum vtilium, ac laudabilium contemptio, voluptatis, & sæpe turpitudinis appetitio, veri boni ignoratio, in pares ferocia, in superiores superbia, in infimos arrogantia. ex his conuentiones, rixæ, contumeliæ, assiduus deniq; molestiarum concursus existit: ex rebus honestis contemptis infelicitas, & infamia, ex turpibus curiosè arreptis, & conquisitis luctus, morbi, perpetuum denique sui ipsius odium, ex cognita rerum turpium mercede conflatum. Adde insanas pecuniarum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopiæ, non liberorum, non vxoris, non posterorum, non familiæ. quæ siquis ætatis potius vitia, quàm naturæ miserias, velit appellare, quamquam nominis quæstionem inducat, non tamen ipsas ab homine miserias, atque incommoda remouebit. Nec verò audiendus erit, qui hæc ab humanæ naturæ miseriis separanda putet, quòd non in natura insita sint, sed vnius vel aliquorum hominum errores videantur, totius autem naturæ illa esse affirmet, quæ nullo à prorsus homine seiungi possint. quasi verò humanum non sit irasci, quòd multi non irascantur, aut non humanum loqui, & societatem coire, quòd multi reperiantur, qui nihil difficilius faciant, quàm cum hominibus congredi, aut sermonem cum aliquo conferre. verè autem humanæ miseriæ sunt, quòd & si non omnes in vno, certè omnes in omnibus, & aliqua in multis, & multæ sæpe in vno agnoscuntur. Iam, constantis ætatis quot quantæque miseriæ sint, non difficile est intelligere, at difficillimum enumerare. hæc enim ex omnibus hominis ætatibus in perturbationes animi, in pericula capitis, famæ, fortunarum vna maximè incurrit. sicut enim ceterarum omnium ætatum, ad res negotiaque tum priuata, tum publica peragenda aptissima est, maximeque idonea, ita etiam vna præ ceteris

teris omnibus, difficultatum, miseriarumque omnium, quæ ex publica, priuataque administratione oriuntur, particeps, & socia est. hæc priuata amicorum negotia procurat, hæc publica sustinet munera: hæc gloriam, & commodum ex rebus feliciter euenientibus, hæc ærumnas, & molestias ex aduersis experitur, huic bonorum ciuium propugnatio, huic malorum accusatio proposita est, huic inuidia, & æmulatio à bonis imminent, à malis pericula & insidiæ intenduntur: ætas numquam sibi ipsi non infesta, numquam pacata, semper laboriosa, semper anxia, & sollicita. quæ si non aliquos interdum vel vtilitatis, vel voluptatis fructus ex assiduo labore perciperet, seipsam profectò regere, ac tueri non posset. Sed miseriarum numerus multo maior est, magnitudo autem tanta, vt neminem à publicis procurationibus non auertere, ac deterrere possit. Illustre præbuit exemplum vniuersæ ciuitati calamitas nostra, quam ex parta ciuium salute, ex defensis aris, ac focis, ex proditoribus à Reipublicæ ac Populi Romani ceruicibus depulsis contraximus. Sed nostra fuerit ærumna. ciuibus contigerit salus & quies, quam etiam vita ipsa profundenda, si opus fuisset, libentissimè redemissemus. Nihil necesse est mihi de me ipso prædicare. sed tamen verissimè affirmare possum, eos demum annos me verè vixisse, quos in præclaro aliquo patriæ vel commodo, vel ornamento consumpsi. ac si longius mihi vitam producere liceret, non me alia caussa ad diutius viuendum, quàm publicæ vtilitatis studium curaque adduceret: quæ vna cogitatio in homine glorioſa, & laudabilis est maximè. Nunc quæ extrema de ætatibus supereſt, quid ego de senectutis incommodis, ac miseriis loquar? quas plurimas esse, & grauissimas, & nomen ipsum, languoris calamitatisque plenissimum, indicat, & adspectus ipse senum hominum patefacit. quid est enim aliud senem videre trementem, incuruum, canum, inbecillum, infirmum, quàm cernere morientem viuum, aut viuentem mortuum? Ac, si nonnullis visum est, magnam esse senilis ætatis cõsolationem, prudentiam, vsu rerum quæsitam, quæ illius ætatis propria est, eosdem illos fateri oportet, ex eo ipso fonte manare etiam ad senes non minimum doloris, atque molestiæ. qui enim se prudentem, rerumque agendarum peritum agnoscit, cur non doleat, quæ optimè intelligit, præ ætatis vitio optimè etiam perficere non posse, &, si patriam diligit, cur non angatur, quòd, quam consilio iuuat, opera etiam iuuare non possit? eoque maior prudentium dolor est, quòd optimorum consiliorum fructum nulla alia ratione percipi posse, quàm si optimè ad exitum perducantur, intelligunt. quòd, nisi vir optimus patriæque amantissimus ad agendum accedat, prorsus inania sint futura.

De ætatibus satis mihi videor dixisse. quid iam de generibus hominum loquar, aut nunquid principes viros, & medios, & infimos æquè miseros esse negare possum? Reges ipsi quàm miseri sint, quantoque opere sollicitudini, timori, atque insidiis propositi, satis ostendit Dionysius, cùm imminente capiti gladio Damoclem fortunæ suæ felicitatem voluit experiri. nec mirum, cùm iis bellorum calamitates, agrorum vastationes, populorum cædes, vrbium exitia immineant. quæ cum eue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niunt, qui victoria potitur, aliquid & ad gloriam, & ad imperium semper acquirit, sed tanta præterea rerum amissio, tantusque sumptus consequitur, vt magni constet victoria, ac plerumque præstiterit, numquam arma sumpsisse. sin profligatio exercitus, aut clades aliqua contingit, nihil eo statu miserius ne cogitari quidem potest, siquidem captiuitati, inopiæ, luctui, contemptui coniunctus est. Sed fac Regem esse à bellorum impetu, & à castrorum puluere remotum: sua pacatè possidentem, nulla hostium incursione vexatum. num iccirco tutior, & à miseriis securior? quin immo, vt otium humana natura non fert, ipse sibi molestiam, ac sollicitudinem exhibebit. nam aut de augendis vectigalibus, aut de producendis finibus, deque vrbibus ad imperium acquirendis, aut de iungendis cum potentioribus propinquitatibus, atque amicitiis cogitabit. quæ qui animo agitat, nec à molestia liber est, nec alios securos, ac quietos esse finit. De Auaritia verò, maxima animorum peste, nolim hoc loco pluribus disputare: quæ in deside, atque otiosa mente quàm maximè exoritur. eáque erectiores animos, & altiores dignitatis gradus maximè sollicitat.

Huic generi infimum hominum genus opponitur: quod, vt nomine abiectissimum, sic re quoque omnibus calamitatibus, atque angoribus est propositum. Huic inopia, fames, contumelia, iniuriæ, tributorum solutio, militiæ incommoda, misera denique omnia perferenda sunt: eoq; miserius est, quòd ceteris omnibus, cùm aduersa fortuna premuntur, permulta tamen suppetunt, è quibus consolationem, doloriq; leuationem petunt. at infimam plebem natura ipsa fatali quadam necessitate tam abiecto, tamque imo loco collocauit, vt omnibus ærumnis subiecta, nulla propemodum ratione erigi, aut subleuari possit. Ne mediocris quidem hominum conditio miseriarum expers esse cognoscitur. nam inter summum, & infimum interiecta, alteri paret, alterum patitur. cui si imperare posset, certè longius à miseria distaret. Sed quia neque dignitate præstat, nec summos viribus adæquat, suo statu contenta esse cogitur. Itaque multis in ciuitate perfungitur incommodis, non illis quidem parum Reipublicæ fructuosis, aut valde ad ferendum grauibus, atque asperis, sed quæ tamen animum sollicitent, & humanas miserias augeant. Hæc longiori oratione persequi, non est præsentis instituti, ante oculos omnia sunt, & nobis præcipuè re ipsa perspecta & cognita. Nec vero alia est fæminarum conditio. aut enim iisdem, aut parum certè diuersis & molestiis, & angoribus vexantur. nam & iisdem morbis, quibus viri animi perturbationibus mentisque erroribus obiiciuntur. eoque miserior illarum status est, quo mollior natura & ad propulsanda incommoda, calamitatesque perferendas infirmior. easdem, quas viri, ex parentum, fratrum, sororum, affinium interitu molestias, & dolores hauriunt: maritos sæpe fatuos, parum de re domestica sollicitos, pecuniam profundentes nanciscuntur. ex quo paupertas, & luctus, quibus malis eo premuntur grauius, quòd non, vt homines, indagare possunt, qua maximè ratione medeantur incommodis, rebusque suis consulant.

Quantum

Quantum Tullia mea ex patris exilio doloris, quantum ex maritorum ærumnis, & difficultatibus luctus, molestiæque percepit? & quamuis optanda etiam minimè pauca in vita viderit: malorum tamen paucorum sensus, vel doctissimis hominibus iudicantibus, ita acerbus est, vt bonis vel plurimis, & maximis æquetur, interdum etiam præferatur. Permulta præterea in hoc genere sunt, quæ reticere præstat, quàm edere. sed magna certè, vel hoc vno nomine, fæminarum miseria est, quòd quamdiu viuunt, parere semper coguntur. aut enim innuptæ parentibus, & affinibus, aut nuptæ maritis parent, & seruiunt. sic, quo minus liberæ, eo magis miseræ, nec vnquam liberæ, nisi è vita profectæ. ergo mortuæ beatæ censendæ erunt. nec sanè video, quid aptius dici possit. Sed, vt ad nos ipsos redeamus: cui vxor contigit, is, præter communes omnium calamitates præcipuo etiam miseriæ genere premitur, quòd non solum suis, sed etiam domesticis vxoris, & familiæ molestiis, curisq; vexatur. neque enim ab ea, qui cum arctissimo matrimonij vinculo conglutinatus est, aut mente, aut cogitatione seiunctus esse potest. Itaque tot vexatus calamitatibus, tantisque miseriis circumclusus hominis animus, quid egregium, aut eximium suscipere, aut cogitare potest? mirum, ni sese abiiciat, ac veluti desperatione perculsus humi iaceat. Redeo igitur ad illud, quod initio dixi, neminem esse, qui spiritum ducat, non miserum, neminem verè felicem. parumque sapiunt ij, qui hominem luendorum scelerum caussa natum, felicem, aut beatum audent nominare. nostra enim, quæ dicitur vita, mors est, nec vnquam viuit animus, nisi compage solutus corporis, liber æternitate potiatur. itaque mortem in beneficij loco tributam à Diis immortalibus, iis, quos maximè dilexerunt, traditum est: vt, cùm, Herodoto auctore, Argia sacerdos, quod optimum filiis esset, à Dea precata, eos reperit mortuos. mortem autem, tanquā optimam, illis esse concessam, credamus sanè Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agamede, à quibus templum magnificè Apollini exædificatum Delphis erat, vt, quod esset optimum homini, tribueret, post diem tertium exanimes sunt inuenti. quo munere iudicauit Deus, & Deus is, cui diuinationis partes à reliquis Diis sunt relictæ, mortem homini omnium rerum esse optimam. itaque excutiatur iam, & euellatur funditus falsa illa multorum opinio, malam esse mortem: quandoquidem, vel Deorum iudicio, non modò mala non est, sed omnium rerum optima, & omnium munerum, quæ humano generi dari possunt, præstantissima, præclarè. nam & miseriarum omniū, quas viuentes pertulimus, finis est in morte, & vitatio futurarum, in quas progredientes in vita incurrunt. docemur enim exemplis è propagatione vitæ permultos optimos, & fortissimos ciues incredibiles hausisse calamitates. immerentes dixerit aliquis: ergo non sunt in miseriis ponendæ. nihil enim miserum, quod non culpa contractum. de hoc aliàs viderimus: sed calamitates certè fuerunt: quarum etiam vnica cogitatio, quæ præteruolat, & effugit, non modò sensus, qui corpori firmius inhæret, acerbitatis habet plurimum. ex quo verè colligi potest, sapienter fecisse Thraces, qui, si Herodoto credimus, nascentibus liberis lugere, morientibus

lætari ſolebant. exitum videlicet vitæ, vt miſeriarum finem, & quietis portum, probabant: vitæ initium, vt ingreſſum ad moleſtias & dolores inuiti videbant. Si ergo naſcimur miſeri, morimur beati: quis in hanc lucem edi velit, vt miſeriis opprimatur? quis non potius mori, vt beatam vitam acquirat? &, ſi hoc nobismetipſis, vt optimum, vellemus: cur liberis, & affinibus, diuerſum? an melius nobis, quàm iis, quos ſummè diligimus, eſſe velimus, aut potius beatè nobis, miſerè ipſis & infeliciter? hoc certè nullo modo. quamobrem amanda mors ſemper omnibus, cariſſimis etiam optanda. Ac, ſi quibus mori præſtat, quàm viuere, iis præcipuè, quos & acta cum virtute vita claros effecit, & mors, ſatis diuturna vita perfunctos, moleſtia afficere non poteſt. Naſci verò non intelligo, quibus expediat. nam in ærumnas miſeriaſque ingredientes quid gratum, quid hilare aſpicimus? qua re potius non offendimur? quod primus ille naſcentium infantium vagitus, & eiulatus ſatis declarat. tributus enim eſt ab optima parente natura, quæ nihil inane ſolet efferre, ac potius iis rebus quas efficit, admirãda ſemper edit vel pietatis, vel iuſtitiæ, vel prudentiæ documenta. Ex quo intelligi licet, non naſci longè optimum eſſe, nec in hos ſcopulos incidere vitæ. proximum autem, ſi natus ſis, quamprimùm mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ. Sileni quæ fertur fabula, ſi grauioribus ludicra interdum admiſcere liceat, idem certè confirmat. qui captus à Mida, miſſionem doctrina redemit. docuit autem Regem, nunquam naſci optimum eſſe, ſed celeritatem mortis proximè accedere. idemque Euripidis teſtimonio, poëtæ ſapientiſſimi, comprobatur. Sed Crantor noſter patri, filij mortem ægerrimè ferenti, reſponſum ait datum eſſe in Pſychomantio, filio ſuo bene beateque eſſe, vtiliuſque futurum fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione fatis conceſſiſſet. Quamobrem, ſi dolorum finem mors affert, ſi ſecurioris & melioris initium vitæ: ſi futura mala auertit: ſi medetur præſentibus: ſi nos ex plurimis vel morborum, vel moleſtiarum, vel acerbitatum periculis educit, cur eam tantopere accuſare, aut dolorem ex ea deriuare velimus, ex qua potius conſolationem, ac lætitiam haurire fas eſſet? Niſi ſi, quod mortem ſubſequitur, nos fortaſſe ſollicitos habet. de quo libet pauca dicere, ne hic vnus ad moleſtiam, doloremque alendum angulus relinquatur. qui profectò inſipientibus obiiciendus non eſt, nec in tanto argumentorum aceruo, quibus mortem ipſam nobis obſtringere conamur, committendum, vt hoc vno nomine minus nobis debere videatur. & quamquam hæc futuri poſt mortem temporis cura hominis propria non ſit, ſed Diis immortalibus potius relinquenda, quorum nos vel liberalitati, vel ſapientiæ permittere, fas piumque eſſet: qui enim naſcentium curam ſuſcipiunt, qui viuentes protegunt, alunt, tuentur, fouent, cur morientes deſerant? tamen aliquid etiam modeſtè de iis exquirere, nõ eſt inutile. Neceſſe eſt autem, ſit alterum de duobus, vt aut ſenſus penitus omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. quòd ſi morte ſenſus extinguitur, obituſque noſter ei ſomno ſimilis eſt, qui nonnunquam etiam, ſine viſis ſomniorum, placatiſſimam quietem affert, quid lucri eſt emori? aut quod

quod omnium tempus reperiri poteſt, quod ei tempori anteponatur, cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis ætatis? Sin migrationem malimus eſſe mortem in eas oras, quas è vita profecti incolunt; quid optabilius, quàm ad eos proficiſci, quos mortuos viuens dilexeris, & cum iis perpetua vita perfrui, qui, vt nos in laude viueremus, & libenter moreremur, ſuis & præceptis, & exemplis tantopere laborarunt? mihi certè nihil videtur euenire poſſe gratius, quàm, ſi mors aditum ad alia loca patefaciat, ad eos venire, & cum iis eſſe, quos & maximè dilexi, & nunquam non diligere ac laudare poſſum. Ad meos autem & affines, & amicos vt peruenero, quantopere lætabor? quæ iucundior collocutio, qui ſuauior vel congreſſus, vel complexus? O vitam verè vitalem, vt ait Ennius, omnibus bonis, ac gaudiis circumfluentem: ſed beatam etiam mortem, quæ ad beatiſſimam vitam aditum aperiat. Me quidem, etſi dolore vehementer perculſum & afflictum, his tamen monitis, & præceptis non mediocriter alleuari ſentio; itaque neminem puto fore, quem non rationes, à nobis tam ſtudiosè è ſapientum libris collectæ, iuuent, ac delectent. eoque magis, quò leuiores erunt aliorum dolores, quàm hic, quo nos tantopere vexati ſumus. nam ſi amor, ſi pietas filiæ, ſi virtus, ſi grauitas, ſi conſtantia, ſi cetera, quæ vix in fœminis ſpectari, nedum requiri ſolent, conſideranda ſint; tanta facta iactura, grauiſſimè dolere debuimus. ſed vincat dolorem conſolatio; nec iam, quid amiſerimus, ſed quatenus mortalem filiam lugere deceat, cogitemus. Hoc nos in mœrore noſtro; quod certè fortis eſt ægroti, non ſolùm accipere, ſed etiam exquirere medicinam. At, ſi quis erit, quem dolor à ratione auerterit, cui non ſatis firma videantur ea, quæ iam dicta ſunt: is ſe hominem eſſe meminerit: nihil autem humanius eſſe morte, vt, ſi mors ab ipſo diuelli, atque auferri poſſet, diis propior habendus eſſet, quàm hominibus, nec omni ex parte hominis nomen ipſi congrueret, quia communi, & præcipua hominis conditione non vteretur. præterea lacrymis nihil profici, quæ ſi quid adiumenti afferre poſſent, non ſolùm effundendæ, ſed ſtudiosè conquirendæ viderentur. Denique, non ſolùm iniuſtè, ſed etiam turpiſſimè agere qui immodicè doleat. turpitudo enim peior eſt dolore; ſiquidem dolor homini à natura inſitus eſt, nihilque habet infamiæ. turpitudo autem idcirco vituperãda, quòd aliquid ſemper indecorum continet, culpa contractum. at omnis immodicus dolor turpis eſt, & à viro alienus: quandoquidem, vt immodicè, præterq; rationem doleas, ſponte efficis. ex quo culpa exoritur, quæ homini maximè fugienda, vitandaque eſt, ne cogitationibus molliſſimis, quales interdum perditè amantes ſuſcipere ſolent, nimium perturbemur, & effæminemur. quin potius nos ad Homerica præcepta referamus:

Corde age ſis firmo nec te ſubmitte dolori;
Namque aliquid grauius peiuſq; aliquando tuliſti.

Nemo videlicet ſuorum funera experitur, cui non aduerſa multa antea contigerint; ita variis omni ex parte incommodis humana natura concluditur. cur igitur grauiora, vel certè æquè grauia fortiter paſſus, cùm maximè occaluiſſe, & ad dolorẽ nouũ obduruiſſe deberet, deſpondeat

Universidad de Deusto
Biblioteca

deat animum,seque mœrori tradat? quod etiam iniustum esse, paullò ante dicebamus. natura enim vsuram nobis vitæ dedit, tanquã pecuniæ, nulla præfinita die. quod si, cùm libet, sua repetit, ea conditione commodata, vt restituenda sint, cur accusatur? aut, cur non potius naturæ gratias agis, quòd, cùm citius potuisset, tardiùs repetierit, quàm, quòd aliquando repetierit, iniusta querela insequeris? certum est enim, non habitandi locum, sed commorandi diuersorium, nobis esse concessum; è quo cùm migramus, alacres tanquam ex hospitio miseriarum atque incommodorum plenissimo, egredi debemus, ac lætissimo animo ad futuram vitam, tanquam ad patriam, euolare. quod sapientes re ipsa præstitisse memorantur. profectò enim, si quid est, quod morientes perturbet, aut morientium affines habeat sollicitos, id totum aut ex falsa quadam opinione oritur, quòd vitæ huius vsum nimis vtilem, ac iucundum arbitremur, aut ex nimio in nosmetipsos amore caritateque prouenit. Sed opinionem illam, quam rationes adeò firmæ conuellunt, libenter deponere debemus; ab hoc verò amore nimio tantò libentius abhorrere, quantò indecentius est vitæ munere perfunctos velle etiam in vita, diis inuitis, commorari; communemque omnium, qui ante nos è vita discesserunt, conditionem recusare; demum, tanta esse mollitie, tantaque impudentia, vt ne in morte quidem confirmemur, ac resipiscamus. Quòd si nostrorum mortem dolemus, cogitemus aliquãdo, moriendum ipsis fuisse; mortem autem incertam esse, nec in hominis arbitrio positam, sed è deorum voluntate pendere: quos verò lugemus, eos quoque suorum mortem vidisse, patienterque tulisse; ideoque suo exemplo, quid nos facere velint, præcipere: denique id, quod ad consolandum maximum, ac firmissimum est, non eos nobis penitus ereptos esse, nec prorsus amissos, sed ad præfinitum tempus à nostris oculis, nostraque consuetudine remotos. itaque, cùm ad eum vitæ terminum, quem natura præscripsit, nos quoque peruenerimus, statim eorum consuetudinem regustabimus, & ad suauissimam vel consuetudinem, vel conuictum redibimus. Mortem suis acerbam amaramque in moriendo esse, nonnulli existimant, atque ideo fortasse perturbantur. quod me quidem, sublatis grauioribus dolendi caussis, quas iam superiori disputatione reiecimus, minimè angit. ipse enim discessus animi à corpore vel cum nullo, vel certè cum modico dolore fit, & interdum sine sensu; nonnunquam etiam, si rectè sapimus, cum voluptate. Sed, quidquid sit, totum hoc ita leue est, qualia sunt ea, quæ puncto temporis fiunt. nec, si mors paullò longior alicui contingat, desperandum est de deorum naturaque benignitate; quin eo quoque tempore properantem è vita discedere foueant, atque alleuent. cuius rei in morientibus sæpissimè signa minimè dubia cernuntur: cùm velut è somno exciti, quo tempore extremum spiritum edituri sunt, ita gaudentes & alacres aspiciunt, vt libentissimè iudices è vita proficisci. quamobrem ne hæc quidem vllam æquam doloris afferre caussam possunt, qui certè comprimendus ac minuendus est, quòd, etiam si nolis, tempore tamen ipso extenuatur, & euanescit: nõ quòd minuendi doloris vis in ipsa die posita sit, sed quòd vsus

vsus ipse cogitatioq; diuturni temporis doceat, nihil esse in morte mali, ideoq; leuiter & patienter ferẽdam. Sed turpe stultumq; est homini, tanta tamque varia rerum cognitione instructo, nõ à se ipso potius maturè; quàm serò ab vsu, & cogitatione doloris remedia expectare: quæ tam firma sunt, vt neminem fore putem, quem non vehemẽter non iuuent solùm, sed etiam permoueant. mihi verò eò magis necessaria fuerunt, quò turpius visum esset; me, qui ceteros constantissimè consolatus essem, in meo dolore iacere: voxq; illa exaudiri, & fortasse nõ immerito, potuisset.

Hiccine ille Cicero, cuius ob os Graij
Ora obuertebant sua?

Sed nos Philosophia aduersus omnes vel temporum, vel fortunæ, vel naturæ insidias muniuit: quę ita fortis est, vt nullius iniuriæ impetum extimescat: ita lenis & suauis, vt omnes acerbitates facilè mitiget ac molliat: ita demum vtilis & fructuosa, vt totam se ad humanas vtilitates liberalissimè porrigat atque explicet. nec verò secus debet. quæ enim humanarum miseriarum cumulum optimè norit, & acutissimè perspiciat, si eas patiatur manare longius, neque homini mœrore confecto consilio præsidioq; suo præsto sit: quid illo miserius? quid vita nostra laboriosius aut tetrius? aut quid prodesset, adspectum à natura ad supera erectum accepisse, vt cœlum contemplari, vt Deorum maiestatem cogitare, aut à Diis immortalibus mentem & rationem, vt vtilia cognoscere, honesta à turpibus secernere, æqua amplecti, ab iniquis abstinere possemus, vóce denique ipsa & oratione frui, quæ nullis animantibus concessa est, quaque ceteris omnibus, quæ sub cælo sunt, viuẽtium naturis antecellimus? inania hæc videri possent, si tam multis ex aduerso miseriis oppressa hominis natura, neque se ad cœlestia erigere, nec tantis bonis, quibus maiora esse nulla potuerunt, vti posset. sed profectò, vt contra serpentum virus pharmacorum genera multa, contra inopiæ calamitatem sollertia & industria, contra turpitudinis voluptatem pudor & verecundia, sic contra doloris morsum philosophia nobis data est deorum immortalium concessu atque munere. quam vt nemo satis pro dignitate laudare queat, sic quam plurimi mentis tranquillitatem, animi moderationem, in voluptates imperium, in acerba omnia summam quandam vim ac fortitudinem illi vni acceptam referant necesse est. Neque nos aut in exsilio patientes, aut in honorum cursu temperantes fuissemus, aut nunc in tanto mœrore sapienter & fortiter versaremur, nisi tuo philosophia optima rerum humanarum moderatrix, beneficio. Tu verò felix & beata, Tullia mea, si quis tibi in morte sensus est, quæ tot tantisque miseriis, quibus proposita fuisses in vita, vna morte perfuncta es: à præsentibus malis expedita, ab impendentibus erepta, & in tuto ac tranquillo quietis portu collocata. meritò tibi mortem iucundam fuisse putem, cùm vel ea bona, quibus viuenti fruilicuit, animo reputas, vel mala, quæ moriens vitasti, mente, ac cogitatione complecteris. Ego autem, cùm te felicem iudicem, ac, si dicere liceat, pæne oculis cernam, cur tua morte excrucier? potius lætabor, ac tibi, tanquam de re optatissima, gratulabor. cui nisi molestum est, me iam ætate cõfectum in tam perturbata Republica,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamque misero vitæ genere reliquisse, quid iam graue aut acerbum esse possit? Sed hoc quoq. ratione ipsa leuius aliquãtò efficitur. neq. tu nunc, quid me perferre necesse sit, sed quàm non multò pòst tecũ iisdem bonis vsurus sim, debes cogitare. nihil enim accidere valde graue potest iis, qui spe iam propinqua futuri boni recreantur, & aluntur. Sed nescio qui nos teneat error, aut miserabilis ignoratio veri. nõ enim tantopere bonis delectamur, quàm malis affligimur; ex quo fit, vt hęc etiam nolentes augeamus, bona autem, quæ fruendo, cogitando, gaudendo maiora efficere expediret, etiam deteramus. quod certè minimè oporteret. nam, si seriò disputare volumus cur dolores resq; aduersas refugiamus, quę fortitudinem in nobis gignunt, & efficiunt? quæ si nulla essent, nulla profectò fortitudo agnosceretur. cur mortem horreamus, quæ assidua sui memoria, nos vt meliores simus, admonet? nec patitur, ad ea nos animum adiungere, quæ aliquam nomini nostro vel intemperãtiæ, vel iniustitiæ notam possint inurere. Bona verò, & ea quæ probantur in vulgus, cur tantopere appetamus? quæ consecuti, molliores plerumque ac deteriores euadimus. itaque his voluptatum lenociniis obruimur, vt discessum ex hac vita impendere, vix aliquando recordemur. Sapienter philosophorum princeps, & magister Plato; quæ sensus appetit, aut timet, nihil aliud esse quàm somnia. itaque penitus contemnenda esse. mala verò vt vitentur, ad æterna properandum: quò nisi confugias, vitari nunquam posse, at ad æterna ne properari quidem potest, nisi morte ianitore, ac duce. Quorsum hæc? vt intelligamus, non modò à dolore vacuam, quietam, opportunam, bonam denique esse mortem, sed etiam summorum atque immortalium bonorum liberalem, ac beneficam ministram. itaque Cato sic è vita discessit, vt lætaretur, caussam se nactum esse moriendi. Iam nemini dubium esse potest, quin vir prudentissimus, si sua morte lætabatur, mortem etiam optimam esse agnosceret. Certè enim in re sua, quæ præsertim sensu percipiatur, nemo fallitur. quod comprobare possum Artabani Xersis patrui, viri sapientissimi, testimonio. de quo est apud Herodotum, cùm Xerses exercitus sui copias pænè innumerabiles, ante se in aciem instructas intuens collacrymatus esset, neminem ex tot militibus ad centum annos superstitem futurum, illum Xersi respondisse: at tam multa sunt, tamque misera, quæ viuentes perferunt, vt nemo sit, quin mori sæpissimè cupiat: cùm incidentes calamitates, & morbi vitam adeò perturbent sollicitamq; habeant, vt longissima videatur. itaq. mortem perfugium esse ærumnosæ vitæ, dubitare nemo potest. nec his contentus addit etiam illud; deos immortales, cùm hominum vitam, quæ adeò misera sit, multis bonorum integumentis velarunt & operuerunt, fecisse quodammodo inuidentius ne mortis suauitatem, quanta est, omni ex parte degustaremus. Amphiaraum fabulæ narrant Ioui atque Apollini fuisse carissimum, neque tamen illum senium attigisse. ex quo quid aliud coniici potest, quàm mortis celeritatem diuinum munus, & lucrum esse maximum? itaque scitum est illud comicum:

Nam quem tuetur atque diligit Deus,
Iuuenis supremum mortis intrat limitem.

Neminem

Neminem enim, quem dilexerint Dij, patiuntur esse miserum. quare vitam eis, miseriarum plenam, adimant necesse est. quid autem contingere homini tam gratum potest, quod eum magnopere in vita retineat? voluptas, credo, quam ex alicuius siue artis, siue doctrinæ tractatione percipit. at doctrina æmulationem, omnium rerum molestissimam, si quæris, etiam dolorem parit. non tam enim delectamur, aliquid discentes, quàm angimur, multò plura, ac maiora, quæ scire vellemus, penitus ignorãtes. Artes verò, quas tenuiores tractant, quid habent voluptatis, aut quid non potius molestiarum, & mœroris? quanta inter eos, qui illas exercent, perfidia? quantum odium? quanta inuidia? aut quis est sua sorte contentus, & non alienæ siue industriæ, siue fortunæ, æmulator, osor, detractor? Sin ciuilem vitam quisquam appetit, & in Reipublicę luce viuere pulchrum putat, is se exigua, ac pænè nulla honoris specie magnas comparare calamitates certò sciat. quotus enim quisque est, cui non publica administratio vel mœroris, vel iacturæ tantum attulerit, quantum verbis explicare vix queat? ac, si de toto vitæ cursu iudicare verè volumus, exitium videamus. Vbi optimi Reipublicæ administratores seu verius parentes, Miltiades, Ephialtes, Cimo, Themistocles, Aristides? quantum illis fides, caritas, integritas, constantia pepercit miseriæ? vt non modò honoribus, dignitate, auctoritate spoliarit, sed etiam in exsilium miserit. quod contrà oportebat, viros optimos patriæque amantissimos honore affici, in oculis ferri. Scipio Africanus apud nostros optimam caussam amplexus, paucorum immoderatæ libidini repugnans, manè mortuus, in lecto est inuentus. nec abfuit suspicio, quin ab vxore, quæ Gracchorum soror fuit, interfectores essent immissi. Metello autem Numidico, homine omnium clarissimo, ac præstantissimo, quid miserius? qui, ne in legem pernicioſam iuraret, in exsilium abire sit coactus. fateor profectò, inter omnia exsilij genera, atq. omnes miseriarum caussas maximè honestam Numidici fuisse conditionem, cui probitas, integritas, in patriam charitas calamitatis caussam attulerit; sed tamen fatendum est, grauissimam fuisse calamitatem, pelli patria, auelli à suis, bonorum direptionem, liberorum siue mœstitiam, siue ærumnam videre. M. Regulum, G. Marium, L. Brutum ob libe- randam patriam interfectum prętereo. nolim in iis commemorandis minus videri, quorum exitus nemo est, quin ex libris, imaginibus, fama denique vulgari iam didicerit. quæ cùm multa maximeque grauia sint, grauissimum tamen illud debet videri, quòd homine ambitionis vinculis irretito, quique è popularibus suffragiis totus pendeat, nihil vsquam infelicius reperiri potest. quantus in eo timor, quanta dubitatio, quantus conatus, quanta solicitudo? vt nullam illi à molestia vacuam esse horam, nõ immeritò suspicari possimus. nam, si seruientis ea est conditio, vt ex eius, cui seruit, moribus, voluntate, ingenio propriam sibi fortunam fingat, qui populo seruiet, auido, inuido, ignaro, ad mutationem procliui, &, quod caput est, ingrato, num aliquando beatus esse poterit? an potius, quoties de eius natura cogitabit, toties suam ipse calamitatem, ac fortunam conqueretur? præclarè vetus Poëta:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aeterno mixtam luctu mortalibus vitam
Olim constituit diuûm pater, atque hominum Rex.

Itaque quamdiu hac luce vtimur, viuere quidem videmur, sed veriùs assiduè morimur, aut saltem vitam verbo retinemus, re ipsa amisimus. Equidem non video, quid in hominis vita valdè optandum, aut felix esse possit. multos potius, ne in maiora, quàm quæ humana consuetudo quotidie fert, mala inciderent, mortem sibi dedita opera consciuisse scio. quod tamen non iccirco dictum velim, quia probandum putem: sed, vt ex eo appareat, humana vita quàm multis vndique prematur difficultatibus. Cleomenes Lacedæmoniorum Rex, eiusq; filius, morte vltrò appetita, præterea Theagenes Numantinus, qui, ne in hostium manus veniret, primùm suis, deinde sibi ipsi mortẽ attulit, quantoperè vita fugienda sit, satis videntur apertè declarasse. Ac nisi turpe videatur, homines à mulierculis, multò certè imbecillioribus, fortitudinis exempla petere, repetamus ex historiis Asdrubalis vxorem illam, quæ, Carthagine in hostium potestatem redacta, se ipsam cum tribus filiis in conflagrantis patriæ incendium immisit. Sed præter hæc, quę iam testata sunt, & illustria, fateamur sanè ingenuè, tantam esse humanæ naturæ miseriam, vt neque genus ipsum hominum, nec è toto genere singuli miseriarum expertes esse possint: quod eò magis mirandum est, quòd non iis solùm malis, quibus hominis natura assiduè affligitur, mala nostra præscripta sunt, sed ipsi nos, quantum in nobis est, miseriores quotidie reddere conamur. nullum enim aliud in toto terrarum orbe genus animantium reperias, præter vnum hominem, quod in proprium genus, atque in se ipsum sæuitiam exerceat suam. meritoque Dicæarchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum & eruditum conscripsit, nihil habere dubitationis putauit, quin multò plures extincti sint homines ipsa hominum sæuitia, & acerbitate, quàm omni reliquo genere calamitatis. tanta est enim in permultis auaritia, tantum ambitionis, imperij, diuitiarum studium, vt explendæ cupiditatis gratia nihil sibi non licere putent. atque hoc malum non iam angustis finibus compressum videmus, sed superioribus sæculis erupisse vehementer, & manasse latius. non enim certum aliquem hominum numerum, sed regna ipsa, & totas persæpe funditus sustulit ciuitates. At, si ad singulos homines quæ proxima ratio est, mentem cogitationemque conuerteris, ne in iis quidem quidquam reperies, quod valde appetere, aut approbare possis. finge enim animo quidquid homini felix, aut beatum ex opinione vulgari possit in vita contingere. congerantur diuitiæ, bona valetudo, honores, potentia, etiam voluptates accedant. cùm hæc omnia in hominem contuleris, nihil tamen tribueris stabile aut firmum, nihil, quod non repentinam, & assiduam pati mutationem possit. caduca enim & incerta sunt omnia, non in humanis consiliis, aut viribus posita, sed in fortunæ temeritate, ac temporum vicissitudine constituta. quid autem homini turpius, quàm è temporis ac fortunæ mutatione pendere, & secundo illius flatu subleuari, reflatu deprimi & affligi? aut lætis rerum euentis gloriari, aduersis lugere, nec lacrymis temperare posse? quid iam

iam interfit inter hominem mutamque pecudem, si nos perinde atque illa, quibus rationem natura denegauit, extrinsecus toti pendeamus, in nobis ipsis nihil fortitudinis, nihil firmitatis, nihil habeamus constantiæ? quamuis enim homini non mater, sed veriùs nouerca Natura corpus fragile, infirmumque tradiderit, animum autem & in molestiis anxium, & in timore humilem, & ad labores mollem: plurimos tamen inseuit diuinos ingenij iudicijq; igniculos, quorum auxilio & cum dolore luctari, & timori obsistere, labores verò omnes nullo negotio vincere, ac perferre possemus. itaque tributum diuinitùs mentis ignem, & prudentiæ, non extinguere, sed sopitum fouere, atque augere debemus. Mors autem, progressis in vita longius si immineat, nihil est, cur magnopere commoueamur: quæ præsertim aut meliorem, quàm quo viuentes fruimur, aut certè non deteriorem vitę statum sit allatura. quis enim negabit, si animus omnino intereat, extincto sensu nihil esse mali: propterea que nullam iustam doloris caussam existere? at, si vigeat, corpore solutus ac liber; quid iam illa vita beatius, quid diuinius? ex quo maxima & verissima lætitia ac voluptatis exoritur occasio. Itaque nihil iam restat, quò minus, optimam esse mortem verè affirmare possimus, tantumque abesse, vt, cùm adest, dolenda sit, vt numquam fugienda, sæpe etiam optanda videatur. atque eò magis, quo diutius in vita homo permanserit. nam, cùm iis bonis, quæ afferre vita potest, satiari cœperit, tum ab humanis molestiis secedens, in beatissimam vitam commigrabit. non enim is ego sum, qui animum simul cum homine interire putem, tantumque mentis lumen, è diuina natura delibatum, posse extingui, sed potius, certo tempore emenso, ad immortalitatem redire. quid autem hominẽ magis deceat, quàm tam multis tamq; firmis rationibus nixum, virilem animum retinere, fæmineam mollitiem exuere? qui verò mortuos nimis lugent, nec humanam conditionem magno elatoq; animo despicere possunt; in eos illud probri plenum verè dicetur:

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem:
Illaq; virgo viri.

Multæ enim repertæ fœminæ sunt, quæ in domestico luctu singularem animi præsentiam, ac magnitudinem præstiterunt. Sed virilis fortitudo, vt libidini, sic dolori, non aliter, quàm seruo domina, imperare debet, eamque coërcere, ac frangere, tanquam vitiosam & imbecillam animi partẽ. quam si emergere patiatur, seque paullò altius efferre, non modò rationi præcurret, sed etiam victrix in animo exsultabit. quo nihil homini turpius, aut perniciosius ne excogitari quidem possit. Gorgias orator, iam ætate confectus, ac morti proximus, rogatus, num libenter moreretur: Maximè verò, inquit, nam tanquam ex putri miseraque domo lætus egredior. O virum egregium, dignumque, cuius vigeat in omnium ore, ac mente sententia. quid enim potuit præclarius dicere? cùm mala, quæ viuentem pati necesse est, cogitaret, miseriarum finem, quas moriens relinquebat, adesse lætaretur? sic par est loqui hominem, qui non libidine vexetur, non voluptatis illecebris irretiatur, nulli denique pareat cupiditati. quæ summa est ratio & sapientia, humanæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessitati imperare, non dolori cedere, non desiderio angi, nihil denique humanum extimescere.

Angamur liberorum aut adfinium interitu? quid ita? vt stultos imitemur, qui, quæ mutari non possunt, quæque vel nolentes opprimunt, perferre nequeunt: saniores, quorum tam multa extant ad æternitatem illustria siue exempla, siue testimonia, negligamus? quid est aliud, cæcorum more ambulare, &, cùm in celebritate versari, ac Solis lumine vti possis, solitudinem tamen, ac tenebras quærere? iam enim ad eos, quos æmulari satius est, quosque nobis imitandos proposuit antiquitas, nostra delabatur oratio. Mortem igitur in malis nullo modo esse ponendam, sed in præcipuis bonis numerandam, dubitaturum puto neminem. si enim à miseriis abstrahit, si in meliorem vitam inducit, si neque misera ipsa est, nec vllius particeps miseriæ, cur mala censeatur? sin hoc largitur, vt sempiternis bonis potiamur, vitamque, quam mortalem habuimus, æternam adipiscamur, quid morte beatius esse possit? itaque sapientissimos homines accepimus non modò suorum morte non perculsos, neque dolore vllo affectos, sed etiam sæpissimè lætatos esse. Anaxagoræ, inter familiares suos de natura rerum differenti, filij mortem nuntiatam tradunt: nihilque aliud ab eo responsum, nisi se illum genuisse mortalem. præclara verò vox, & verè digna, quæ à tanto viro emitteretur. non enim sanè video, quid sapientius, aut constantius dici posset. an adolescentem illum esse mortuum? fracti hoc animi, nec in rebus aduersis admodum firmi signum fuisset. an angi sese non sua, sed filij caussa? num igitur ignorare se fateretur, quantis è malis elapsus esset filius? an se quidem dolere, sed tamen humanum casum agnoscere? vbi ergo hominis grauitas, iudicium, sapientia? aut quid ab imperitorum turba distabit? è quibus tamen sæpè multi nec iis rebus anguntur, quæ necessariò eueniunt, nec, quò minus eueniant, cùm communes omnibus sint, laborandum vllo pacto censent. Ille verò sapiens, & verè Philosophus; quem neque improuisus nuntius perculit, nec à disputatione abduxit, sed potius vocem expressit, summæ indicem fortitudinis, ac sapientiæ. vellem & hoc ipsum de pluribus ex nostris dicere liceret: quos si qua interdũ fortunæ oppressit iniuria, nihil aliud iudices, quàm prostratos illos, ac penitus abiectos esse. quasi verò aliquid acciderit, quod vel ante ipsos nemini, aut, quod ipsis, si minus hoc tempore, saltem paucis pòst annis non euenturum fuerit. ac, cùm maximè animo vigere deberent, tum præcipuè non solùm præteritæ patriæque virtutis, sed etiam humanæ legis, ac pænè obliuiscuntur sui. tantum in eorum animis mollities potest, ac seruitus quędam doloris atque tristitiæ. An ego illum iudicare liberum possim, cui dolor imperat? quem repentinus casus perturbat, impellit, euertit? qui nihil præ doloris magnitudine cogitare, nihil meditari queat, qui nihil in se ipso, in temporibus, atque in fortuna, quæ stabilitatis nihil habet, sua ponat omnia? ego verò istam non modò seruitutem, sed pænè captiuitatem, & quidem miserrimam, censuerim. quid enim interest inter eum, qui vinctus ab hostibus, & carceribus conclusus, obsideatur, & eum qui dolore captus, suo

suo prorsus careat arbitrio? at ille quidem, etsi corpore seruiat, animo tamen liber est, nec dubitat aliquando fore, vt libertatem assequatur; qui verò dolori paret, nec valet corpore, & animo quàm maximè laborat. non enim amicis frui, non Reipublicæ prodesse, non priuatas res curare, non publicis consulere potest. ita in otio, & quidem molestissimo, nec cuiquam paret, & tamen sibi non imperat. qui cùm assiduis, & maximis prematur angustiis, alterum esse necesse est, vt quamdiu in dolore versatur, semper miser sit, alterum fieri nullo modo potest, vt, nisi dolere desinat, à miseriis eximatur. Quantò sapientius Xenophon, qui, cùm sacra solemnia perageret, maioremque natu filium in prælio apud Mantineam cecidisse audiret, coronam tantùm è capite deposuit, sed in sacris peragendis constanter perstitit. vbi verò cognouit, fortiter pugnantem occidisse, coronam rursus capiti imposuit, deosque ipsos, quibus litabatur, testatus est, maiorem se ex filij virtute voluptatem, quàm ex obitu molestiam cepisse. huic ego non dubitarim, quin omnia, quæcunque accidere possent in vita, nullam essent perturbationem allatura. qui enim vsque eò in deorum cultu constans, & firmus esset, vt neque filij morte nuntiata, ab iis auocari posset, cur eum credam filij morte lugenda à Deorum voluntate dissensurum fuisse? aut qui virtutem, filij vitæ anteferret, non iure credi possit, illum & virtutis studio incensum, & patriæ caritate impulsum, omnes molestias, omnesque calamitates libentissimè fuisse subiturum? sed quo rariores qui hoc modo animati sint, hoc præclariores viri. nihil enim ad laudem illustrius, quàm in æternam gloriam, aut in patriæ vtilitatem intuentem, aut saltem fortiter dolores perferentem, & cum fortuna luctantem negligere humana. quæ qui nimium curant, ij laudis studium, ciuium commoda, denique omnia, quæ laudabilia putantur, prorsus è mente, ac cogitatione eijciant, necesse est. neque enim humanis curis implicitus toto animo de patriæ salute, atque vtilitate cogitare, aut laudem sibi præclaris actionibus comparare, vel egregij quidquam suscipere, ac sustinere queat. suis autem commodis, ac rationibus prospiciens, & consulens cetera omittet, de seipso dies noctesque cogitabit. ita nec boni ciuis, nec boni viri fungetur officio. bonum enim virum decet, de cererorum commodis æquè laborare, ac de suis; bonum verò ciuem sua omnia posteriora habere, patriæ commoda prima & maxima ducere, à quibus neque dolore, neque vlla omnino humana auelli perturbatione debemus. Periclem narrant historiæ intra quatriduum duobus filiis, eximiæ indolis adolescentibus, esse orbatum, qui vsque eò fortis, ac constans in luctu fuit, vt nihil prorsus de pristino habitu cultuque deminuerit, sed eundem, quem antea, in concionibus habendis morem ritumque seruarit; nec vnquam coronam è capite deposuerit. de quo traditum est, nihil eum putauisse indignius futurum, quàm si aliquod fracti animi signum mœroris caussa muliebri more edidisset. fortem sanè hominẽ, & magna laude æternaque memoria dignissimum. quem neq. naturæ vis ad nimium sæpe amorem trahens, potuerit de statu dimouere, & ad dolorem abducere; nec liberorum desiderium, quos tamen summè dilexisse dicitur, vlla ratione pertur-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perturbarit. nec mirum. vera enim fortitudo inanes sollicitudines eiicit, ac depellit: opprimit cupiditates: imperat timori: nihil autem appetit forti viro indignum, nec ab vlla re vel metu, vel inconstantia repellitur. & quamuis excelsam elatamque naturam, ratio ipsa, doctrinæ præceptis imbuta, confirmet, quod Pericli doctissimo homini, maximoque ingenio prædito sine vlla dubitatione contigisse, prorsus mihi persuadeo, ipsæ tamen fortitudinis radices in animo præcipuè insident. qui cùm humana despicit, nec ad humilia, quasi humi depressus, vllo pacto adhæresci t, facile fit, vt vberiores, & maturiores fructus ferat, cùm ad eũ, veluti ad agrum optimum cultura, ratio etiam accesserit conformatioque doctrinæ. non enim, sensu omni doloris caruisse summos viros, credendum est. qualis enim nihil sentientis animi, sensuque prorsus carentis esse fortitudo potuisset? Sed dolorem sentientes, ad eum opprimendum, ac vincendum summam animi contentionem adhibebant, tantumque nitebantur, vt è pugna discederent superiores. verum enim illud est, nullam animo maiorem pestem, vna remissione, posse contingere. qui si intentus est, seque ad resistendum parat, omnia sustinet pondera, omnia vel firmissima tormenta facilè discutit ac depellit; at remissione eneruatus, & effæminatus, ita deprimitur & vrgetur, vt se ad æquitatem nequeat extollere. Nec verò quisquam doloris impetum excipere, ac fortiter perpeti posset, nisi se prius ad obsistendum comparasset; aut fortitudinem acquirere, nisi prius doloribus multis acerrimè ac fortissimè restitisset. ex quo consuetudo fit, quæ callum obducit animo, nosque contra omnes vel naturæ, vel fortunæ impetus armat. An censemus Harpagum Medum tantum fortitudinis exemplum, quantum ab Herodoto memoriæ mandatum est, edere potuisse, nisi prius in patientiæ ac fortitudinis exercitatione sæpissimè versatus esset? nec sine maximo fructu, magnáque potius cum nominis sui gloria. tantum enim fortitudine, ac prudentia præstitit, vt acerbissimam iniuriam sine vllo planè doloris sensu pertulerit, & sese cumulatè cõtra Regis immanitatem vlcisci potuerit. nam, cùm eius filium Rex Astiages interfectum ad epulandum apponi iussisset, caputq; ei post cænam allatum ostendisset, rogans, cuius feræ viscera in mẽsa comedisset; ille verò nihil perterritus, nec animo vllam in partem deiecto, agnosco, inquit, quid sit actum, ac quidquid Regi placuit, mihi quoque placere pronuntio. hoc autem immanissimum genus iniuriæ tam diu dissimulauit, quoad Cyrum ex Persia in Mediam euocare potuit; quo adueniente, cùm exercitus Imperator contra eum à Rege missus esset, & Regnum & Regem illi tradidit: itaque Astyages in Cyri potestatem, impietatis suæ pœnas daturus, redactus est. O factum omnium gentium ac sæculorum memoria dignissimum. ex quo non modò qui dolori cedunt, ad patientiam ac fortitudinem excitentur, sed etiam Reges, quique hominibus imperant, ne quid impium, aut indecens audeant, erudiantur. nam aduersus iniustitiam atque impietatem tantum est odium, tanta inuidia, vt ne ipsum quidẽ cælum, aut sidera, etiam si homines velint, huiusmodi scelera pati ac dissimulare possint. ac, si fera

fera deorum vindicta sit, noluerunt tamen impios ipso in facinore adeò exsultare, vt non angore conscientiæ, fraudisque cruciatu, tamquam domesticis furiis, assiduè vexentur. tantumq; potest impietatis odium, vt Tyrannum extinctum, ac sæuissimè excruciatum nemo misereatur, nemo doleat. nam aduersus hoc hominum genus, nec in vllo præterea, omnem prorsus vim, omnesque stimulos amittit dolor: qui, si ratione comprimendus est, quod supra diximus, multò etiam magis consuetudine vincetur: cuius tantæ sunt vires, vt non modò perturbationes animi sedare, sed etiam naturæ vim afferre, eamque sæpissimè immutare, ac penitus aliam possit efficere. cuius auxilio non modò doloris aculei, sed etiam fortunæ fulmina depelli ac contemni facilè poterunt.

Meditemur igitur, & omnino statuamus, nihil prorsus humanum esse dolendum, non mortem, quam iam optimam esse cognouimus, non egestatem, quæ sæpissimè maximi boni caussa à diis immortalibus tribuatur, non exsilium, cùm orbis terrarum omnibus pateat, non cetera generis eiusdem, quæ vulgi opinione grauissimis in malis numerantur. nullum enim tam graue malum apparebit, quin ex eo bonum aliquod multò maius, multoque optabilius magno deorum beneficio aliquando colligatur. Pleni sunt libri Philosophorum: refertæ argumentis, ac rationibus paginæ ferè omnes: tanta autem exemplorum copia, vt nihil possit esse cumulatius. quæ cùm ita sint, qua iam re terreamur, aut cui dolori cedamus? Dion certè, qui è Platonis schola defluxit, cùm eius filius in atrium è tecto delapsus interisset, non modò non doluit, sed etiam in eo, quod tum fortè agebat, constanter perstitit. quo facto iudicauit & vir sapiens, & Platonis discipulus, quid ceteros, qui sapientes haberi volunt, facere oporteat. At Traheaspas multò fortius. siquidem filij morientis, cùm ferro traiiceretur, sine vllo prorsus dolore spectator fuit. Cambyses enim iratus, & ebrius, cùm eius filium sagittis peteret, iamque pectus reclusum appareret, patrem iussit inspicere, num cor percussum esset: cui cùm pater respondisset, iam cordi sagittam esse infixam: tum Cambyses, numquid certam inquit habeo manum? at pater, nullo doloris signo dato, nec vsquam conuersa, aut commota facie, ne Apollinem quidem, inquit, certiores sagittas emissurum crediderim. Quid hunc patrem putemus facturum fuisse, si filius in pugna fortiter dimicans occubuisset, qui nullius culpæ conscium filium crudelissimè trucidari non doluerit? num credamus, filij mortem honestam, ac pro patria susceptam, tali patri futuram fuisse iucundissimam? Nec tamen dubito permultos fore, qui impium illum, ac pænè viscerum suorum carnificem vocent. Sed faciant sanè vt lubet: dum hoc mihi concedant, exemplum hoc fortitudinis ac deuicti doloris esse præclarissimum. Quod si ita est, vt infirmos animos spectata ceterorum virtus erigat, & confirmet, quem censeamus iam dolori concessurum, cùm tam multos audiat, qui seipsos in dolore superarint. quocirca, tam multa veterum exempla colligere vereor, ne supervacaneum, aut fortasse putidum videatur. quòd si ceteris tantùm, & non nobismetipsis, scriberemus, fortasse breuiores in scribendo, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

exemplis autem recenſendis etiam parciores eſſemus. ſed ſit neſcio quomodo, vt ex aliorum caſibus ad mala noſtra ſananda medicinam colligamus. nobis quidem ita videtur: &, cùm noſtro vulneri medeamur, mirari non debebunt qui hæc in manus ſument, ſi quid fortaſſe paullò expreſſum vberius inuenerint. illud certè propoſitum habemus, vt omnibus nobiſcum prodeſſe, omniumque dolori, quàm acuratiſſimè fieri poſſit, conſolationem afferre poſſimus. Quamobrem his enumerandis noſtram valdè imminui, atque alleuari moleſtiam experimur: ceteris idem optamus, ac, ſi dicere liceat, etiam ſperamus. nam in tanta vel argumentorum, vel exemplorum copia, quibus ſe legentes pænè obrui ſentient, ecquis ſe immobilem, aut in dolore inexorabilem præbeat?

Deſunt nonnulla.

Nec verò ignoro, nonnulla interdum accidere, quibus ita perturbetur, & opprimatur animus, vt à medicina refugiat. idque ſi vllo in caſu contingit, certè, cùm dolore affligimur, maximè ſolet euenire. quod ex eo fit, quòd erepti vel amici, vel affinis, vel filij cogitatio adeò nobis grata eſt, quòd illum pænè ante oculos conſtituere videatur, vt, etiam ſi dolorem refricet, & lacrymas eliciat, tamen eam deponere nolimus. ac, ſi ad conſolandum remedia ſuppetant, tamen nihil minus, quàm cõſolantium verba audiamus. falluntur ſanè grauiter qui ita agunt: ſed hunc errorem, quo magnopere delectantur, ſibi extorqueri nolunt. Quare ſuum vnicuique ſtudium, ſuaque omnibus delectatio relinquatur. non enim vereor, quin, ſi minus in ipſo doloris æſtu remediis vtendum homines cenſeant, certè, cùm modicè dolor reſederit, ac ſe paullũ quaſi remittere cœperit, ad extinguendas doloris reliquias monita præceptaque noſtra adhibeantur. nihil autem vtilius eſt, quàm hæc eadem in voluptate, ac lætitia pertractare, atque in manibus habere. ſic enim & legi, atq. ad verbum ediſci, & penitus memoriæ mandari poſſunt: vt, cùm in animum penitus influxerint, tum exhauriri ac prorſus elabi, non facilè queant. ita fit, vt, cùm repentè dolor inuaſit, tum iis vtamur, quæ, niſi ante percepta & cognita ſint, impetu ipſo doloris incurrente, planè depelli, atque excludi ſolent. ſenſimus hoc in nobis ipſis: nec parum nobis obfuit, hanc vniuerſam aduerſus dolorem commentationem non multò antè animo, ac mente percurriſſe, quamuis enim permultos Philoſophorum libros, vel de luctu, vel de morte ſatis accuratè legiſſemus, vt Theophraſti, Xenocratis, aliorum, quos commemorare nihil attinet: tamen hoc nõ ideò feceramus, quòd euenturum putaremus, vt iis ipſis in noſtro mœrore vteremur. itaque neque lectionem, quantùm oportuiſſet, accuratam, nec memoriam ſatis intentam adhibuimus. caſu autem repentino oppreſſi, non prius ad libros confugere potuimus, quin antè acerbitatis vi proſterneremur. quamquam poſtea tempore ipſo factum eſt, vt dolor nec, vt antea, acrior, & mens ipſa paullò eſſet ſedatior, & ad medicinam accipiendam magis idonea. Sed pergamus ad reliqua, quæ nec multa reſtant, & ſcitu, ac cognitione digniſſima: fructu autem ipſo, quem præcipuè quærimus, gratiora fortaſſe, & vberiora. Quid eſt ergo, quod aliquam nobis afferre dubitationem poſſit, cur nihil omnino noſtro-

noſtrorum morte dolere debeamus? credo, ſi quando nobis in mentem venit, magnam nos ex eorum, quos amiſimus, opera, ac ſtudio vtilitatem percepturos fuiſſe. at hoc non ad amicos, aut affines, quorum dolere videmur interitu, ſed ad noſmetipſos pertinebit. mercenarius igitur dolor fuerit, quique non ex affinitate, aut beneuolentia, ſed ex vna proueniat vtilitate. quid autem flagitioſius, & indignius, quàm eum, qui ſic doleat, fateri oportere, cùm tantopere alicuius morte crucietur quòd aliqua vtilitate priuatus ſit, ſi nihil ex eius vita beneficij ac cõmodi ſe conſecuturum ſperauiſſet, nihil ſibi omnino dolendum fuiſſe? At videamus, nõ Perſas, aut Scythas, ſed è media ciuitate noſtra clariſſimos, & præſtantiſſimos viros, ac ciues, qui non modò amicorum, cum quibus coniunctiſſimè vixerant, ſed etiam liberorum, & quidem cariſſimorum, interitum ita fortiter, & conſtanter tulerunt, vt cauſſæ nihil ſit, quin eos ſuperioribus Græcis comparare, atque etiam anteferre debeamus. atque hoc multò magis in illis mirandum fuerit, quòd in eorum obitu ſe fortiſſimos & conſtantiſſimos præbuerunt, qui non modò ipſis vtiliſſimi, ſi vixiſſent, ſed pænè ſoli vtiles ac iucundi eſſe potuiſſent. quid enim vtilius filio? quid iucundius vnico? at filium, & vnicum Q. Fabius, præterea Conſularem, qui iam magnas res geſſerat, & maiores cogitabat, amiſit. neque ſolùm non doluit, quod fortiſſimi animi fuit, ſed etiam mortuo laudationem in foro dixit: quo nihil fortius, aut laudabilius ne ex omni quidem antiquitate recenſeri poteſt. cuius orationem quis non admiretur inſignem ingenij, iudicij, ordinis præſtantia? quo modo ille vel ea, quæ dixit, ſine luctu dicere, aut, quæ ſcripſit, ſine dolore cogitare potuit? cùm præſertim hoc in illa laudatione & admirari, & obſtupeſcere ſoleamus, quòd non, vt alij de ceterorum fortitudine diſputat, vt ſuum ipſe dolorem aliorum exemplo minuat, ſed in filio hærens, illius maximè virtutes, propriaſque laudes, quæ vel acerbiorem efficere doloris ſenſum poterant, longiſſimo ſermone perſequitur. quod ſingularis virtutis exemplum fortaſſe Horatij Puluilli laudem magna ex parte deminuere videatur: quem tamen ſummum virum ſilentio præterire nefas ducimus, cùm in eo ipſo, quòd filij mortem æquiſſimo ac fortiſſimo animo tulit, etiam Ioui Opt. Max. cuius ædem dicabat, gratiſſimum feciſſe videatur. nam Pontifex, inter ſolemnium verborum nuncupationem, poſtem tenens, vt filium mortuum audiuit, neque manum à poſte remouit, ne ſacra dirimeret, nec vultum à populo auertit, ne ſuum potius dolorem quàm populi vtilitatẽ, ac ſalutem, cogitare videretur. Iam, quid L. Paullo inſignius, quid illuſtrius? qui filios pauciſſimis diebus duos ita perdidit, vt nullum pęnè doloris paullò acrius indicium ediderit, ac potiùs in ea cõcione, quam de rebus à ſe geſtis ad populum habuit, lætatus eſt, quidquid Populo Romano immineret aduerſi, totum id in ſe ipſum à Diis immortalibus eſſe conuerſum. Cum Sulpitio verò Gallo quis neget actum eſſe præclariſſimè? cuius innocentiam, ſapientiam, militarem virtutem, etiam inſignis in obitu filij fortitudo illuſtrauerit. quem vt numquam lubens tacitum dimiſerim, ſic ad Catonem properans exultare videtur animus, & quaſi in portum ex horrida tempeſtate

Universidad de Deusto
Biblioteca

delatus, in ſapientiſſimi viri nomine atque exemplo conquieſcere. neque enim maiori mihi admirationi eſſe ſolent clariſſimi hominis res geſtæ, ac virtus, non ſolùm in luce patriæ, ſed etiam in congreſſu hoſtium cognita, quàm fuit illa in filij morte, prætoris deſignati, in oculis omnium ciuium fortitudo declarata. Atque horum egregia in domeſticis miſeriis, atque ærumnis facinora qui fortiter in ciuitate noſtra imitati ſint, caſuſque fortunæ grauiſſimos patientiſſimè tulerint, non difficile fuerit oratione complecti. nam & Quintus Martius Rex cùm vnicum ſummæ pietatis, ſummæque virtutis filium amiſiſſet, dolorem prudentia peruicit, & eo ipſo die, quo filij rogum ſpectarat, Curiam ingreſſus eſt, Senatumq; iuſſit cõuenire. Craſſus verò in eo prœlio, quod cum Parthis cõmiſit, occiſo filio tantum abfuit, vt doleret, vt etiam exercitum increpauerit, quòd vnius militis iactura tantopere commoueretur, hortatuſq; ſit, vt patriæ virtutis memores, pro Repub. fortiter dimicarent, filij mortui vltionem ſibi vni relinquerent. Sed antiquior P. Craſſus, vir clarus, & conſularis, P. Craſſi filij mortẽ & vidit, & moderatiſſimè tulit. Nec ab eius laude abfuit, ac fortaſſe Craſſo præſtitit, Cn. Cæpio, qui Cæpionem filium naufragio abſumptum ita nõ doluit, vt eum ne leuiter quidem è vultu, aut vlla corporis parte commotum è familiaribus quiſquam vllo pacto ſenſerit. Iam quid Piſones, Scæuolas, Brutos, Marcellos, Metellos, Lepidos, Aufidios enumerem? quorum ſinguli pluribus amiſſis filiis, vel vxoribus, vel parentibus nec lugendum exiſtimarunt, & ſuam in illorum funeribus virtutem, atq; conſtantiam non ſibi ſolùm, ſed etiam generi, nominiq́ue Romano glorioſam fore putauerunt. Pudet in virorum grauiſſimis caſibus repetẽdis longiori vti oratione, cùm virorum maximè peculiaris virtus ſit, & in viris efflore ſcat ac vigeat maximè. quamobrem de fœminis potius dicendum eſt, vt cùm eas fortiſſimas fuiſſe cognitum ſit, tum pudeat viros, à mulierculis virtutis exempla petere, & ab iis ea virtute, quæ ipſorum propria eſſe debeat, videri aliquando ſuperatos. nam, ſi verum eſt quod à Theophraſto alicubi proditum memoriæ mandauimus, orbem terrarum Theatrum quoddam eſſe magnum, diuina mente repletum, & cæleſtis indicandæ ſapientiæ gratia tam multis vndiq; collucentibus ornamentis illuſtratum ac depictum, in eo autem medio collocatos eſſe homines à Deo, vt cum fortuna, dolore, morbis, egeſtate, caſibuſque permultis aſſiduè luctentur, Deum verò ipſum, quantùm quiſque pugnando valeat, quamq; viriliter fortitudine diuinitus accepta vtatur, deſuper aſpectare: hoc, inquam, ſi verum eſt, dubitari profectò non poteſt, quin quemadmodum Populus Romanus in muneribus publicis inuiſos habet gladiatores, qui omni modo vitam impetrare cupiunt, fauet iis qui contemptum eius prę ſe ferunt, itidem Dij immortales, ſi quos ex hominibus nimis anxiè de vita ſollicitos, eiuſq; exitum detrectantes aſpiciant iis aliquo modo ſuccenſeant, eos verò & caros habeãt, & muneribus proſequantur, qui ſi è vita reuocentur ipſi, vel ſuos reuocari videant, alacres lętiq; Deo pareant, nihilq; propterea mali ſibi accidiſſe iudicent. quod ſi fœminas præſtitiſſe intelligimus, cur iis imbecilliores, atque infirmiores videri

videri velint viri? neque ſolùm vnam aliquam è multis fœminam, ſed totam gentem, ac nationem, vt marium virtute, ſic fœminarum eximia quadam magnitudine animi præſtitiſſe accepimus. Lacænas enim matronas traditum eſt, occiſis filiis vulnera inſpicere conſueuiſſe. ac ſi aduerſos vulneratos eſſe comperiſſent, lætabundas funus ducere, eoſque in auita ſepulchra inferre ſolitas eſſe, contrà verò, quos auerſis vulneribus conciſos agnoſcebant, ab iis refugientes, clam ſepeliendos curabant, nec vllo prorſus honore funeris proſequendos ſtatuebant. tantũ in fœmineis quoq; animis decus poterat, & ſtudium gloriæ. qua ex gente etiam illud ad nos præclarum dimanauit, matrem quandam filium, ſenis cõfoſſum vulneribus, intuentem nec ingemere voluiſſe, nec coronam è capite deponere, ſed ad comites conuerſam, ita locutam, Quantò pulchrius, & optabilius eſt, in acie victorem animam efflare, quàm in Olympio certamine parta victoria viuere? at alia filium in prælio interfectum audiens, iccirco, inquit, genueram, vt mortem pro patria fortiter occumbere non dubitaret. Quid his fœminis facias, aut, quo non honore, ac gratulatione dignas putes quæ de patriæ dignitate, deq; gloria ſollicitæ, honeſtã mortem cuiuis ſaluti, ac lucro anteponerent? Age verò, num Lacænis Romanarum virtus inferior? par fortaſſe, niſi malis etiam ſuperiorem appellare. quàm fortis enim, & quàm magnifica illa Corneliæ vox, quæ duodecimo iam fœtu amiſſo, cùm Tiberium, & Caium filios interfectos ſpectauiſſet, nullo timore perculſa, nulloq́ue dolore confecta, Nunquam, inquit, ego me non felicem dixerim, quæ Gracchos pepererim. fortem verò fœminam, & cuiuis ex veteribus mentis præſtantia, ac magnitudine animi conferendam. non enim dolori conceſſit, ſed potius, cũ virtute viciſſet, victrix de dolore triumphum egit. Nihil iam Rutiliam miremur, quæ C. Cottam filium in exſiliũ ſecuta, cùm poſtea reuerſum in patriam amiſiſſet, nemo eam lachrymantem poſt elatum funus vidit. pariq́ue fato Clodia vſa eſt, quę Decium Brutum filiũ, conſularem, mortuum ſuperſtes vidit, neque tamen eius obitum non fortiter, & patienti animo tulit. quæ virtutis non vulgaria in fœminis exempla mirari aliquis poſſit, qui ſexus imbecillitatẽ ac mollitiẽ cogitet. at verò, qui fortiſſimis genitas parentibus, & fortibus etiam auis maioribuſq; prognatas recordatus fuerit, nihilo ab eis minorem vel prudentiã, vel animi magnitudinem requirat. Eſt ergo vlla res tanti, aut cõmodum vllum tam expetendum, vt, illo amiſſo, ne prudentiam quidem retineamus? quæ ſi vlla in nobis reſidet, nos profectò vel auitæ, vel patriæ virtutis admonet, nec de Piſonibus, Fabiis, Brutis, Marcellis cogitantes, quos imitemur, & à quibus ortum ducamus, immemores eſſe patitur. Horum enim armis imperij fines producti ſunt, horũ ſanguine parta ac ſtabilita libertas: horum denique labore, ac ſtudio Reſpublica ad tantam peruenit ſiue bellicæ laudis, ſiue domeſticæ virtutis gloriã, quorum in veſtigia pedem ponere oportet qui laudabiliter viuere, quiq; honeſtis in actionibus exerceri volunt, nec vllo mentis errore ad nimium dolorem atq; inſaniam traduci. Nominauimus externos magnos, claroſq; viros, collegimus de noſtris plurimos, quibus mortis ſenſus non modò ingratus, ſed etiam optatus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& iucundus accidit. Addatur, si placet, etiam Theramenes, qui veneno epoto, maxima æquitate animi, ludens in morte, quod erat in poculo reliquum Critiæ propinauit. Ergo ille in sua morte vir clarus, & sapiens ludebat, nos in filiorum aut affinium morte lugebimus? & veterum dicta quotidie legentes, atque addiscentes, præclara ducemus, exempla repudiabimus? aut eam vitam, quæ mortem hanc consecutura est, immortalem, beatam, à miseriis omnibus vacuam, negligemus? quamuis enim nudum corpus, & exanime discedens relinquat animus, nec amplius liceat homini, qui è vita discedat, suis opibus, bonis, diuitiis perfrui,

Astante, vt ille ait, ope Barbarica,
Tectis cælatis laqueatis,

Tamen multo maioribus & bonis, & opibus, quæ nulla vetustas absumet, nulla vis eripiet, piorum mentes assiduè potiuntur. Sed dimittamus & exempla clarorum hominum, & illorum virtutis impressam historiis memoriam: veniamus ad id, quod vnusquisq; sensu percipit, quantumque ex morte consequamur emolumenti, ac commodi, re ipsa factisque probemus. ex qua docendi, ac disputandi ratione perspicuè veritas elucescit, quidq; hoc modo se habeat, vel illo, facilè potest perspici. Si quisquam est, qui secundos in omni vita rerum exitus adipisci, & consequi possit, nihilque timeat aduersi, hunc nemo infitiari poterit, iure dicturum, si vitam sibi morte multis partibus meliorem affirmet. atqui nemo est, qui non modò miserias, atque ærumnas ab humana vita segregare, sed ne semihoram quidem felicem sibi, ac beatam polliceri possit. Metelli sibi fortunam sperant omnes: Priami sobolem, ac regnum exoptant alij: quasi non & Metellus tam multos nactus filios, ac nepotes, cùm maximè beatus esse posset, inuitus obierit, & Priamum non omni orbatum progenie, summoque dolore confectum, hostilis manus interemerit. His vitam si mors aliquot antè annis ademisset, è multis eos miseriis ac luctibus simul eripuisset. quos iccirco experti sunt, quia vitam diutius, quàm ipsorum requirebat felicitas, produxerunt, hinc illa miserabiliter decantata:

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam auferri,
Iouis aram sanguine turpari.

Quæ non modò visu, sed etiam auditu acerbissima sunt, quid putamus misero Regi, qui omnia & videre, & audire, & experiri coactus est? num ei multò melius euenisset, si vitam omnino multis antè annis, quàm hæc acciderent, amisisset? Forsitan quispiam dixerit, multa, quæ viuens nactus est, bona, citò decedens, penitus reliquisset, sed à malis etiam multò gauioribus, qualia multa sæcula non viderunt, felicissimè liberatus esset. Ex quibus omnibus, multisque aliis perspicuum est, peruertere homines ea, quę sunt humanę fundamenta felicitatis, cùm vtilitatem à morte seiungũt, aut cũ miseriâ cum morte connectunt. L. Crassum, ex nostra ciuitate clarissimum, & eloquentissimum virum, matura mors, quantis è molestiis quantisque incommodis eripuit? nam, qua in patriam pietate fuit, ex iis malis, quæ mortem eius consecuta sunt, incredibilem

dibilem, si vixisset, dolorem accepisset. flagrauit enim bello Italia, exarsit Senatus inuidia, nihil denique in ciuitate fuit, quod non eius temporis calamitatem luctumq; persenserit. Nam quid fugam Marij, quid cetera, quæ in illius discessu acciderunt, maximè luctuosa, summeq; miseranda commemorem? quid reditũ illum sanguinarium, cuius ex recordatione nemo est, qui non intimis sensibus exhorrescat. tenemus enim memoria, aut saltem ex patrum scriptis accepimus, crudelissimam omnium cædem illo tempore esse factam, trucidatos bonos viros, & ciues, incisas eorum ceruices, in Rostrisque positas, qui multorum ciuium salutem, ac dignitatem eloquentia peperissent. quàm multos ex illa Reipub. tempestate cõmemorare possumus, innocentissimos homines, atque optimos, vt acerbissimam calamitatem effugerent, libertatem morte quæsisse. O acerbum, ac nemini non pœnitendum Reip. statum conditionemq; viuẽdi! cùm eos ipsos, qui Rempub suo labore, suoq; sanguine auxerint, iuuarint, seruarint, nusquam tutos, nihilq; magis, quàm propinquorum manus ac gladios, timentes, horrescentesq; videas. illorum autem, quorum ope, atque auxilio seruatus sis, cùm horribiles, miserosq; casus spectes, nulla tamen ratione opitulari, nihilque afferre adiumenti queas. quis neget iis ipsis, qui hæc intueri cogantur, mortem esse non modo detrectandam, sed etiam optandam? qui autem, ne in horum temporum flammam incidant, mortis beneficio consecuti sint, eos verò beatissimos iure omnes existimabunt; qualem fuisse L. Crassum, nisi res ipsa probauisset, nihil esset, cur oratione persuadendum videretur. Sed hæc paullò antiquiora, quàm, vt omnibus in memoriam redigi, ac cogitatione comprehendi possint. Pompeij autem nostri familiaris casu, quid in ciuitate notius, quid illustrius? aut quid omnium oculis, ac mentibus perspectius, & clarius? hunc, si maturè extinctus esset, nihil doloris, nihil inuasisset mali. quòd tam diu in vita mansit, iccirco factum est, vt singularis calamitatis exemplum omnibus prębuerit, cui eò luctuosior fortunæ acerbitas visa est, quò feliciore, ac secundiore fortuna in omni vita vsus erat. quis enim vniuersis ciuibus aliquãdo carior? quis in toga vel rebus gestis, vel honoribus extra ordinem delatis, clarior? quis opibus, propinquitatibus, amicitiis florentior? cui nihil prorsus ad summam absolutamque felicitatem, præter honestum, ac iucundum vitæ exitium, deesset. Sed videamus, quantum in rebus humanis fortunæ possit iniuria. nisi malimus ad propriam mortalis vitæ nimis asperam, miseramq; conditionem omnia mala reuocare. qui enim amplissimis fortunis vsus erat; qui nihil, nisi sublime ac beatum nec cogitare, nec optare consueuerat; cui omnia vel ad vsum, vel ad voluptatem supererant, bellum cum socero suscepit; deseruit domum, profugit ex Italia; & cùm antea nihil in ceteris bellis, nisi summo consilio, prudentiaq; gessisset, cùm vel maximè ingenio, iudicioque excellere debuisset, sui pænè oblitus est. itaque imbelles, & infirmas copias, tirones, collectitioque milites cum robustissimis legionibus conferre non dubitauit: & amisso exercitu ereptisque castris turpissimè victus, in seruorum manus vir summus, & clarissimus incidit. vita verò vt miserabiliter priuatus sit, commemorare nihil est necesse:

cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm eo ipso, quòd in tam miseram fortunam delapsus, vitam citò amiserit, minus fortasse miser censeri possit, beatissimus autem obiisset, si, cùm in Repub. florebat, cùm valebat auctoritate & gratia, cùm copiis opibusque affluebat, è vita decessisset. cuius propagatio quantum illi mœroris ac luctus attulerit, non modò scribendo, sed vix etiam cogitando consequi quisquam possit. Itaque hoc stabilito, & fixo, mortem sæpissimè beatam homini contingere, non solùm, quòd nos in beatam vitam inducat, sed etiam, quòd multarum, magnarumque miseriarũ sensu liberet, & à futuris vel calamitatibus, vel doloribus abstrahat, quid iam relinquetur, cur non morte lætari, ac clarorum hominum virtutem, qui nullius interitu perturbati sunt, imitari debeamus? An non optimam beatamq; mortem iudicabat L. Brutus, cùm Tyrannum arcens, quem expulerat, vitam pro nihilo ducebat? item Decij, quo tempore, cũ Latinis pro patria dimicantes, sese hostium telis obiiciebãt? præterea Scipio, Paullus, Marcellus, Albinus, quos vitam in acie iuuandæ patriæ caussa fortissimè profudisse memoriæ proditum legimus. Et verò nihil fuit, quamobrem elato excelsoq; animo homines vitam non despicerẽt, vt sempiternam gloriam consequi possent. nam cum nullo, vel certè minimo doloris sensu, quẽ morientes perferunt, infinitam laudem commutabant. hunc enim locũ de exiguo, vel nullo potius dolore mortis, quem suprà perstrinximus, paullò vberius percurramus. Neque enim absurdè dixisse mihi videtur is, qui morientium mortuorumq; hominum statum, & conditionem duabus potissimum ex rebus percipi atque intelligi posse affirmauit; quarum vnam somnum statuit, alteram verò tempus illud, quod nostrum cuiusque ortum anteceſſit. & sanè ita est, vt ex omnibus opinionibus, quarum errore duci vulgus solet, cùm de morte loquitur, nulla planè ad veritatem videatur esse propensior. ita enim multi viuunt, vt præsentibus bonis fruantur, nec sanè cogitent, quid paucis post annis vel ipsis, vel ceteris boni aut mali possit euenire. Itaque sæpe nõ opinatis morbis, perturbationibus, angoribus vexantur. mortis verò, de qua potissimùm cogitare debuerant, ita non reminiscuntur, vt ad se minimùm illam pertinere, nec sua quidquam interesse existiment. qui, vt Panœtius Africanum dicere solitum tradit, ferociores equos domitoribus tradendos esse, vt paullatim parere, seque mitiores, ac molliores præbere incipiant, sic ipsi in gyrum fortitudinis ac patientiæ reducendi sunt, ne, si mors imprudentes oppresserit, perterreantur, planeque concidant. Sed nescio quomodo voluptate, luxuque delinita hominum consuetudo de recta maiorum via deflexit, eoque sensim delata est, vt nihil minus, quàm verum agnoscat, nec, cùm aliquid agitur, rectum id nec ne sit, magnopere cogitet. qua nulla maior pestis ac pernicies humanis rebus, valde iam labefactatis, potuit afferri. atqui, si in vllo homine, certè in his ipsis vulgare dictum & verum, & acutè cogitatum esse deprehẽditur. quid enim isti aliud agunt, nisi totos dies per inertiam perdunt, atq. ita viuunt vt stertere potius, quàm vllo pacto viuere videantur. dormiens autem vt nihil sentit, nihil agit, nihil curat; sic mortuus, quid agere, quid curare, aut sentire possit, haud sanè intelligas. itaque in fabulis,

fabulis, quos dij maximè adamarunt, eos, ne imminentem aliquam calamitatem sentire cogerentur, si vigilassent, à Diis immortalibus consopitos esse accepimus. mortem igitur, siquidem somno similis est, singulis noctibus induimus, & cùm in somno sensus sit planè nullus, nullum etiam in morte futurum esse sensum, verissimè statuere debemus. quod vt sensu ipso planè percipitur, sic ne de altero quidem dubitari vllo pacto potest, quin, quales antè, quàm oriremur, fuimus, tales etiã mortui futuri simus. mors enim quemadmodum ad eum, qui nondum ortus est, nihil pertinuit, sic ne ad eum quidem, qui mortuus est, vlla ratione pertinebit. ad morientẽ verò vel nihil, vel parum certè pertinet. siquidem tam angusto spatio tamque breui curriculo coercetur, vt nec si velit quidem, vires suas nimiùm porrigere aut explicare possit. Quæ est igitur eorum oratio, qui tantum in morte dolorem se timere, atque expauescere dictitãt? quamquam non sanè video, quo modo aliter facere possint: qui enim mortem nunquam experti sint, quam semel homo subiturus est, quo modo, bona maláne sit, verè sentire ac diiudicare possunt? Morientes aiunt cruciari, angi, distorqueri. quod in nonnullis fortasse animaduerti, atq. obseruari potuit. in quo tum isti aliquid dixisse videri possent, si hoc ex ipso mortis sensu penderet: nam, si mors ipsa dolore suo corpus vsque eò cruciaret, atque angeret, vt hęc doloris edere indicia cogeretur; negari profectò non posset, quin dolorem non leuissimum mors ipsa esset allatura. Cùm verò huiusmodi cruciatus paucissimos angat, & eos maximè, qui intemperanter, flagitiosè, nefariè vixerint, nunc dubitari non potest, quin tales homines nõ mors, sed admissorum scelerum conscientia vexet, habeatq. sollicitos. qui enim se morituros numquam crediderint, ac ne cogitarint quidem, cùm ad ipsam mortem peruenerint, anguntur non dolore moriendi, sed quòd è vita inuiti discedunt. in qua cùm omnia secunda feliciaque experirentur, ne secus mortuis accidat, valde vereri, ac dubitare coguntur. At bonis, qui mortem semper, tamquam præsentis tempestatis portum, in ore, ac sermone habuerint, quique ex huius vitæ procellis, mortis beneficio, aliquando egredi sæpissimè concupiuerint, nihil libentius aut iucundius mentione, ac nomine ipso mortis accidit. Atque in iis etiam præstans, planeque admirandum deorum munus agnoscitur. bonos enim, & quidem plurimos, nõ modò cum exiguo dolore, vt optare homines vulgò solent, sed omnis planè doloris expertes ex hac vita egressos, sine vllâ dubitatione reperias. ex quibus Q. Fabius Consulatũ adeptus, cùm in Curiâ prætereuntes salutaret, nihil dolens, nihil molesti sentiens, immò planè gaudens, è vitâ discessit, atque idem cõtigit A. Pompeio, cùm in ædẽ Iouis Capitolini sacra fecisset, itemq; Thalnæ Consuli, Diis immortalibus supplicanti. quid hos in ipso mortis articulo doloris expertos existimes, qui paullò antè læti viuebant, & in eo, quo morieb.ntur, puncto temporis, nihil lugubre testati sint, nihil flebile dixerint? Morte inquies, oppressi sunt. at sapientissimi, & optimi viri, quibus mortem, tanquam beatæ vitæ initium, dij immortales largiri voluerũt. quam eò fortasse iucundiorem ipsis fore videbant, quo minus eo tempore tantùm boni exspectauerant, ac ne sperare

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidem poterant. nàm cùm mors è diuina voluntate tota pendeat, haud sanè in hominis potestate esse possit, quo potissimum die, quaq; conditione mori velit Nec verum est quod dicitur à quibusdam, mortis eundem omnibus hominibus diem, ac terminum diuinitus esse cõstitutum: vt autem vel citius vel serius moriamur, singulorũ hominum vel intemperantia, vel negligentia contingere. nam, vt illud verissimum est, præfinitum esse vitæ terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat, sic illud affirmare nemo possit, eundem omnibus, eademque hora vitæ finem impẽdere. quod si agnosceremus, nihil sanè esset, cur homini prudentiam, temperãtiam, pietatem, tribueremus. quæ omnes planè virtutes, si hoc consequeretur, non modò inutiles, sed penitus inanes viderentur. cur enim prudentia vteretur homo, cur abstinentia, cur temperãtia, si eodem, quo reliqui omnes, temporis spatio vitã esset terminaturus? Vt diutius, inquis, vitã producere liceret. at, si vitæ terminus fatalis est, nec immutari quidẽ posse necesse est: sin voluntarius, & in hominis arbitrio positus, nihil est, cur, eundem omnibus à Deo constitutum esse, quisquã affirmet. Sed de his statuat vnusquisque ut libet. quid autem verius sit, Deus ipse viderit, hominẽ quidem scire arbitror neminem. stet modò nobis illud, doloris esse nihil in morte, boni autẽ tantum ex ea ad homines permanare, quantũ sperare multi possint, cogitatione quidem assequatur nemo. itaque hoc diuinitus hominibus datum est, vt quoties molesti aliquid experiantur, tum mortem exoptent, ac votis etiam conceptis sæpe implorent. quid ita? quia bonam, vtilemq; esse mortẽ, cognoscere; malam autem, aut acerbam esse numquã posse, homini à natura insitum est. itaque dolore perculsi mortem imploramus, eamque vnam, vt miseriarum malorumq; terminum, exoptamus. Admonet me locus, vt, cùm neminẽ ipsa morte magnopere cõmoueri debere probatum sit, iis præcipuè dolendum nihil esse contẽdam, quos mors cũ laude oppetita consolari potest. satis enim diu vixisse putandi sunt, qui vitã honestè clauserunt. eosdemque è vita abeuntes non modò laus, sed etiam perpetua voluptas, delectatioq; prosequitur. quę sanè eò maior in animo exoriri, ac vigere solet, quò latior alicuius in colendo officio, vitaque honestè ducenda manauit industria. certè enim, cùm ad rectè agendum natus homo sit, ideoque mentis, & rationis munere, præ ceteris animantibus ornatus, atque instructus, vnde potius laudem, ac voluptatem, quàm ab honestis actionibus, petat? An, vnde ortum duxerit, obliuiscatur? ille verò nec sui oblitus est, qui rectè vixit, nec iniquo animo mori potest, cùm multos relinquat suæ testes memoresque virtutis. quanto autem gaudio exsultare credendus est illorum animus, qui corporis admistione solutus, in cælestes ignes, sempiternasque domos, vnde exierat, reuertit? profectò enim ex diuina mente delibatos habemus animos, qui hac mole inclusi, tamquam terræ grauitate, sic ipsi nimio pondere corporis opprimuntur. vbi autem soluti corporibus ad proprias sedes euolauerunt, tum verè viuunt, nec libidini, voluptati, dolori seruiunt; sed sui compotes, nulla re anguntur, nihil requirunt, omnibus imperant. Rectè igitur dictum est, corpus terram esse, mẽtem autem, ignem de cælo sumptum.

ptum. id quod clarorum virorum acta cum virtute vita, præclaræque actiones facilè testantur. quo modo enim aut omnia humanæ vitę commoda contemneret, aut voluptates cunctas pro nihilo duceret, aut vitam ipsam laudis honestatisque gratia profunderet, qui nihil quidquam ad se, præter hęc ipsa mortalia, quæ manibus cõtrectat, quę terit pedibus, pertinere cogitaret? verum hæc non ita se habent. corpus enim è terra concretum, tam diu terrestrium rerũ amore ducitur, quoad in terram ipsam, vnde ortum duxit, reuertatur: animus verò, qui è cælo sumptus est, sempiternum quiddam, & cæleste apperit, nec iisdem, quibus corpus, finibus cogitationes coercet suas. itaq. nũquam quieſcere, nec vere viuere putãdus est, quamdiu corpore cõclusus, inuitus propemodum mortali labe, terremisq; vinculis cohibetur. At illa quanti sunt, grauissimis vitæ laboribus liberari, in mediis doloribus, & ærumnis obdormiscere, & quasi emissos è molestissima vitæ custodia, in iucundissimam, suauissimamq; domũ remigrare? huc enim pertinent quæ de piorum quiete, deque voluptate illa, qua egressi è vita perfrui dicuntur, disputari à sapientibus solent. qui cùm intelligerent, non fortuitò, aut temerè satos, & creatos homines esse, nec eadem mereri bonos, qui multis exantlatis laboribus vitam in medio dolore amisissent, & improbos, quorum in patrandis flagitiis semper est animus cogitatioque defixa, iccirco nõ eundem probis, & improbis vitæ terminum, nec eadem mortuis præmia statuerunt. Qua nos recordatione potissimum refici, ac recreari decet, qui carissimam filiam, optimeq; de nobis meritam ita vixisse scimus, vt ad optimos mores, summamq; prudentiam nihil posset accedere; & ita mortuam, vt in dolore, quem ex partu contraxerat, summam animi magnitudinem, summamque constantiam præstiterit. cuius mentio nobis, dolore iam, si non penitus extincto, certè magnopere leuato, non solùm non acerba, sed etiam iucunda accidit. quî enim aliter debet? cùm nec ipsi quidquam acciderit mali, nec ego vlla re, quæ tantopere cum natura congruat, & cum omnibus hominibus communicet, angi aut perturbari debeam. Quid ergo mihi restat? nihil sanè, nisi, cùm ea diuino potissimum beneficio vitæ munere perfuncta sit, vt ad eam maximè viuendi conditionem cogitationem meam mentemq; referam, qua nunc ipsam perfrui credimus, ac si, quod ęquum est, fateri velimus, etiam intelligimus qua ex meditatione eò maiorem voluptatem percepturus sum, quò meliore illa nunc statu, quàm quem viuens experta est, sine vlla dubitatione perfruitur. quid enim boni non merita est, quæ nihil vnquam egit, ac ne cogitauit quidem mali; & iis angoribus ac malis, quæ viuenti obiecta sunt, ita patienter perfuncta sit, vt non secus de aduersis, quàm de secundis rebus, Diis immortalibus gratulari, gratiasq; agere soleret? & cùm nihil, nisi rectum, honestumq; cogitaret, tamẽ vna conscientia cõtenta, nec sua benefacta in luce collocari, nec sibi quidquam propterea laudis, aut gloriæ deberi arbitraretur. Quæ ergo ita animata fuerit, vt de se quidem minimum, de recta mente, ac de æquitate plurimùm laboraret, an non diis ipsis censemus maximè gratam & probatam fuisse? in qua non ficta, & adumbrata, vt in multis, sed maximè solida. & expressa virtutis elucebat

 effigies.

Universidad de Deusto
Biblioteca

effigies.nam, cùm eam talem natura genuisset, vt quod pulchrum, rectumq; agnoscebat,sua spõte sequeretur, tamẽ eo non contenta,summa vi rationis,prudentiæq. perfecerat, vt nulla re minus,quàm natura duce, egere videretur. itaq; qui eius instituta,& mores paullo diligentius inspexisset,qui regundæ familiæ sollertiam, qui summum in cunctis rebus ingenium,singularemq; doctrinam aduertisset, haud fuisset sanè, quod aut virilem in intelligendis,iudicandisq. rebus prudentiam, aut exquisitam patrisfamilias sollertiam requireret. itaque quibus maximè rebus egere sæpe homines solemus, fortitudo & prudentia, hæ ita in muliere abundabant, vt sui mæroris medicinam non peteret foris, sed in seipsam spectans, ex sua semper virtute penderet. Quanto autem grauiores, ac difficiliores animi morbi sunt,quàm corporis, eo magis mirandum est, talem extitisse illam, cuius fortitudini corporis mala paterẽt prudentiæ verò omnes animi morbi facilè cederent. itaque quanquam ex calamitate temporibusq. nostris molestiæ plurimũ traxerit, numquam tamen animo perculsam,aut deiectam sensimus. angebatur patris exsilio, totiusq. familiæ luctum,bonorumq; direptionem multa videbat:sed matri tamen consilio,prudentiaque aderat; & rebus in magnum sæpe discrimen adductis, reditus spem nobis affere numquam dubitauit. ita, quantum ex calamitate doloris, tantundem ex filiæ suauitate, ac pietate solatij capiebamus.quod vt esset diuturnius,si commodum nostrum,aut eam, quæ omnibus antiquissima est, liberorum caritatem cogitaremus, magnopere optare debuimus. at, cùm illam corporis vinclis solutam, omnibus exutam miseriis, & immortalitatis compotem factam, animo reputamus,nõ modò in dolore conquiescimus,sed etiam præcipuè lætamur.quid enim mihi accidere lætius potest, quàm de immortalitate animorũ cogitanti,de filiæ simul æterna beataq. vita cõfidere? animos enim esse immortales,ne dubitandum mihi quidem videtur. faciam autẽ non inuitus, vt sapientissimorum hominum percurram hac de re sentẽtiam, quando me in hunc locum deduxit oratio. Neque verò hæc ita disputanda censeo, vt animos iccirco non interire probari possit, quòd mortuorum corporibus vis quædam ineſſe veneratione digna putetur, quæ significare debeat,nõ deleri morte animos,sed immortalium animorum veluti sepulchra quædam,mortalia corpora fuisse. quasi non & maiora, & firmiora multa suppetant, quibus planum fieri possit, qui animos simul cum corporibus interire contendat,eum contra rationem,nulla nixum ratione, pugnare. quòd si auctoritas quærenda sit, quem grauiorem nominare auctorem possum, quàm eum, quem Apollo ipse sapientissimum omnium pronuntiauit? cuius testimonium tale fuit, vt diuinos esse hominum animos,& eos,corpore solutos, in cælum remigrare, vnde priùs venissent,in omni fermone asseueraret. in quo cum Philosophis illis consensit,quos quondam Italicos nominauit antiquitas, maximeque nobiles iudicauit. quorum semper constans fuit opinio, demitti animos è cælo, diuinæque mentis eos esse non solùm munus, sed etiam partem præcipuam, ac propriam. quòd si secus esse quisquam putet: haud sanè facile, quid multis, & firmissimis in hanc sententiam argu-

argumentis respondere possit, inueniet. Sic enim planè cognosci ac sensu ipso diiudicari potest: summam esse pæneque incredibilem in animis celeritatem, ac festinationem, cuius ope, quæ corpus non modò certo mensium, sed vix etiam annorum spatio perficere, atque exsequi posset, ea ipsi non modò semel puncto temporis percurrere, sed etiam sæpius excogitare,& repetere facillimè queant.quod si mirum videtur,cur non admirabilius censeatur, meminisse animum tam multa, innumerabilibus antè sæculis gesta: quæ futura sunt, cogitando prospicere, ac non modò præsentia, sed etiam præterita, & futura, veluti Deum, omnia complecti, ac sub oculos subiicere conari? quis dubitet, cùm hæc intelligat,eademque in se ipso agnoscat,diuinum esse animum,nec,si diuina æterna sunt,ipsum esse mortalem? cùm præsertim duabus ex rebus,quæ præcipuè in animo sunt, illius æterna natura facilè intelligi ac deprehendi possit. hæc autem sunt,motus, qui in eo præcipuus est, principium,ac perpetuitas. cùm enim ex seipso moueatur, nec aliunde, vt cetera, principium motus mutuetur, summa autem in eo, quamdiu in corpore est, perpetuitas motus appareat: quippe quæ etiam in dormiẽtibus agnoscatur,& vigeat: iccirco dubitari nullo modo potest,quin diuinus sit,& sempiternus futurus. & sanè ita esse ratio vincit,& rerum probat exitus. Dei enim imago quædam animus est,ex ipso Deo delibata,ac profecta.quòd si Deus immortalitate fruitur, cur eam partem, quam ex seipso sumpsit, mortalem esse velit? quin hoc ipso singularem,& eximiam diuinam esse vim indicandum putauit,quòd non solùm ipse immortalis sit,sed etiam, quos velit, suæ naturæ compotes, & planè immortales efficiat. Corpus autem voluit esse mortale. nec immeritò. cùm è terra, cuius mutationi subiecta natura est, initium duxerit, & in eam ipsam, vitæ cursu confecto, abire debeat. Sed animus profectus à Deo, cælum ipsum appetit: nam in eum locum, vnde discessit, semper optat redire. terra autem si cui appetenda, corpori soli est. at verò animis æterna cæli sedes quærenda,eaque propria illorum patria: siquidem animorum nulla in terris origo inueniri potest. nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur, nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim naturis nihil ineſt,quod vim memoriæ,mentis,cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura præuideat,& complecti possit præsentia. quæ sola diuina sunt, nec inuenietur vnquam,vnde ad hominem venire possint, nisi à Deo singularis est igitur quædam natura atque vis animi seiuncta ab his vsitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste & diuinum est,ob eamque rem æternum sit,necesse est. nec verò Deus ipse qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera,segregata ab omni concretione mortali,omnia sentiens, & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno. itaque eandem æternitatem animis quoque nostris, ex se ipsa exortis, impartiuit. quorum ex cogitationibus atque operibus nihil aliud, nisi diuinos esse illos, & sempiternos, colligere possumus. nam si ædificiorum magnitudinem atque ornatum, si monumenta litterarum, si pecuniæ vim infinitam in

Universidad de Deusto
Biblioteca

res maximè ſtabiles, & admirandas effuſam, ſi plurimarum maximarumque rerum adeptionem cogitare voluerimus, profectò intelligemus, hæc numquam facturum fuiſſe hominem, niſi diuturnitatem temporis, ipſamq; æternitatem plurimùm ad ſe pertinere exiſtimaret. Iam, ipſa gloriæ cupiditas, honorum ſitis, opum ac diuitiarum aſſidua procuratio, quid aliud indicat, niſi cogitare hominem in poſterum, nec eodem veſcendi viuendiq; ſtudio, quo ceteras animantes duci videmus, humanum animum detineri. Sed hæc abiectiora, atque humiliora, nec vllis, niſi ſanè anguſtis naturę terminis, circumſcripta. Quid illa imprimis grauia, atque præſtantia, nec vlli planè in terris degenti, niſi ſoli homini, tributa? contemplatorem eſſe ipſum cæli, rerumque cæleſtium: frui magnarum obſcuriſſimarumque rerum ſcientia, quæ vel ad excolendos ad integritatem, atque innocentiam mores, vel ad comparandam Solis aſtrorumq; cognitionem, vel ad exercendam in abditis, obſcurisque rebus memoriam mentemque pertineant. nónne hæc ipſa tanta, ac talia, diuinum eſſe animum oſtendunt, nec illius naturam aliunde, quàm è cęlo, delibatam ac deductam? An cenſemus, ſi vnà cum corporibus animi interirent, aut ſapientiſſimos homines tam æquo animo mori poſſe, aut tam iniquo planeque inuito ſtultos & fatuos? Socratem ferunt, morti proximum, de piorum immortalitate, beataque vita, quæ mortem conſequitur, diſputauiſſe, itaque læto, ac libenti animo letale illud poculum hauſiſſe, quaſi non ad mortem, ſed ad regnum atque imperium vocaretur. At verò, quorum animus in terra defixus hæret: qui nihil, niſi mortale, terrenumque cogitant, eos planè repugnantes atque inuitos è vita diſcedere videmus. nec immeritò. cùm animorum æternitatem propius iam intuentes, crucientur mirum in modum, quaſi flagitiosè actam vitam pœna etiam ſit immortalis conſecutura. Atque illud etiam (ô ſtultum hominem dixerit aliquis & naturæ ſuæ penitus ignarum) nemini obſcurum eſſe poteſt, ex ipſis etiam ſacris cæremoniisque maiorum æternam hominis vitam facilè cognoſci, atque intelligi poſſe. neque enim illi aut mortuos tanto honore coluiſſent, aut tam multas tamque varias ſepulchrorum cæremonias poſteris tradidiſſent, niſi cognitum perſpectumque habuiſſent, vigere animum in morte, nec, quamquam corpus occidat, hominem ipſum penitus euaneſcere. itaque ſtatuiſſe videntur, mortem ipſam non eſſe humanæ vitæ confectricem, nec ex ea ſequi interitum: ſed potius ad aliam multò feliciorem vitam iis, qui rectè vixiſſent, ducem optimam ſolere exiſtere. quicumque enim conuenienter naturæ vixerint, nec illam ſecuti ſint malæ conſuetudinis corruptelam, quæ diuinitus datos igniculos extinguit, vitiáque gignit & confirmat omnia, eos & viuentes gloria, & è vita excedentes præmiis proſequi oportet. id enim non ſolùm rationi conſentaneum, ſed etiam veriſſimum atque æquiſſimum eſt. cui autem æquitatis antiquior cura, quàm Deo? itaque, cùm homo ſolus ex omni propemodum genere nactus ſit aliquam notitiam Dei, niſi vitæ iniquitate Deo iniquus atque inuiſus euaſerit, ad Deum certè euolabit. idque æternitatis humanæ vel maximum, ac firmiſſimum argumentum eſt, ſolum hominem diuinæ

uinæ voluntatis participem, conſciumque exiſtere: vt quamquam agreſtibus ſilueſtribusque in locis natus ſit, tamen, ipſa docente natura, & eſſe Deum, & colendum ac verendum eſſe, dubitare non poſſit. O rem dignam, in qua non modò homines, ſed ipſas etiam pecudes obſtupeſcere, ac, ſi fieri poſſit, etiam erubeſcere oporteat: cognatum eſſe hominem Deo: nullum aliud in terris animal, niſi hominem ſolum, Dei cognitione imbutum eſſe: nec quidquam eſſe aliud, quod animo, è diuina mente hauſto, præditum ſit: tantamq; ineſſe homini cæcitatem, atque ſocordiam, vt diuinæ cognationis immemor, auerſetur migrationē ad Deum? nec enim aliud eſſe mors, quàm migratio ad cęleſtes ſuperasq; ſedes, exiſtimanda eſt. nec id ſolùm ratione quadam æquitati, veritatiq; conſentanea, ſed etiam ſapientiſſimorū hominum maxime firmo, ſtabiliq; conſenſu. Atqui eum, qui hoc pacto viuere, ac pænè à ſeipſo diſſentire velit, meminiſſe certè oportuit, terram ipſam, omniaq;, quæ ſub cælo ſunt, diuina voluntate regi, propterea q; quiddam nobis, quod obſeruandum & addiſcendum videatur, præſcribere. quis ergo terram ipſam, aut quotannis feracem, aut ſemper optimas fruges, & numquam malas inutileſque herbas edentem efferentemque vidit? quis animalia ſemper vberes fœtus edidiſſe, numquam ſterilitatem paſſa eſſe, recordabitur? quòd ſi hæc ipſa ſecus ſe habent, nihilque in rebus humanis perpetuò firmum, eiuſdemque naturæ optare licet: cur, quam in omnibus & rebus, & animantibus viciſſitudinem cernimus, eam ab homine ſeiungamus? qui ſi multos annos feliciter vixerit, ſi ſobolem, honores, opes aſſecutus, diu tantis bonis frui potuerit, præclarè ſecum eſſe actum verè dixerit. Sed aduerſi tamen aliquid ſubeundum perferendúmque relinquetur: demum oppetenda mors erit, quæ eò leuior eſſe debet, quòd omnibus communis eſt, nec cuiquam ſingularis, aut præcipua. Sed hoc quoque gratior, quòd nos à multis erroribus abſtrahit, quibus, quoad viuimus, in tanta opinionum varietate aſſiduáque veri inquiſitione perturbari ſæpè ſolemus, & ad ipſam cernendam fruendámque veritatem iucundè traducit. quo nihil beatius homini poſſe contingere, ſatis, vt arbitror, ex eo ſuſpicari poſſumus, quòd innata eſt homini cupiditas ſcientiæ: eius autem præſtantia non ſanè video, qua alia in re, niſi in perfecta veritatis cognitione poſita ſit. ex quo fit, vt veritatis cognitionem aſſecuti, perfecta, abſolutáque ſcientia potiamur, verèque dici poteſt, qui veritatem intueatur, ſenſúque percipiat, eum voti ſui compotem, verèque beatum eſſe. quòd ſi beata vita quærenda nobis eſt, nec quidquam fugiendum magis, quàm ne miſeriarum grauitate premamur: quid illo homine ſtultius, aut ſtolidius reperiri poteſt, qui ceterorū morte ita angitur, vt beatæ vitæ oblitus, miſeram arq; infelicem conſectetur? profectò enim ita ſe res habet, vt, niſi mortis, doloriſq; timore liberatus ſit, etiam ſi multas cognitas perceptaſq; virtutes habeat, rectum q;, & æquum omni planè vtilitati anteponat, beatus tamen eſſe nemo poſſit. quid enim aliud dolor eſt, niſi cruciatus animi, iſq; perpetuus? quid aliud timor, niſi aſſiduus inuiſarum, ac moleſtarum rerum metus? at quo modo felix, aut beatus eſſe poterit, qui aſſiduo

Universidad de Deusto
Biblioteca

assiduo cruciatu, metuque vrgebitur? Quin eò miserior, atque infelicior existimari debet, quòd non solùm sibi ipsi molestiam miseriamq; comparabit, sed in ceterorum etiam sermonem, ac vituperationem incurret. nihil enim nimio dolore deformius, nihil à viro alienius. & si corporis prauitatibus vituperatio proposita est, vitiis ipsis, quibus laborat animus, nihil turpitudinis, nihil inuretur infamiæ? Illa verò & grauiora sunt, & maiori animaduersione vindicanda, quò nobiliorem, quàm corpus est, sedem, nempe animum ipsum, occupauerunt. quòd si turpis dolor nimius, & vituperatione dignus, certè illud consequetur, vt, qui nimio dolori seipsum tradat, ne laude quidem vlla dignus censeatur. est enim series quædam maximè veritati consentanea, vt sententiarum, sic rerum; & quemadmodum in sermone disputationeque nostra nectitur aliud ex alio, ita qui se vna aliqua vel deformitate, vel turpitudine implicari patitur, multis statim miseriis ac deformitatibus opprimetur. Nec verò credi velim; me, quia dolori nimio repugnem, iccirco dolorem omni ex parte improbare, omnesq; illius ex animo fibras euellendas existimare. est enim, quatenus homo doleat, &, (quod prudenter à Crantore dictum est,) siue secetur pars aliqua corporis, siue auellatur, sensus tamen adesse debet. istuc enim, nihil dolere, fieri non potest, quin quemadmodum feritatem corporis quandam, sic animi stupore maximum indicet.

Sed nimirum illud est, quod improbamus, dolori nosipsos ita tradere, vt in aliam fortasse grauiorem ex alia parte vituperationem incidamus. nam quemadmodum qui nihil prorsus doleat, desciscere videatur ab hominis natura, quæ morte perculsa dolorem ac luctum aliquo modo indicare cogitur; ita, qui dolori nimis indulgeat, humanæ naturæ penitus obliuisci, communemque omnium conditionem recusare iudicabitur. quibus rebus intelligitur, grauiter peccare homines, cùm vel ea, quę omnibus perferenda subeundaque sunt, detrectare audent, vel, quid ipsos in vita deceat, quæque sequi, aut refugere debeant, non cernunt satis. quod proprium prudentiæ munus est; quam humanarum actionum moderatricem à Diis immortalibus esse constitutam, infitiari nemo potest. atqui huic tam præclaro, diuinoq; muneri planè obsistit qui nimio dolore ducitur. non modò enim se ipsum sine vllo fructu lacrymis, ac tristitiæ tradit, sed etiam omni planè consilio, ac iudicio vacat. vbi enim ratio, si se dolore auferri sinat? vbi constantia, si sibi ipse repugnet, & in mœrore iaceat? vbi denique humanitas, si se hominem esse oblitus, nihil sibi cum morte commune esse contendat? Iam verò illud stultissimum, existimare, quę ceteri homines libenti animo subeant, iis se non esse obstrictum. quid enim? an ignorare quisquam potest quanta inter homines cognatio sit, quantaque similitudo? etenim, nisi hoc verum fateremur, causę nihil esset, cur homo hominem consilio, re, gratia iuuaret, ab hostium impetu, ac læsione defenderet. quod contrà videmus accidere, vt qui ab his actionibus auertat animum, non modò in vulgus improbetur, sed etiam inhumanitatis, ac feritatis accusetur. certè enim non è marmore sculpti, aut è robore dolati sumus: est in nobis quiddam, quod pietate misericordiaq; moueatur, nec extingui sinat illam, qua Diis proximi sumus, iuuandi, ac benefaciendi voluntatem. itaque insitum homini, atque innatum videtur, vt, quoties alium hominem quamuis alienum, premi calamitate atque ærumna videat, crucietur animo, nec, si facultas suppetat, dimittendam putet illius subleuandi occasionem. quam enim ipse, si eo loco esset, benignitatem sibi impartiri optaret, ea vt in alium vtatur, natura tacita quadam voce monere, ac præcipere videtur. quæ igitur sibi euenire posse dubitet, ea si contingant, cur angi ac perturbari velit? aut cur non potius humana illa esse, & omnibus hominibus procliuia, fateatur? quantò rectius ille, qui hominem se agnoscit, nihilque humani à se alienum putat? itaque cùm hanc ex animis nostris opinionem, mala omnia non esse humana, veluti immitem quandam, & immanem belluam, extraxerimus, profectò minus miserè, minusq; sollicitè viuemus. relinquetur enim illa cogitatio, quæcumq. accidant, fortiter ferenda esse, nihilq; posse homini euenire, quo funditus prosternatur. idq; ita erit, si nobismetipsis non assentabimur, sed veritatem, qua nihil præclarius, præstabilius, vberius esse potest, toto pectore amplectemur. hæc enim illa est, quam assecuti, meliores multò efficimur, & ad perferenda incommoda, præclaraque peragenda alacriores. cùm nihil, nisi quod rectum & æquum est, laudabile arbitramur, nihilque aliud, nisi egregia illa, ex quibus vera gloria nascitur, expetimus. Ac mihi videor nimis etiam nunc angustè atque exiliter agere. qui enim latior obiici campus queat, in quo fidentiùs atque alacriùs exultare possit oratio? sed faciam impudenter, si medicinam deferens animorum, quam ex omnibus maximè vtilem esse intelligo, ad meam vnius delectationem sermonem omnem, mentemque conuertam. Dolorem igitur nimis acrem ac diuturnum fugiendum diximus. & quidem probabiliter; cùm ex eo mala multa, maximeque grauia soleant exoriri. contrà verò nihil boni. neque enim dolor ex illis rebus est, in quibus vel ad probandum, vel ad vituperandum, multa & magna contrariarum rationum paria momenta agnoscantur. hoc enim si accideret, agerem verecundius, neque me in eum locum demitterem, vnde nullum planè exitum viderem. Sed, quoniam hæc ita se habent, contendo, vincendum esse animum, dolorique acriter obsistendum. siue enim nosmetipsos, siue amicos, siue vulgi opinionem cogitemus, id nobis sine vlla dubitatione faciendum est. at, si ad mortuos ipsos animum traducamus, quî possumus existimare, gratum illis fore, quòd nimio dolore cruciemur? præsertim cùm ex eo nihil ad illos vtilitatis, sed permultum ad nos dedecoris, atque incommodi permanet. Quid igitur eos ipsos à nobis optare, atque expetere arbitremur? nihil sanè, nisi vt eos illustri memoria, ac recordatione decoremus. Nemo me lacrymis decoret, ait Ennius; cur? quia volito viuus per ora virûm. quid igitur est caussæ, cur fletum lacrymasque recusem? nimirum ea gloria, quam se adhuc viuentem assecutum esse confidebat. eandem igitur ob caussam nostrú quoq. luctum mortuis ingratum molestumq; fore suspicemur, nec aliud eos à nobis quidquam flagitare credamus, quàm, vt id ipsum illis, quo maximè delectamur, tribuamus. hæc autem gloria est, & assidua illorum virtutis recordatio. quam si sermone, laudatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dationeque noſtra immortalem efficere liceat, hoc vno de mortuis nos vel optimè meritos exiſtimare poſſemus. quid quòd eum, qui ſic doleat, vt recreari confirmarique non poſſit; ne diuinum quidem numen horrere, ſapientiſſimi homines prodiderunt? impium autem eſt, quibus debemus omnia, iis peſſimam referre gratiam. contrà verò, qui deorum voluntati paruerunt, nihilque ſe, quod ab illis vltro daretur, moleſtè ferre declarauerunt, eos non ſolùm viuentes præcipua laude ornauit antiquitas, ſed etiam è vita egreſſos perpetuo coluit honore. idque eò ſtudioſius ac libentius, ſi quos intellexit cum Deorum cultu exercitationem virtutis, & præcipuam in mortales beneficentiam, coniunxiſſe. ſcitè profectò, vt cetera fermè omnia. quid enim maiori laude dignum ex omnibus rebus humanis commemorare poſſimus, quàm eum, qui vitam ducat cum virtute coniunctam, ad Deorum cultum atque honorem, perpetuum in homines ſtudium, ac pietatem aggregare? nec quidpiam tantulum modò in eius animo exiſtere, quod non vel pietati, vel humanitati, vel denique virtuti ſit conſentaneum? Nec aliam ſanè ob cauſſam perturbari omnem vitam errore, inſcitiaque videmus, niſi quòd, quæ in hominis vita præcipua eſſe deberent, pietas erga deos, in homines beneficentia, virtus in ingeniis ac moribus, ea ferè omnia negligũtur. eademque ratione quæ maximè vitare deberemus, ea ſtudioſè expetimus, cæcóq; impetu ferimur ad illa, quibus vita noſtra planè fera, atq. immanis efficitur. ex hoc fonte cupiditates inſatiabiles exoriuntur, quibus nõ modò ſingulos homines, ſed totas familias, & vniuerſas funditus euerſas ciuitates videmus; præterea ſeditiones, inſidiæ, diſcordiæ, rerumque, & hominum clades, & interitus. ex his etiam incredibiles dolores emanant, quibus perturbari vitam, neque ſolùm inſuauem, ſed acerbiſſimam effici neceſſe eſt. quod contrà probis virtutemque amantibus accidit. nam diuinæ voluntati obtemperantes, nihil in ſe ipſis, ſed in ea ſe ipſos, ac ſua ponunt, & locant omnia: neminem lædunt: omnes liberalitate, benignitate, caritate amplectuntur: nulla re cruciantur: nihil appetunt, omnium vitiorum fracto impetu, cupiditatumque radicibus ex animo penitus euulſis. Num igitur eos, qui ita vixerunt, vt ſibi iucundi, diis grati, hominibus fructuoſiſſimi extiterint, diuinis honoribus iure dignos maiores noſtri cenſuerunt? eoſque cum Diis immortalibus ævum agere ſapientiſſimus poëta nõ immeritò cecinit. Nec tamen iccirco, quòd eorum corpora in cælum perlata, credere ſapienter quiſquam poſſit, quod quia natura non patitur, vt, quod è terra eſt, alibi, quàm in terra maneat, ne credi quidem debeat, neceſſe eſt, ſed quòd eorũ animi, tamquam hominum de Diis immortalibus humanoq; genere optimè meritorum, in cælum putentur elati. quod de Romulo, Vrbis noſtræ conditore, memoriæ proditum accepimus: quem ſingulare in genus hominum collatum munus tam preclaræ vrbis condendæ, in Deorum numero collocauit. idque eo tempore, quo litteris, & doctrinis homines exculti facilè fictum à germano, verum à falſo ſecernebant: vt credi non poſſit, quidquam illis perſuaderi potuiſſe, quod vllam ficti, aut falſi imaginem præ ſe feret. ſed, quod ille mortalis, eximia virtutis ac beneficentiæ gloria, conſecutus eſt,

vt non

vt non ſolùm immortalis, ſed Deus iudicaretur: idipſum aliis etiam tributum eſſe, vt inter Deos recepti putarentur, cùm exceſſiſſent è vita, annales veterum loquuntur. quod & apud Græcos prius contigit, & inde fortaſſe ad noſtros permanauit. nam & Hercules, & Liber, fratres Tyndaridæ, & fœminæ plurimæ, quibus nunc inter Deos locus eſſe præcipuus creditur, & hominibus nati, & homines fuerunt. Sed, quòd virtute præſtiterunt, &, vt cæteris ad rectè viuendum, beneque merendum prælucerent, laborauerunt, ideò eos hominum fama, beneficiorum memor, in conſeſſu, concilioque cæleſtium collocauit. atque ipſos, quos vocamus maiorum gentium Deos, alióſque quamplurimos, quos in Deorum numerum retulimus, hinc à nobis egreſſos, & in cælum profectos, facillimum erit agnoſcere. Maximum verò argumentum eſt, quod de illis credimus, id eſſe veriſſimum, quòd & tantus tot ſæculorum, doctiſſimorúmque hominum conſenſus veritatis vox ipſa eſſe videtur: & quòd tantæ, támque præclaræ virtuti, quem alium verè congruentem locum tribuere oporteat, non ſanè reperies. quis eſt autem tam demens, vt, quos innocentia, liberalitate, & ſingulari quadam ac præcipiua virtute diis proximos intelligat, iis ſeiunctum à Diis tribuendum locum cenſeat? &, cùm hominis animus terrena reſpuat, ad ſupera ſemper feratur: qui non ſolùm tacito naturæ impulſu, ſed voluntate reque ipſa, vt quàm maximè cæleſtibus ſimiles eſſent, præſtiterunt, eos licebitne cælo eſſe priuatos? Mihi verò eò iuſtiùs in cælo collocari videntur, quo clarior eorum inter homines vel eluxit liberalitas, vel virtus enituit. quis enim Hercule fortior? quis prudentior? quis ab omni cupiditate remotior? quos ille labores, vt fortiter ageret, & hominibus prodeſſet, ſuſcepit, & pertulit? aut quid non doloris, & calamitatis exhauſit? quis ergo hunc cælo excludi patiatur, cùm eius virtuti ſempiterna gloria, & laudis patuerit immortalitas? eademque ceterorum conditio eſt: quorum alius alio genere virtutis, omnes ſummis & ſingularibus vel in ipſos deos, vel in homines meritis præſtiterunt. itaque tam egregiis eximiiſque factis non infixas plumbo ſtatuas, non areſcentes triumphorum coronas ſatis diuturna perſoluere poſſe præmia iudicatum eſt, ſed florentiora ſtabilioráque munera quæſita ſunt, quibus ornarentur ij, qui virtutem, honeſtatem, gloriam, otio, libidini, voluptati, vitæ denique prætuliſſent. tamque id æquum eſt, quàm illud decorum, maximeq; probandum, non eaſdem improbis ſedes, quas bonis atq. integris, poſt mortem eſſe propoſitas. intellexerunt enim ex maioribus noſtris cõplures, qui ſapientia præſtiterunt, cùm in Diis æquitas præcipuè vigeat, eaq; in eorum gubernatione appareat maximè, fieri non poſſe, quin nequitiam ſceleraque auerſentur, quique ea in vita exercuerunt, eos à ſe ipſis longiſſimè ſeiungant. quod in vulgus edi verumque exiſtimari, non modò rationi conueniens, ſed vtile quoque imprimis eſt futurum. nam, ſiquid in hominum animis pietatis, ſiquid religionis inerit, certè ob hanc potiſſimum cauſſam ſe à flagitiis, ac facinoribus abſtinebunt, quòd impios, ac nefarios homines à deorum concilio, ac ſocietate arceri iudicabunt. Nec enim omnibus iidem illi ſa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pientes arbitrati sunt eundem cursum in cælum patere. nam vitiis, & sceleribus contaminatos, deprimi in tenebras, atque in cæno iacere docuerunt. castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atq. artibus expolitos, leni quodam, ac facili lapsu ad Deos, id est, ad naturam sui similem, peruolare. quod si ita est, certè nobis quantùm conniti animo possumus, quantum diligentia consequi, contendendum atque elaborandum est, vt ne ab iis segregemur, quorum est proprium vita frui sempiterna, ac beata. quod efficere qui voluerit (omnes autem velle debebunt, qui seipsos diligere, conuenienterque naturæ volent viuere) numquam committet, vt, quæ ceteris exitiosa fore crediderit, ea ipse persequatur. neque enim in spem venire poterit, aut ignoraturos esse Deos quæ ipse agat, cùm diuinam naturam nihil præterire credibile sit, aut illa probaturos, à quibus non modò Dij, sed etiam sani homines abhorreant. quid enim turpius libidine? quid tetrius auaritia? quid detestabilius crudelitate? quæ quamuis in hominibus aliquādo existant, tamen ab hominis natura tam aliena sunt, quàm humanum illud erit, si omnia nobis bona, omniaq; commoda expetamus, atque in hoc comprimendæ sunt cupiditates, quibus trahimur persæpe ad ea, quæ virtuti aduersantur. quod facillimè perficiet, qui tam glorioſi facinoris exitum secum ipse assiduè cogitabit. tantaque est huius cogitationis suauitas, vt, quod libenter, alacriterq; agimus, etiam sine labore peragamus. idque in præstantibus, laudisq; appetentibus hominibus facilè cernitur, quorum tanta esse solet vel in obeundis præliis, vel in agendis caussis, vel in cōtentionibus pro Republ. suscipiendis alacritas, tantaque virtus, vt quod in iis rebus periculi aut laboris est, aut nō sentiant, aut pro nihilo ducāt. magnum enim est contendentis, & ad gloriam anhelantis animi fomētum, magnum solatium, spes futuræ, ac propinquæ siue vtilitatis, siue gloriæ. neq. id solùm in magnis, sed etiā in leuioribus laboribus, ac studiis. quos enim cursus, quos venatio delectat, eos quamuis de via fessos, ac pænè exanimes videas, numquam tamen minus alacres, minusque concitatos animaduertas. Iam, honorum cupiditas quid non in nostra ciuitate laboris, quid non sollicitudinis, negotiique facessit? quotus tamen quisque est, qui se vel labore defatigatum, vel prensationis molestia, curaque confectum audeat dicere? sic, quorum oculos virtutis splendor occupauit, gloriæque studium animos deleniuit, ij nec laborem sentiunt, & si tantus est, vt aliquando erumpat, eo tamen non magnopere mouentur. toti enim in eo sunt, vt prosint patriæ, immortalemque sibi nominis memoriam comparent. quam si quis negligendam ducat, omnemque hominis felicitatem rectè factorum conscientia metiri velit, is certè diuinos honores, qui claris viris tribui consueuerunt, numquam negliget. etenim de Diis ipsis, qui eosdem sibi honores asciuerunt, pessimè iudicasse videretur. tanta autem eorum qui huiusmodi consuetudine delectati sunt, & sapientia, & æquitas agnoscitur, vt dubitari non possit, quin, ipsi quod egerunt, à certa ratione proficiscatur. quales numerare Lacedæmonas possumus, clarissimos, & fortissimos viros, qui ciues suos, mortem pro patria obeuntes, diuinis honoribus afficere solebant. Quid verò

verò illæ, omnis planæ doctrinæ, omnisque sapientiæ parentes Athenæ? nónne Codrum Regem suum, ob pietatem in patriam meritaque illa, quibus excelluit, magno consensu in Deos retulerunt? Atque haud scio an rectè senserint viri doctissimi, quorum ea fuit opinio, viros claros, & fortes iccirco deorum immortalium honore consecratos, vt incitaretur virtus acriùs, & acuerentur vehementiùs ad obeunda pericula qui patriæ amore studioq; tenebantur. vera enim virtutis merces gloria est, nec quidquam est aliud, quo magis ad rectè, honesteque agendum præstantis animi homines incendantur, quod optimè agnouit, ac diutissimè retinuit, omnium litterarum præclara custos, & altrix Græcia; quæ multos habet virtutis gratia factos ex hominibus Deos. quorum alios fatentur nouos: alios multis iam seculis receptos in cælum, consecratosque contendunt. quàm multi autem sint, qui reconditas eorum scrutantur litteras, nosse fortasse possunt. Neque verò hæc à me ideò copiosius disputantur, quòd eos temerè, neque satis consideratè tam multos consecratos esse credi velim: cùm eos ipse quoque venerer, deorumq; loco habendos putem: sed potiùs, cùm tot apud omnes pænè gentes immortalitate, diuinisque honoribus affecti reperiantur, vt exacuam bonorum mentes ad ea promerenda, quæ sapientium iudicio ducuntur ampliſſima. nihil enim præstantius aut beatius accidere homini potest, quàm eo loco donari, in quem vt ascenderent Vrbis nostræ conditores, nullum periculum, nullum laborem, nullum denique certamen prætermiserunt. ac, si priuatæ vtilitatis, & commodi habenda ratio est, nullam aliam expetere, aut optare vir sapiens, & eruditus, præter hanc vnam, debet. Templa verò publicè vota, & dedicata, quantum in vulgus dignitatis, quantum habent gloriæ? cùm omnes, qui Deos illos, quibus Tepla vouentur, publicè colunt, fateri cogantur, & fuisse homines, & ad Deos, diuinosq; honores, vna virtute fretos ascendisse. Nec mirandum est, Deos illos publicè coli, eorumque delubra, & Templa augustè, sanctèq; exornari, qui vel patribus nati sunt diis, vel matribus. nam, quemadmodum eorum cultus & sanctus, & religiosus est, maximeque pietati atque æquitati consentaneus, sic admirationis, aut dubitationis nihil habet. totus enim ex natura oritur: vt iure ipso naturæ, qui Deo satus, vel Dea editus procreatusque sit, Deus esse debeat. at verò, qui homine patre, vel mortali matre natus est, hunc esse Deum, & magnum quiddam videri potest, & dubitandi occasionem, nec fortasse ineptam, multis afferre solet. non enim, si eximius talium virorum virtuti tribuatur honos, quin id iure fiat, aut dubitare, aut negare quisquam potest: sed quòd tantam virtutis esse vim velimus, vt vel natura ipsa eius vnius ope immutetur, hoc illud est, de quo quærere doctiores viri non immerito soleant. quibus ita responsum est, non immutari virtute naturam; nec enim id, sine prioris naturæ corruptione, posse euenire: sed eadem in illis manente natura, euolare animum ad deos, & in eorum adscribi concilium, cùm immortalis sit, & immortalitatis diuinæ particeps: corpus autem, suapte natura mortale, manere in terra. quodque terrenum est, nullo pacto suam exuere posse naturam, vt alienam induat. quamuis

enim hæc ipſa quæſtio perobſcura videri ſoleat, nec omnino procliues, aut faciles habeat explicatus; tamen, niſi auctoritatibus contra rationem pugnetur, non incommodè, opinor, à nobis expoſita cenſeri poteſt. Et quoniam, quæ in hoc genere præcipua, cognituque digna ſunt, perſequimur omnia, (volumus quidem certè) prætereundum non eſt, quales, quamque multæ virtutes, erudiendorum hominum gratia, ſint honore deorum immortalium conſecratæ. cuius rei finis eſt, publica vtilitas; vt, quo honore virtutes ipſas decoratas videant, eundem ſe conſecuturos eſſe homines ſperent, ſi iiſdem virtutibus excellant. quo in genere multum boni eſt in imitatione. libenter enim ea imitantur, & perſequuntur multi, ex quibus alios illa eadem, quæ ipſi appetunt, conſecutos vident. atque ex eo plerumque accidit, vt multis in rebus, quas antea ne cogitauerant quidem, cùm ad clarorum virorum imitationem ſe contulerint, multorum vigeat induſtria. quæ cùm paullò manauit latiùs, quantos progreſſus, quantaque acquirat incrementa, nihil neceſſe arbitror commemorare. conſtat enim inter omnes, quæ præclara ducuntur, ea ferè omnia à tenuibus initiis ſumpſiſſe exordium. quod paullatim, imitatione progrediente confirmatum, ita increbuit, vt ne augeri quidem, aut exaggerari magis poſſet. quod ſi vlla in re gratum nobis atque optatum eſſe debet, certè in complectendis prouehendiſque virtutibus non video, quid eſſe poſſit optatius. ſiquidem ex his informatio pendet, educatióque vitæ; quæ cùm rectè inſtituitur, atque excolitur, incredibile dictu eſt, quantos, quamque vberes iuſtitiæ, integritatis, omniſque ampliſſimæ laudis fructus afferat. Sed, cùm virtutes multæ meritò colantur, quòd & ipſæ cultu dignæ ſint, & multæ ab iis ad vniuerſum genus hominum vtilitates proueniant: quid ſit, cur beſtiæ quoque ipſæ ab Ægyptiis fermè omnes conſecratæ ſint, ſcire ſanè velim. ſit Piſcis in cultu, ac Deorum opinione apud Syros, homines nec tanta ingenij acie præditos, nec tantis doctrinarum præſidiis inſtructos, vt hæc inepta, ridiculaq; eſſe, poſſint agnoſcere. Ægyptij verò, omnibus affluentes eruditionis, & ſcientiæ laudibus, quo modo in tam inanem, támque abſurdam delabi opinionem potuerint, equidem intelligere vix poſſum. quid enim? an boues, canes, lupos, feles, piſces in Deorum numero habebimus? & quos nobis natura præſidij, auxilijque cauſſa animantes genuit, eos per inſcitiam Deos iudicabimus? quibus nihil fœdius, obſcenius, lutulentius ne natura quidem ipſa viderit. Etiámne animalium monſtra illa, à quibus hominum generi præcipua incommoda inferuntur, crocodilos, aſpidas, ſerpentes, ceteras feras, & immanes belluas, in Deorum numerum referemus? quid erit aliud, naturam inuertere, & ima ſummis, ſumma infimis commutare? & cùm tantam in his imperitiam, barbariámque agnoſcamus, tamenne iſta penitus inania pertinaciter defendemus? Eademq; inſcitia cæpas, allia, fructus ceteros, qui oriuntur è terra, in Deorum numero repoſuit Ægyptus. quæ haud ſcio, cur longiori oratione refellere ſit neceſſe. incredibilis eſt enim eorum abſurditas, vt nulla eſſe poſſit aut pertinacia, aut imperitia tanta, quæ non iſta aſpernetur atque refugiat.

Imbres

Imbres autem, nimbi, procellæ, ſi à noſtris conſecratæ ſunt, id antiquiſſimis Populi Rom. ritibus, ac cæremoniis receptum, & confirmatum eſt. quæ tolli, aut perturbari, cùm & ſatis firma ratione nitantur, & vſu iam ipſo confirmata, & approbata ſint, ſine nefario ſcelere non poſſunt. Græcia verò, quam paullò antè laudibus ornauimus, hoc loco non ſanè laudare poſſumus, quæ Cupidines, & Amores ſatis audacter, & temerè in Gymnaſiis ædibuſque publicis conſecrarit. quid enim Cupidini, aut Amoribus cum Gymnaſiis? aut, quid ea conſecratio vel ad conſiderandum, vel ad imitandum afferre potuit honeſtatis, aut boni? nihil enim temerarium, nihil inſipiens in Deorum conſecratione eſſe debet, nec, quod vllam vel leuiſſimam aut turpitudinis, aut vllius omnino imprudentiæ ſuſpicionem afferat. quales videri poſſunt eorum conſecrationes, quorum in rebus probitati, pudoriq; contrariis numen eſſe, potentiáque creditur. Qui ergo ad hominum vitam vel adiuuandam vel excolendam, atque exornandam aliquid attulerunt, quíque virtutibus, rerúmque geſtarum gloria præſtiterunt, eos nemo dubitet, iure deos habitos, diuinóque cultu affectos eſſe. Neque ego vllo pacto auderem hoc primus prodere. non enim tam ſtudiosè quæ laudari poſſunt, appeto, quàm reformidare ea ſoleo, ex quibus poſſit aliquid vel leuioris culpæ redundare. Cùm verò & mares, & fœminas complures in Deorum numero eſſe videamus, & eorum in vrbibus atque agris auguſtiſſima templa veneremur: aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis, & inuentis omnem vitam legibus, & inſtitutis excultam, conſtitutámque habemus. tantis enim ducibus aberrare non poſſumus, nec à nobis, ſed ab illis ipſis, quos ſequimur, rei tam iuſtæ ac debitæ ratio repoſcetur. iure enim feciſſe putandi ſunt, qui ne quem virum, aut fœminam præclarè meritam debito honore ſpoliarent, eorum memoriam ſanctam venerandámque eſſe voluerunt. nos autem iniuſtè ageremus, ſi, quos pari cultu venerationeque dignos cognouimus, eos pateremur ſilentio præteriri. Neque hoc de te vna, mea Tullia, dictum volumus, cuius exſtabunt virtutis, prudentiæ, doctrinæ, continentiæ, ad omnem æternitatem impreſſa veſtigia, ſed de iis omnibus, quos tali honore dignos aut ipſi vidimus, aut futuro tempore poſteritas intuebitur. Nunc autem de te loquar, quam non ego amiſſam, aut mihi penitus ademptam, velim dicere: cùm illuceſcat menti meæ quotidie magis præclariſſima nominis tui, tuarumq; virtutum gloria. vigebis autem memoria, quamdiu monumenta exſtabunt illa, quibus eximia conſignata ſunt tam excelſæ laudis teſtimonia: quæ ſempiterna fore, cùm præſtantiſſima ſint, planè confidere debemus. Tibi igitur numquam me debitum perſoluiſſe officium putabo, niſi de me optimè meritam, quem eximiè coluiſti, ac de patria, quam ſemper ornaſti, ſupremo honore decorauero. Id autem facilè conſequar, cùm is locus, quem tibi delegi, ſempiternam habiturus ſit religionem. noſtra verò ſi qua erit ex eare conſolatio, quæ magna certè erit: aut, ſi qua laus ex paterna pietate, mihi certè iucundiſſima acciderit. nihil enim aliud vel audire, vel memoria repetere libentius poſſum, quàm me in eam, quam ſummè dilexerim,

ſum-

ſummeque diligendam merito ſuo cenſuerim, quàm maximè pium, gratumq; eſſe. cùm præſertim in alienos, quia de ſe optimè erant meriti, tam prolixos liberaleſque ſeſe, & maiores noſtri, & exteri præbuerint. Quòd ſi vllum vnquam animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecrauerunt Ægyptij, quod nullum profectò fuit: ſi Cadmi, aut Amphitryonis progenies, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit: huic idem honos certè dicandus eſt. quod quidem faciam, teque omnium optimam doctiſſimamque, approbantibus diis immortalibus ipſis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium conſecrabo. Tu ergo in eo ipſo fano, quod ad nominis tui memoriam ac cultum, votum dedicatumq; eſt, & laudari te, & coli ſenties. maximè autem lætaberis in eo, quòd & eum tibi, quem maximè debui, honorem perſoluerim, & me ſimul iniquiſſimo fortunæ imperio penitus exſoluerim. noſti enim, quàm ſemper alacri fortique animo cunctis caſibus reſtiterim: vt ne me quidem, pulſum patria, omniq; planè dignitate ſpoliatum, tam acri impetu frangere, ac deiicere fortuna potuerit. Cum inimicis autem quanta contentione decertauerim, quæque mea fuerit in iis refutandis, frangendiſq; virtus, & conſtantia, norunt omnes, qui varios ciuitatis noſtræ caſus curioſè notauerunt. Cùm verò, Tullia, te mihi extremo loco fortuna ademiſſet, tum equidem intellexi, quantum illa in rebus poſſet humanis, quantáque aduerſus me ipſum vi, ac poteſtate niteretur. itaque nihil habui, quod dicerem, niſi, Cedo, & manum tollo, cùm tam graui accepto vulnere, planè dolore perculſus, atque afflictus eſſem. Nunc autem & præceptis ſapientiæ aduerſus omnem fortunæ vim confirmatus, &, te conſecrata, in cælumque recepta, tanta affectus voluptate, ac lætitia, quantam animo capere maximam poſſum; exſultare planè videor, victorque de fortuna, ac de omni prorſus dolore triumpho. Tu ergo, quando me inſigni, & excellenti tuarum laude, memoriaque virtutum, tam præclarè iuuiſti, nunc ab hominibus ſeiuncta, non me deſerens, ſed aliquando reſpectans, perduc eò, vbi tua tandem collocutione conſpectuque fruar: vt & parenti tui amantiſſimo, quam potiſſimùm optare debes, gratiam referas, & ego multò mihi gratiorem, multoque iucundiorem congreſſum noſtrum futurum intelligam, quàm inſuauis, & acerbus digreſſus fuit.

FINIS.

I. LIPSIVS

I. LIPSIVS
CHRISTOPHORO PLANTINO
S. D.

LIBELLVM *nouitium, quem Italia nunc ſubmiſit, mi Plantine, vidi. quæris quid ſentiam? Nihil in eo quod trahere lectorem poſſit, præter nomen. Cicero enim præſcribitur. quo ipſo inductus auidè ſanè legi. Sed primò diſplicuit; & cùm iterum legi, euiluit. Quis autem ille ſuauiludius, qui latêre ſe poſſe cenſuit ſub hac perſonâ? Malè mehercules de ſæculo noſtro iudicauit. Quid enim tam diſſimile ab illo auro, quàm hoc plumbum? ne ſimia quidem Ciceronis eſſe poteſt, nedum vt ille. Jnre & inuentione, pleraque protrita & obuia: in phraſi, pueriliter aut ineptè imitata. Nihil vſquam neruorum aut ſanguinis: ac ne color quidem, niſi cum apertâ ceruſâ & fuco. Et víſne examinemus paullùm cauſſâ noſtræ iuuentutis? ſed breuiter. nam relegere omnia, nedum vt ſublegere, tædeat pigeátq;.*

Exordium ipſum incohærens, inconſequens: & in contextu periodorum, non cauſſa pro cauſſis. quod vitium ei proprium, & diffuſum toto libello.

PAGINA 585. LINEA 46. Qui enim hominem ſe eſſe agnoſcit, cur ea quæ hominis maximè propria ſunt recuſare ac reiicere audeat? quod ſimul vt feciſſet, & imprudens & iniuſtus meritò haberetur.] *Satin' hæc Latina? Hoc volebas & debebas ſcribere,* quod qui faciat, & imprudens & iniuſtus meritò habeatur.

PAG. 586. LIN. 22. In pares ferocia, in ſuperiores ſuperbia, in infimos arrogantia.] *Vide quàm rectè gradiatur. at verum erat,* in ſuperiores adulatio, demiſſio. *aut quid tale.*

PAG. 587. LIN. 17. Quam etiam vita ipſa profundenda, ſi opus fuiſſet, libentiſſimè redemiſſemus.] *Nihil opus erat te profundere illud* Profundenda.

PAGINA 588. LIN. 13. De auaritiâ verò maximâ animorum peſte, nolim hoc loco diſputare. quæ in deſide atque otioſâ mente quàm maximè exoritur, eaque erectiores animos & altiores dignitatis gradus maximè ſolicitat] *Satin' hîc ſanus es? In deſidem mentem cadere auaritiam vis, ſtatim in erectam. & quid hoc eſt*, ſolicitare gradus altiores dignitatis? *niſi ſermonis ſordes.*

PAGINA 589. LIN. 1. Quantum Tullia mea ex maritorum ærumnis & difficultatibus luctus percepit?] *Cur non* maritorum mortibus, *niſi quia id neſciſti?*

PAGINA EADEM, LIN. 18. Mirum ni ſeſe abiiciat, &c.] *Mirum ſi tu te aut verba tua capis. & hoc magis mirum, quòd te non abiicio.*

PAGINA EAD. LIN. 26. Herodoto auctore Argia ſacerdos.] *Egregium & aptum ſanè exemplum. ſicut & reliqua hoc libello, quæ ferè ex eodem Herodoto ſumit. prouſus ad morem Ciceronis.*

PAGINA 590. LIN. 33. Ad alendum dolorem angulus.] *Dixiſſes ſaltem*, ad tegendum. *Iam illud quid eſt, quod addis*, non obiiciendum eum inſipientibus? *Angulúſne ſolet obiici?*

PAGINA 592. LIN. 29. Statim eorum conſuetudinem reguſtabimus, & ad ſuauiſſimam vel conſuetudinem vel conuictum redibimus.] *Hæc quidem vnius vocis iteratio ex ipſo myrothecio Ciceronis.*

PAGINA 594. LIN. 29. Artabani viri ſapientiſſimi.] *Sapientiſſimè. & vide lector totum exemplum, ſi libido tibi ridendi.*

PAGINA EAD. LIN. 45. Nam quem tuetur atque diligit Deus, Iuuenis ſupremum mortis intrat limitem.] *Etiámne facis verſus? ſanè venuſtos. Exprimere illud tritum voluit*, ὃν γὰρ θεοῖ φιλέουιν, ἀποθνήσκει νέος. *Sed quid eſt hîc* tuetur? *tibicen ineptus ſulciendo verſu.*

PAGINA 595. LIN. 33. M. Regulum, C. Marium, L. Brutum ob liberandam patriam interfectum prætereo.] *Quæ exemplorum hæc coniunctio? Regulus ſanè ob fidem periit, Brutus ob patriam. ſed quomodo medium his C. Marium inſeris? diſſimillimum illis, & quem morbo functum ſcire debes in patriâ, quam tunc maximè euertebat.*

PAGINA 598. LIN. 45. Quid enim intereſt inter eum qui vinctus ab hoſtibus & carceribus concluſus obſideatur.] *Fatuelle. vincti obſidentúrne in carceribus?*

PAGINA 602. LIN. 12. Deſunt nonnulla.] *Iam perſuades verum te Ciceronem eſſe, quia mutilus. vbi ergo repertus? in quo ſpecu, aut ſepulcro?* Deſunt nonnulla. *ſanè. hîc & vbique ſigna bonæ mentis.*

PAGINA 628. LIN. 29. Quos enim curſus quos venatio delectat.] *Falſum apertè.*

PAGINA 623. LIN. 20. Cùm verò & mares & fœminas complures.] *Hoc verò germanum Ciceronis eſt. ſcimus enim relatum à Lactantio lib. 1. At tu diuidis, & tua ineptè inſeris: quæ facilè ſe produnt. Longè enim aliter, vt ille ait, catuli olent ac ſues.*

PAGINA 623. LIN. 40, De me optimè meritam, quem eximiè coluiſti, ac de patria, quam ſemper ornaſti.] *In faminámne hoc conuenit? aut Tullia bene merita de patriâ? Abi, verè Tulliane puer.*

PAGI-

PAGINA 624. LIN. 4. Quod ſi vllum vmquam animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecrauerunt Ægyptij, quod nullum profectò fuit.] *Hoc bellum. non intellexit fragmentum Ciceronis; itaque vocibus aliquot inſitis ſententiam totam peruertit. Nam è Lactantio ſcimus Ciceronem hactenus ſcripſiſſe.* Quod ſi vllum vnquam animal conſecrandum fuit, ſi Cadmi aut Amphitryonis, &c. *Homo acutus putauit animal de belluis tantùm dici, & ſtultiſſimè ad AEgyptios ritus aptauit.*

PAGINA EAD. LIN. 10. In fano quod ad nominis tui memoriam votum dedicatumque eſt.] *Falſum. Concepit enim de fano Cicero, &, ſi vis, vouit: at numquam dedicauit.*

PAGINA EAD. LIN. 21. Itaque nihil habui quod dicerem, niſi Cedo & manum tollo.] *Hoc quoque Ciceronis fruſtulum (fecit idem in aliis) frigidè nimis hîc inculcat, & vt planiſſimè appareat intextum.*

PAGINA EAD. LIN. 27. Tu ergo quando me, &c.] *Hic quidem epilogus tam egregius, tam aptus, vt hiſtrionem hunc exſibilatura ipſa plebs ſit. Sed deſino, & iure lauo manus.*

Habes iudicium meum. in quo ſi aliqua aſperitas, ne mirare. Fatua enim hæc ſuperbia tanto nomini ſe inſerentis, digniſſima inſectatione fuit.

FRAGMENTA GERMANA,

EX IPSO LIBRO M. TVLLII CICERONIS.

Quæ adiunximus ad diſcrimen, & ad vſum Lectoris.

Plinius. Crantorem ſequor.

Lactant. lib. 3. cap. 18. Luendorum ſcelerum cauſſa homines naſcuntur.

Lactant. ibidem. Non naſci longè optimum, nec in hos ſcopulos vitæ incidere. Proximum autem ſi natus ſis, quam primum mori, & tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ.

Lactant. lib. 3. cap. 14. Sed neſcio, qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri.

Cic. Thuſc. 1. Lactant. De ira. cap. 10. Inſt. lib. 1. cap. 5 Animorum nulla in terris origo inueniri poteſt. Nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum eſſe videatur. nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura præuideat, & complecti poſſit præſentia,

quæ ſola diuina ſunt, nec inuenientur vnquam, vnde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo. ſingularis eſt igitur quædam natura, atque vis animi ſeiuncta ab his vſitatis notiſque naturis. Ita quidquid eſt illud, quod ſapit, quod vult, quod viget, cæleſte & diuinum eſt, ob eamque rem æternum ſit neceſſe eſt, nec verò Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & mouens, ipſaque prædita motu ſempiterno.

Lactant. lib. 1. cap. 15. Cùm verò mares & fæminas complures ex hominibus in deorum numero eſſe videamus, & in eorum vrbibus, atque agris auguſtiſſima templa veneremur, aſſentiam eorum ſapientiæ, quorum ingeniis & inuentis, omnem vitam legibus & inſtitutis excultam conſtitutamque habemus. Quod ſi vllum vnquam animal conſecrandum fuit, illud profectò fuit. ſi Cadmi, aut Amphitryonis progenies, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit, huic idem honos certè dicandus eſt. quod quidem faciam, teque omnium optimam, doctiſſimamq; approbantibus diis immortalibus ipſis in eorum cœtu locatam ad opinionem omnium mortalium conſecrabo.

Lactant. lib. 3. cap. 18. Nec enim omnibus ijdem illi ſapientes arbitrati ſunt, eundem curſum in cælum patere. nam vitiis & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cæno iacere docuerunt. Caſtos autem, puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudiis, atque artibus expolitos leni quodam ac facili lapſu ad Deos, id eſt, ad naturam ſui ſimilem peruolare.

Lactant. lib. 3. cap. 27. Cedo & manum tollo.

IVSTI

IVSTI LIPSI

SATYRA MENIPPAEA.

SOMNIVM.

Luſus in noſtri æui Criticos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOSEPHO SCALIGERO
IVLI CÆS. F.
S. DICO.

QVÆ lusi hoc biduo, mi Scaliger, super ambitione & imperitia quorundam, qui Criticos se dicunt (veros enim germanosque tangere mihi mens non est, non fuit) ea ad te mitto. Et puto fauebis muneri non Editoris solùm caussa, quem scio amas: sed rei ipsius. quæ etsi ludicræ & propemodum scenicæ leuitatis, habebit tamen fortean quod te delectet imagine aliqua prisci & non vulgati ritus. Te delectet, iuuentutem doceat: cui etiam remissiones nostras volumus seruire. Satyram inscripsi. & verbum minax fecerit imperitis fortasse terrorem. Frustrà, quia sine dente, sine felle est: leui tantùm sale inspersa. Eoque adeò non bono: vt verear ne priusquam in manus tuas venerit, putiscat. Vnum aut alterum tetigi pænè nominatim. sed quid? in re adeò leui, vt optem cupiamque (quæ præiurationum verba sunt) IDEM IN ME. Tu tantum huic ludicro spectator applaude, mi Scaliger: flos vnice nostri æui, & qui elogium illud gentis tuæ verum ostendisti, GENVS DEORVM. Vale.

AD

AD LECTOREM.

Quisquis eris bone vir Satyram lecture iocosam,
Pone supercilium.
Seria scripta legas caperanti fronte licebit:
Hîc ioca, nugæ habitant.
Vana tibi hoc schidium referet ludibria somnI:
Credere ne approperes.
Credenti nil scribo. meos quasi somnia libros
Qui leget, is sapiet.
Sed magis is sapiet qui non leget, & sciet ista
Affanias, apinas.

AD EVNDEM.

Quædam in hoc scripto obscuriora fore iuuentuti scio, Lector: idq; consulto consilio à nobis factum. Satyra enim aliter non sit. Simul excitanda & attollenda ingenia sunt: vt aliquando pedes ponere discant sine manuductore. Orationes, quæ insitæ, proximè ad stylum cuiusque, vt potui, effinxi. Tibi si placebit hoc genus; nihil tergiuersor, quin breui Funus & Triumphum (quæ adfecta apud me viderunt amici) exspectes.

IVSTI

IVSTI LIPSI
SATYRA MENIPPÆA.
SOMNIVM.

Apta ad ritum prisci Senatus.

QVID *hoc anno Romæ in Senatu, dictum, actum, cautum sit, volo memoriæ prodere. Frustrà me respicis, cum sublato digito, Sigalion: non debet silentio perire res tam magna. Dicam quæ vidi, quæ audiui, quibus interfui. quis vetat? Ego scio coactores abisse, & niueam libertatem redisse. Si vera dicam, agnoscite: si falsa, ignoscite. Adeon' hoc æuo difficilis venia vnius mendacij est? Nónne & ego scio, quo loco extra portam Capenam aqua Mercurij sit? Scio. & iampridem ea me adsperſi: prouidè & in anteceſſum:*

Desierant latrare canes, vrbesque silebant,
Omnia noctis erant placida composta quiete.

vel, vt cum Varrone clarius dicam, iam noctis meridies erat: cùm tetigit me virga valentiore Dîus Somnus. Autumni tempus erat. itaque multæ & variæ circum caput meum volitantes vmbræ: donec sub Auroram Somnium ad me venit, longum, firmũ, certum. Nam rectà aduolare mihi visum è Cornea porta. Eius hic habitus, & forma. Visus mihi sum Romæ esse in foro, ad radices montis Palatini. Solitudo primò circa me: inde, vt fluctus è mari, paullatim surgere visa ingens multitudo, pallentium, exsanguium, macilentorum, & à quibus Cæsar iure timuisset. Si rectè notaui in crepera adhuc luce, partim è Bibliotheca Tiberiana veniebant, partim Vlpia, vbi linteæ & Elephantini libri. Rectà illis iter ad templum Apollinis Palatini. Inspexi curiosè siquis mihi notus. ecce autem, Dulcissime, te video? inquam ad Duzam: tu hîc es? At ille vultuosè.

Homer. *Quis? quasnũ hominũ? quæ tibi vrbs? qui parentes.*

Τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;

Itaque ergo excidit tibi Lipsius tuus? inquam. an notorem me dare vis? Et iam ruebam in amplexus: cùm ille effusus in me, Vigilon' an dormio? & satis acceptum te esse Lipsium meum? Quis deus autem è Belgis te hîc stitit? Deus, inquam.

Imitatum ex Hom. *Dius me per somnia duxit Somnus.*

— θεὸς μὲ ἐνώπιον ἦγεν ὀνείρων.

Edicta olim in pilis columnisque appensa.

Bonum factum.

Sed dic, sodes, hanc turbam scis quæ sit? Vah, inquit, turbam tu appellas? Senatus est litteratorum. Ego intentior iam & attentior, Senatus ais? quò autem, & quid? Ille me prensum manu sistit ad pilam *vnam, siue columna fuit, in porticu templi Apollinis; & ostendens suspensam tabellam, Lege, inquit, hesternum hoc edictum. Legi clarè (iam enim lucebat) in hæc verba.* B. F. CONSVL M. TVLLIVS. M. F. CICERO DIE CRASTINI SENATVM IN TEMPLO APOLLINIS CVM PRIMA LVCI HABEBO. QVI PATRES, QVI CONSCRIPTI, QVIBVSQVE IN SENATVM VENIENDI IVS EST, MONEO SIVE IVBEO FREQVENTES ADESTE. DE SVMMA REP. AGI SCITOTE. QVI NEC ADERIT, MVLTAM PIGNVSVE CAPIAM: EXCVSATIONEM NON CAPIAM. *Parabam quærere, sed Duza me duxit porrò ad vestibulum ipsum, aditumq. templi. Video intrantes pauculos senes, paucos viros, pleroſque iuuenes, & quosdam imberbes adolescentes. Et intrabant parum decorè. Ego ad Duzam, Eugepæ! inquam,*

★Theocriti, Confusa turba. Trudunt velut sues.

— * ἄθροος ὄχλος. Ὠθεῦντ' ὠσὲ σύες.

Tam numeroſus autem iste Senatus est? nónne lex mosque vetus coërcebat intra quadringentos? Mihi Duza, Ita est, ait. neque enim olim tam vulgò admittebant Censores. Nunc quid? placitum est Diui Iulij exemplum, & adscripti passim in hunc ordinem semibarbari, semigræci, semilatini. Denique anno, & horno, magnus prouentus in Germania poëtarum fuit.

★Theocrit. velut formicæ innumeri & infiniti.

— * ὡς μύρμακες, ἀνέρες ἀμφίς.

*Itaque valdè numerus noster auxit. Dum fabulamur, fasces ecce duodecim procedunt, & auditus strepitus lictorum submouentium turbam. Consul hic est (ad me Duza) M. Tullius. Vnus tantum? inquam ego. Vbi, & quis collega eius? M. Attius Plautus est, inquit: sed cubare eum in morbo aiunt, nescio vbi & à quo nuper malè acceptum. Interibi video Consulem, ex lege, ante Curiam sacrificantem, & manibus exta tenentem parum læta. Ciuilis dissidij notas repperisse aiebat aruspex. Ecce autem prælati & sex alij fasces. Prætor est huius anni M. Cato, ait Duza. Sed quid stamus? iam introitum oportuit. Ego admirans, Etiam tu in Senatu es? Quippini, inquit, inter Aedilicios: & * nuper adeò præbui ludos. Sequere. & simul traxit me pallio renitentem. Non herclè ego, non ego, inquam. Metuis? ait. Validissimè legem,*

★In Satyris quas dedit.

legem, inquio, quæ Senatu arcet non Senatorem. Ille ridens, Ita olim fuit, inquit, cùm Moribus antiquis res Romana virisque stetit: nunc Diuus Augustus permisit protinus virili togæ latum clauum inducere, & Curiæ interesse. Denique habes tabellam & stylum? Tria verba Latina scribe: ego tibi spondeo & respondeo, non furcillabit te quisquam Censor. Iam intrabamus: cùm vidit me, vti de via eram, gladio accinctum Duza. Heus heus, inquit, pone. Quid ponam? inquam ego. Gladium, ait. nefas enim in conspectu magistratus. Ego discinxi, & intraui. Conspicio subsellia sanè longa. in summo sedentes, Capitones, Labeones, Silones, Frontones, omnes seueros & — ἐλλοσιπέπλους: in medio Philosophos, Medicos, Historicos: in imo, Comicos, Tragicos, Lyricos, Epicos poëtas. quosdã ex iis pannosos, obsitos, quosdam lauru & anulo insignes, & Palatij Comitiua. Qui isti cum lauru? inquam ego. Illine? ait Duza. Poëtæ sunt è nupero fœtu. Cur autem coronati? inquio. an vicerunt agonem Capitolinum? Non, ait. sed hodie ita mos valet, vt non Phœbus, sed Imperator faciat vates: corona & anulo donet, inter equites scribat imò inter Comites. Hem! inquam, scilicet ad Cæsaris in Laberio exemplum. Sparsim adhuc stabant Patres, muginantesque & murmurantes: cùm è curuli sua surgens Cicero silentium manu poposcit, & impetrauit. Quies alta fuit, qualis conticinio noctis solet, vt audiremus

Florem illibatum populi, Suadæque medullam.

Ille vultu manuque formatus in habitum oratorum sic cœpit.

Oratio Ciceronis in Correctores.

Etsi meæ partes sunt P. C. magis exquirendæ sententiæ, quàm dicendæ: tamen in hac tanta re publica quæ agitur, necessariò prædicenda quædam videntur. Memoria tenetis, quod gaudium omnium nostrûm fuerit, cùm ante paucos annos in Europa renatum vidimus nomen litterarum. Legebamur, colebamur, è situ & tenebris eruebamur: adnitente in Italia Leone, in Galliis Francisco, diuina quadã virtute viris. Quid multa? in spem, imò fiduciam ingressi eramus reciperandæ pristinæ dignitatis. Cùm ecce exortum est genus hominum audax, inquies, ambitiosum, qui Correctores se dicunt. Incredibile est P. C. quam stragem & quàm latè dederit ista lues. Philosophi Rhetoresque olim à maioribus nostris vrbe pulsi sunt, ob suspicionem non maleficæ, sed nouitiæ doctri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

næ:nos Tarquinios iſtos impunè graſſari patiemur? At enim nequid præter legem,inquiunt, & clemẽtiam maiorum. Habemus verò P. C. habemus eiuſmodi legem; ſed tamquam gladium in vagina reconditum, cuius aciem patimur hebeſcere. An non lex Cornelia, de ſicariis eſt? Non ſicarij iſti? Quoties ergo prehenſi cum ſtylo & telo ſunt, vocis iugulandæ cauſſa? Sedete, & exſpectate exemplum Caligulæ,vt graphiis in Curia diſcerpant vnum aliquem Senatorem. Augeo hæc ſcilicet,& inuidiæ flammã ſubiicio viris bonis. Vtinam! Sed quis ex iſtis nos adit,nos legit, niſi vrendi ſecandiq. cauſſa?Id enim vocant corrigere. *Hoc rectum eſt, hoc non rectum. hoc non implet aures meas. hoc non Latinum,* etiamſi Cicero ita locutus ſit. Stigmatias hic locus. hic mutilus.* Bene, & in tempore acclamaſtis P. C. crucem illis. Poſtremi hominum, vos conſularibus viris,claris per tot imagines maiorum, frontem faciemque ſignetis per ludum & iocum? Noſipſi P. C. quoties iſtorum telis & inſidiis appetiti ſumus? A viginti iam annis Correctorum notis diſtrahor,laceror: & minutis ictibus cottidie ferior, vt ſentiam me mori. Nam illud miſerrimum eſt, quòd honeſtè ſaltem occumbere non licet, & defungi vna plaga. Thuſcus aliquis in me ſæuiit; Thuſco ſucceſſit Venetus; illi, Gallus; Gallo, neſcio quis è Friſiis & Thuringis. Et tamen hi hoſtes noſtri inter nos viuunt. Viuunt? imò etiam in Senatum veniunt: notant & deſignant oculis ad lanienam vnumquemque noſtrûm. O Dij immortales,in qua vrbe viuimus? Hîc, hîc ſunt, in hoc ipſo conſeſſu noſtro, qui de meo veſtrumque omnium exitio cogitarunt.

Verba Lambini.

Et cùm dixiſſet, viſus mihi apertè ſignateque oculos coniicere ad ſubſellia noſtra.

——— mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coït formidine ſanguis.

& trepidè ad Duzam, Tange me frater, inquam, frigidior niue Gallica ſum. Periimus. in Cyclopis antrum deuenimus. quæ Pallas eripiet nos è media morte? Nihil ad eas voces Duza; ſed & ipſe ſedebat anxius, capite demiſſo. Credo, conſcius etiam ſe ex illo muſtaceo laureolam quæſiuiſſe. Itaque ego iam lictorem exſpectabam qui nos duceret.

& ô ſaltem (aiebam mecum) gladius ille ad manum fuiſſet, quem ad limen Curiæ poſui!

Μὴ μὰν ἀσπιδεῖ γε χ' ἁλειῶς ὄλολοίμην. Homer. Ne ignauè & inglorioſus occumbam.

Sed inter eos æſtus cogitationeſque pergit porrò Cicero.

Et tamen, ô patientiam! Hoſce ego Conſul video, & quos iam diu ferro vlciſci oportuit, voce nondum vulnero. Sed deſino. ne longior oratio mea pro præiudicio fuiſſe videatur, aut ſententiæ veſtræ præiuiſſe. Te Apollo Palatine, in cuius ſanctiſſimo templo nunc conuenimus, præſidem præſtitemque Muſarum; cuius auxilium nobis litteriſque, in rebus incertis,certum ſæpe fuit, quæſo venerorque; vti pacem nobis ab iſtis propitius duis,& Senatui mentem quod maximè è republica erit ſentiendi,& libertatem idipſum cenſendi.

Finierat cum adclamatione varia Cicero, & ego paullatim ad me rediij (non herclè planè poſito metu, quoniam ſciebam imperioſum Conſulem eſſe, & in Tulliano tot Senatores necatos vnius iuſſu:) tamen caligo iam ab oculis abierat, & video ante pedes Conſulis neſcio quem ſedulò ſcribentem. Belga mihi viſus, è veſte. Itaq; inclinans me, Quis eſt iſte? inquam ego ad Duzam. an quadruplator aliquis, & ſubſcriptionem nobis parat? Riſit timidiſſimam ſuſpicionem meam Duza, & ab iſto quidem, inquit, ſecurus animi es. Veruecem vides, non hominem: ouiculam meram. Actuarius eſt, Chriſtophorus Longolius, quẽ, quia olim peritè admodum verba ſingula Ciceronis ſubſequi & ſublegere ſolet, patres nunc fecerunt Cenſualem. Inter iſta iterum M. Cicero, Rem breuiter audiſtis Patres, *inquit*: ergo vt relationem faciam, QVOD FELIX FAVSTVMQVE REIP. SIT, DE CENSVRA DEQVE IIS QVI SE CORRECTORES APPELLANT* Q. F. P? Dic tu C. Criſpe. *Tetigi latus Duzæ,* Quis iſte Criſpus, quis? *Ille, inquit, Romana primus in hiſtoria. Cur eum rogat primum? inquam. & nónne inimicitiæ inter iſtos? Duza inclementius, In Curia es, inquit, an in Gynæceo? ita loquax. Tamen ſcito hunc Conſulem deſignatum eſſe. Hoc habe, & tace. Momordit me tam præfractum reſponſum, eò magis, quòd de inimicitiis nihil: quas tamen ſuſpicabar ex falſis oratiunculis temerè vulgatas eſſe. Surrexerat intereà Criſpus, cui caput pileolo tectum, focale circa collum; & ipſe, nouo more, palliolatus. Non fuit mihi animus rogare Duzam: ſed ta-*

Quid fierè placeat?

Universidad de Deusto Biblioteca

men facilè diuinabam ægrotum esse, fors fuit an plagis aliquot nuper acceptis. Ille insit.

Oratio Sallustij cõtra Correctores.

Clementia & lenitas vestra, P. C. magnum mihi metum faciunt de Correctoribus dicendi. ne aut vobis parum animi aduersum eos sit; & illis præsidium nouum in audacia sua pariter,& pudore vestro. Satellites quidem eorum defensoresque, homines clari nominis & doctrinæ, nequeo satis mirari. Consilia nefaria in nos coïta sunt;de vita cernimus, aut libertate: & ea proditum perditumque eunt isti Corneliorum & Varronum scilicet præclara proles. Prô, di boni! Vbi Porciæ & Semproniæ leges ? Illis lictor, & virga, & securis defensa à tergo nostro sunt; at nos flagris notisque seruilibus obnoxij agimus adolescentum, aut vix virorum. Hanc in spem clarissimorum ingeniorum monumenta publicata sunt? hæc præmia pro labore, & noctibus toties vigilatis? Quorum eos adeò non pœnitet,vt facta in gloriam numerẽt: noui Romuli scilicet litterarum & Camilli. Quin soli omnium, post genitas leges, sententiam ferunt è coniecturis. Diuinos se dicunt.En,cui ludibrio canities nostra seruata est? Di bene vertant. censeo antiquemus collegium Augurum præ istis, & Quindecimuiros fatalium librorum. Pessimi mortalium.ita vobis mala nostra irrisui sunt? Et meritò.quoniam mollitia decretorum illis metum,nobis dignitatem ademimus: & pacem libertatemque etiam nunc optamus magis,quàm defendimus. Quin agamus, atque obuiam eamus P.C.nihil prolatantes: neu spolia nostra diutius penes ignauos indignosque sint. Ego ita censeo. per Prætorem vrbanum in Comitio comburendos eorum libros:ipsos in vinclis habendos:neu quis de soluendis ad Senatum populúmue referat. Qui aliter faxit,eum contra remp. facturum.

Adsedit Crispus. neque enim aut mos, aut valetudo eius, ad longam grationem erant. Et Consul M. Tullius nescio quid cum Catone secretò oollocutus, Patres Conscripti, *inquit*, multa hodie frequentia est. ctaque non ibo per singulos: per Saturam exquirendæ sententiiæ sunt. Dic,siquis voles è poëtis. *Non erat alia manus infestior teneri Correctorum. Itaque capita paullisper inter se contulerunt, & dilectus*

dilectus est qui omnium nomine diceret P. Ouidius. Non tam Germani id peruicerant,quàm quia constabat olim non ignobilem declamatorem fuisse, & Arellio Fusco operam dedisse. Propriæ quoque illi irarum caussæ. Surrexit igitur infensus & minax vultu, oculis.

Ouidij oratio aduersus Correctores.

Patres conscripti, *inquit*, vetus exsilium meum Tomos me referte,vbi ista nõ videam,non audiam. Quæ enim Barbaria non ante mores istos?aut quæ vita nobis in hac colluuie Correctorum? Periit natiua illa & germana poësis,postquam hoc pestilens sidus ingenia adflauit. Videte. quis adolescentium hodie Phœbi laurum,vt nostro more loquar,mordere audet? aut siquis audet;quis lucidos & fluentes versus scribere? Quis carmen mihi dat ingenui & sani coloris? Pigmenta nimirum quærunt,& adsciticios fucos, & ab Ennio vsque Pacuuioque demortua verba. Ex qua farragine siquid possunt adsuere: ne illi gemmam id cẽsent,& quasi in prætexta,purpuræ clauum. Itaque redeunt iterum Saturniæ leinæ,& fiunt

Versus, quos olim Fauni vatesque canebant.

Stomachor. quis me,meosque numeros? quis Statium,Lucanum, Siliũ audet exprimere,vt non statim audiat, *Odi profanũ vulgus, & arceo*? Eò enim ventum est. numerus censemur,& plebs poëtarum. Ite boni Patres,& retinete,cẽseo,istos Lucumones. Quamquã vtinam stultitia peccarent tantùm:sæuitia est. Nec enim contemnunt solùm nos: etiam lædunt. Quæ stigmata imposita nobis ab illis? quæ lentæ vibices? Referte si vultis exemplum M. Antonij oratoris in Aquilio, & nudate corpora nostra. Mentiar, si non plures cicatrices nobis, quàm versus. Collegam hunc nostrum T. Lucretium videtis? virum perfectæ bonitatis,& qui ex disciplinæ suæ lege * ἔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, ἔτε ἄλλῳ παρέχει. Quid iuuat? audite rem nouam P. C. Vna prouincia,vno tempore,duos Prætores habuit:& de Lucretij spoliis bini eodem anno triumphi. Cogitate quid miser ille passus sit, & proponite vobis duos in Sicilia Verres. Quid noster ——*Romanæ fidicen lyræ?*

* Neq; ipse negotium habet, neq; alteri exhibet.

ille quidem semiustulatus lentissimo igne. Faces illi Lampadius quidã admouit: restinxit alius ingesta hydrię suæ aqua. Quid Catullum loquar, & Propertium, & Tibullum? Prometheus

Universidad de Deusto
Biblioteca

metheus non vltrà fabula eſt. Ecce nos, quorum viſcera noua fame cottidie rimantur & ſcindunt infauſtæ aues. Vellem Martialis adeſſe poſſet miſerrimus poëtarum. quem aiunt nimis Romanè ſcripſiſſe. Itaque inuentus eſt neſcio quis popa, qui non vitia eius, ſed ipſum excîdit. & virum bonum, de quo non virgo non femina queſta eſſet, fecit inteſtabilem. Nec alia re abeſt nouus Thuſcus iſte aruſpex, quàm quia ſciebat mutilos & debiles curia arceri, ex lege priſca. O fas, ô fides! Hæc fieri bonis, bono ſemine natis? Vos medici ferte opem, Æſculapia proles. Exſurge tu, cui brachium truncatum: tu, cui crus fractum tu: cui excuſſi oculi. Miſeremini ô Patres, & iſtos nefarios cõdignis pœnis & vltione mactate. Ego ſic cenſeo. Quandoquidem Correctores calamo, ſtylo, ferro rem gerunt, nec finem vllum faciunt graſſandi; ſitque è rep. iudicia & leges exerceri: eos omnes lege Cornelia, quę de ſicariis eſt, accuſandos, damnandos. Siquis ſeueriorem ſententiam attulerit, ſententia mea nulla eſto: illius rata eſto. Hæc cenſeo.

Martialis caſtratus, qui inſcribitur.

Dixerat ardens incitatusque Ouidius, nimium vel ingenio vel adfectui ſuo, vt ſolet, indulgens.

——— cunctique fremebant
Aſſenſu vario Patres.

Itaque clamor iam, & confuſæ voces. Tribonianus inter Iuriſconſultos audiebatur, Ecce me infelicem! & ô vanos labores meos! Non corrigunt me ſolùm, ſed corripiunt: quaſi mala imò *nulla fide in exſcribendis legibus verſatum. Quod ſanctum, quod immotum eſt, tangunt. violatores maieſtatis, & vltore gladio puniendi. *Clamabat è philoſophorum ſubſelliis Plinius*. Demite mihi has notas, has lituras, quas Barbarus inuſſit. Ne vltra imperitus, ne fur, ne plagiarius audiam, vir illuſtris & Principum amicitia notus. Ante omnes, pœnas mihi det ille qui in me vnicè conſpirauit Pœnus. *Plures erant eiuſmodi voces, & (me iudice) Correctorum res in extrema tegula ſtabant: cùm ecce Aſconius Pædianus, & Verrius Flaccus, & A Gellius, pluresque quorum ferrum in igne erat, huc illuc concurſabant, prenſantes Patres, orantesque vt cauſſam cognoſcerent; neu totam gentem damnatam vellent, ob noxam paucorum. Sed inter illos inſigne ſtudium vnius, nouitij, vt apparebat, & nuperi*

*Essent enim fuisse aiunt.

nuperi Senatoris. Non ſuſtinui rogare ſuper eo Duzam: conuerti me ad proximum aſſeſſorem, Et ô tu quicumque es, inquam, potes dicere nomen illius Senatoris qui prater ceteros ſatagit? Ille in aurem mihi infudit, Dionyſium Lambinum eſſe. Non fefelli fabulans Duzam. & ille ad me, Tu Lipſi iuuenis & incautus es, inquit.

——— * ἀεί τε νεώτεροι ἀφραδέεσσιν. *Homer. *Semper adoleſcentes ſtultè agũt.*

Frater, inquam, mihi hoc dicto opus fuit. Nam ſcio Amyclas tacendo periſſe. Intereà M. Tullius circumibat ad placandos animos ſedandumque tumultum; & cum eo, ſeuero vultu, Prætor Cato. Patres conſcripti, *inquiunt*, ſeruemus diſciplinam Curiæ. Quæ hæc res? Vos mera ouilia feciſtis. ita balatis. Sedete, quieſcite, & ſententias perrogemus. Dic tu M. Varro. *Ad Varronis nomen, ſubitum ſilentium fuit. Erat admiratio viri, magni, docti, &, quod inter omnes conſtabat, partium nullarum. Surgit Varro, & infit.*

Studiis adhuc P. C. certamus, non ſententiis. Vulnera quæ quiſque à Correctoribus acceperit, commemorat: medicinam, quam acceperit, tacet. Adeò lubentiùs homines iniurias, quàm beneficia meminimus: & vltioni, quàm gratiæ parati ſumus. Mihi P. C. alia mens eſt, ſine ſtudio, ſine odio rem exſequi: & ſententiam non ex ambitione mea, ſed vſu publico dicere. Tibi primùm fortiſſime Conſul reſpondebo. non quia obſtringillare homini amico iuuat, ſed quia res aperienda eſt. Nec enim rettuliſti ſolùm quid cenſeremus, ſed præiuiſti. Nouum tibi viſum eſt iſtud corrigere, & à rege Franciſco. Miramur te hoc dicere, hominem hiſtoriæ gnarùm, & æui prioris. Multa ſanè ab illo rege præclara, & in bonum litterarum: non tamen iſtud. Iam inde noſtra ætate, non certatio inter doctos fuit ſuper Ennij Plautique locis? Ælius Stilo doctor meus non perſæpe à Perſio aliisque in ſcriptura diſſenſit? non ego ipſe? non tu M. Tulli ab hoc Attico? quem meminens ſum alibi cum cura quærere, in Piræum, an Piræeum ſcripſiſſet Cæcilius. Tu ferram in re leui cum amico reciprocas: ambigere in hiſtoria, reque grauiori, vetitum iſtis? Quid loquor? tuipſe ille acer perduellis Correctorum, Lucretium Carum correxiſti: & in beneficio id gloriaque poſuiſti. Omitto Nigidium Figulum, Verrium Flaccum, Pa-

M. Varronis oratio pro Correctoribus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verba Suetonij, De Claris Grammaticis.

læmonem, innumeros eiusdem Musæ: ecce produco hunc „ Valerium Probum ex Senatu nostro, *qui exemplaria vetera* „*contrahere, emendare ac distinguere, & adnotare curauit; soli huic,* „*nec vlli præterea, Grammatices parti dedutus.* Addo Asconium & Agellium; alterum Claudij, alterum Hadriani æuo. At illum non piguit, Descenderim an Descendere legendum esset, in Verrinis tuis anquirere: istum, Tris vrbes, an Tres Virgilius scripsisset: Stitisses an Stetisses Cato. Et laudi hæc inquisitio iis, non fraudi fuit: nos cur iniqui iudices in huius æui litteratores sumus? Non paria fortean præstant? Pace collegarum liceat, maiora. Typographia hac ætate inuenta est, dono deorum quidem: non dubio tamen exitio nostro, ni isti obstitissent, qui administrant in libris corrigendis. Ij veterum librorum ope, partim ingenij fiducia, di magni, quot vulnera nostra, quot cicatrices sanarunt! Tu M. Tulli, tu C. Crispe, horum opem non sensisti? non tu Ouidi? impius es, si negas; stultus, si fateris. Et tamen nudari te postulas, magne Imperator. Credo, vt dentem videamus suctumque tuæ Corinnæ. Ego ipse non Iosepho Scaligero ciuicam de me coronam dedi? dedi, libens meritoque. Magna enim hæc res P.C. mihi credite, magna, & non vnius è plebe doctorum. Si quis agrum nostrum stantem sentibus deruncinet, beneficium conferre censebitur: non conferent ij, qui à vitiis monumenta nostra purgant, quibus solis viuimus? Et tamen modus quidam & ars eius rei est, fateor. ne fiat quod in veteri fabula est, Thracius rusticus: qui cùm vicinum putantem vites oleasque vidisset, ipse à stirpe omnes incîdit. At enim peccant sæpius Correctores; & vulnus faciunt, dum medentur. Hîc tu te Ouidi, iactas. Laudo, * nec vnquam gratiam tibi referet Crispus. Sicarios appellas, & lege Cornelia damnandos. Cur tandem? Patrem aliquis in acie seruare voluit, & dum hostem petit, gladio aberrante occîdit: dic tu Ser. Sulpici, parricida est? Negabis. voluntas enim est peccandi, quam leges puniunt, non euentus. Simile in istis sit, qui cùm voluntatem attulerint iuuandi, interdum tamen aberrant, & lædunt. Biuium enim ad corrigendum, Libri, & Coniectura. Prima via satis

Allusum ad iocum veterem: Nisi hic se iactasset, musæ te comedissent.

satis certa & tuta est: lubrica altera, præsertim cùm in eam audaces & temerarij adolescentes inciderint, aut adolescentium similes senes. quos non eo defensum. Veros quidem germanosq; Criticos magno opere suadeo vti retineatis. Magnarum arborum vmbræ nos & altitudo delectant, radices stirpesque non item: simile in Correctoribus est, quorum operâ, hæc incorrupta pulchriudo artium manet quas miramur; manebitque æternùm, liceat modò per ignauos & inficientes istos, qui alienam operam inuident, parci ipsi sua. Ego P. C. sic censeo. *Recitauitque sententiam è tabella; quam Senatus est secutus, & quam habes in SC^to. Cùm dixisset Varro, incredibile est quantum animi mutarint. Illipsi inter patres, qui infensi antea infestique Correctoribus, succlamarunt illud tritum in adsensu,* OMNES, OMNES. *Correctores discurrebant læti, hilares, & tanquam absoluti. Mea mens quæ? nolite quærere. ereptus mihi videbar*

—— mediis è faucibus Orci.

Nec tenui me quin ad Duzam respiciens clamarem,

Lucilij versus.

Vicimus ô socij, & magnam pugnauimus pugnam.

Pauci tamen è pedarijs, impedire aut differre rem conati, identidem clamabant, NVMERA SENATVM. *Sed Varro recenti inclinatione animorũ vtendum ratus, Consulem admonuit vti discessionem permitteret, fieretque* SC. *Permisit (Crispo tamen prius in aduersa subsellia transire iusso) in hæc verba.* QVI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM: QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE QVA SENTITIS. *Pedibus plerique iere in sententiam Varronis. Crispus cum paucis remansit solus, & videbatur intercessorem quærere. Ibi Ouidius ludo nobis & ioco fuit, qui deserto Crispo ad Varronis subsellia transiit non sine perfugij nota, & poëticæ leuitatis. Dedisse id dicebatur recenti merito Victoris Giselini. Deillius historicus venientem eum apud se collocauit, & eodem elogio ornauit. Discessione facta, Consul dicis morisque caussa addidit,* HAEC PARS MAIOR ESSE VIDETVR. *Parabat etiam referre serio (nam Varro sententia sua breuiter perstrinxerat) de litigio inter Correctores deque pace ineunda: sed iam hora Decima erat, nec post eam fas incipere nouam relationem. Itaque mittens Senatum, solemni verbo dixit* NIHIL MORAMVR VOS P. C. *Illis conuentus, mihi somnus solutus est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

FORMA SC. TI.

M. TVLLIO M. F. CICERONE. M. ATTIO PLAVTO COS. PRID. KAL. OCTOB. IN AEDE APOLLINIS PALATINI, SCRIBVNDO ADFVERVNT. M. TERENTIVS VARRO. P. NIGIDIVS FIGVLVS. VERRIVS FLACCVS. C. CORNELIVS TACITVS.

* *Verba fecit.* Quod M. Tullius cos.* V. F. de Correctoribus,* D. E. R. S.
* *De ea re Senatus.* ita censuit.

Correctores, hoc difficillimo rei litterariæ tempore, vtibiles necessarioſque esse.

Non eos tamen promiscuos: non indoctos, rupices, petrones: sed qui consilio, req. apse iuuare scriptores priscos possint.

Ea re Senatui placere, vti lex Annaria seruetur: neu quis minor XXV. annis Correcturam petere, gerere possit. quique aliter petierit, gesserit, vitio creatum videri, & correctiones eius in Acta non mitti.

In senibus depontanis, quique maiores annis LX. sirempse legem esse.

Vtique Censores M. Fabius, Pomponius Atticus, alter amboue, de doctrina deque moribus petitorum cognoscant, statuant, iudicent. Quos hisce admiserint, probos esse: quos reiecerint, repulsos & reiculos.

Siquis è libris bonis fidisque correxerit, laudi semper esse. siquis è coniecturis, noxæ.

Nisi eæ claræ, liquidæ, certæ sint.

Qui aliter cumque diuinationibus vsus; in eo leges veteres & edicta de Mathematicis valere: Porcias, Fabias, Sempronias leges non valere.

Itemque quoniam duplex morbus Correctores pleros teneat, Litigium & Prurigo: vtrique rei Senatum prospectum præcautumque velle.

De Litigatoribus: vti quicunque post hunc diem cum altero velitari, prœliari, verbis, scriptisue ausus fuerit: eum eósue in ludi gladium damnari; vti proximo munere, colligati inter se, pugnent sine missione.

De

De Pruriginosis, quos manum stylumque abstinere à nullo loco audiant, sano siue insano: vti Cornelius Celsus Ædilis dispiciat, qui ex iis sanari possint, quique non possint.

Qui posse videbũtur; eos deponi in templo Æsculapij quod in insula est, ibique ellebori bibere quantum satis erit. Qui non possint; eos in exsilium ad Cimmerios deportari, vbi lucem non videant & libros non legant. Siquis ambiguæ valetudinis erit: eum ad tempus relegari in Atlantidem insulam, vbi memorantur somnia non videri.

Quoniamque multi ex hoc ordine pulsatos acceptosq. indignè se à Correctoribus querantur; placere vniuersis conscriptis eam iniuriam contumeliámue impunem non esse, in viuis mortuisque.

In viuis placere, vti L. Cassius Prætor de caussa eorum cognoscat: quosque noxæ eius compererit; eos melle & sesamo óblitos, diem vnum destitui ad caldum solem stilis vesparum & muscarum.

In mortuis, vti Menippus Philosophus, qui viam nouit, ad inferos proficiscatur: & cum Æaco de pœnis eorum agat.

Hæc ita censuerunt. Siquis huic Sc. intercessisset, placere auctoritatem perscribi, deque ea re ad Senatum populumque referri.

GVILIELMI BVDAEI PARILIS LEX è libris De Asse.

Qui discendi cupidi sunt, iuratißimi cuiusque scriptoris maiestatem comiter conseruanto.

Quod secus (vt sunt humana) dictum in eorum cuiusque libros irrepserit, obrepserit, fefellerit:

Qui de eo dicto indagandæ veritatis ergò addubitet, addubitauerit, quæstionem referat, rettulerit:

Quod eorum ab vnoquoque absque dolo malo, liuore animi, factum sit:

Eius rei multa ne sit.

Nec bonorum offensio, quod est instar vltimi supplicij.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX
IN
LIBROS CRITICOS
IVSTI LIPSI

A

AEDITA delubri 522
Abrahamus Ortelius 286
Accensi, ministri magistratuum 426
Accius emendatus 98,118,169,200
Acclamatio in ludis 474. ad laudes Principis 474. quæ in eâ voces ibidem. modulis & concentibus facta 475. in quibus Oraria vsui ibidem.
Acclamatio Senatoria, Omnes 446
Acclamationis dignitas 475
Accumbebant veteres ad mensam 144
Accumbendi modus 144,145
Acerna mensa lautiorum 144
Achilles Statius, Lusitanus 34. ab eo recessum. ibidem
Achilles Thedidis filius 574
Actores auriculam tangebant attestati 314
Adamantius Martyr libellum scripsit de affinitate V & B 60
Adgrettus, pro Aggressus 108
Adigere arbitrum 401
Admittere, verbum augurale 16
Admittere in se vinum, quid? 422
Admouere lineas pro vrgere, accedere 477
Adolphus Mekerchus 239
Adorantium habitus 464
Adoratio manu, quâ formâ 465
Adoratio propriè quid 464. eius etymon 464,465
Adoro pro vehementer oro dixit Propertius 70
Adriani Iunij correctio 172,217,327,328. eius laus 217
Adsurrectum & plausum honestioribus 474 nepotibus suis adsurgi vetuit Augustus ibid.
Aduersus lectus quis, & cur ita dictus 403,404
AEdilibus viatores erant, non lictores 433
AEgidius Vliegerius 334
AEgyptij frumenti modus 382
AEgyptiis Leones inter deos 229
AEgyptus tributaria facta, damnata in magnũ numerum frumenti 381
AElius Stilo 641
AEmilia Aeonia 434
AEmilius Magnus ibid.
AEmilius Probus explicatus 405
AEra, multa pecuniaria 185
AEre lauari, quid? 282
AErificè ducere, statuariorum 56
AErumna Cupidinis, apud Plaurum 252
AEschinis locus quem Cicero imitatus videtur 53,77
AEtas exita 423
Afflata mens 482
Afranij Nauci 211
Afranius emendatus 60,117,118,169,194, 252,338
Afri plerumque in scribendo acuti & asperi 510
Africa visos non gignit, aut paucos 460
Africæ principes, qui 407
Africanæ distinguuntur ab vrsis 462
Africani frumenti modus 382
Africanus mus 462
Agellij fragmentum 246,322. nomen quale 322. prauum de Senecâ iudicium 385
Agellius emendatus 14, 23, 72, 83, 104, 105, 133, & seq. 168, 246, 263, 264, 284, 296, 323, 369, 409, 420, & seq 457, & seq. explicatus 480, 506. auctus 120
Agere satis 423
Agere secundas, quid 193
Agrariæ rei scriptores 397
Agricultio finis ergastulorum 484
Agris pulsi ingenui 484. ad eos colendos empti serui barbari ibid. hæc inter causas lapsi imperij Lucano ibid.
Agrorum multitudo apud diuites lege Stolonis coërcita 483. non diu ibid.
Alba, seu Albata, factio aurigarum 214
Alba toga, alia à candidâ 391
Albati scriui Imperatorum 436
Albinouani carmen percursim 261
Album addi vetitmu in vestibus candidatorum 176
Alciati correctio 310
Alexandriæ totum, Athenis dimidium, prouerbium vetus 255
Alexandrina Classis quantum frumenti quotannis aduexerit 381
Alexis Comicus 71,132,147,172
Alia omnia sentire, senatorium verbum 643
Aliæna lex 398
Albogalerus 421
A libellis, à memoriã, ab epistolis, à voluptatibus, &c. munia & nomina libertorum apud veteres 389
Alio die, formula augurum 163
Aliquammulti. 501
Aliquamplures ibidem
Alis, antiquè, pro Alius 194
Alphenus, apud Catullum quis? 66
Alphonsus Siciliæ, &c. rex, literarum amantissimus 253. etiam studij Critici amator 253
Altrinsecus, aduerbium 511
Ambrosius explicatus 491
Amaresius Africam lustrauit 460
Amicæ inter bibendum nominatæ 153
Amicæ Iouis in Capitolio 501
Amicarum fores vino perfundebant amatores 306

Amici

IN LIB. CRITICOS I. LIPSI

Amici ipsi interse vocabant Fratres 160
Ammiani Marcellini locus 281
Ammonitrix, pro Admonitrix, 99
Ancillariorum pater 445
Andreas Papius 320
Andreas Schottus 306,322,508
Androclus, non Androdus 459
Angeli Politiani correctio 310
eius proba versio 389
Angerona, dea Silentij apud Romanos 155
Angues ignei 457
Animaduersio quid 427. lictorum proprium ibid. clamore fieri solita 427
Animum vincere, præclarius, quã aduersariũ 23
Annæus Florus 462. laudabile eius compendium 462. irridet Iudæos, sed malè ibid. correctus 462, 504, 505, & seqq.
Annaria lex 644
Annò, absolutè, pro Anno præterito 59
Annonaria lex à P. Clodio lata 374
Annonæ præfectura ab antiquis sumpta 377 eius dignitas ibid. vtilitas ibid. & munera 377, 378
Annonæ diuidendæ curatores duo 377. posteà quatuor ibid. posteà plures ibid. Sallustij de Annonis iudiciũ 383. etymon annonarũ 378
Antæanus Hercules, apud Ciceronem 192
Antecæna, quid? 147
Antecedendi ratio apud Rom. 456
Anted, pro Ante 117
Antefixa quæ 322
Antelucò, aduerbium 510
Antestari, quid? 314
Antidamas Demarchi 332
Antidhac, pro Antehac 177
Antium; locus amœnus, & aptus ad secessum 387
Antlia quid? 485. in Antliam damnari ibid.
Antonij cuiusdam sepulcrum 408
Antonius Augustinus 88
Antonius Ferillus 101
Antonius Muretus 270,297,330 Vide M. Ant. Muretus
Antonius Oiselus 229
Antonius Panormita 253
Anuli, seu compedes Ergastulariæ 488
Anulorum discrimen, & eos gestandi mos 471. ex auro Senatui & Equiti ibid. & Tribunis militum ibid. quibus eos ademit Seuerus imp. 472. è ferro seruis & militibus 471, 472. seruorum in iis fraus 471
Apex flaminum 421
Apollo, præses studiorum & herbarum 139
Apothecæ Chiæ 307
Appianus illustratus 393,431. prudens eius assertio 484. eius parum cauta scriptio 373, 430, 433. hæsitatio 480. error 81
Appius Silanus 580
Appuleij stylus qualis 251, 509. iudicium de eo 251, 509. dialogus eius 406. loci quos è Plauto imitatus 251. pro eo aliquid dictum 509
Appuleius correctus 251, & seq. 269, 280, 370, 378, & seq. 428, 440, 489. 502, 509, & seq. honestâ familiâ natus 408
Aput 50
Aqua Anienа Catoni 72
Aqua cardinibus affusa 306
Aqua duplex initio mensæ 360
Aquæ calidæ potus, & eius vsus 358, & seq.
Aquæ haustio, exercita ab Ergastulis 484
Aquæ inopia 514
Aquaria prouincia 106
Aquarioli qui? 106
Ara Lugdunensis 250
Arari, verbum obscænum 285
Aras inscribendi mos vetus 396. iis vela oppandi solita 502
Arbiter quis apud Horatium 149
Archimimus decrepitus quotidie Diis in Capitolio agebat 500. nomen eius latet 503
Arciere, quid 252
Arcta purpura, pro angusto clauo 481
Ardidus Sol 459
Arduo pro Addo 314
Ares apud Plautum, pro Marte 199
Arfari, pro Affari 193
Argutari pedibus quid Titinnio? 392
Arfines, pro affines 192,314
Ἀρίστεια quæ 454. etymon vocis ibid.
Aristophanis locus 273,306,319
Aristotelis locus 454,455
Arma ancilia à Romanis seruata 195. quotannis circumferebantur per vrbem 195. certo die rursus condebantur ibid. id fiebat mense Martio ibid. eo die nihil publicè geri poterat ibid.
Arnobius explicatus 167,238,405. emendatus 229,271, & seq.
Arrianus explicatus 467
Artemidori locus 485
Artifices in Capitolio 500
Aruocati, pro Aduocati 192,314
Arx amicorum, arx causæ, arx sociorum, &c. 128
Asconius Pedianus correctus 242. eius ætas 405. error 19. Silij de eo elogium 405 sensus à Cicerone 71
Asconius correctus 242
Asper ciuis, quid 184
Asser apud Iuuenalem quid 311
Asseres lecticarij 410
Assessus apud Propertium pro Iudicum consessu 166
Assurgendum erat magistratui 427
Astare in genua 192
A summo bibere, quid 151
Asus mons adhærens patriæ Propertij 190
Athenæus explicatus 143, 192, 261
Athenienſium insigne Noctua 225
Athenis dimidium, Alexandriæ totum, prouerbium vetus 255
Atque, copula transposita aut postposita 506
Atrium quid? 404
Attegua Hispaniæ oppidum 537
Atteius Capito explicatus 424,480
Atticus sector, id est, Phidias 481
Attinguem, pro attingam 88
Attius emendatus apud Nonium 200. 289, 302, 327
Atuentus pro Aduentus 90
Aucupatus, patiendi significatu 527
Audaciter, vsitatum etiam Ciceroni 292
Audax ingenij, poëtica phrasis 384

Auge-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augerius Busbekius 225,385,440,456,477
Auguria siniſtra, bona 414
Auguſtani Iuuenes qui Tacito 209
Auguſtini locus in quo Fragmentum Senecæ 499. & ſequent.
Auguſti quæ tribus 389
Auguſtus quoties ludos dederit 497. repurgauit ergaſtula per totam Italiam 487
permiſit protinus virili togæ latum clauum inducere 634. 635
Aula quid? 404. propriè idem quod Atrium ibid.
Aulici ritus in honore exhibendo origo 466
Aurati ſerui Imperatorum 436
Aurei Romani, denariorum viginti quinque 355
Aurem vellere, pro admonere 314
Aureos annulos quibus geſtare licitum apud Romanos 471
Auricularem imam tangebant anteſtantes 314
Aurigarum factiones 224
Auro contrà emere & vænire 106
Auſonius emendatus 211,434. explicatus 136,213,296,440. quando conſul 434
Auxiſſe, pro auctum eſſe 295

B

B LITERAE & V. conſonantis magna ſimilitudo apud veteres 60. de qua re librum ſcripſit Adamantius martyr ibid.
Bacchum à Iudæis coli putabant gentes 463
Bacilli idem quod virgæ 431
Baculi in manu hiſtrionum quales 440
Balnea ſicca 400. ſudandi in eis mos ibid.
Barbari ſerui empti ad colendum agrum 483
Barbaris in Oriente ignotæ lecticæ 417
Bardocuculli, vilium ſeruorum 416
Barnabas Briſſonius 247
Baſilicus iactus quis? 112,150
à rege ſeu magiſtro conuiuij nomẽ habet 150
Baxeæ pro calceis 395
Bene viuas, formula bibentium 159
Benedictus Arias montanus 283
Beneficium in miſeros, verè beneficium 575
Beroaldi opinio reiecta 388. error 405
Betere, pro ire, antiquis 224
Bibendi ratio 152,158. quomodo reſponderint inter bibendum Romani 159
Bibere à ſummo 151
Biberius Caldius Mero, pro Tib. Claud. Nero 359
Bibliotheca Tiberiana 633
Biclinium quid? 144
Bimarco, ſeu Bimargo, falſus Satyræ Varronianæ titulus 20
Bini tantum conuiuæ in vno lecto, præſertim magnifico epulo 145
Bitere, id eſt, ire 224
Bitienſes Feſto, multùm peregrinantes ibid.
Bos Luca 461
Brodæi correctio 330
B P.N. & B R.P. N, formula laudis 299
Bulgarum laus 233,237,327
Brutiani, ſerui publici 413
Bucco 251
Bulbi Africani optimi 311
Bulli, piſces exigui & viles ibid.
Byzantiorum inſigne Luna 225
hinc origo ſemilunæ quæ hodie in labaris Turcarum ibid.

C.

C PRO G. ſæpe ſcribebant antiqui librarij 221
Cadamitas, pro Calamitas 108,185
Cadaueris collocandi ritus 367. ad ianuam collocabatur ibid. idque à filiis ibid. togâ induebatur Rom. Græcis pallio 368
Cadaueris ſitus, vt pedes in viam ſpectarent 168
Cæcilius Arborius, auus Auſonij 434
Cæcilius emendatus 227
Cæcilius Vindex dicendus, non Cæſellius 58
Cædere, inter verba Venerea 329
Cæl, pro Cælum, apud Ennium 228
Cæleſtis Dea, quæ 337
Cælibatus apud Romanos prohibitus 13
Cælibes in ærarios relati 126
Cælius in epiſtola ad Ciceronem correctus 376
Cæna propriè dicta, media pars ſeu miſſus cænæ 147
Cæna terreſtris, cæna ſine ſanguine, Pontificia, Saliaris, Adiicialis, Dubia 141
Cænæ hora antiquis 144
Cænæ caput quid 146
Cænæ horâ inſternebantur lecti aulæis 144
Cænatoria quæ 145
Cæni populi 318
Cæſar cenſum non egit 373,438. non cenſor fuit, ſed præfectus morum 439. recenſus ejus non legitimus cenſus 375,439
decimæ legioni confiſus 469
Cæſarianæ orationes Ciceronis quæ 86
Cæſaris eloquentia militiæ & domi 418
Cæſaris nepos 495
Cæſarum imagines in ſignis cohortium 324
Cæſellius alius à Cæcilio Vindice 58
Cæſonius Maximus, quando condemnatus 117
Caius Acilius 459
Caius Gracchus correctus & illuſtratus 359,409
eius lex Frumentaria 373
Calcei albi vulgo 395. coccinei Imperatoribus ibid. mullei, cerei, galbei, ederacei feminarum & molliorum 396
Cales municipium Italiæ 48
Calida vino miſceri ſolita 359. deliciæ veterum in hoc potu ibid.
Calidæ frequens vſus 358. ſed nocuus 360
etiam Græcis vſitatus 358
Caligulæ Imp ſuperbia 386,468
veſanum factum 172
Calles, quid 259
Calpurnius ad memoriam, titulus liberti 389
Calpurnius explicatus 394
Calua mortuorum 405
Caluitur, id eſt, fruſtratur 194
Calumniatoribus reſponſum 515, & ſeq.
Calx, meta in Circo 369
Camaræ genus nauium Ponticarum 369
Cametarij correctio 199. vide Ioach. Camerarius
Campanus faſtus 434
Campus Fœnicularius 509
Campus Iugarius ibid.
Cana-

Canalicola quis? 458
Candes labarorum 324
Candida toga alia ab albâ 391
Candidati vnde dicti 176
togæ eorum cretatæ 391
Canis, nomen infauſti iactus 213
Cannenſis pugnæ deſcriptio 234
Canon, in Ergaſtulis quid? 491
Canon numerus frumenti 382
Cantabra quæ? 324
Canuſij lana laudatiſſima ad pænulas rufas 435
Canuſinatus, ſeruus iudutus pænulâ Canuſinâ ibid.
Capere crines, quid? 142
Capitolij ritus 500
Capitolinus emendatus 225, 245, 287, 336, 444. explicatus 290, 336, 465, 476.
Capitonis apud Agellium ambigua verba 480
Captatus eſt, pro Captauit 538
Caput aperiendum, obuio aliquo magiſtratu 427, 428
Caput cænæ, quid? 147
Caput patrimonij, apud Liuium 147
Cardinalis Columnæ laus 253
Cardines aquâ perfuſi 306
Carmen Albinouani emendatum 261
Caro porcina ciuibus diuiſa 383
Carolo Magno acclamatum à populo, ritu priſco 475
Carolus Langius 223. eius mors 299
refutatus 419, 480
Carolus Sigonius 211, 242, 262, 317
Carolus Virulus 212
Carpentis traducebantur Dij Circenſium diebus 129
Carthaginienſes proprio titulo Principes Africæ dicti 407
Caſpar Schetus 244
Caſſila, pro Caſſida 108
Caſſiodori liber de Orthographia, manuſcriptus 58
Caſſus Ciceroni pro Caſus ſcriptum 116
Cathedræ quæ 416
Cathenati cultores, Floro, pro ergaſtulis 488
Cato emendatus 24, 46, 223, 318, 371, 422.
illuſtratus 408, 409, 422
Catonis libro cuidam titulus repertus 46
Catonis frumentaria lex 374
Catullus Veronenſis explicatus 17, 25, 34, 65, 118, 409. eius epigramma in Vettium in quos ſcriptum 65
Catullus Vrbicarius 363
Cauitio, pro, Cautio 251
Cauliator, pro Cauillator 188
Caupulus, genus cymbæ 369
Cauſſa, ſæpe omiſſum veteribus 229
Cautus in ſacris quid? 421
Cayſter Cygnæus aut Gygæus apud Propertium 15
Cedere pro concedere ſeu permittere, Propertio 69
Cenſores in virorum mores inquirunt 24
eorum munus 13
in Cenſum dedicare quid 62
Cenſus Senatorius ſub Auguſto 496
Ceræ quid poëtis 442
Cereæ erant veterum imagines 442
Cerei in templis accenſi 302
Ceres panem deſignabat 139
Ceruices oſtrearum expetitæ priſcis 261
Chariſius Soſipater citatus 67, 68
eius multa & ridicula ſæpe errata 19
Chironomontes in conuiuiis priſcorum 146
Chlamydes ſeruorum 436
Chriſtophorus Longolius 637
Chriſtophorus Plantinus 226
Cicero explicatus 13, 14, 15, 16, 28, 29, 45, 46, 56, 62, 74, 75, 106, 143, 149, 151, 329, 396, 427, 429, 508. emendatus 14, 18, 25, 26, 28, 30, 31, 33, 36, 37, 40, 47, 48, 51, 52, 61, 62, 67, 68, 71, 72, 74, 75, 76, 77, 83, 87, 91, 115, 116, 151, 167, 175, 178, 179, 184, 218, 292, 321, 332, 333, 427, 442, 464, 478. de eius loco quæſitum accuratius 54, 55, 67, 72. auctus 68. defenſus contra auctorem de cauſ. corr. eloquentiæ 49
Ciceronis Conſolatio nuper reperta 585
de ea iudicium à pag. 625, vſque ad 628
Veri illius libelli germana fragmenta 627, & ſeq.
Ciceronis egregius locus 44, 61, 119
fragmenta correcta 192
Ciceronis loci è Græcis auctoribus expreſſi 16, 23, 32, 39, 43, 48, 52, 53, 59, 64, 65, 77, 85, 88, 89, 125
Ciceronis locus de Catone expreſſus 47
Ciceronis vulgata lectio confirmata 87, 219
Cicum, quid apud Plautum 211
Cilnium genus, à quo Mecænas oriundus 113
Cincius apud Agellium correctus 186
in Cingulis aurum Senatorib. nullum 506
Cinnus vox Ciceroni vſurpata 326
Circumferre potionem, quid 152
Circumſecus, aduerbium 511
Citharœdorum habitus ibid.
Citrea menſa, lautiorum 144
Ciuitatum, antiquè, pro ciuitatum 183
Claſſis Africana 382
Claſſis Alexandrina 385
Claudius Imperator Thermopolia ſuſtulit 359
Claudius Pureanus 227
Claudo, pro deficio, ac etiam pro claudico 39, 295, 370
Claui pendentium 405. in cruce quot olim claui ibid. transfigebantur manus ac pedes clauis 406. ſuſpendioſi etiam clauis vtebantur ibid.
Clementis Alexandrini locus 139
Clinici medici 216. vnde dicti ibid.
Clodiani ſerui publici 424
Cluacina dea 500
Cluden quid? 440
Clueo quid? 320
Coactiliarius 445
Coctilia, ligna ſemiuſta ibid.
Cœrare, & Cœratio, ſcriptum Ciceroni, pro Curare & Curatio 116, 185
Coëundi verbum quale 315
Cohortes prætoriæ 498
Cohortium ſigna 524
Collocatio mortuorum 367. ad ianuam fiebar ibid. idque à proximis amicis ibid.
Collum oſculandi mos 468
Colorati Senecæ, qui pullati 395

Universidad de Deusto
Biblioteca

Columella explicatus 490,491
Columna rostrata posita C. Duilio 127
Combito, pro Commeo, Varroni 214
Cominius, de quo Catullus in Epig. quis? 66
Commentarij belli Gallici, an reipsâ Cæsaris sint 235. ii correcti 469,505. explicati 74, 505. variè interpolati 468,469
Committere idem quod Incipere 143
Comœdia qualis esse debeat 248
Commentarij de bello Africo laus 413
emendatus 415. & seqq.
Commodus Imp. inter Trossulos cooptatus 651
Compactò, vel è compecto, quid? 389
Compares, pro iis qui inter sese amant 168
Compedes ferreæ in Ergastulis 488
Compos mali, pro malorum 327
Compotire voti 511
Compungendi mos vetus 489. Græcis & Siculis vsurpatus ibid. Thracibus item ibid. & Romanis ibid.
Concha inter obscœna verba 319
Concide magire, dictum vetus 329
Concidere, inter verba Venerea ibid.
Concipilare 252
Condita, id est frumenta in horreis reposita 379
Confluuium in ædibus antiquorum 16
Congiaria in gradibus 380
Conscreare magnificè 237
Conferere calorem, Græca phrasis 367
Consipere in Agellio & Liuio, quid? 371
Consonantes geminare, insolens antiquis 227
Constituendi verbum quid significet 333
Consuli duodecim fasces 430
Consulibus absentibus referebat prætor 325
Conuitia improbis laudes sunt 273
Conuiuales leges 148,150
versus conuiuales 163,164
Conuiuarum quis iustus numerus 139
conuiuæ quot in vno lecto 145
Conuiuiorum veterum ritus 136, & seqq. vsq. ad finem libri tertij Antiq.
Copriæ pro scurris 498
Coprianus dictus à scurris Cyprianus 498
Coqui magno empti 537
Coquina, minus Latinum quàm Culina 302
Coquinarius culter 56
Corculum dictus Scipio Nasica 213
Cor cur homini ad sinistram 454
Cor in amore vehementi subsilire solet 195
Cor non habere 213
Cornea porta, somnos firmos & certos dat 633
Corneliani, serui publici 424
Cornelius nepos emendatus 396
Cornelius Valerius 272,332
Cornu dextrum honoratius sinistro 454
Corollæ impositione magistri conuiuiorũ creabantur 150
Corollas languidas & flaccescentes capiti demptas Deo cuipiam in munus dabant comessatores 118. meretrices Veneri ibid.
Corona, ebrietatis indicium 73, 157
Corona, pro circumstante populi multitudine 18
Coronæ se dare, est populo se iactare 18
Coronari pocula solita in mensis secundis 256
Coronas iaciendi mos 445
Coronati reuertebantur qui ab oraculo redibant 306
Corrigere curua, quid? 255
Cottabum facere 156
Creta, pro meta in Circo 190
Crines à lugentibus in sepulchro positi 482
Crines capere, matronarum 142
Crinibus passis templa verrebant Rom. 466
Critices studium irrisum & oppugnatum 633, vsque ad 641. defensum 309, 641, 642, 643 sterile ad famam 470. in vsum, non in speciem 508
Criticorum labor assiduus 263
Criticorum nimia curiositas 478
Cubicula viatoria 411
Cubito sinistro innitebantur veteres in conuiuiis 145
Cuculli vitiorum seruorum 436
Culcitella, obscœno intellectu 122
Culigna, vas potorium 220
Culina magis Latinum quàm coquina 302
Culter Bithynicus 56
Culter coquinarius ibid.
Cunæ & Cunabula priscis inter obscœnos intellectus 171
Cunina dea. 130
Cupidinis ærumna, apud Plautum 252
Curatores frumenti 377. quomodo distribuerint frumentum 378. quantum distribuerint 379. quando 378
Curiones, maximi inter sacerdotes 385
Curioniani equites in Africâ 514
Curium vel Curtium infortunium 189
Curtius in lacum abiit 481
Curru descendebant Rom. obuio aliquo magistratu 428
Curua corrigere, dictum vetus 255
Cyathi decem, summa potio 152
duo cyathi, sextantem efficiebant ibid.
tot cyathi bibebãtur in honorem amicarum quot litteræ in earum nominibus erant 154
Cygnæus Cayster 15
Cygnorum in Caystro fluuio frequentia ibid.
Cynicè accipi quid apud Plautum? 144
Cynthia Propertij vbi sepulta 79
Cyprij, serui publici 424
Cyri regis mos in collocando amicos suos ad læuam 456
Cytheris vxor Antonij 293

D.

D. ADDITVM in fine dictionis post vocalem 117,116
D interpositum medio dictionis 177
D pro L 108
Dacrimæ, pro Lacrimæ 108,185
Damnari in Antliam quid? 485
Damnati in opus semiraſi 490
Dandi verbum inter Priapeia 183
Dapsilia dicta 109
Dare mala, obscœno intellectu 161
Dare se populo, quid 18
Dea Syria, pro Iunone 511
Debendi verbum quid significet Latinis? 310
Debil homo, pro Debilis, apud Ennium 169
Decem cyathi summa potio 152

Decennia publica in honorem Impp. 245
Decies, vigintiquinq; myriades drachmarũ 496
post Decimam nefas incipere nouam relationem 643
Decimæ legioni plurimùm fisus Cæsar 469
Decipiendi verbi vsus 317
Decoctores 117
Decolorare aurum 471
Decretis, pro Decreuistis 217
Decubitus in conuiuiis qualis 145
Dedicare in censum quid 62
Defendendi verbi propria significatio 54
pro arcere, repellere ibid.
Defundi lachrymis, apud Propert. 166
Degere peccata 512
Degere, pro minuere, detrahere 277, 512
Dictare scribebant antiqui, pro Dictare 422
Deinij laus 136. eius obitus ibid. tumulus 165
Delicati pueri, qui 224
Demissæ sertæ 157
Demosthenis locus 15, 16, 32, 38, 39, 48, 52, 59, 64, 65, 88, 89, 260
Denarij XXV. constituebant aureũ vnum 355
Denarius quanti sub Augusto ibid.
alius à denis assibus ibid.
Deosculatio Hebræis adoratio 464, 465
Depannis, pro inope 193
Deorum manus osculabantur Rom. 464
pedes ibid.
Depector litium, apud Appuleium 389
Despretus prisca vox 371
Detergere remos, palmites, pinnas murorũ 505
De summâ petere, quid Plauto? 151, 152
Detrux 511
Detumẽre quid 365
Deuoti qui 188
Deuotio militaris 522
Dexter locus honestior 452
id rationibus ostensum 453, 454
Dextra meliora, fortiora 454
quare id sit? 456
Dextra robustior sinistrâ 454. promptior ibid.
Dextras attollendi mos 469
Dextrouorsum pateræ circumferebantur 156
Dialogus de caussis corruptæ eloquentiæ emendatus 108, 109
malè Ciceronem reprehendit 49
Diaria quæ? 374
dabantur iis qui in carcere ibid.
item ergastulis seruis 490
Diathyra Græcis, quæ Latinis Prothyra 219
Dicebo, pro Dicam 302
Dicem, pro Dicam, antiquè 88, 193
Dicendi genus in Liuio elegans 309, 337
Dictator conuiuij, apud Plautum 149
Dictatori soli ius in vrbe sumendi secures 430
lictores XXI v. habebat 432
Dictatrix conuiuij 150
Die festo ianuis appensæ lucernæ 356
tunc albati erant Romani 391
Dictum vetus explicatum 108
Difficul, pro difficilis 169
Digitum tollere, quid? 46
Dij Semones 330
iis lacte tantùm, non vino, fiebat 130, 131
Dij veterum 500, & seq.
mixti sensu, aut sexu 501
corum matrimonia 501. crudelis cultus 500
502. ad vadimonia vocati 500
à Senecâ irrisi 500, & seqq.
Dij te seruent, formula adclamandi 475
Dimidiati appetere qui dicantur Plauto? 145
Dingua, pro Lingua 108
Dio Cassius emendatus 16, 267
explicatus 159, 188, 359, 412, 433, 495, 496. eius adseueratio dubia 285. eius Epitome Xiphilini 290. fragmenta eius in Sicilia reperta 285. eius error in tempore 375
alius 495. dissensus à Suetonio 496
sed conciliatus 496, 497
Diogenis dolium fictile 310, 311
Dionysius Halicarnassæus 195
eius iudicium de stylo Isocratis 75
fragmenta eius reperta 215
Dionysius Lambinus 219. Vide Lambin.
Diphilus Tragœdus 22
Διφθέρα quid 412
Dirigere, neutrali, siue occulta patiendi significatione 528, 533
Dis Semonibus lacte tantùm, non vino, fiebat 130, 131
Dispartiri, obscœno intellectu 530
Dispretus, prisca vox 371
Dissensus Taciti & Suetonij 121
Dissignare & Dissignator 135
Diuæ correctio proba 231
Diuidere, verbum obscœnum 530
Dipissio Ciceroni scriptum, pro Diuisio 116
Diuitiarum potestas 567
Docere armis, & equo quid 212
Dolia antiquorum qualia fuerint 310
Dominas inter bibendum nominabant Romani 153
Domitianus Imp. stipendium militare valde auxit 355
Domitius Neronis pater 579
Donum apponere in viâ 406
Drachma Græcis quod Latinis denarius 356
Dryasin pro Dryadibus 100
Duo, pro Do, antiquè 314
Duodecim conuiuæ, raro plures, ex vnâ mensa vescebantur 145
Dux agminis, in medio 413
Δωδεκάθεος cœna Augusti 145

E.

EBRII faces & coronas sumebant 73
Eccille, eccilli, eccillum 212
E compacto, vel è compecto quid? 389
Edentulum vinum, pro vetusto 131, 32
Edicta olim in pilis columnisque appensa 614
Echecrates 538
Em, pro eum 98, 169
Endoaures pro inauribus dixisse videtur Varro 70
Endogredi, pro ingredi ibid.
Endopedire, pro impedire ibid.
Endotueri, pro intueri ibid.
Ennij mos in truncandis verbis 218
Ennij patria 184
Ennius apud Nonium correctus 118, 169, 178, 191, 228, 301, 320. apud Agellium 133, & seqq. 186. apud Ciceronem 184

Epicuro Dij non in mundo 473
Epistolæ ad Senecam, quæ Paullo tribuuntur 499
Epistolæ Quæsitiores 459
Epitaphium A Deinij 165
Epithalamium Victori Giselino 256
Epitome Liuiana correcta 433, 439
Epulari de die probrosum 298
Epulum Iouis, ludorum causâ 270
Equestria, locus equitum in Theatris 244
Equestris ordinis annus proprius 451
decimusoctauus 452
Equites iidem cum Iuuenibus 451
Equitibus anuli ex auro 471
Equitum princeps 451
Equo descendebant Rom. obuio aliquo magistratu 428
Eres pro erinacio 126
Eretrici philosophi qui 249
Ergastula quæ 483. conlectanea de iis 482, & seqq. Origo vocis 482. rei 483 quid? 482. quot serui constituant ergastulum 483. finis eorum 484. locus 485 homines 486. modus 483. crebritas per Italiam 491. in Prouinciis ibid. purgata ab Augusto 487. Sublata: ac inde silentium de iis apud Iurisconsultos 491
Ergastulus priscis, ipse seruus ergastuli incola 486. ij compedibus ferreis vincti 487 etiam inter ipsum opus 488. inscripti ibid. semirasi 488, eorum victus 490
Error Herculis, pro ipso Hercule 29
Erucius Clarus 459
Etruriæ duodecim populi, totidem principes 521
Eu pro heu vsitatum antiquis 38
Euboeæ descriptio 558
Euehi gyros, seu terminos 73
Euitare, pro interimere 124
Euripidis locus 263, 273, 306
Examen mali, & examen exitium, apud poëtam veterem 170
Ex animi sententia, formula iurandi 13, 14
Excalceabantur Romani ante discubitum ad mensam 145
Excetra, id est vipera 124. maledictum in malas mulieres ibid.
Excidit, verbum ambiguum 285
Exconsulares viri 445
Exerrare & exerratio quid? 371
linguâ exerrare 284, 371
Exfociunt, pro exfugiunt 127
Eximplere 537
Exita ætas 423
Exsaniare, id est saniem tollere 400
Exquisita pocula 470
Exscensionis vox quid apud Liuium? 250
Exsulium an scribendum, an exsilium 89, 90
Extæniatæ sortes prodigium faciunt 479
Extenuatæ sortes an propriè dicantur? 478, 479
Exteriorem esse quid? 456
quæ causa eius dictionis? ibid.

F.

FPRO H. Fabia lex 105
Fabianus auditor Cæstij Pij 398
eius ætas 354
Fabij animosa vox 505
eius cum Ioue comparatio ibid.
Fabric pro Fabricius, apud Ennium 228
Facere cottabum, in conuiuijs vsurpatum 155
Facere secundas, quid 143
Facere multam quid 22
Facere notam quid apud Propertium 21
Faces ad ianuam abiectæ quid ostendant 73
Faces in nuptiis præferendi mos 569
Faciem pro Faciam, antiquè 88
Facies liberalis 14
Factiones aurigarum 214
Facul, apud Ennium, pro facili 169
Fæminæ viroſę legitimæ adulteræ 524
Fæminal, pro naturâ fæmineâ 510
Fætus repigratus ibid.
Fænicularius campus 509
Fallere quid Latinis 327
Fama minuens, passiuè 458
Famul, pro Famulus, apud Ennium 167
Farferi folia, apud Plautum & Appulcium 253
Fasces lictorij 429. ex vlmo aut betulâ ibid. eorum origo 430. iis adiunctæ secures ibid. sed postea ademptæ ibid. & prælati tantùm extra vrbem ibid. quomodo ferri soliti ibid.
Fasces inuersi in funere 261
Fasces submittendi mos 430
Fascini remedium 504
Fastus Campanus 434
Fastus pro contemtu & repulsâ 54
Fauitor, pro Fautor 251
Fauor, & Fauere 476
Fautores 514
Felena, pro Helena 105
Feliciter, felicissimè, acclamationes populares 475
Felles pullaria, apud Ausonium 213
Felles virginalis, apud Plautum 212, 213
Fenestræ in ergastulis 486
Fenestræ in lecticis 411
Fenestris lucernæ appensæ die festo 357
Ferdinandi Pinciani laus 470
Ferè, pro Ferociter 340
Ferratile genus 488
Ferrei anuli seruorum 471 plebeiorum 471. militum ibid.
Festi Pompeij locus 177. emendatus 88, 193, 219, 221, 276, 395, 512
Festinus laudum, poëtica phrasis 384
Festis diebus albati erant Rom. 391
Festucâ impositâ fiebant liberti 181
Fictores deorum qui? 502, 503
Filij cadauera parentum collocabant 367
Fircus, pro Hircus 105
Flamen nusquam nodum quàm in apice habebat 421
Flaminica, flaminis vxor ibid.
Flaminicæ cerimoniæ ibid.
Flaminium, sacerdotij nomen 212
Flaminius lictor 433
Flauius Scorpus, agitator 216
Flestis, pro fleuistis 217
Flori nomen & gens 462 laudabile eius compendium ibid.
Floridum carmen, de qualitate vitæ 366 emenda-

emendatum ibid.
Florus correctus 462, 491, 504, & seq. auctus 506. Iudæos irridet 462
Fluctuatus est, pro fluctuauit 538
Fluuida, pro fluida Lucretio 135
Focorum signa, id est, stigmata 490
Fœnerari spiritum 530
Fœnicularius campus in Hispaniâ 509
Folia farferi 253
Folus pro Holus 105
Fores amicarum vino affusæ 306
Fores tangere, lictorum proprium 431
Fortassean vox vetus 289, 412
Fortuna Obsequens Romæ 193 vt & Respiciens 132
Fostia, pro Hostia 105
Fostis, pro Hostis 105
Fragmenta XII. Tabularum restituta 314
Fragmenta veterum auctorũ furto sublata 499
Fragmentum Agellij 241, 246
Fragmentum legum quarundam agrariarum 397
Franciscus Modius 243, 269
Franciscus Nansius 243, 397
Franciscus Pythœus 293
Franciscus Raphelengius 285, 337
Franciscus Roaldus 221
Frangi solitæ imagines damnatorum 444
Fratris nomen occultiore notione 34, 159, & seqq.
Frictio ante cenam vsurpata Romanis 142
Frontem quatere, hominis mœsti aut irati proprium 569
Fros pro frons scriptum antiquis 80
Frumentaria res sub Impp. & primò capientium numerus 374. ab Augusto auctus 373 & à Tiberio 375. vnde orta frumenti largitio 372. quis primus dederit 372
Frumentariæ leges 373, 374. abrogatæ à Sullâ 373
Frumentariæ tabulæ 376
Frumentarij mensores 379
Frumentarij simpliciter dicti 379
Frumentarij aliâ significatione 379
Frumenti diuisio inter Romanos & Byzantinos 382. à Constantino Magno instituta ibid. A Egyptij frumenti modus ibid. Africani ibid.
Frumentatio vniuersa quot modiorum ibid.
Frumentum per quos distributum 373, 376. olim per ædiles 373, 376. quomodo distributum 378. quantum 379. quibus 374. tenuiores ciues tantùm capiebant 375 etiam liberti 375. etiam Iudæi 376. quibus Traianus etiam pueros addidit 376. capientium numerus 376. ab Antonino auctus 376. vbi distributum 513
Frumentum vnde aduehi solitum 381. à rep. emebatur 382
Fulgentij Vita vetus, illustrata 476
Fullonius Saltus 392
Fullonum curtam frequens mentio 392
Fulminis, pro fulmen 222
Fuluius Vrsinus 237. eius laus 318
Futurus in potestatem, pro venturus 522
Fuuerit, Fuuisset: pro Fuerit, Fuisset, apud Ennium & Plautum 135, 184

G.

GALBANI mores, pro mollibus 396
Galbanus color 396
Galbei calcei 396. galbeus color 396
Galbus color quis 396
Gallici serui electi ad lecticas gestandas 414
Galliæ quot populi? 251
Gallorum veterum mira virtus aut fortuna 513
Gallus Annius 445
Gamelij dei 277
Gau pro gaudium, apud Ennium 228
Gelliani, serui publici 424
Gemblacensis Bibliotheca 37
Generom, saluom, mareitom, scribebant sæpe librarij 45
Geneta Mana, dea 470
Genethliacum Mamertini emendatum 231
Genialis lectus 403, 533. seruari solebat 404 dicebatur etiam Adiersus, & quare ibid. nouâ vxore nouus ibid.
Georgius Fabricius 576
Gerardus Falckenburgius 248, 267, 273, 328
Gerio, ea formâ quâ optio dicitur 459
Germani serui ad lecticas gestandas 414
Gestio, vt optio 459
Gladium ponebant Rom. obuio aliquo magistratu 428
Glossæ veteres editæ ab H. S. 276, 389
Glossæ veteres correctæ 211, 459 sæpe Iuuenalem citant 311
Glossema indicatum 171, 381, 401, 421, 422, 429, 437, 445, & passim alibi.
Γυῶθι σεαυτὸν, titulus Satyræ Varronianæ 55
Goropius Becanus 226. refutatus 452, & seqq. eius mors 226
Gracchana seditio 521
Gracchi locus emendatus 292, 409
Gradus in quaque vrbis regione 380. in eis congiaria 380
Gradilis panis 380
Græcæ voces duæ restitutæ 33, & seq.
Græcanicum genus dicendi repositum 120, 218
Græci accumbebant ad mensam 144
Græci coronati ab oraculis redibant 306
Grammatici reprehensi in etymo verbi Adorandi 465
Grandia ingredi, Græcanico more loquendi 246
Graphiis in Curiâ Senator quidam discerptus 636
Gromatici libri citati 277
Guido Laurinus 233, 294
Gulielmus Brugelius 274
Gulielmus Pantinus, medicus 244
Gulielmi Canteri mors 308. eius emendatio 153. eius laus 308. ab eo dissensum 51
Gustatio seu Gustus, prima pars cænæ. 147
Gustulum apud Apuleium quid? 143 ad Gustum exigere 472
Gyros euehi quid 73

H

HPRO F. 105
. Habere, pro habitare 99
alio significatu 191
Habere & hauere, iuncta 512

Universidad de Deusto
Biblioteca

Habitandi verbum quo modo transferri solitum 129
Habitior, pinguior 128
Habuuerit, pro habuerit, Plauto 135
Hama, vas aquarium 187
Hamadryasin, Græca terminatione scriptum apud Propertium 100
Hanula, pro Fanula 105
Harpocrates Deus Silentij apud Græcos 155
Hauere & habere, probè iuncta 512
Haud an haut scribendum 90
Hautscio vel hauscio, pro nescio 90
Hector 574
Hedirium, persona mulieris in comœdiis 289
Hellenismus 120,228,246,317,328
Henricus Glareanus non tam ineptus censor, quàm quidam existimant 267. refutatus 419
Henricus Stephanus 319
Hercules Antæanus, apud Ciceronem 192
Hercules, Deus parasitorum 112
Hercules Nutrix 112
Hereditas sine sacris 101
Hereditatem cernere 532
Heriatus, pro Feriatus 105
Hermæ corollas donabant meretrices 158
Hermolai Barbari error 244
Herodianus explicatus 290,291,389
Heroës sedebant in conuiuio, non accumbebant 144
Hesperiorum mos in adorando manu 465
Hexaphoros lectica honestiorum 408,413
Hierosolymis vitis aurea 462,463
Higinius correctus apud Nonium 118
Historia lugubris & Tragica 293
Histricus decor, pro histrionio 511
Histrionius mos in baculis quos manu tenebant 440
Homeri locus 274
Hominium, pro hominum, antiquè 183
Honor in incessu, & quomodo exhibitus 456
Honor Theatralis 474
Hora cænæ apud Romanos 144
Horæ in templis nunciatæ 502
Horatij cum Iuuenale in satyris collatio 240
Horatius explicatus 143,147,149,154,455, 404,456,486. Lectio eius firmata 392 314
Horatij interpres correctus 105
Horda bos 105
Hordicidia, pro Fordicidia 99
Hornò opponitur annò 379
Horrea publica Romæ 510
Horrea Sulpicia
Horti leges in persona Vertunni 140,& seqq. 139
Hortorum tutela Veneri 161
Hortus, obscœno intellectu 250
Hubertus Goltzius 397
Hygini ætas indicata

I.

I LITTERA cum V. sæpe locum mutat 178

Iaciendi coronas mos 445
Iacobus Cruquius 250
Iacobus Cuiacius 209,239,271
eius laus 271
Iacobus Curlus 253
Iacobus Pamelius, Theologus 324
Iacobus Ræuardus 219,314, eius error ibid.
Iacobus Susius 236,259,324, eius correctio 310
Iacobus Tayus 322
Iani quid 444
Ianuas templorum osculabantur Romani 466
Ianus Douza 309. eius vera laus 365, 499 eius coniectura 365
Ianus Geminus à Nerone clausus 121. ab Augusto 419. de eo nodus intricatus 419
Ianus Gulielmius 492. eius laudatio 492. mors 492. Carmen eius 493, & seq.
Ianus Lernutius 213,224,261,293,307,319, 338. eius Oda ad Amorem 268. elegia eiusdē 312,& seq. cōiectura eius 365
Ichnographia Græcis, quod Latinis Species operis 422
Idem pro iidem 90
Ignauo, ignauire 459
Ignei angues 457
Ignis prælatus vatibus 357
Ignis vigilans & viuens 273
Illætabilis, vox vetus 423
Illaura fœmina, quæ 182
Illum pro illorum, Ciceroni 135
Imagines damnatæ & fractæ 444
Imagines ex quo magistratu 442 ex iis omnis nobilitas 441
Imagines indicem seu titulum suum habebant 442
Imagines in funere circumferri solitæ 285,443
Imagines Cæsarum hastis affixæ in signis cohortium 324
Imagines non totius corporis 442. in thecis collocatæ 443. è cera solitæ fieri 442 in atriis ponebantur ibid.
Imbitere 224
Imbrex quid 294
Imitùs, vox proba 457
Imparientia quid 370
Imperatorum serui discreti veste à reliquis 436 albati ibid. etiam aurati ibid.
Imperatorum vxores lictores aliquando habuerunt 433
Imperij Romani lapsi caussa 484
Impetrire, verbum augurale 102
Improbus intestabilisque, formula vetus 238
Impudicus quis 534
Imus decubitus, illius qui iacebat ad pedes lecti 145
In æuum, vox acclamationibus apta 475
Incedendi ratio apud Romanos 456
Index cænæ, quis 146
Index imaginis 443
Indixe, pro indixisse 185
Inducias tacitæ 275
Infans, pro infando 302
Ingenui agris pulsi per fraudem 484
Ingenui in ergastula sæpe rapti per fraudem 487
Initiare stilum 523
In manibus esse, quid Cæsari 174
Inopia antiquè, pro muliere inope 153
Inpannis, pro eo qui caret pannis 193
Inquilina, pro ciue 104

Insa-

Insanum, pro valdè 296
Inscripti, id est serui stigmatiæ, seu notis compuncti 488
Inscriptio antiqua explicata 291
Inscriptio nummorum Antonij 250
Inscriptio vultus qualis 489
Inscendere aggerem 525
Interdicto, absolutè, pro cum interdictū sit 219
Interiorem esse quidē 456
Internoctu 458
Intestabilis 238
Inustio frontium in ergastulis 490 factæ etiam infuso atramento ibid.
Ioachimus Camerarius 212. eius cōiectura 283
Ioachimus Camerarius, Ioachimi F. 267
Ioannes Berotius 245
Ioannes, Episcopus Salisberiensis 239
Ioannes Crato à Craftheim 264
Ioannes Goropius Becanus 226. eius mors ibid. cum eo disceptatum quis honestior locus apud Rom. 452,& seqq.
Ioannes Flemingus 269
Ioannes Liuineius 288
Ioannes Leunclauius 257
Ioannes Ramus, I. C. 313
Ioannes Sambucus 284
Ioannes Scheyfius 305
Ioannes V. Vamesius 314
Ioci Plautini quales sint 248
Ioci sunt velut sal vitæ, præsertim in mensa & vino 155
Iocorum opportunitate L. Flaccum seruauit Cicero 62
Iocus Ciceronis elegans 49,119
Iocus Domitij Afri 14
Iocus in pronunciatione 444
Iocus Nasicæ cuiusdam apud Ciceronem 313
Iocus Plautinus 115,119,329
Iosephus in vite Iudaica dissentit à Floro 462, 463
Iosephus Scaliger 211,219,230,263,271,276, 291,324,498
Ioue tonante leges perferri non poterant 151
Iouis epulum, ludorum caussa 370
Isdem, pro iisdem 90
Isidorus explicatus 242, 387. eius non vera distinctio 471. definitio falsa 482
Isocrates Ciceroni valdè placuit 74. laudes quas ei tribuit Cicero 74,75. stylus eius poëticus habitus antiquis 75
Isocratis locus, quem Cicero est imitatus 23,85
Istrigonensis Archiepiscopus 278
Iteradum, apud Ciceronem 130
Iudæorum religio irrisa gentibus 462,463. suspiciones de eis vnde natæ 463
Iugarius Campus 569
Iuliana lex de vxoribus 418
Iulij Cæsaris scripta. Vide Cæsar. & Cōmentarij.
Iulius Capitolinus correctus 225,245,287, 336,376. explicatus 290,336,465,476
Iulius Celsus 235
Iulius Marathus libertus Augusti 389
Iunia Caluina 254
Iuniores, pro militibus, Augustino 210
Iuniores Seuiri 211
Iunius Gallio quis? 353
Iuppiter Hospitalis 133
Iuramenti formula 14
Iuramentum per Genium Augusti 153
Iusiurandi etymon 407
Iusta, pro victu seruorum 491
Iustini locus 275
Iuuenalis laus 240 de eius vita disceptatum 303,& seq. quando vixerit 304 auctus 297. explicatus 215,251,407,411,414,416, 462,286,488,490. correctus 241,297, 309,& seq. 356 locus eius ex Aristophane sumptus 241
Iuuenes qui in Pandectis 209, pertinuisse videntur ad Theatra ibid. cur ita dicti? 209,210
Iuuenes pro militibus ibid.
Iuuenum princeps, is qui primus inter equites à Censore legebatur 451

K.

K LITERA inusta fronti eorum qui calumniæ damnati 489
Kales, municipium Italiæ 48
Kalumnia scribebant prisci, non calumnia 489

L.

L PRO D. positum 108
L. Laberius emendatus 118,403
Lacedæmonij molles habebantur inferioris æui 310
Lacedæmonius orbis quid? 310
Lacerna 393. pulla 394. purpurea delicatiorum 194 etiam Senatoribus vsitata 393. antea militum vestis 393
Lactantius illustratus 498
Lactuca cænas veterum clusit 143
Ladas cursor 400
Læuinus Torrentius 222. eius laus 497 eius correctio 388
Laidis amatores, fores eius vino perfundebant 306
Lambini lectio spreta 219. error 61,415,489 malus in Turnebum animus 332. emendationes in Ciceronem 30,61
Lampridius correctus 149,336,404.445,451 explicatus 329,389,451,476
Lanificium & textrina Romanarum mulierum 404
Lanis postes cingebantur in nuptiis 236
Lapidum cæsura exercita in Ergastulis 486
Lapillus antiquus 314
Lapis antiquus, Ancyræ repertus, in quo Breuiarium rerum gestarum Augusti 375. in exscribendo eo erratum 379
Lapsilis, pro Dapsilis, apud Plautum 108
Laquearia in ædibus 402
Latus Martiali is qui latus tegit 321
Latus tegere quid 455
Lauor, non labor quidam scribendum putant 60
Laurentij Gambaræ mors 237
Laurentius Valla 220,238. eius correctiones in Liuium 253. de correctionibus sæpè coram Alphonso rege Siciliæ litigauit ibidem.
Laurus appensa ianuis in die festo 356
Lausum, quid apud Plautum? 293

Lauta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rauta femina, quæ? 182
Lecti insternebantur aulæis, purpura, aut alia veste stragula. 144
Lectica Romanis vsurpata 408. ignota Græcis & Barbaris in Oriente 417. forma eius duplex 410. vsus eius duplex 408. ad mortuos ferendos 408. gestandis viuis 408. primò ad iter 409 posteà admissa in vrbem ibid. domestica quæ 412.
Lectica quando non fuerit 408 quando fuerit, & vbi inuenta 409. eius antiquissima mentio 409
Lectice apertæ quæ forma 410. tectæ forma 411. origo 411. tecta Dionis sæculo tantũ in vsu erat apud primarias feminas 412
Lectice arcuatæ 411. feneſtræ in iis ibid. velum ibid.
Lecticæ pedes 410. vincla ibid. puluinus in iis ibid. pellis 411.
Lecticarij asseres 410
Lecticarij serui 413. nitidi & culti 414 quot ad vnam lecticam 413
Lecticarij tam de hominibus ad Sellam quàm ad lecticam 415
Lecticariola, quid Martiali 414
Lecticarum promiscuus vsus vetitus à Cæsare 409. sed non diuturnũ fuit illud edictum 410
in Lecticis quomodo recubuerint 413
Lecticulæ ad decubitum 535
Lectis accipiebantur Romani in conuiuiis, non sedibus 144
Lectus aduersus quis 403. idem cum Geniali 403. situs eius 403. vnde dictus 403
Lectus vnus quot conuiuas ceperit 145
Legatis etiam lictores erant 433
Legere olera, nuces, poma obscœno intellectu 162
Leges conuiuales 148
Leges XII. Tab. correctæ 314, & seq.
Leges horti, in persona Vertunni 140, & seq.
Leones culti inter deos 229. quo nomine ij primùm dicti Romanis 462
Lesbius apud Catullum quis? 17
Lessum facere, apud Plautum 293
Lessum habere, apud Ciceronem 218
Leuare curarum 291
Lex Annaria 644
Lex Cornelia, de sicariis 636, 640
Lex de maritandis ordinibus 57
Lex Frumentaria Gracchi 373
Lex Iuliana, de vxoribus 418
Lex Mamilia, Roscia, Peducæa, Aliena, Fabia de re Agraria 398
Lex Rupilia 72
Lex Stolonis, de quingentis iugeribus 483
Lex Triumuiralis, de lictoribus 426
Lex vetus de Antestatione 314
Lex vinearia 376
Libandi modus 153
Libatio in omni mensa obseruata 153
Libatio pro salute Augusti in omnibus conuiuiis 153
Liberalis facies 14
Liberi à seruis vix discreti veste 393
Liberti ab Epistolis, à Libellis, à Studiis, à Memoria, à Voluptatibus 182, 389
Libertorum mos in mutanda veste 536
Libitinarij, abiecti & viles 533
Liburni, pro seruis lecticariis à Liburnia 414
Libyca vrsa pro Leone 462
Licinius, præfectus ab Augusto Galliæ 181
Lictores vnde dicti 425. origo ibid. etymon ibid. conditio eorum 426. liberi fuerunt, non serui 426. eligebantur è corpore libertorum ibid. officium & munia eorum ibid. ciues fuerunt ibid. togati erant ibid. numerus lictorum 432. quibus magistratibus lictores fuerint 432. Primus lictor & proximus quis 429. quis summus lictor 419
Lictorij fasces 429 ex vlmo aut betula ibid.
Lictorum virgæ 431. aptæ ad submouendum ibid. & ad tangendum fores ibid.
Lignatum ituri ferebant securim & lora 223
Ligo ligere, & ligui lictum 425
Ligurritores, Opici dicebantur 321
Limes vnde dictus 426
Limus, cinctus publici serui 425
Lineas admouere 477
Liquens & pura fides 422
Literati serui qui 489
Litus Oceanum, pro Oceani 310
Lituus quid 30
Liuia post adoptionem Iulia appellata 534
Liuiana Epitome correcta 433, 439
Liuius emendatus, vide Titus Liuius
Liuius Geminus, Senator 254
Locus dexter honestior 453
Locus dignior in conuiuiis, assignabatur à rege seu patre cœnæ 143
Locus honestior quis 452. sinistrum asserebat Becanus 452 eius rationes 452. eæ refutatæ 453, & seq. ostensumque dextrum honestiorem 455
Longè fugit, qui suos fugit, titulus fortassis Varronianæ Satyræ 27
Longè illis artes, &c. phrasis elegans 505
Lotio vsurpata priscis ante cœnam 142. ea repetita per singula fercula 498
Lotri, semigræca vox, pro lotione 497
Lubricandi verbum apud Iuuenalem 310
Lucani poëtæ pater 353
Lucani, serui publici 424
Lucerna vatibus propria 357
Lucernas appendendi mos 356. idque plerumque die festo 356. aut Sabbatis 357 quales eæ lucernæ 357. ad ianuam appendi solitæ ibid. ad feneſtras ibid. etiam ad arbores ibid. ad noua lupanaria 358
Luciani locus 195, 272, 360
Lucilius emendatus 44, 98, 99, 200. 270, & seq. 302, 327, 329, 420, 504. lectio eius stabilita 24, 25
Lucius Piso 536
Lucretius emendatus 25, 327 à Cicerone correctus 641
Lucretius repositus, pro Lucilio 98
Ludouicus Carrio 38, 218, 235, 254, 262, 271, 279, 321
Lugdunensis ara 250
Lugduni nummi cusi à XL. Galliæ gentibus 251
Lumen pro filio 434
Luna cur in labaris Turcarum? 225
Lupanaribus nouis lucernæ appendi solitæ 358

Lustrum 438. quot anni inter postremum liberæ Reip. lustrum & primum Augustęum 439
Luuit, pro Luit, apud Lucilium 135
Luxus Pœnorum 434
Lycas ab Hercule interfectus 559
Lymphatum vinum 151

M.

MACCVS, quis 251
Macella opidum 322
Macrobius explicatus 145 emendatus 119, 421. eius error 22, 153
Mactare 169
Mæcenati à populo plausum 474
Mænus, Germaniæ amnis 244
Magis, comparandi aduerbium, in oratione crebrò reticetur 522
Magister equitum sex lictores habebat 433
Magister in conuiuiis Rom. quis? 149
Magister Saliorum, ancilia proferebat quotannis 195
Magister vicorum binos lictores habebat 432
Magistratui assurgendum 427 caput aperiendum 428. equo descendendum ibid. & curru ibid. gladius ponendus ibid.
Magistratus minor maiori cedebat 430 fasces submitebat ibid. secures deponebat ibid. in nauibus idem obseruatum 431
Magistri memoriæ 389
Maiores Dij, qui? 130
Mala dare, quid? 161
Malchio ad vestes, nomen liberti ab officio sumptum 389
Maldechemius, iuuenis nobilis 353
Malificium pro Maleficium 99
Mamertinus explicatus 225, 280 correctus 231, 280, & seq.
Mamilia lex 398
in Manibus esse, quid Cæsari 74
Manium summum votum, vt quieti essent 386
Manuductio, apud Senecam quid? 223
Manu adorare 464, 465 quo gestu id factum 465
Manuleatæ tunicæ puerorum meritoriorũ 171
ad Manum accedere, honoris 468
Manus & pedes transfigi soliti iis qui cruci affigendi 406
Manus osculandi mos 464, 465. deorum 464 hominum 467. non quorumlibet, sed potentiorum tantùm ibid. vnde id ortũ ibid. qua parte osculum manui impressum ibid. hoc propriè erat viliorum seruorum ibid.
Manus protendere, precantis 465
Manutij coniectura firmata 262 non vera opinio 432
Mapalia, homines solutè viuentes 255
M. Antonij Antij Lupi monumentum 408 cur ei insculpta lectica ibid.
M. Antonius Muretus, vide Muretus
M. Antonius orator 19
M. Cato emendatus 24, 46, 72, 223, 318, 371, 422
Marcus Laurinus V. N. 233
Margareta Poëtica 235
Marinus passer, pro Struthiocamelo 461, 462
Maritus vxori suæ solus censor & iudex 24
Marmor antiquũ de rebus Duilij expressũ 127
Marsiæ statua in celeberrima fori parte 158 ad eam scorta prostabant ibid.
Martialis emendatus 35, 213, 321, 406 explicatus 154, 160, 390, 408, 410, 465 eius de Iuuenale versus 304. de eo Scaligeri iudicium probum 213. castratus 640
F. Martinij mors & laus 136, 162
Martinus Antonius Delrio 277
Martinus Lipsius 300
Massilienses mores 192
Masso cognomen gentis Papiriæ 247
Massurius I. C. 423
Mater impia in filium 487
Matronæ nubentes capiebant crines 142 sedebant in lecto aduerso 404
Mausolus 422
Maximilianus à Borsele 198
Maximus Cæsonius quis, & quando condemnatus? 217
Medde, pro Melle 185
Medecum, pro Mecum 177
Medici à Varrone irrisi 54
Medicifici 510
Medium scelus, pro mediocri 545
Medius locus dignissimus in conuiuiis 145
Medixcutichus, nomen magistratus apud Liuium 228
Mela frater Senecæ philosophi 353
Melica gallina, pro Medica 108
Melissa, catella 262
Μηλοβολεῖν quid 161
Memoradum, apud Plautum 130
à Memoria liberti, vel ad Memoriam ibid.
Menippus philosophus viã ad inferos nôrat 645
Mens adflata 482
Mensa citrea, lautiorum 144
Mensa duplex antiquis, secũdum Seruium, vna epularum, altera poculorum 156
Mensa secunda, tertia pars cœnæ; quæ & mensa pomorum dicta 146, 156
Mensæ vni raró plures quàm duodecim cõuiuæ accumbebant 145
Menstruum militis quantum 379 & seruorum 374
Meraclum, pro Meraculo 183
Meracum vinum 151
Meretrices, corollas languidas Veneri donabant 158 interdum & Trephallo, Marsyæ, Hermæ 159
Meretrices submoueri solitæ 427
Meretricium, pro Meretricum 183
Meretrix mari comparatur 198
Meridies sol, seu sol meridies 458 meridies noctis 633
Messallinæ libido 158
Militum menstruum quantum 379
Millenaria nota sæpe corrupta 477
Mimas mons 563
Minæ, seu mininæ extæ 115
Minores Dij, 230
Minuens fama, pro diminuta 414
Minutia frumentaria, locus Romæ 378
Minutij locus 229
Minutius primus frumẽtarię rei prǫfectus 378
Missus in antiquorum cœnis tres 140
Modimperator in conuiuiis Rom. 149

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mœri, pro muri 185
Mœsi, serui robustissimi 311
Mœtinum subrectum 504
Molitura sæpe exercita in ergastulis 484
Moneris, pro monueris 277
Monobiblion fortassis titulus quarti Propertiani operis libri 27
Mora ponenda initio cænæ 147
Morientium oculos claudebant proximi more Rom. 166
Mortem vouere aut fugere, neutrum est viri fortis 448
Mortuorum imagines supra humanum statum 568
Mortui cum quot vestibus vri soleant 219
quomodo collocati 367. à quibus 367
Mortui in lectis 408
Mortui togati apud Romanos, palliati apud Græcos 368. in honestissima veste sepulti 369
Mos pro Mons scribebant antiqui 10
Mulieres Romanæ lanificio & textrinæ vacabant 404
Mulso primam sitim sedabant veteres 147
Multam facere, pro multam irrogare 22
Mundus, pro cælo 564, 571
Mureti in Propertio emẽdando opera 15. egregia coniectura 188. sententia reiecta 34, 159
Mus Africanus, pro Panthera 462
Musæ Polyclis 56
Musca, mira significatione, pro eo qui alienis conuiuiis inuocatus superuenit 139
idem apud Græcos valebat μυῖα 139
Mutim, pro mutem 106
Mutinum 504
Myriades vigintiquinque drachmarum, quid Latinis 496
Mysteriorum duplex religio, in mensa & in thoro 155

N.

N LITERA sæpe omissa veteribus, in huiusmodi vocibus, frons, pons, mons 80
Næuius emendatus 98, 194, 302
explicatus 490
Natatio crebra Romanis & Græcis 497
Nauis prætoriæ signum deponebatur obuio in mari maiori aliquo magistratu 431
Nauis in obscænis intellectibus 319
Nauis quid signarit Iuliæ Aug. F. 319
in Nauis prætoriæ prora stabant lictores 431
Nepos Iulij Cæsaris 495
Neptunus, pisces signabat 139
Neronis principatus initio optimus 472
Nicepora dea 243
Nicolaus Bryardus 237, 151, 288
eius correctio 237
Nicolaus Faber 472. eius laus ibid.
Nicolaus Florentius 356
Nigidius apud Nonium correctus 194
Nicolaus Sturio 337
Nixij Dij 177
Nobiles ignaui statuis comparantur. 20, 263
indocti 233
Nobiles qui Romanis 141. alij Patricij, alij plebeij ibid. noui ex vtrisque ibid.
Nobilitas omnis ex imaginibus 441
Noctua, insigne Athenienſium 225
Nodum nusquam quam in apice habebant flamines 421
Nomenclatores etiã ipsis diis erant apud Rom. 502
Nona diei hora, propria cænæ 144
Nonaria meretrix Persio vnde dicta 358
Nonis cuiusque mensis distribuebantur tesseræ frumentariæ 378
Nonius Marcellus sæpe turpiter peccat 19, 318, 486
Nonius Marcellus emendatus 20, 42, 44, 53, 55, 60, 63, 70, 80, 81, 82, & seqq. 86, 98, 109, 114, 117, 118, 130, 143, 168, 169, 172, 177, 178, 181, 190, 191, 192, 193, 194, 199, 200, 220, 227, 228, 237, 239, 252, 259, 270, 271, 272, 276, 278, 289, 301, 307, 308, 314, 318, 320, 327, 328, 329, 338, 400, 420, 425, 486
Notam facere, pro iniuriam facere 21
Notare quid? 497
Notarum vitiosa interpretatio, causa multorum mendorum 247
Nouati fratris Senecæ nomen cur & quomodo mutatum in Gallionem 353
Nonius correctus apud Non. Marcellum 193, 227, 301
Nox pro Noctu 120
Nubendi antiqua significatio 122
Nubentes cingebant postes lanis 236
Nubere, pro velare 365
Nuces legere quid Ciceroni 162
Numæ lex emendata 221
Numidici vrsi 461
Nummorum Antonij inscriptio 250
Nupta verba quæ 122
Nuptialia verba 255
Nuptias facere, quid 122

O.

O PRO V scribebant sæpe librarij 45, & seqq.
Obertus Gifanius 30
Oceanum latus 310
Oceanus magnus terras circumfluit 504
Occidere, pro contra cedere 421
Octaua hora lauabantur Romani 144
Octophoros lectica 414
Oculi morientium à proximis claudebantur ritu Romano 166
Oculifera noua & non inscita vox 403
Oculos tangendi mos in obtestatione 406
Oessus, pro vsus 116
Oculos osculabantur Romani 468
Osilius 478
Olera legere, quid apud Catullum? 162
Olere nardum 45
Oleum ciuibus datũ 382. quãdo id cœperit ib.
Omnes, acclamatio Senatoria 446, 643
Omnia erat, prouerbium 260
Operæ à scena 210
Opus nummi, apud Lucil. 327
Operto capite ambulare, delicatorum esse putabant antiqui 279
Opici mures Iuuenali 311
Opicus quid? 321
Optimarium lex irrita & vana 374
Oraria quæ 476. ad fauorem ibid. alio

alio significatu pro velamento Episcopali 476
Oratores causas agebant pænulati 394
Oratio in Sallustium, quæ Ciceroni tribuitur, emendata 75, & seqq.
Orator Ciceronis ad Brutum laudatur 40
Orbis Lacedæmonius, inter obscœna verba 310
Ordiendi verbum proprium texentibus 254
Orientales omnes accũbebant ad mensam 144
Os sublectare alicui 192
Oscæ compellationes 458
Oscinis, pro Oscen 222
Osculapluralifine 464. diuina ibid. dis os ore libabant ibid. osculabantur iis etiam manus ibid. aut pedes ibid. eminus porrecta manu ibid. osculabantur etiam ianuas & postes templorum 466
Oscula in hominum cultu ibid. ora osculabantur 466. manus 467 genua & pedes 468
Osculaofficiosa 467
Osiris 500
Ostrearum ceruices expetitæ in conuiuiis 261
Oua apud antiquos initium cænæ 143
Ouidius emendatus 286, 442, 465. explicatus 455, 465 declamator etiam fuit 639
Ouis fera, pro camelopardali 461, 462
ab Ouo vsque ad mala, quid? 143

P.

PA, pro parte, in Carmine Saliari 228
Pacuuius correctus apud Nonium 160, 169, 194, 278, 301
Padanæ siluæ 277
Pæniſſimè, Plauti vox 269
Pænula, vestis seruorum 435. & militum 455 etiam oratorum cùm causas agerent 394 cuius coloris 394. vulgò pulla ibid. purpurea lautiorum 394
Pallio induti mortui apud Græcos 368
Palaria, exercitium pali 445
Pallor deus 500
Pandectæ explicantur 209, 274 corriguntur 239, 333
Panegyrici inferiorum Principum editi à B. Rhenano 230
Panegyricus Constantino Constant. F. dictus emendatus 230, 231, 280, 315
Panegyricus Plinij emendatus 330, & seqq.
Panis distributio loco frumenti 380 quando id primùm factum ibid. vbi distribui solitus ibid.
Panis gradilis vnde dictus 380
Papiappæ, titulus Varronianæ Satyræ; sed vitiosus 71
Papinianus explicatus 239
Papirianus Grammaticus antiquus 81
Parasiti ad epulum Herculis vocari soliti 112 eorum Deus Hercules ibid.
Paria facere, idem quod alij pariare dicunt 340
Parientia quid? 370
Partes, factiones, in dissentione ciuili vsurpatum 370
Parti, pro parte, apud Ennium 135
Partiendi verbum inter obscœna 330
Passer marinus, pro Struthione 461
Pastoritia fistula 474
Patalis bos, Plauto, cuius cornua latè patẽt 170
Pater ancillariorum 445
Pater Cæsar, de D. Iulio 364
Pater patriæ à quo primũ appellatus Cicero 81
Patera cui vsui antiquis 152
Patricij 441
Paula, seu verius Busa, mulier Apula 218
Pauli falsæ epistolæ ad Senecam 499
Paulinus præfectus annonæ 378
Paulus Manutius 292
Panor & Pallor, dij 500
Pax, interiectio comprimentis 252
Pectus tundendi mos 578
Pedem sinistrum Senatori cuidam osculandum dedit Caligula 386, 468
Pedes & manus transfigi soliti iis qui cruci affigendi 406
Pedes lectícæ 410
Pedes viam spectabant in collocatione cadauerum 368
Pedes deorum osculabantur Rom. 464 etiam hominum 468
Peducæa lex 398
Pege Argathi apud Propertium, pro fonte Arg. 100
Pellis in lectica tecta 411
Pensum grauius imponebatur ancillis delinquentibus 31
Pergo depressum 545
Perieratus meliùs dicitur quàm peieratus 185
Perit, pro Deperit, apud Propertium 69
Peritura laudari solent 376
Perseuerare, pro perficere, & ad finem perducere 55
Perseus siue Perses rex Macedonum templo Samothracum extractus 506, 507
Persius explicatus 376, 390
Peruigilia variis diis 363
Fortunæ 363. Cereri ibid.
Peruigilium Veneris, carmen poëtæ veteris 361
scriptor quis 363. quando scriptum ibid.
scriptum videtur post Virgilium 364
argumentum & occasio huius carminis 363
Pestis Catilinæ, pro ipso Catilina 30
Petaso aut pileo carebant vulgò Romani 428
Petî, redî dissyllaba, pro Petij, redij 545
Petronius emẽdatus 103, 104, 160, 191, 260, 261, 334, 432. explicatus 14, 147, 160. eius laus 260
P. Carrion 24
Petrus Daniel 228
Petrus Diuæus 264, 315, 325. eius cõiectura 331
Petrus Faber 239. eius laus 424
Petrus Nannius Verrinas Ciceronis docuit Louanij 18
Petrus Pythœus 224, 230, 334, 361
eius correctiones 364, & seqq.
Petrus Victorius 56
Pexati ij, qui in candida & pexa toga 395
Phæcassia, calcei Græcanici 438
Phidias, sector Atticus Statio dictus 481
Philemonis Comici versus 172
Philippus Lanoyus 331
Philostratus de vita Apollonij 30
Phocas Grammaticus 50
Φορεῖον quid? 412
Picentes, serui publici 424
Pietatis ritus crudeliter turpes 500, 502

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pignoris capiendi ius consuli in absentia cuiusquam senatoris 119
Pilare, pro depilare 225
Pileo vulgo non vtebantur Romani 418
Pinciani coniectura bona 385. eius laus 470
Pisces quidam protelis boum tracti 244
Pistrinenses serui inscripti 489
Plagulæ lecticariæ 411
Plato explicatus 43,368
Platonica cæna 147
Plaudendi & explaudēdi ritus in Theatris 474
Plauti cum Terentio comparatio 247,& seqq.
Plauti versus ex Græcis auctoribus expressi 172, 173, 273
Plautinæ Comœdiæ falsus titulus 227
Plautus emendatus; Amphitruones 97,157,302
Asinaria 102,120,192
Aulularia 269,329,330
Bacchidibus 120,128
Casina 114,183,191,484
Curculione 112
Epidico 128
Menæchmis 125,116,151,288,423
Milite 105, 106, 107, 110, 119, 145, 173, 181, 182, 186, 187, 194, 269, 302
Persa 104, 133, 237, 243, 360
Pœnulo 119, 129, 130, 131, & seqq. 196, 197
Pseudolo 109, 115, 168, 171, 189, 224. 227, 257
Rudente 116, 117, 212
Sticho 146, 148, 152, 196
Trinummo 101, 276
Truculento 99, 108, 145, 167, 169, 170, 175, 177, 184. 187, 198, 199
& sæpius toto volumine Antiquarum.
in Fragmentis 114, 177, 227, 458
Plautus auctus 99, 120, 145, 167
illustratus & explicatus 129, 131, 139, 141, 142, 144, 149, 151, 152, 154, 156, 161, 182, 223, 252, 290, 306, 317, 329, 330, 354, 360, 387, 388, 392, 421, 486, 488, 489
Plebeij 441
Plebeij nobiles quando cœperint ibid.
Plebeiis anuli ferrei, aut argentei 471, 472
Plebi in agris hereditarium ius 507
sed expulsa vi potentium ibid.
Plebeij pullati 394, 395
Plinius defensus 460, & seqq.
eius assertio de vrsis ibid.
Plinius emendatus 157, 219, 221, 236, 244, 314, 360, 372, 435, 470, 475.
explicatus & illust. 155, 360, 376, 427, 463, 470, 475, 480
Plinius Iunior emendatus 215, 330, 331
explicatus 215, 427
Plumbo committi, quid? 310
Plutarchus emendatus 242, 243
explicatus aut citatus 73, 149, 195, 219, 234, 236, 242, 325, 355, 360, 368, 428, 440, 454, 475, 479
eius peccatum 81, 375, 438
aliud fortassis 420
Po in Carmine Saliari positū pro Populo 228
Pocula coronari solita in mensis secundis 156, 157
Pocula exquisita 470
Pocula in dextrum circumferri solita 156
Poculorum in bibendo numerus 152
Pœnorum luxus 434
liberos Saturno immolabant 582
Poëta vetus apud Ciceronem emendatus 321
Poëmæ veteris carmen de Perusigilio Veneris emendatum 361, & seqq.
Poëticæ phrases 384
Politia pro eleganti munditia 252
Politiani proba versio 389
Polubrum quid? 17
Polybij locus 222, 234
eius fragmenta in Sicilia reperta 305
Polybius à Studiis, agnomen liberti 389
Polycles statuarius 56
Poma legere, obscœno intellectu 162
Pomi verbum obscœnum aliquando 161
Pompa quid? 129
Pompeius Theatro suo imposuit ædem Veneris 383
Pomponius Rufus, antiquus scriptor 519
is correctus 118, 129, 227, 228, 248, 329
Pontificia cæna 142, 145
Popularia, consessus populi Theatralis 274
Populi Galliæ quot? 251
Populo se dare quid? 18
Populus Rom. diuisus in XXXV. tribus 388
Porciani, serui publici 424
Porphyrij locus 229
Porphyrio auriga 214
Porta cornea 613
Portitores æra seu pecuniariam multam exigebant 185
Pos, pro pons scriptum antiquis 80
Positur apud Sisennam & alios 525
Postes lana cincti in nuptiis 236
Postes templorum osculabantur Romani 466
Postideà, id est posteà 177
Postilla, verbū antiquum, idem quod posteà 72
Postremissimus natorum 459
Pustumia lex regis Numæ, conuiualis 148
Potestur, apud Ennium, Lucretium, Pacuuium 25
Potissum antiquum verbum 24, 25
Præcedit pro præcidit 285
Præcones, inter ministeria magistratuum 426
Præconis voce producebantur scorta in scenam 387
Præfecti annonæ initium 377
Præfecti vrbis per absentiam Cæsaris 496
Præfectus ergastuli 486
Præitio, qualis 428
singulatim præibant lictores ibid.
Prælium ingredi 523
Prætor antiquis, qui postea Consul dictus 314
Prætor referebat consulibus absentibus 325
Prætores nondum creati temporibus decemuirorum 314
Prætori lictores sex erant 433
Prætoriæ cohortes 498
Prætoriæ nauis insigne 431
Prandium, pro prima parte cænæ 147
Pransus paratus, vulgata loquendi formula 42
talis titulus fuit Varronianæ Satyræ ibid.
Prasina, factio aurigarum 214
Prasus pro pransus scribebant antiqui 81
Prensare 335
Priapeia emendata 103, 161
expli-

explicata 159, 161, 162
Primus lictor 429. eius munus 429
Princeps iuuentutis 451, iuuenum ibid.
Senatus ibid.
Principes Africæ qui? 407
Priscianí locus 37, 39, 72
Priuum, id est singulum 220
Procopius illustratus 475
Promulsidaria 260
Promulsis, secunda cænæ pars 147
Pronuntiandi veteribus alia longè ratio quàm recentioribus 80, & seq.
Propertij versus ad imitationem Græcorum 100, 111, 112
Propertius sæpe vtitur verbis simplicibus pro compositis 68, 69
Propertius tres tantùm elegiarū libros scripsisse videtur 26, 27. emendatus 15, 21, 37, 38, 41, 42, 57, 62, 73, 77, & seqq. 99, 100, 111, 112, 122, & seqq. 132, 133, 153, 154, 166, 189, 190, 197, 198. explicatus 29, 30, 35, 54, 68, 69, 161. elegiam eius disiungendam videri 50. malè negligitur à Criticis 56. de cognomine eius quæsitum 83
& de patre ibid.
Propinantibus quomodo responderint Romani 159
in Proris nauiū prætoriarū stabant lictores 431
Proscenium sæpe scortis obsessum 388
Prostibula per ludos publicos aliquando in scenam introducebantur 387
Prothyra Latinis, quæ Græcis Diathyra 239
Prouerbium vetus, Omnia erat 260
Proximus lictor quis 429
Prouinciarum solitudo ab Ergastulis 491
Proximis planum facere, id est, per proximos docere 52
Prudentius illustratus 380
Publij Africani locus contra Ti. Asellium correctus 62
Publij Clodij annonaria lex 374
is à probro vindicatus 17
Publij Mimi versus, qui Senecæ valdè placuit 385
Publij Rupilij lex 71, 72
Publius Rutilius quare damnatus 48
Pueri ante pubertatem à balneis & lauationibus publicis arcebantur 182
Pueri literas & notas docentur 497
Puersa, pro puericia 264
Pulla vestis plebeia ac præsertim tenuiorū 394
Pullati qui 394
Puluinus in lectica 410
Purimè, pro Purissimè 277
Purpureæ penulæ lautiorum 394
vt & lacernæ 395
Purpureo, nomen aurigæ celebris 214
Pygisma quid Iuuenali 310
Pythagorea cæna 147

Q

QVADRIGAE albæ 102
Quadrigarius correctus 118, 120, 286, 371
Quadrigis abire, pro celeriter abire, fugere 102
Quæstoribus nec viatores, nec lictores erāt 433
Quàm, sæpe omittitur 337
Quamde, pro quàm 176, 334
Quasillo pressum scortum 31
Quies tunicata, quid 235
Quiescere pugnæ 592
Quietum esse, summum manium votum 386
Quinctilianus correctus 126. explicatus 14. 160
Quinctilianus in libro de caus. corruptæ eloq. malè Ciceronem reprehendit 99
Quingenta iugera tantùm possidere vni soli licuit per legem Stolonis 483
Quinquatria, titulus Varronianæ Satyræ 53
Quinquennalia festa celebrata in honorem Impp. 245
Q. Catulus primus Ciceronem patrem patriæ appellauit 81

R

RET S. sæpe alternant 117
R. R. pro D. sæpe ponitur 192, 314
Recensus quid propriè 375. non omnes ciues in eo recensiti 375
non est census 375
Redespice, pro respice 177
Regificè instructa 56
Regna vini quid Horatio 149
Regno imminent qui detestantur 569
Rei sordidati 392. eorum habitus prius 390, 393
Relegatio seruorum 491. in campos ibid.
Remota templi 522
Repigrandi verbum erutum 510
Respersum vinum, id quod rogis inspergebatur 148
Respiciens cognomen Fortunæ 131
Respondendi modus inter bibendum aut propinandum 159
Rhenani lectio praua 176, 226, 255
negligentia 230. iudicium explosum 265
Ricinia, quid 218, 219
Roaldus 221
Roma cur frequentata 183
Romanæ feminæ lanificio & textrinæ vacabant 404. in atrio domuum id fiebat 405
Romani accumbebant ad mensam 144
Romani albati in die festo 391
Romani Imperij lapsi causa 484
Romani rebus ignotis nota nomina dabant 461
Romani sine peraso aut pileo 418
Romanis quando peccare libuit 470
Romanis qui nobiles 441 qui noui ibid.
Rosæ tinctæ cruore Adonis 365
Roscia lex 398
Rota fortunæ 49
Rudæus, Rudinus, Rudius 184
Ruffinus de Metris Comicis 59
eius lectio in Cicerone probata 75
Rumex, teli genus 369
Rumiliæ Deæ nomen vitiosum apud Plutarchum 131
Rumina, Dea 130, 131
Russata, aurigarum factio 214

S

SET R. sæpe alternant 117
S. Sabini quod volunt somniant, prouerbium 317
Sacer quid? 314. sacer Cereri, Ioui &c. ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacerdos Nicetes, rhetor nobilis 109
Sacerdotes Salij 383
Sacra nocturna Triuiæ 572
Sacrorum veterum ritus 568, & seq.
Sagari qui 214. videntur munus aliquod Theatrale functi ibid.
Sagarij etiam dicti ibid.
Sagariam facere quid Appuleio 215
Salacio, à Salacitate 496
Salij, Sacerdotes 383,445
Salluſtius explicatus 37,39,346,455. emendatus 19,117,118,263,254,& seq.373,466.
Saltus fullonius 392
Saltus, obſcæna ſignificatione 162
Salutationes matutinæ deorum 502
Salutigeri, internuncij 256
Sandapila, hominum quatuor 408
Sapientis deſcriptio 28
Satagius 459
Satis agere, quid propriè 423
Saturnalibus Saturnus iterum regnare credebatur 272
Saturnalibus ſerui dominantur 254
iis diebus Claudius Imp. regnum libertis permiſit 254
Saturno hoſtiæ humanæ immolatæ 460
Satyræ Vatronianæ titulus quæ ſitus 20,27
Satyrica ſigna contra faſcinum valent 404
Satyris ſua quædam peculiaris dictio 510
Saxa & faces, populi ſeditioſi tela 555
Scaligeri de Mattiale iudicium probum 213
de tragœdiis quæ Senecæ tribuuntur, haud rigidè verum 543
Scelerum memoria de nocte inquietat 571
Scelus Polymneſtoris, pro ipſo Polymneſtore 29,30
Scenam ſæpe, ſcorta obſidebant 388
Σκηνοθέτον quid 412
Scholiaſtes Ariſtophanis 306. Sophoclis ibid.
Scipio Africanus in Sulpitium 171. contra Ti. Aſellium correctus 62
Scipio Naſica Corculum dictus 213
Scorta aliquando in ſcenam introducebãtur 387
quàm antiquus ille mos ibid. ad Mariyæ ſtatuam proſtabant 158
Scortum quaſillo preſſum 31
Scriba 426
Scribendi aſſa longè ratio veteribus quàm recentioribus 80, & ſeq.
Scribonius Largus emendatus 489
Scriptores rei agrariæ 397
Scripturarij æra ſeu multam pecuniariam exigebant 185
Scitum eſt Senatus in lib. vet. 36
Sectari pro inſectari, apud Propertium 69
Sector Atticus, id eſt, Phidias 481
Secundas facere aut agere quid? 193
Secus pro ſexu 370
Secures prælatæ extra vrbem tantum 410.
adempræ faſcibus ibid. Dictatori ſoli ius in vrbe ſumendi ſecures ibid.
eas deponendi mos ibid.
Sella & lectica quo differant 411,415. ſella dignior quàm lectica 417
Sella quando orta 416. eius forma qualis 417
geſtatoria ſella 416 laxa ibid. minuta ibid.
muliebris ſella ibid. pellicea, oſſea 417
Sellarij 415
Semiraſi ij qui in opus damnati 490.
ergaſtuli etiam & omnes ſerui viliores 490
Semones dij 130
Senatoria veſtis toga 393
Senatorij cenſus ſumma quanta 496
Senatoribus abſentibus multam dicebat conſul 119
Senatui intereſſe nulli licitũ, niſi Senatori 634
Senatus literas ad prouinciales magiſtratus mittebat 325
Senatus princeps quis 451
Senecæ vtriuſque ætas 351. vaniſſimum mendacium de longo Senecæ ævo 352
vtriuſque Senecæ vitæ ratio ibid. ſtili diſcrepantia ibid.
Seneca pater, rhetor fuit 352 auctor Controuerſiarum & Suaſoriarum 353. pater fuit Senecæ Philoſophi, Nouati & Melę 353
is emendatus 313,413,491
Seneca philoſophus, filius illius qui rhetor 353.
librum ſcripſit de Superſtitione 501, item exhortationes ibid. reprehendit Virgilium 401 reprehenditur ab Agellio 385. eius elogium de Publij mimi verſu ibid. malè negligitur à Criticis 477.
emendatus 142,170,181,187,223,241,242, 249,254,255,266,279,299,320,321,368, 381,385,386.387,395,400,& ſeqq.415,426 432,437,438,472,473,488,492,522. explicatus 158,351,352,368,381,386,395, 401,402,410,413,414,477,491. eius laus 437. fragmenta quædam ex eius libro de Superſtitione 500 & ſeqq.
Seneca tragœdus longè alius à Philoſopho 541, & ſeq. emendatus atque explicatus 107, 108,160, item à pag. 543, vſque ad 582
Senecarum Stemma 363
Senica, pro femina ſene 111
Senicem, pro ſenem 100,280
Sententiarum affectatio improbata 543
Sequi iter ſtellis 507
Serta, Sertas, & Sertos promiſcuè dicebant antiqui 157. vnde dicta ſerta 157
Sertæ demiſſæ 157
Serui à liberis vix diſcreti veſte 393
Serui ad lecticam 414
Serui diuiſi in varia genera 482
triſtiſſimum genus Ergaſtulorum 482
ij miſſi in agros 483. ſoluti, vincti 487,488
diuiſi per nationes & colores 488
ſemiraſi 490
Serui Imperatorum à reliquis diſcreti veſte 436.
albati ibid. etiam aurati 436
Serui publici 423,424. annua ad eorum victum 424. agnominatio eorum à prouinciis, Brutiani, Cyprij, Picentes, & Lucani 424. à perſonis, Clodiani, Porciani, Corneliani, Gelliani 424
Seruilij Vatiæ villa 401
Seruitus publica 424
Seruius notatus 453,462.
Seruorum veſtis ſola tunica 435
Seuerus Imp. tribunis annulos aureos ademit 472
Seuiri Iuniores & Seniores 211
Sextans, cyathos duos efficit 152

Sex.

Sex. Rufus emendatus 127
Sicare pro ſecare 407
Siderum incerta cognitio 478
Sigiſbertus, vir doctus, qui Gemblaci ante annos ſexcentos claruit 37
Sigma litera, qua forma veteribus 144
Sigma in conuiuiis, quid? 144
Signorum imagines aureæ aut argenteæ 324
Silanus cur occiſus 255
Silentium in conuiuiis indictum 155
Silius Italicus emendatus 113. eius de Aſconio Pediano elogium 465
Simpinium, Simpulum, ſimpuuium promiſcuè ſcribi ſolet 167
Siniſter locus honeſtior apud Turcas hodie 456
Siniſtra auguria, bona 453. vnde id? 454
Siremps, verbum ſolenne in legibus ſcribendis, pro ſimili vel eodem 97
Siſenna emendatus 301. explicatus 55
Siſtentare, antiquum verbum, pro oſtẽtare 170
Situs cadaueris quis obſeruatus Rom. 368
Sociennus, idem quod Socius 114
Socrates malè audiit ob puerorum amorẽ 302.
mulieres non amabat ibid.
Sol ardidus 459
Soi Medææ auus 544
Sol meridies 458
Soleas demebant Romani ante diſcubitum 145
Soleas poſcere, ſurgentium à cæna 145
Solimanni crudelitas in liberos ſuos 278
Solinus emendatus 277,460
Solitaurile, ſacrificium proprium omnium luſtrationum 528
Solonis lex 219
Sordidati qui 392
Soror quid præter vulgarem ſignificationem deſignet antiquis 84,& ſeqq. 159
Sortes quæ 479. earum vſus & religio ibid.
extenuatæ aut exteniatæ ſortes, quid portendant ibid.
Spartianus correctus 224,335,336,379,394, 444. explicatus 393
Species operis Latinis, quod Græcis Ichnographia 422
Specula diis apponebantur, ad cultum 503
Spes & metus in verum regem haud cadunt 566
Statio militum, ad ludos 274
Stationarij milites per totam Italiam 274
Statius Papinius correctus 383,384,366,481, & ſeqq. explicatus 285,387,471
Statores 426
Statuæ feminis etiam poſitæ 396
Statuas coronabant meretrices 158
Statuas inſcribendi mos vetus 396
iis etiam vela oppandebant Rom. 502
Statuas ponendi mos ex teſtamento 384
Statuis altioribus reſtem & laqueos injiciendi ac detrahendi mos 581
Stellis iter ſequi, nauigantium 507
Stemma Senecarum 353
Stephanus Pighius 220,278,287,335 eius coniectura proba 127 laudatus 476
Stertinium acumen 310
Stigmatis infuſum atramentum 490
Stipendij militaris initium, ex Liuio 354
primi ſtipendij quis modus, & quàm exiguus 354. Græcanici ſtipendij modus 355
Prima acceſſio ad ſtipendium 355
ſecunda ibid. tertia ibid. quarta 356
Stoici philoſophi deſcriptio 28
Stola, propria matronarum 142
Strabo citatus 228,151. correctus 509
Strategus conuiuij apud Plautum quis 148
Strigiles & linrea quaſi in vſum Deorum 503
Structor in conuiuio 146
Struthiones ſeu Struthiocameli in Circo 290
Suarij ſub præfecto annonæ 383
Subducendi verbum, quid ſignificet 53,54
Sublectare os quid? 192
Submittere faſces, id eſt cedere alteri 430
Submotio quid? 426
primi lictoris propria 429
Submouendi munus non ſine inuidia 427
Subrectus quid? 504. ſubrecti enſes 504
ſubrectum mœtinum ibid.
Subſelliis non vtebantur in conuiuio Rom. 144
Succido 421
Sudandi mos in balneis ſiccis 400
Suetonij commendatio 495. eius à ſe ipſo diſſenſus 390
Suetonius correctus 114.120,121,196.284, 355,370,375,377,388,389,416,418,& ſeqq. 441,491,495, & ſeq. explicatus 152, 195,274,388, 393, 404, 411, 436,440, 453, 455,465,479,480,485. conciliatus cum Dione 496,497
Suffetes magiſtratus Punicus 228
Suggeſtus imaginum, pro congerie imag. 324
Suidæ ridiculum acumen 378
Sulci obſcœna ſignificatio 185
Summa dies 108
Summotio, proprium lictorum 426
Summus in decubitu is qui ad caput lecti decumbebat 145
Summus lictor quis 429
Superfieri quid? 323
Superior ædes, ſeu ſuperiores ædes quid apud Suetonium 388
Supplicia pro Supplicatione 218 in iis templa paſſis crinibus verrebant 466
Suſpendioſi clauis vtebantur, 406
Symeo Boſius 509
Symmachi Epiſtolæ à quo primùm editæ 300
Syri, ſerui robuſti 311
Syria pro Iunone 511

T.

T PRO S. poſitum 108
T. Tabulæ frumentariæ 378
Tacitæ induciæ 275
Taciti fragmentum apud Oroſium 121
Tacitus emendatus 128, 129, 217, 221, 285, 338, 394. illuſtratus 195, 217, 251, 355, 360, 411, 426, 428 455
Tacitus Imperator Rom. 446
Tæniæ in ſacris 479
Tagit, pro Tangit, apud Plautum 184
Talis ſortiebantur magiſtrum conuiuij 149
Tamde, pro Tam 276
Tangendi oculos mos in obteſtatione 406
Tatius Cyrillus hiſtoricus 444
Temperint, pro Temperent 185
Templorum poſtes oculabantur Romani 466
Terentius emendatus 25,39. eius cum Plauto

Universidad de Deusto
Biblioteca

Plauto comparatio 247. locus eius de Alexide expressus 71
Terrestris cæna 143
Tersitis, pro tersistis 217
Terta, pro tersa 108
Tertullianus à Pamelio edendus 324
emendatus 324,501. explicatus 281,387.
Tesseræ frumentariæ 378 vbi capi solitæ ibid. & quando 378
Testari pro Detestari apud Propertium 69
Testibus planum facere, id est, per testes 52
Testudo militaris 294. etiam in Circo 294
Tetinero, pro tenuero 277
Texendi in atrio mos 405. idque receptum matronis 404
Thalamus, viri nomen 214
Thallus agitator 216
Thallus à manu, liberti nomen 389
Theatralis honos & dedecus 474
Theatrum Veneri sacrum 388. scortis obsessum ibid.
Themis Dea 29
Themison medicus 407
Theodorus Canterus 308
Theodorus Pulmannus 240
Theophrasti philosophi laus 43
Thermopolia quæ fuerint 359
ea vetita Claudio Imp. 319
Thracius rusticus 542
Thyestes A Egysthi pater & auus 576
Thyniasin, Græca terminatione apud Propertium 100
Tibia Gallorum propria 578
Tibullus emendatus 157. explicatus 31, 34, & seq. 154, 159, 445
Titinnius apud Nonium correctus 97, 169, 193, 200, 272, 301
Titulus sub quaque imagine siue Index 443
Titulus Varronianæ Satyræ restitutus 20
alius 27, 28. alius 42. alius corruptus 71, 82
Titus Ampius 307
Titus Liuius emendatus 113, 114, 176, 212, 217, 218, 220, 222, 225, 228, 229, 230, 233, 238, 239, 240, 242, 245, 247, 253, 254, 257, 262, 264, 265, 267, 269, 270, 272, 275, 278, 283, 284, 286, 288, 291, 292, 294, 298, 306, 308, 309, 317, 319, 320, 322, 324, 325, 328, 331, 332, 333, 335, 337, 354, 371, 372, 389, 391, 399, 426, 429, 439, 477, 478, 472, 485. explicatus 195, 387, 419, 430, 478, 479, 483. eius epitome correcta 439
fragmentum eius apud Senecam emendatum 300
Toga alba 390. alba diuersa à candida 391.
candidatorum toga cretata 391.
toga mortuorum apud Italos, pallium apud Græcos 308. mansit postea apud solos honestiores 393. & facta solum senatoria vestis ibid.
Togas mutabant Romani ante accubitum ad mensam 144, 145
Tragœdia qualis esse debeat 247, 248
Tragœdiarum, quæ L. Annæo Senecæ tribuuntur, quattuor diuersi scriptores 541, & seq. ex iis Medæa Senecæ Philosophi, & Thebais incerti auctoris, maximè laudabiles 542
Octauia præ cæteris vilis 543. singulæ ordine explicatæ atque emendatæ à pag. 543 vsque ad 582
Trebellius Pollio emendatus 444, 445
Trephallo corollæ donabantur à meretricibus 158
Treslecti Romanis circa vnam mensam 144
Tribonianus Iurisconsultus 640
Tribules qui 389
Tribuo pro distribuo vsus Cicero 69
Tribus xxxv. Romæ 388
Tribus Augusti quæ 389
Tribuni militum anulos aureos gestabant 471
quos illis ademit Seuerus Imp. 372
Tribuni plebis primò tantùm ex plebe 480
sub Imperatoribus tantùm è patribus 480, nec equites quidem admissi ad tribunatum 480
Triclinium vnde dictum 144
Trifax, teli genus 369
Tripes mensa tenuiorum 144
Tristitas pro Tristitia 117
Triumphantium in Capitolio conuiuium 535
Triumviralis lex 416
Troiæ ludicrum 210
Trossuli qui 451. inter eos cooptari quid? 451. pro iuuenibus ponitur ea vox 452
Tumulti & tumulto dicebant antiqui 259
Tunica vulgo alba 395
Tunicæ manuleatæ puerorũ meritoriorum 171
solæ tunicæ, propriæ seruorum 415. & rusticorum 435
Tunicata quies, quid 215
Turcis honestior locus quis 456
Turconius, iuuenis nobilis 253
Turdus, quidam homo mollis 402
Turnebi coniectura spreta 129
ab eo recessum 31, 142, 157, 171, 195, 255, 456. error 429, 446, 509
Turnebus defensus 332
Turpilius emendatus 117, 218, 227, 327

V

V PRO B. 224. admodum similes hæ literæ in scriptura & pronunciatione 60. de qua re librum scripsit Adamantius martyr 60
V in I conuersum 90
V pronunciabant veteres vt Ou 127
Vænalitij pro vænalitiariis positi Ciceroni 87
Valerius Maximus emendatus atque explicatus 476, & seqq. item 521 vsque ad 538
à Dionysio, Plutarcho, D. Augustino dissentit 523. à Cicerone dissentire videtur 71.
eius de Diphilo Tragœdo error 22
Valerius Probus soli Criticæ deditus 642
Varro emendatus lib. de Re. Rust. 292
in Fragmentis 16, 20, 27, 33, 36, 42, 53, 63, 70, 80, 86, 109, 110, 130, 145, 168, 172, 190, 194, 199, 213, 219, 239, 307, 308, 314. explicatus 36, 42, 147, 152
Varronianæ Satyræ titulus 20, 27, 42, 55, 71, 82
Vasculum nouo significatu 105
Vatiæ villa apud Senecam 401
Vatibus præferebatur lucerna & laurus 337
etiam ignis ibid.

Vbi, pro ibi 274
Vdi, pro bibaculis 216
Vdysses idem qui Vlysses 185
Vehementius equo certatum 505
Vela oppansa aris & statuis 502
Velamen quid Papiniano 239
Velia & Antium amœna & apta secessui loca 387
Velitares hastæ 524. parmæ ibid.
Velleius Paterculus correctus 265
iudicium de eo ibid. adulator summus in historiâ 326. emendatus ibid.
Vellem vt velles 342
Velum regebat lecticas 411
Veneris aedem Theatro suo superposuit Pompeius 388
Venerius iactus 113
is magistrum conuiuij faciebat 149
Veneta factio aurigarum 214
Venus nata è spuma & sanguine 364
Venus oleta significabat antiquis 239
Ver, nouus orbis 364
Verba actiua, occultâ patiẽdi significatione 533
Verba dicundo vtilia 459
Verbũm sat est, Plauto, pro verborum sat est 135
Vergobreti, magistratus Gallorum 228
Verres quid 49
Versus conuiuales 163, 164
Vertunnus custos horti 140
Vesta dea, & eius ignes 41
Vestali virgini lictor vnus erat 433
Vestem mutabant liberti 390
Vestes ad cænam 144
Vestes Romanorum albæ 390
Vestis alba etiam externis gentibus in vsu 392
Vestis gratuita quãdo primùm militi data 355
Vestitores deorum 503
Vetera 509
Veteres in Theatris, quibus opponuntur iuuenes 210
Vetrius homo impurus, à Cæsare subornatus 65
Viatores inter ministeria magistratuum 426
Vicepota, Dea 242
Vicesimalia festa, in honorem Imppp. 245
Vicia pro victoria 243
Victor Giselinus 221, 238, 241, 246, 256, 266 276, 280. 289, 299, 302, 307, 326, 338, 370
401
Villa vatiæ 188
Villator, pro cauillator 410
Vincla in lectica 376
Vincti qui 487. eorum greges 488
Vinearia lex 148
Vino rogum respergi solenne 131
Vinum à magistratu dabatur in sacrificiis publicis 168
Vinum edentulum, Plauto 431
Virga aliud à Fascibus 432.
Virgæ siue bacilli quibus prælati magistratibus colonicis ibid. ædilibus quinquennalibus ibid. duumuiris ibid. seuiris ibid. aptæ ad summouendum & ad tangendum fores 431 ibid.
Virgilius in summo honore Romæ 474.
ita vt ei adsurrectum sit ab vniuerso populo 474. reprehensus à Seneca 401. defensus ibid. explicatus 74, 153, 162, 368, 453, 462
Virginal 510
Virgines à balneis & lauationibus publicis arcebantur 182
Virgines Lacedæm. in palæstra ad Eurotam nudabantur, instituto Lycurgi 155
Virtus L. Crassi, pro ipso Crasso 30
Vita & Victoria 475
Vita Fulgentij Episc. Afri 357
Vita in agris laudata 551
Vitis aurea Hierosolymis 462, 463. quid ea 463. quæque eius forma ibid. gentibus suspicionem dabat Bacchi à Iudæis culti ibid.
Vitis, insigne centurionum 281
Vitium propagines subire nefas flamini 421
Vitta duplex, propria matronarum 142
Vitulari vnde dictum 200
Viuebo, pro Viuam 302
Vlpianus explicatus 274
Vmbones in togâ 390
Vmbri 504
Vnctio ante cœnam apud Rom. 142
Vnctores deorum 500
Vocificant, apud Agellium 264
Volscũm, pro Volscorũ, apud Propertium 132
Voleris, pro Volueris 277
Volturius iactus quis 113
Vomer quid Lucretio 185
Vopiscus explicatus 389. emendatus 389, 395. nouus in eo intellectus 476
Vota manium, vt quieti essent 386
Voti compotire 511
Vrnarium in ædibus veterum 16
Vrsa Libyca 462
Vrsi an in Africâ 460. frigore delectantur ibid. vnde etiam illis epitheta 461
Vrsi Numidici in annalibus Actis positi pro Leonibus 461. qua ratione ibid.
Vterus solatium parasito 458
Vtrinsecus aduerbium 511
Vulcatius emendatus 336
Vulturis, pro vultur, Ennio 222
Vultus inscriptio in seruis 489. pistrinensibus 489. ergastulis 489. qualis illa fuerit 490. multorũ sæpe verborum 490. imò & versuum 490. in liberis etiam exercita 489
Vxore nouâ nouus lectus Genialis 404

X.

XIPHILINVS citatus 171, 337
eius sententia mira 290. explicatus 357
Xylandri error 412, 496

Z.

ZALEVCVS legislator 43
Zeno Armeniæ rex, 498
Ζητήματα in conuiuiis proponebãt Romani 155
Zeuxis quomodo Helenam pinxerit 64
Zona, pro polo 562
Zonaræ adsertio proba 314.
locus citatus 356, 463

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto IVSTO LIPSIO gratiam noſtram Cæſaream. Poſtquam inter alia, quę DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illuſtria inprimis illa & quaſi diuina ſunt, quæ in literis liberalibuſque diſciplinis conſiſtunt. quibus ſcilicet homines non tantùm ab animalibus ceteris rationis expertibus, ſed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita diſtinguuntur, vt tanquam Dij quidàm ſplendeſcere in terris videantur: rem ſanè præclaram ſeque dignam illi præſtant, qui diligentem iis ipſis in literis ac diſciplinis operam ponunt; præclariſſimam verò & Reipub. vtiliſſimam, qui eas ita excolunt, vt aliorum menti docendo, ſcribendo lumina præferant, eosque ex ignorantiæ tenebris quaſi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare ad dignitatis noſtræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio, conceſſuque ſumus, inprimis pertinere exiſtimamus. Cùm itaque ab iis, quorum nobis ſpectata fides, quique iudicare de Literis poſſint, acceperimus, inſignes te animi ingenii que tui dotes tibi à natura inſitas à primis temporibus ætatis tuę ita literarum ac diſciplinarum ſtudiis excoluiſſe atque exornaſſe, vt olim iuuenilibus adhuc annis præclara floreſcentis minimeque vulgaris eruditionis ſpecimina præbueris, dum obſcura in antiquis ſcriptoribus loca, quæ quædam tanquam luſtra erant, illuſtraſti, quæque in iis iniuria temporum deprauata & corrupta fuerunt, reſtituiſti, dum vetuſta Latinæ antiquitatis rudera in nouam ſubinde ſtructuram ſingulari artificio eleganter conuertiſti: ad exquiſitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quoſque viros opinionem excitarit, perueniſſe, eamque variis abs te libris acri & graui cum iudicio ſcriptis atque in lucem editis oſtendiſſe, vt in eo quod tam feliciter tractes ſcriptionis genere paucos tibi pares hodie reperire ſit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magisque digna, & viris doctis grata ac Reipub. vtilia ſcribere, quæq. à primis illis Romanis olim auctoribus ſcripta fuerunt, à mendis purgare, & lectiſſimos quoſque ex Muſarum hortis, in quibus aſſiduè verſeris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrees, & eorum pectus ad prudentiam, probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, cauſa, Cæſareo te noſtro elogio decorandum, & quamuis per te ſatis ipſe animatus ſis, animādum magis patrocinioq. noſtro defendendum pro benigna noſtra in te ſuſciperemus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiare m te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc noſtro priuilegioque te & Typographum tuum aduerſus quorumcunque fraudem, qui lucri cauſa, quod fieri ſolet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate noſtra Cæſarea decernimus, ſtatuimus, vetamusque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum, aut aliorum, qui librariam negotiationem exercent, eos libros, quos tu edituruses, quocunque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra ſacri Romani Imperij, Regnorumq. ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines triginta annis proximis à primo editionis die computandis, abſque tuo tuorúmve hæredum conſenſu audeat: Hac autem lege addita, vti tria vt minimùm cuiuſque libri exemplaria, quemadmodum moris eſt, ad Imperialem noſtram Cancellariam mittantur. Si quis verò edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libris, tibi, hæredibúſue tuis, auxilio Magiſtratus, vbicunq. reperti fuerint, vendicandis, priuari, ſed triginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius ſemiſſis quidem Fiſci noſtri Procuratori, fraudis vindici: alter verò ſemiſſis, tibi hęredibúſue tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuerſis & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Politicis, cuiuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis extiterint, preſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine, ius dicunt, iuſtitiámue exercent, ne quemquam hoc Priuilegium noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur: Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtituta à nobis mulcta, eos puniri & quibuſcunque modis coërceri curent, ni & ipſimet grauiſſimam noſtram in ſe conuertere indignationem velint. Id quod hoc Diplomate, manu noſtra ſubſcripto, & Cæſarei noſtri ſigilli impreſſione munito, confirmamus. Datum in arce noſtra Regia Pragæ, die prima menſis Auguſti. Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſecundo: Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici vigeſimo, & Bohemici itidem decimo ſeptimo.

Subſign.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenaw.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ Mtis proprium.

Io. Baruitius.

Additum ſigillum Cæſ. Mtis in cerâ rubrâ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, diplomate ſuo ſanxit, nequis, Iuſti Lipſij Hiſtoriarum in alma Vniuerſitate Louanienſi Profeſſoris, & item Hiſtoriographi ſui libros quoſcunque, à Cenſoribus legitimis approbatos, præter ipſius, heredúmve eius, voluntatem, intra triginta annos à prima ſingulorum librorum editione computandos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur. Vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ XIV. Feb. M.D.XCVII.


Verreycken.

TIbi JOANNES MORETE, *pro amicitiâ quæ mihi cum Plantino (heu, quondam meo) & Plantinianis eſt ac fuit, tibi, inquam, permitto, vti hæc* OPERA *quæ ad* CRITICAM *ſpectant, iam nouiter à me aucta, correcta, digeſta, typis tuis excudas ac diuulges. Nequis alibi alius præter te, cupio ſiue iubeo, ex lege quam magnus Cæſar & Rex meus dixerunt.*

Iuſtus Lipſius.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD IOANNEM MORETVM.
M. D. C.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca